Journal

a, & proxima liberta-
sit indifferentia iudi-
iudicium propo ns
obiectum; a
tiæ
cho-
ex m
nst
. Scor.
de aux.
cap. 4 & d. Met. sect.
3. Hurt. disp. de anim.
sect. 5. Arriaga. disp. 8. e anim.
sect. 2. & Alij.

ta : neg.
ta à liber
vina ef
bertas co
luntatem, ut
hoc tamen modo,
tia sit principium omnium et
fectum quoàd rem, sicque
omnia contineat, ut libertas
quoàd modum essendi. Ratio
est, quia libertas efficit, ut
Deus non operetur quoàd ul-
timum de potentia.

SECTIO II.

Quænam sit prima radix intrinseca libertatis nostræ?

19 SUpponendum est cum omnibus Theologis, quod ut voluntas libere operetur, est necessaria cognitio obiecti, ut toties dictum est; nam voluntas, utpote potentia cæca, non potest ferri nisi in obiectum, quod ei sit ab intellectu propositum; quia in incognitum ferri nequit: quo pacto, iuxta Scotistas cognitio obiecti est occasio, vel conditio sine qua non ad libertatem. Dubium inter Thomistas, & Scotistas consistit in hoc, scilicet, an radix

20 Conclus.: prima radix intrinseca libertatis nostræ non est indifferentia iudicij, sed indifferentia ipsius potentiæ volitivè. Prob. 1. concl. quoàd 1. part.: stante iudicio intellectus determi ro ad unam partem, volu huc manet libera, i no- situm sequi 3. : erg. l dicatur in indi cij. Prob. cons.: princip ffe- rens nequit radicari inc sa determinata, ut determinata: nam ciente radiatum : erg non ficit defi cio indifferenti, dens ei , iudicium indifferens non esse radicem Confirm.: stante differenti circa ali tum, v. g. da eleemosynam hac

3.483
8991
8991

non

Es de el Uso de Fr. Balthasar ✠ Alvaro Con Licencia
de su Prelado. año de 1767.

CURSUS

THEOLOGIÆ SCHOLASTICÆ

IN VIA V.P. SUBT. MARIANIQUE DOCT.

JOANNIS DUNS SCOTI.

DECURSUS

PER QUATUOR EJUSDEM SENTENTIARUM LIBROS

EDITUS,

De la libreria de S.n Buenaventura

AB OBSERVANTI EX ORDINE MINORUM S.P.N. FRANciſci Provincia, titulo Immaculatæ Conceptionis Deiparæ decorata, apud Hiſpanos in veteri Caſtella.

de Palencia

TOMUS QUINTUS.

AUTHORIBUS

ano de 1785

ILLUSTRIS. AC REVEREND. D. Fr. BARTHOLOMÆO Sarmentero, in Valliſ Oletanæ Univerſitate Doct. Theologo, & Subt. Doct. Cathedræ Moderatore olim Primario; Lectore bis Jubilato, & præfatæ Provinciæ Ex-Miniſtro Provinciali; ac nunc Epiſcopo Vicenſi. Et P. Fr. FRANCISCO DE LA LANZA, Sacræ Theologiæ Lectore, Doct. Valliſ Oletano, & Subt. Doct. Cathedrario prius Veſperiario, nunc autem Primario; Valliſ Oletanæ Diœceſis Examinatore Synodali; atque S. Officij Qualificatore.

Valli Oleti: Ex Typographia Alberti ſij & Antonij Figueroa, Anno Dñi. MDCCLII.

EXIMIO
THEODIDACTO;

FLORIDARUM VIRTUTUM PARADYSO; Invictiſsimo, ac indefeſſo Santiſsimi nominis Jeſu Baiulo; ferventiſsimo Deiparæ Amaſio; Sacræ Militiæ egregio Præconi; Seraphicæ Familiæ vigilantiſsimo Præſuli,

DIVO
BERNARDINO
SENENSI.

UAS versùs aras (amantiſsime Parens) ſumma alacritate pergit, veluti ad ſuum Mœcenatem, & Patronum, hiccine de *Conſcientia*, *Legibus*, *& Peccatis* Tomus quintus noſtri Theologici Curſus. Sed quid mirum, quòd radiolus iſte ad te celeri paſſu redeat, cùm à tua ſolari ſpecie ortum ducat? Quid in hoc opere docetur calamo, & traditur prælo, quod Tu ſervandum, vèl cavendum non docueris exemplo miro, imò magiſterio mirando, quippe qui *Doctor egregiè* ſalutaris, & noſceris à Seraphico Choro (1). Conſcientia pura, lex viva, regula morum, debellator criminum, quibus obſtitiſti, præcavens Chriſticolas ab interitu culpæ, veluti Sol umbras, & tenebras

(1) Antiph ad Veſp. in Offic. prop. D. Bernardini.

bras pellens, à cunctis perſpiceris, & vocitaris. In tui laudem intonet Supremum Eccleſiæ Numen: *Noviſsimè diebus iſtis* (inſit Nicolaus V. in Bulla Canonizationis) *fubar quoddam mirifici ſplendoris, & refulgentis luminis* (2), *ad gloriam ſui Nominis efficaciùs propalandam eduxit in lucem, Sanctum videlicèt Bernardinum, de Senis cognomento, Ordinis Fratrum Minorum, Sacræ Religionis B. Franciſci ab adoleſcentia ſua cultorem, & diligentiſsimum obſervatorem, quoad promptam obedientiam, hilarem paupertatem, & nitidiſsimam caſtitatem, imò & integerrimam virginitatem. Hunc virum nobilibus ortum parentibus, Religione Chriſtiana verum Dei cultorem, nullis oblatis honoribus, nullis dignitatibus Eccleſiaſticis, vèl Sæcularibus, abſtrahere valuit pompa favorabilis aura mundialis ab aſperitate, & rigore obſervantiæ regularis. Sprevit eqvidem, & parvipendit ſuæ proſapiæ militaria inſignia, nèc ſe dignum Pontificiali infula reputavit, cum trina vice fuerit ad Epiſcopalem dignitatem inſtantiſsimè poſtulatus.* Hæc, & alia ſuopte digna ingenio, ac propria manu primitùs compilavit, & exaravit ſupremum Eccleſiæ Caput, exponens Te Jubar fulgentiſsimum univerſali Eccleſiæ, vas admirabile, opus excelſi, ut luceas, radies, & fulgeas tanquàm Sol in templo Dei, ad iuſtitiam moribus, & ſcriptis erudiens multos. Quid mirum, inquam, quòd hoc opus, lucem poſtulans, pernici curſu ad Te, collectis in unum ſplendoribus, evolare conetur, ut benignis oculis illud aſpicias, in ſinu tuo recipias, & foveas, & ſub alis tuis protegas, cuſtodias, atque defendas? Si namque Ægiptij, ut refert Bungus (3), quinarium numerum cœleſtibus aſtris dicabant; potiori titulo Tibi, non utcumque Eccleſiæ Militantis Aſtro, ſed veluti Sol, lucis ſplendore radianti, debet hic noſtri Theologici Curſus Tomus quintus offerri, atque ſacrari.

(2) Apud Uvading. tom. 12. fol. 56. ann. 1450.

(3) Bungus de numeris, num. 5.

Radias ultrà ut Sol Sapientiæ ſplendoribus, quibus Eccleſiam Militantem, Seraphicamque Religionem mirabiliter illuſtraſti. Litteris enim hu-

humanis primò addictus, & Philoſophiæ curſu laudabiliter tranſacto, decimum ſeptimum ætatis annum agens, Juri Canonico Senis operam navaſti, eique tàm ſedulò incubuiſti, ut Magiſterij laurea omnium votis redimitus fueris. Theologiam Scholaſticam, Moralem, Myſticam, & præſertim Expoſitivam ità ardenter dilexiſti, ut poſthabitis cæteris ſcientijs, ſacro in evolvendo textu præcipuè vigilaveris. Si ergo ex fructibus cognoſcitur arbor, famigeratiſsimi Diſcipuli teſtes ſunt doctrinæ; quos inter S. Joannes a Capiſtrano, & S. Jacobus à Marchia, qui maximis meritis Sanctorum faſtis ſunt adſcripti, inter quæ celebertimos Evangelij Præcones computati, primatum tenent. *Rectè Sol dicitur luminare maius*, ait P. Clavius (4), *quia non tàm ſuum ſplendorem continet in corpore ſuo, ſed etiam in Lunam, Stellas, ac Planetas in totum orbem diffundit.* Recte igitur, inclyte Bernardine, Sol mirificus commendaris, quia ut luminare maius in Eccleſia fulges, non ſolùm in Te continens ſplendorem illimis ſapientiæ, ſed etiàm per doctos, ſanctos que Diſcipulos tuos, tanquàm per Lunam, & Stellas, tuæ doctrinæ radios circumquaque diffudiſti, ignorantiæ que obfuſas tenebras igne Divini amoris, ſcientiæ que lucida face eliminaſti. *Quæ eſt dicenda ſapientia, niſi quæ Dei ſapientia eſt?* Eructabat Auguſtinus (5); tùm, quia eſt ſcaturigo, à qua ſapientia dimanat humana; tùm, quia illa ſola ſapientiæ meretur nomen, in cuius comparatione, quæ apud homines habetur, umbra duntaxat ſapientiæ nuncupatur. Ab illo ergo Divinæ Sapientiæ Fonte, a Virgine Matre, Sapientiæ Sede, cui feliciter ſtudia omnia ſemper conſecraſti, veram ſapientiam mediullitùs ſuxiſti, & Sanctorum ſcientia ſaginatus lucebas ſimul, & ardebas; atque ignem, quem Verbum Patris venit mittere in terram, affluatus Sancto Spiritu mirabiliter accendebas. *Eſt tantùm lucere, vanum; tantùm ardere, parum; ardere, & lucere, perfectum*; aiebat Melliſluus Doctor (6). Bina iſta excellentia

(4) Clavius in Sphera Joan. de Sacro Boſco.

(5) D. Aug. lib. de B. vita.

(6) D. Bern. Sermon. in Nativ. S. Joan. Bapt.

Pul-

pollebat ſapientia tua; haùd enim ſolùm in tuis litterarijs exercitijs, & concionibus lapidos lucis fulgores ſpargebas, verùm etiam zelo domus Dei ignitus, Italiæ que inſtar ignito calculo mundatus, alter velùt Elias quaſi ignis, & verbum tuum quaſi facula ardebat; ignis ad vitia penitus eradicanda, auditores accendens Divini amoris flamma; facula verò ad Diſcipulos edocendos, ut luce doctrinæ prediti, non inflantia, ſed inflammantia verba proferrent. Hæc tua mirifica ſapientia claruit deſcendens à Patre luminum, Divina que teſtimonia per Te credibilia facta ſunt nimis in Concilio Florentino, cui interfuiſti (7), ubi miro vitæ exemplo, privatis colloquijs, publicis concionibus, mirabili facundia, vi que quadam, quaſi magnetica, Græcos, & Armenos ad Latinæ Eccleſiæ unionem reduxiſti; & quidem Tui cognita virtute, atque magna virtutis Dei facta oſtenſione; etenim idiomatis Græci ignarus Bernardinus, attamen maxima in Deum fiducia fretus, ſuggeſtum prædicaturus aſcendit, & linguam, quam Bernardinus non noverat, Græcus audivit; ſiquidem græcè ità mirabiliter concionavit, ut illius idiomatis peritiſſimi, in ſtuporem ducti, aſſererent, Bernardinum non minùs probè fuiſſe græcè loquutum, quàm ſi in Græcia natum. Verùm quid mirum, cum qui, continens omnia, ſcientiam habet vocis, dederit voci illius vocem virtutis?

(7) Surius in vita S. Bernardini. Uvading. tom. 11. ann. 1439.

Vas electionis, velut alter Paulus, *Jeſu* nomen coram Regibus, & gentibus aſportare, proponere que Angelis, hominibus, & inferis adorandum, promeruit. Per totam namque Italiam, alia que diverſa clymata præco factus magni Regis, inſtar tui, & noſtri Seraphici Patris (8), illius Sanctiſſimi Nominis venerationem, amorem, & reverentiam cunctis ingerere intendens, ſub finem concionum tabellam ſpectandam ſolebat proponere, in qua dulciſſimum *Jeſu* Nomen depictum erat litteris aureis; undique cinctum ſolaribus radijs, quod venerabundus adorabat populus genibus

(8) In Offic. prop S. Franc.

nibus flexis. Hinc œmulatio ad calumniandum veritatis præconem animam arripuit, & Apostolicus Prædicator dignus habitus est pro nomine *Jesu* contumeliam pati. Manfredus siquidem Vercellensis, vindictæ causa, eò quod illius errores, tùm verbis, tùm scriptis Bernardinus confutarat, mendacitèr, & calumniosè de hæresi, & idolatria apùd Martinum V. accusat; eo quia nomen *Jesu* in tabula depictum, radijs aureis circundatum, populo ostenderet adorandum (9). Accersitur Bernardinus, viterbio que Romam se incuntantèr transtulit; proponitur quæstus; debita reverentia Pontifici respondet, privatè que satisfacit calumniæ impositæ; sed ut innotescat triumphus, assignatur palestræ locus: Basilica D. Petri indicitur certamini: iam Summus Pontifex corona Cardinalium stipatus theatrum conscendit; iam tota Roma, Orbis Emporium, belli eventus avida accurrit; iam Manfredus sequacium turmas movet, & properat ad singulare certamen; iam iam Capistranus, Bernardini socius, atque discipulus, conscius conflictus, Neapolim deferens, Romam adventarat, & in ipso Romæ introitu Summi vexilla Regis prodijt, Jesuiticum que triumphum præcinuit; iam inclytus Bernardinus, virtutum modestiæ, gravitatis, humilitatis, prudentiæ, magna comitante caterva, accitis aliquibus socijs è Religione Seraphica, primus calcabat arenam: conticuere omnes, intenti que ora tenebant: cabillos suos magna verborum fronde, sudore copioso dilabente, hostes vicissim tonare, & sua sophismata deliri acritèr extulère. Sed non diù anceps victoria fuit; exurgens namque Sol præfulgidus, & Doctor inclytus Bernardinus, tenebras pepulit, umbras que extricavit; dolosa enim hostium fundamenta resumpsit, solvit, penitùs confregit, ac funditùs cassavit: tanto rationum pondere, tanta sacrorum textuum varietate, & S.S. Patrum authoritate suum assertum stabilivit, ut totus ille, tàm terribilis, quàm venerabilis confessus in stuporem venerit; hostes autèm pudore,

(9) Uvading. an. 1426. Illust. Cornejo in vita S. Bernard.

&

& admiratione affecti unus poſt unum aufugerint. Pontifex Maximus, perſpecta accuſantium nequitia, recognita que Bernardini innocentia, ſummè lætabundus, & hilaritate plenus, victorem Bernardinum ſuis amplexibus excepit, copioſiſsimam benedictionem ei impertijt, amplam que facultatem ubique liberè prædicandi verbum Dei, àc dulciſsimum *Jeſu* Nomen populis venerationi oſtentandi. Ut autèm in Urbe Orbi palàm appareret plauſibilis Bernardini victoria, àc mira innocentia, ubi gravis præceſſerat intenta ignominia; decrevit Pontifex, ut in honorem Sanctiſsimi Nominis *Jeſu*, tota Roma concurrente, & exultante, fieret proceſsio ſolemnis, erecto vexillo Sacratiſsimi Nominis, eius characteribus in eo depictis, circundatoque Solaribus radijs, prout Bernardinus oſtenderat populis.

Nec ſolùm terra exultavit, verùm & lætati ſunt cœli, enarraverunt que gloriam Dei; nam poſtera Dei, Bernardino concionante, apparuit, ſteritque Sol reſplendens ſuper caput Prædicantis, in cuius centro, fulgoribus cœleſtibus circumquaque irradiantibus, Sanctiſsimi *Jeſu* Nomen aureis erat inſcriptum characteribus (10). Stupet Roma, dulciſsimum Nomen templorum foribus, domorumque frontibus affigit, illud que coram Regibus, & gentibus, & filijs Iſraël Bernardinus aſportavit. Hæc eſt victoria, quæ mundum vicit, àc nigra tartara confregit: hiccine eſt triumphus Seraphicus, quo ſtrenuus Mavors Bernardinus Eccleſiam, Religionem que ſuam, Matrem dilectam, copioſe ditavit. Belle eximius Bernardinus nuncupatur à Matulo, *Ordinis Minorum ſecunda gloria* (11); nàm, poſt Patriarcham Seraphicum, iſte Digladiator ſtrenuus, Regulæ que noſtræ zelator acerrimus, Ordinis gloriam promovit, dum adauxit triumphos.

Cum correlativa ſit Filij, Matris que devotio, mirè utraque effulſit in Bernardino, qui ſicut Sanctiſsimi *Jeſu* Nominis extitit vere devotus,

(10) Joan. Molanus lib. 3. de imaginibus. Uvading. ann. 1444.

(11) Marulus lib. 1. dictorum, factorum que cap. 2.

ſic & *Mariæ* exarſit præcordialis amaſius. Sileat Adonidis ergà filiam Jovis Venerem vana, & exaggerata dilectio, dùm amorabundus Bernardinus ergà Deiparam, Jovis æterni procreatam cerebro, amore efervit honeſtiſsimo. Conſulantur hiſtoriæ; nàm deficiunt linguæ. Eiuſmodi Marianus cultus, & pius affectus à teneris Bernardini annis ſumpſit exordium, & per totius vitæ curriculum habuit incrementum. *Crevit quotidiè* (inquit Capiſtranus) *in S. Bernardini tenello, Sancto que pectore* (12) *ergà Virginem benedictam fervens, & ignita devotio; ut cum in feſtivitatibus eiuſdem B. Virginis ſermocinaretur ad populos, & laudes explicaret Virginis gratioſæ, tanto accendebatur fervore, ut facies eius, tanquàm alterius Seraph. Solari videretur irradiari fulgore; proùt ego ipſe, qui hæc ſcribo, propriis oculis aſpexi.* Omnia à Deo accepta beneficia in tutelam Deiparæ Bernardinus referebat, & complementum omnium, gloriam, ſub eius umbra ſperabat, proùt prædicans in die Nativitatis ipſius B. Virginis expreſsit his verbis: *Hac die natus ſum* (13): *hac die Seraphicam ingreſſus ſum Religionem: hac die ſolemne profeſſionis votum emiſi: hac die primam Miſſam decantavi: hac die primam ad populum concionem habui: hac denique die, meritis, & interceſſionibus Deiparæ ſpero cœli beatitudinem.* Sic affectuosè ſibi demulcebat, denotans gratitudinem, ac devotionem, qua ergà Deiparam æſtuabat, quam que in omnium præcordijs medulitus imprimi, ſatagebat.

(12) S. Joan. Capiſtranus in regiſt. apud Uvading. cit.

(13) Apud Uvading., & Illuſt. Cornejo citatos.

Opus ergo, tot nominibus debitum, ad te properat celeri curſu, tuum patrocinium vehementèr exoptat, tuam que tutelam fidenter inhiat; ac proinde hæc tuæ Seraphicæ Religionis Provincia, titulo, & advocatione Immaculatæ Conceptionis Deiparæ honorata, hoc ſui Theologici Curſus quintum volumen Tibi dicat, litat, conſecrat, teo que tholo appendit. Suſcipe igitur, benigne Parens, munuſculum iſtud, non tanta celſitudine dignum, offerentium tamen tuorum pauperum

clientum maximè proprium. Tu ergo Sol, expelle tenebras, emanda umbras, dirige lineas, protege hoſtiam, porrige vitam, impetra gratiam.

Pro univerſa Immaculatæ Conceptionis Deiparæ Provincia D. O. C. Q.

Fr. Joſeph Clemente,
Miniſter Provincialis.

CEN-

CENSURA R. P. Fr. JOSEPH CLEmente, Lectoris Jubilati, Epiſcopatuum Abulenſis, & Segovienſis Examinatoris Synodalis, Almæ Provinciæ D. Jacobi Patris, ac huius Immaculatę Conceptionis Ex-Diffinitoris, & in S. P. N. Franciſci Valliſ-Oletano Conventu Guardiani.

Nere ſimùl, & honore, mihi feliciter iniuncto ex Commiſsione Rmi. P. N. Fr. Petri Joannetij de Molina, Sacræ Theologię Lectoris, in Regio Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologi, ac totius Ordinis Minorum digniſſimi Miniſtri Generalis, legendum accepi librum, cui titulus: *Volumen quintum Curſus Thtologici in via Subtilis, Marianique Doctoris*, pleno ſtudio elaboratus à R.R. P.P. M.M. Fr. Bartholomæo Sarmentero, in Maiori S.S. Apoſtolorum Petri, & Pauli Complutenſi Collegio olim Toga inſignito, Lectore bis Jubilato; Epiſcopatus Valliſ Oleti Examinatore Synodali; in eiuſdem Univerſitate Doctore Theologo, ac pro Subtili Doctore Moderatore Primario; Supremæ Inquiſitionis Qualificatore; Almæ Provinciæ Aragoniæ Patre; huius Immaculatæ Conceptionis Miniſtro Provinciali; & in Vicenſis Eccleſiæ Præſulem electo: Et Fr. Franciſco de la Lanza, Sacræ Theologiæ Lectore, Doctore Theologo, ac in prędicta Univerſitate pro eiuſdem Subtilis doctrina Veſpertino Interprete: Inquiſitionis à Cenſuris; & Diœceſis Valliſ-Oletanæ Synodali Examinatore. Legi ergo non ſemel, ſed perlegi, ſemperque animo grato, totum

tum opus evolvi; & quidèm interlegendum gloriabatur affectus, æstuabantque amore præcordia; verùm tanto, & venerando mandato captus, cogor amorem compescere, ut Judicis fungar officio, iuxta illud Tullij: *Personam amici exuit, qui Judicis induit*; attamèn consulendo Plinium, utrumque facere possum, & officium Censoris, & munus Laudatoris: *Amo quidèm fatè, judico tamèn, & quidèm tantò acrius, quantò magis amo.* Utrumque ergo confiteor, & utraque facere intendo; quare quid de Authoribus, quid de illorum scriptis sentiam, in medium proferam.

Cicer. lib. 3. de Officijs.

Plin. in Panegyr.

Iàm multis retrò diebus Authores agnovi, nedùm ex fama, rumore, & nomine, sed quia mihi in amicitijs non dudùm, sed diù familiariter coniuncti sunt; & quovis tempore novi sapientiam excedere rumorem, & modestiam eorum omnibus fuisse notam. Uterque enim partes habet illas, quas à quolibet sapiente postulat Ecclesiasticus: *Eris eruditus in omnibus, & probabilis in conspectu omnium vivorum*; fuerunt etenim, & sunt A.A. nostri homines divites in virtute, pulchritudinis studium habentes, imperantes in præsenti populo, & virtute prudentiæ sanctissima verba: docentes, scribentes, & explicantes carmina scripturarum. *Eruditi* in dogmaticis, & Scholasticis; in recta scripturarum intelligentia; in utroque morali ethico, & theologico, probabiles coràm omnibus viventibus: probati in suis Claustris in consilijs, & consultationibus: in Universitatibus etiàm coràm hominibus racionabiliter viventibus approbati, tàm ex Cathedra defensantes, quàm in replicis opponentes; & quod utilius ipsis, & in exemplum cunctis: *Solicitè curantes se ipsos probabiles exhibere Deo, operarios inconfusibiles, rectè tractantes verbum veritatis*, quod fuit cœleste documentum, quod tribuit Paulus ad Timotheum.

Ecclesiastic. cap. 42. ℣. 8.

Idem cap. 42. ℣℣. 4. 5. & 6.

Div. Paulus Epist. 2. ad Timoth. c. 2. ℣. 15.

Denique, videbantur mihi, quando volumen, & eius scripta lustrabam, *homines quærentes modos musicos* inter docendum, & scribendum; si-

Eccles. cit.

qui-

quidèm nihil diſſonum, nihil dubium fidei noſtræ, aut bonis moribus deprehendi; ſed omnia conſona, & conformia Eccleſiæ, & S.S. Patrum decretis, & deciſionibus; ſtudentibus que ſatis utilia: Et in omnibus *operarij inconfuſibiles*, & *utraque manu utentes pro dextera*, etiam in obſervanda recta methodo ſcribendi; hoc opere ipſorum teſte; incipit enim à regula intrinſeca actuum humanorum, quæ eſt conſcientia, & proſequitur cum regula extrinſeca, quæ ſunt leges, tàm divinæ, quàm humanæ: & tandem omne id, quod contra legem eſt, peccatum vocat, privationem quæ rectitudinis debitæ ineſſe actui. D. Paul. cit. Judic. cap. 3. ℣. 15.

Cum igitur, poſtquam ſemèl, & iterùm hoc opus evolvi, nihil Fidei Catholicæ abſonum, Chriſtianis moribus oppoſitum; aùt contrarium invenerim; imò omnia eis omninò conſonantia, mente, & oculis deprehenderim; omnibus profuturum exiſtimo, & præ omnium manibus ſemper haberi dignum, iudico: Quà propter cenſeo illud eſſe publica luce dignum, & ut quam citius prælo tradatur. Sic ſentio, ſalvo, &c. In hoc Regali S P. N. Franciſci Valliſ-Oletano Conventu, die ſecunda Maij. Anno Domini milleſimo, ſeptingenteſimo, quinquageſimo ſecundo.

Fr. Joſeph Clemente.

FA-

FACULTAS ORDINIS.

FR. PETRUS JOANNETIUS DE MOLINA Sacræ Theologiæ Lector, Catholicæ Maieſtatis in Regali Congreſſu pro Immaculata Conceptione Theologus, totius Ordinis Minorum S. P. N. Franciſci Miniſter Generalis, & Servus, &c.

QUintus Sacræ Theologiæ Tomus, elaboratus à R. P. Fr. Bartholomæo Sarmentero, Lectore bis Jubilato, ac Miniſtro Provinciali noſtræ Provintię Immaculatæ Conceptionis Obſervantium, & P. Fr. Franciſco de la Lanza, Sacræ Theologiæ Lectore, Cathedrę Primarię, ac Veſpertinæ Univerſitatis Pintianæ Moderatoribus; ut typis evulgari poſsit, quantum noſtra intereſt, facultatem concedimus; có quòd de commiſsione noſtra á Theologo noſtri Ordinis recognitus, ac approbatus fuerit. Servatis attamèn in reliquo cæteris de jure ſervandis. Dat. in hoc noſtro S. Franciſci Salmanticenſi Conventu, die 13. Maij, anni Dñi. 1752.

Fr. Petrus Joannetius de Molina,
Miniſter Generalis.

D. M. Rmi. in Chriſto Patris
Fr. Joannes de Landa.
Pro Secret. Gen. Ordinis,

Reg. tit. Prov.

CEN-

AVE MARIA.

CENSURA R. P. M. Fr. JOANNIS EMMANUELIS Ribera, Ordinis Sanctiſsimæ Trinitatis, Redemptionis Captivorum, in Univerſitate Vallis Oletana Doctoris laurea inſigniti, ac Subtilis Mag. Cathedræ Moderatoris; huius Diœceſeos Synodalis Examinatoris; ſuæ Provinciæ Lectoris Jubilati, atque ſui conventus Vallis-Oletani nunc Miniſtri.

Ræcepto Illuſtr. & Reverendiſ. D. D. Martini Delgado Cenarro & Lapiedra, huius Vallit Oletani Epiſcopatus vigilantiſsimi Antiſtitis, Regi noſtro Catholico à Conſilijs, ac Regiæ Academiæ Vallit-Oletanæ præclariſsimi Chancellarij &c. œquo animo obtemperans, haud ſine magna cordis lætitia) cenſoris legibus adſtrictus) legi, & luſtravi ſpecioſum librum, cui titulus eſt: *Quintum volumen, de Conſcientia, Legibus, & Peccatis, Curſus Theologici adamentem Subt. Marianique Doct.*, elaboratum ab Illuſt. & Reverendiſ. P. Mag. Fr. Bartholomæo Sarmentero, olim in Maiori S.S. Petri, & Pauli Complutenſi Alumno, Lectore bis Jubilato; Supremi Senatus S. Inquiſitionis Qualificatore; ſuæ ab Immaculata Conceptione titulatæ Provinciæ Ex-Miniſtro Provinciali; in Pintiana Academia Primariæ Scoti Cathedræ Moderatore; ac nunc pro meritis, & communi plauſu ad Vicenſem Epiſcopatum evecto:: Simulque à R. P. M. Fr. Franciſco de la Lanza, ſacræ Theologiæ Lectore, ac in prælaudata Univerſitate Doctore, Veſpertinæ Cathedræ Subt. Doct. ſolertiſsimo Moderatore; atque pro Fidei Tribunali Cenſore. Vidi, inquam, ac ſubitò perſpexi, virga non indigere cenſoria, ſed encomiaſte; quoniàm Authores ubique notiſsimi, & revera Subtilis mentis iàm diù indagatores exactiſsimi, ob præclara volumina in uberem Reipublicæ Litterariæ profectum typis mandata, ac ſumma aviditate

quæ-

quęsita, ſub utuntur teſtimonio, non alieno ſuffragio. Hi quippè tanquam veri Domus ſapientiæ accolæ, de Theſauris ſuis nova promentes, & vetera ſuis ſibi operibus veſtigalem facere eruditionem, rerum copiam, ſententiarum ubertatem, verborum facundiam, in dicendis facilitatem, in probandis acumen, in erroribus confutandis energiam, & in moribus inſtruendis uberrimam ſegetem: *Jovis omnia plena* (Virgil. Eclog. 3.).

In toto hoc opere ſœpiſsimè ardua Theologiæ aſſerta per Tractatus *de Conſcientia*, *Legibus*, *& Peccatis* ſparſa, brevi, & Dialectica methodo mirè evolvunt, & expendunt. Difficillimas circa humanorum actuum internam, & externam regulam, quæſtiones excitant, & enodant. Ubique mentem, & mores inſtruunt, ubique Scoticæ Scholæ campum miro eloquentię fluuine irrigant, àc ſemper *variam plùs micat artis opus* (Cornel. Gall. Eleg. 1.). Si ex ungue cognoſcitur Leo, facilè ex præcedentibus voluminibus, omnibus ſuis numeris abſolutis, àc per Orbem litterarium haùd ſine plauſu diſcurrentibus, dignoſci poteſt, quantum in Quinto materiam ſuperabit opus; præcedentia opera abſdubio reliqua aliorum œquant, hoc Quintum ita addit doctrinam, ut facilior ſit aditus ad obſtruſiora faciliùs capeſſenda; quia non ſolùm paria ſunt alia alijs, & hoc par omnibus, ſed excedat illa, & Authores in illo abſolvendo ſe ipſos excedant; nàm in primis partibus hoc opus Quintum vincit, in ultimis ſe ipſum ſuperat, & quaſi novum Colophonem addens (ut cùm D. Hieronymo loquar Epiſt. 13. ad Paul.) vicit, ut vinceret, quoniam in primis.

Grandia pollicitus, quinto maiora dedit.

Quapropter non immeritò hoc Quintum Volumen, nèc dignum iàm cenſura iudico, nèc laude; non cenſura, quia nec apicem claudit contrà, ſed ſolidiora pro lege, & moribus fundamenta; non laude quia

Ouv.3. *Nihil opus hos Authores: nihil hunc laudare libellum,*
Epig.8. *Hos opus Authores, Authores hoc laudant opus.*

Sic igitur hi in Volumine iſto de *Conſcientia*, *Legibus*, *& Peccatis* decurrunt ad ſubtilem Mariani Magiſtri mentem enudeandam, ut pro ſe ipſis loquantur eius opera, cùm in illo tanquam egregij Doctores ardeant ſimùl, & luceant omnibus, qui intra, & extrà domum ſunt. Meritò inter *Minores*, maximos ſuæ luminoſæ doctrinæ radios emittentes, maiora extant luminaria, cùm in præſenti maiori fulgore & luceant, &

ardeant; ſed lucent, ut illuminent, & ſimùl ardent, ut proſſint: eſt quidèm lucere ſolùm elationis, ardere tantùm acris ſuperbiæ, ſed unà lucere, & ardere perfectionis; ut aiebat Melliflus ad illa verba: *Erat lucerna ardens, & lucens:: Eſt enim* (ait) *tantùm lucere vanum, ardere tantùm parum, ardere, & lucere, perfectum.*

Perfectè quidèm D.D. noſtri ita & lucent, & ardent, ut quemcumque lectorem inflamment; humanorum actuum regulam internam, & externam ità palam producunt, ut defœcatiſſima quæque vitia à Republica Chriſtiana declinent, & evellant. Liber ſanè omnibus, maximis, & minimis undequaque aptiſſimus, Maioribus dulcior, Minoribus ſuavior, & cunctis precioſior; *habet* verè (ut de alio aiebat Caſſiodor. lib. 9. variar. Epiſt. 24) *undè parvulos in publico nutriat, ſervat in ſecreto undè mentes ſublimium admirationi ſuſpendat; eſt enim quaſi quidam fluvius planus, & altus, in quo agnus ambulet Elephas natet*: nam lectiſſimi Juvenes, adoleſcentes Religioſi, & Sæculares, à Philoſophicis ablactati, ità poſſunt his materijs nutriri, ut alijs, credam, magis nequìre creſcere: agnelli teneri, Seraphici Alumni, Tyrones Scotici, ità in hoc vaſto floridiſſimo campo valent paſcere, ut non egeant, nèc proprijs, nèc alienis ad abundantiſsimam ſpecierum frugem emendicare. Sublimis mens altioribus ornata talentis, haurire poteſt diaphanas ſententiarum aquas, quæ erunt in ſui ſuſpenſionem, & in miram ratiocinandi facilitatem; & omnes ita ex hoc fluvio tàm copioſè, & ſecurè bibere poſſunt, ut eius aqua ſit ſalus animæ, tutamen conſcientiæ, regula rectitudinis, & deviatio à peccatis; dulcis eſt ad guſtandum, ſuavis ad bibendum, & ſalutifera ad nutriendum. Felix liber! Egregium opus! E Cœlo miſſum venit, alteri Zachariæ ſimile (cap. 5. v. 1.): Volumen volans, quia ſublimis doctrina, & quia de Cœlo erat; nèc abſimile alteri Ezechielis (cap. 2.), cui erat ſicut mel dulce; quia qui hunc guſtaverint, niſi pigrè, & deſidiosè legerint, invenient inſtàr favi dulcem.

Eſt verò hoc opus parallelum S. Joannis alteri libro (cap. 10. Apocal.) qui *ſymbolicè* (ait Alapide ad illum locum) *liber eſt legum, & obligationum*; quia hoc legibus paſcit mentem, & oblectat, àc regulis ita adſtringit, ut ducat per vias non invias, inaquoſas, & obſcuras, ſed bonas, rectas, & planas. Opus demum meo iudicio ſanè perfectum, omni, &

ſalubriori doctrina refertum, atque omnibus, & materia, & doctrina, ſublimis; quapropter & gaudeat, ut in lucem prodeat, licentia, & omni careat, etiam ab Icareis calumniatoribus, cenſura; ego enim ab illa abſtineo, & in quantùm valeo, hoc opus, & eius Authores, etſi non ſatis, ob tàm miram ſuorum ſtudiorum productionem laudo; *quia neque fieri poteſt* (ait Caſiodorus lib. 9. Epiſt. 22.), *quem tantus Author, Familia tanta produxerat, ſententia noſtra in eo aliquid corrigendum invenerit.* Ob hoc, & quia nihil eſt, nèc contrarium fidei, nèc moribus adverſum, néc huius Regni privilegijs oppoſitum, imprimatur (ſalvo meliori iudico &c.). Valli-Oleti in hoc Santiſsimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Regali Conventu, die 28. Julij, ann. 1752.

Fr. Joannes Emmanuel Ribera.

FACULTAS ORDINARIJ.

D. MARTINUS DELGADO CENARRO ET La-Piedra, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Valliſ-Oletanus, Prior, ac Dominus Junqueræ de Ambia, Regiuſque Conſiliarius &c.

VISA præcedenti approbatione, licentiam concedimus, ut liber inſcriptus *Quintum Volumen Curſus Theologici ad mentem Subt. Doct.*; Authoribus Illuſt. & Reverendiſ. P. Fr. Bartholomæo Sarmentero, Ordinis S. Franciſci, huius Provinciæ Ex-Miniſtro Provinciali, ac Viceníi Epiſcopo electo; & R. P. M. Fr. Franciſco de la Lanza, in Pintiana Academia Veſpertinæ Subt. Doct. Cathedræ Interprete; imprimi, & in lucem prodire poſsit. Valliſ-Oleti, die 30. Julij, anu. 1752.

Martinus, Epiſcopus Valliſ-Oletanus.

De mandat. Illuſt. D. mei Epiſcopi

D. D. Damaſus de Mazas,
Secretarius.

CEN-

CENSURA R. P. M. Fr. FRANCISCI DE EL Campo, Carmeliticæ Antiquæ, ac Regularis Obſervantiæ, Lectoris Jubilati, ſui Valliſ-Oletani Conventus ſemèl, & iterùm Prioris, utriuſque Caſtellæ Provinciæ Socij, & Secretarij, ac pro ea ad Capitulum Generale totius prædicti Ordinis Electoris, & Socij: in Pintiana Academia Magiſterij Artium, & Theologiæ laurea inſigniti, atque Veſpertinæ Theologiæ Cathedræ (poſt alias) Moderatoris.

M. P. S.

DIcto audiens (Altiſsime Senatus) obibo pedibus, ac manibus lectitando, & huius libri lectione animum reficiendo. Quamvis enim aggrediar rem magni momenti, videns quantum laboris, & operæ in explicandis Subt. ac Vener. Doct. ſententijs conſumpſerint Illuſtriſ. ac Rever. D. Fr. Bartholomæus Sarmentero, dignè pro meritis Vicenſis Epiſcopus, & R. P. M. Fr. Franciſcus de la Lanza, Provinciæ Immaculatæ Conceptionis ex Ordine D. Franciſci de Obſervantia filij, necnon huius Univerſitatis digniſsimi Laureati, & in ea Primi Scoticæ doctrinæ pro Seraphica Religione Primarius, & Veſpertinus Cathedrarij; allectus ſubtilitate operis, & Authorum ubertate, vèl potiùs perſpicuitate Authoris, latam latus pro poſſe provinciam ſpeculabor.

Authoris dixi, cùm in fronte operis Authorum nomina ſonent; ſed ſi introſpicio, & omnia mente luſtro, hic, quem teneo, Quintus Tomus, non Authores, ſed Illuſt. *Sarmentero* debet cognoſcere patrem. Quamvis enim liber hic, ſicùt iam pridèm editi, ſint fœtus utriuſque; neſcio, quis eorum nomen Authoris jure poſsit vendicare. Videat, ſi cui ti-

mandi

mandi libido adſit, iàm dudùm exaratos, & ità eloquentia, àc ſubtilitate geminos reperiet, ut naſcentantur non patres, ſed unius vocitentur filij.

Aſpicies illìc poſitos ex ordine fratres,
Quos ſtudium cunctos evigilavit idem.

Aiebat Naſo lib. 1. Triſt. Eleg. 1. cum in Urbem mitteret illum, de quo: *Parve, nec invideo*, &c. Studium unum, unus ſpiritus, & una mens parturijt Ovidij opera; & huius, àc aliorum operum una mens deregitur acutiſſima, mens, ſcilicèt prudens, ſagax, & ingeniosa Illuſt. *Sarmentero*. Eſtò enim R. *Lanza* enixis viribus, acuitare ingenij, ac laborioſo ſtudio inſudarit; ſcio, ſatis ſe habere, ſi ſolùm Illuſtriſſimi appareat nomen; vèl quia huius laus eſt gloria R. *Lanza*; vèl quia ſolùm concupivit Illuſtriſſimi nomen, & gloriam, vèl quia unicum intellectum ſibi vendicant: Canebat Ovid. ibidèm Eleg. 4.

Qui duo corporibus, duntaxat unus erant.

Hoc priſcis temporibus canebatur, potiori jure noſtris modulatur; licet enim ambo ſapientiſſimi ſint Magiſtri, ſtudium ut animi pabulum habentes, & ità ſuimetipſis ſimiles, ut alterum ab altero in mente ſecernere non ſit facile. Statim àc in facie operis vidi nomenclaturæ imagines, dixi cum Ovidio lib. 2. Faſt.

Si genus arguitur vultu: ni fallit imago,
Neſcio, quem è vobis ſuſpicer eſſe Deum.

Conſulat quiſque ſecundùm placitum; ſcio, utrumque promereri nomen Authoris, & ultrà: ſcio, palmam ferre, & horto ſcientiæ fertiliſsimas palmas eſſe: ambos eſſe dignos laude, ambos fructificaſſe, & opimos ſcientiarum fructus dediſſe; attamèn ſi hoc opus conſidero, licèt item iucundè in utriuſque laudem, Illuſtriſsimus intèr Palmas fertiles eminulus debet ire. Auſcultemus Ovidium lib. 1. 2. & 3. Faſt.

Mos tamèn eſt æquè dignus uterque coli,
Quintum ab æquoreis nitidum iubar extulit undis:
Inde duæ paritèr (dictu mirabile) Palmæ
Surgunt: & ex illis altera maior erat.

Et ſi de hac maiori, inclyta, illuſtri, àc eminenti Palma, ab eius compoſito pudore licentiam obtinerem, quid non dicerem? Quanta proferrem verba de hac nobiliſsima Palma? Certè non pauca; ſed ſit ſatis, quod Ovid. lib. 5. Triſt. Eleg. 9.

O tua ſi fineres in noſtris nomina poni
Carminibus: poſitus quàm mihi ſæpè fores!

Vèl cum eodem ibidem:

Te canerent meriti, ſolùm memor, in que libellis
Creviſſet ſine Te pagina nulla tuis.

Hoc inhiat tempus; hoc circunſtantia popoſcit; in hoc hæc Illuſtriſsima Palma calamum, & mentem rapit; ſed non oblitus merita, & fructus opimæ, licet minoris Palmæ; cum videam, ſi non æqualia, puſillùm, diſcrepantia merita, dicam cùm Mantuano, Carmelitarum Gloria, Sylb. lib. 1.

O par ſi poſſem lanaibus ire tuis!

Fateor me immemorem præcepti; ſed ad me reverſus, ad rem verba confero. Statim ac liber hic pervenit ad manus, ex commiſsione Supremi Caſtellæ Senatus, Cenſorem acturus, tanta ſum lætitia allectus, ut in hæc verba proſilierem cùm Ovid. de Pont. Eleg. 8.

Non mihi divitias dando, maiora dediſſes.

Sed cùm extremum gaudij occupet luctus, extremum hilaritatis fuit initium confuſionis. Si enim iuxtà S. Leonem Pontif. Serm. de Nativ.: *Indè oritur difficultas fandi, ubi adeſt ratio non tacendi*: ſi tot rationibus debeo loqui, quanta in fando difficultas erit? Si mei muneris eſt, de opere iudicium facere, quo modo de hoc opere poſſum cenſere? Cùm ſit opus undequaque perpolitum, & cautiùs conſummatum.

Ex commiſsione teneor non tacere; quid ergo faciam, tot, tantis que rationibus onuſtus? Quarum multis teneor vociferare, & non paucis cogor dicere. Hoc opus, hic labor eſt. Quò me vertam, neſcio. Legi, relegi Tractatus *de Conſcientia, de Legibus, ac de Peccatis*; & nihil non laude dignum pellucebatur in opere, quia elaboratum ſecundum conſcientiam, & legem. Lectitavi, inſpiciens que ſinè ruga, quod tèr luſtravi hilaritate non pauca, pendens ab obſcura, & cœca expectatione, pennam de manibus deponere cogitavi, & cùm Ovid. lib. 1. Triſt. Eleg. 3. dicere:

Tèr limen tetigi, tèr ſum revocatus; & ipſe
Indulgens animo, pes mihi tardus erat.

Sic aiebam ad gratiam, & voluptatem mei, videns uberem fructum ſanæ doctrinæ, qui è Palmitibus Vineæ Seraphicæ diſtillabatur, verborum, ſententiarum que floribus concinnatus, & conſperſus; & indulgens animo, hoc utebar ſolatio, repe-

riens

riens nihil cenſura dignum. Stylus eſt argutus, ſubtilis, floridus, profundus, omnibus, & in omnibus ſecuritate plenus. Authores, licèt non intùs, in cutè cognoſcimus. Erga opus iam iudicium tuli, cùm dixerim, elaboratum ſecundùm legem, regulam, & conſcientiam. Quod ad Authores attinet, ab omnibus prędicantur viri notæ probitatis, & doctrinæ. Quid ergò reſtat dicendum? Quod Ovid. lib. 2. de Pont. Eleg. 8.

Felices illi, qui non ſimulacra, ſed ipſos,
Qui que, Deum coram, corpora vera vident.

Vultis ſcire, qui ſint? Ex fructibus eorum cognoſcetis eos. Attamèn cùm Palmites, ſicùt & reliquæ plantæ, ex terra ſuccum trahant, quo aluntur, & fructificeant; ſulcum imprimite tanquam Bubulci experti, & ſtupeſcite fructus uberes. In Seraphica terra plantati fructum dedere in tempore ſuo. In Seraphico Paradyſo dicam, ex quo pullularunt, Palmites uberrimi, Magiſtri tàm Subtiles, & Scientifici, tot, & tanti, ut eorum opera non caperet perampliſsima Bibliotheca. In hac terra plantati ità irrigaverunt Orbem, ut in Bulla (*Ite & vos*) dicat Leo X.: *Per viros Apoſtolicos, tanquàm per palmites extenſos à mari uſque ad mare, & à flumine ad terminos orbis terrarum, vino ſapientiæ, & ſcientiæ irrigavit montes, & implevit terram.*

Hi ſunt antiquiores; ſed iſti veſtigia Maiorum ſequentes, ſcriptis, & dignitate perluſtrant Eccleſiam, ut intrèr recenſitos à Sixto V. in Bulla (*Divinæ Charitatis*): *Meritis B. Franciſci Eccleſia amplificata quamplurimis Epiſcopis, Archiepiſcopis, Patriarchis, Cardinalibus, Regibus, & Summis Pontificibus*: locum habeant, unus ut Epiſcopus digniſsimus, & alter pro meritis dignus Epiſcopatu. Videns ergo hos Palmites extenſos, à laudibus eorum, & operis ſuperſedeo; ſi enim teſte Seneca lib. de mort., *ad quid enim eſt laudari? Quod prędantius eſt, eſſe laudabilem.* Cùm opus, & Authores prędeferant laudabilitatem, ad quid laudes Authorum, & operis? Uno verbo dicam: ut Opus videat lucem publicam; ut in ore omnium reſonet Authorum laus, & gloria; ut ſapientiam eorum laudent populi, & laudem operis pronuncier Reſpublica Litteraria; & ut ego dicam (videns opus tàm utile, & per omnia laudabile undequaque (cum Virgilio Chriſtiano, ſcilicèt cum Mantuano Carmelita Sylb. lib. 4.

Vive liber, vivat tecum tua gloria,
Et Author dignus ab æterna poſteritate legi.

Vèl cùm eodem ibidem lib. 3.

Accipe quem nobis dederas, Franciſce, libellum.
Accipe divini nobile vatis opus.

Quarè finem impoſiturus muneri meo, dico, librum dignum eſſe licentia Supremi Senatus, ut in lucem prodeat, quia nihil non ſecurum continet; & meo videri liber eſt à quavis cenſura immunis: non ſic ego, qui cum Ovid. lib. 1. de Ponto dico:

Cùm relego, ſcripſiſſe pudet, quia plurima cerno,
Me quoquè, qui feci, judice digna lini.

Sic ſentio, ſalvo, &c. in hoc Valliſ-Oletano Carmelo de Obſervantia, die 15. Auguſti, ann. 1752.

Fr. Franciſcus del Campo.

LICENCIA DEL CONSEJO.

DON Joſeph Antonio de Yarza, Secretario de el Rey Nro. Señor, ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno de el Conſejo: Certifico, que por los Señores de èl ſe ha concedido licencia al Mro. Fr. Joſeph Clemente, de el Orden de San Franciſco, y Provincial de la Provincia de la Puriſsima Concepcion en Caſtilla lá Vieja, para que por una vez pueda imprimir, y vender el Quinto Tomo de Theologia Eſcotica, compueſto por los Mros. Fr. Bartholomè Sarmentero, Cathedratico de Prima de la Univerſidad de Valladolid, electo Obiſpo de Vique; y Fr. Franciſco de la Lanza, Cathedratico de Viſperas de la miſma Univerſidad, y de la propria Religion; con que la impreſsion ſe haga por el Original, que và rubricado, y firmado al fin de mi firma; y que antes que ſe venda, ſe trayga al Conſejo dicho Tomo impreſſo junto con ſu Original, y certificacion de el Corrector de eſtàr conformes, para que ſe taſſe el precio,

cio, à que ſe ha de vender; guardando en la impreſsion lo diſpueſto, y prevenido por Leyes, y Pragmaticas de eſtos Reynos. Y para que conſte, lo firmè en Madrid à trece dias de Noviembre de mil ſetecientos, y cinquenta y dos.

Don Joſeph Antonio de Yarza.

FEE DE ERRATAS.

PAG. 3. col. 1. lin. 10. *maledexiſti* leg. *maledixiſti*. Pag 4. c. 1. lin. 1. *promtitudinem* leg. *promptitudinem*. Pag. 6. c. 2. l. 22. *eſſe* leg. *eſſent*. Pag. 8. c. 2. l. 15. *Ilsitum* leg. *licitum*. Pag. 9. c. 2. l. 29. *reſolvit* leg. *reſolut*. Pag. 12. c. 1. l. 13. *conſcientia* leg. *conſcientiam*. Pag. 19. c. 1. l 17. *facet* leg. *facit*. Ib. lin. 29. *obidere* leg. *obedire* Pag. 22. c. 2. l. 8. *eterminata* leg. *determinata*. Pag. 24. c. 1. l. 29. *indicet* leg. *iudicet*. Pag. 33. c. 1. l. 16 *pſſerre* leg. *præferre*. Ib. c. 2. l. 32. *utimum* leg. *ultimum*. Pag. 63. c. 1. l. 22. *extrinſecum* leg. *extrinſecam*. Pag. 81. c. 1. l. 4. *an* leg. *ac* Pag. 107. c. 2. l. 2 *confirmiter* leg. *conformiter*. Pag. 124. c. 1. l. 26. *ac tuum* leg *actuum* Pag. 131. c. 2. l. 12. *nature* leg. *naturæ*. Pag. 134. c. 2. l. 14. *prudentem* leg. *prudentum*. Pag. 138. c. 1. l. 33. *morales* leg. *mortales*. Pag. 147. c. 1. l. 7. *vidimus* leg *videbimus*. Pag. 148. c. 2. l. 2. *Secularum* leg. *Sæcularium*. Pag. 227. c. 2. l. 25. *antigua* leg. *antiqua*. Pag. 361. c. 1. l. 13. *aliud* leg. *alium*. Ib. l. 15. *illud* leg. *illum*. Pag. 416. c. 1. l. 22. *conſeſſum* leg. *conceſſum*. Pag. 424. c. 1. l. 20. *peccacum* leg *peccatum*. Pag. 428. c. 1. l. 6. *attingit* leg. *attingi*. Pag. 432. c. 1. l. 14. *quic* leg. *qui*. Pag. 434. c. 1. l 6. *advertete* leg. *advertite*. Pag 438. c. 1. l. 24. *quem intendum* leg. *quem intendunt*. Pag. 442. c. 2. l. 39. *eſt* leg. *ex* Pag. 449. c. 2. l. 31. *in etruque* leg. *in utroque*. Pag. 454. c. 2. l. 6. *pribitum* leg. *prohibitum*. Pag. 496. c. 1. l. 21. *primationes* leg. *privationes*. Pag. 504. c. 1. l. 10. *actulis* leg. *actualis*. Pag. 513. c. 2. l. 37. *moralia* leg. *mortalia*. Pag. 515. c. 1. l. 7. *fid* leg. *fit*. Pag. 533. c. 2. l. 6. *mortalitèr* leg. *moraliter*. P. 538. c. 2. l. 38. *ſuperabundat* leg. *ſuperabundant*. Pag. 545. c. 2 l. 31. *obſequi* leg. *obſequij*. Pag. 555. c. 1. l. 37. *eneatur* leg. *teneatur*. Pag. 558. c. 2. l. 27. *incipiat* leg. *incipit*. Pag. 577. c. 2. l. 8. *actum* leg. *actuum*. Pag. 586. c. 2. l. 29. *aliu* leg. *alium*. Pag. 587. col. 2. l. 10. *aſpectu* leg. *affectu*. Pag. 589. c. 1. l. 18. *factus eſt* leg. *es*. Pag. 591. c. 1. l. 25. *intenſinem* leg. *intenſionem*. Pag. 594. c. 1. l. 38. *alijs* leg. *alij*. Pag. 598. c. 2. l. 7. *iri* leg. *ire*. Pag. 599. c. 1. l. 3. *mitione* leg. *motione*. Pag. 612. c. 2. l. 15. *ſedundi* leg. *ſecundi*.

El Libro Tomo Quinto, que ha tenido licencia de los Señores de el Conſejo de imprimir el Rmo. P. M. Fr. Joſeph Clemente, de el Orden de S. Franciſco, Provincial de la Provincia de la Purisſima Concepcion de Caſtilla la Vieja, intitulado: *Curſus Theologiæ Scholaſticæ in via V. P. Subt. Marianique Doct. Joannis Duns Scoti &c.* Sus Authores el Illmo. y Rmo. Señor Don Fr. Bartholomè Sarmentero, Obiſpo de Vique, y el Rmo. P. Fr. Franciſco de la Lanza, Cathedratico de Viſperas de la Univerſidad de Valladolid, ambos de la miſma Orden, y Provincia: con eſtas erratas aſsi corregidas, viene conforme à ſu Original. Madrid diez y nueve de Diciembre de mil ſetecientos cinquenta y dos.

Lic. Don Manuel Licardo de Rivera,
Correct. Gen. por S. M.

SU-

SUMA DE LA TASSA.

DON Joſeph Antonio de Yarza, Secretario de el Rey Nro. Señor, ſu Eſcrivano de Camara mas antiguo, y de Govierno de el Conſejo: Certifico, que aviendoſe viſto por los Señores de èl el Tomo Quinto de Theologia Eſcotica, compueſto por los Mros. Fr. Bartholomé Sarmentero, Cathedratico de Prima de la Univerſidad de Valladolid, electo Obiſpo de Vique, y Fr. Franciſco de la Lanza, Cathedratico de Viſperas, que con licencia de dichos Señores, concedida al M. Fr. Joſeph Clemente de el Orden de San Franciſco, ha ſido impreſſo; taſſaron à ocho maravedis cada pliego, y dicho libro parece tiene quarenta y ſeis, ſin Principios, ni Tablas, que á eſte reſpecto importa treſcientos y ſeſenta y ocho maravedìs; y al dicho precio, y no mas, mandaron ſe venda; y que eſta certificacion ſe ponga al principio de cada Tomo, para que ſe ſepa el à que ſe ha de vender. Y para que conſte, lo firmè en Madrid à veinte y tres de Diciembre de mil ſetecientos y cinquenta y dos.

Don Joſeph Antonio de Yarza.

TRAC-

TRACTATUS XII.

DE

INTERNA

ACTUUM HUMANORUM

REGULA,

SCILICET CONSCIENTIA.

QUONIAM moralitas humanorum actuum attenditur, & mēſuratur per ordinem ad regulas morum; ideò rectus doctrinæ ordo poſtulat, ut poſt tractatum de actibus humanis, immediatè agamus de eorum directivis, ſeù regulis: & quia ex his una eſt interna, & proxima, nempè conſcientia; alià autem eſt externa, & remota, ſcilicet lex; priùs in præſenti tractatu agimus de conſcientia, acturi in ſequenti de legibus.

*** ***
***

DIS-

DISPUTATIO UNICA.

De Conſcientia in genere, & in ſpecie.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Conſcientia?

1 AD 1. partem quæſt. reſp., quòd conſcientia, expectata etymologia nominis, variè explicatur à variis, nàm aliqui cum. D. Bernardo dicunt, quòd idem eſt, ac *cordis ſcientia*, quatenus patet ſoli Deo, & homini intra quem eſt; alii. cum D. Antonino ſentiunt, quòd eſt idem àc *concludens ſcientia*, eò quia conſiſtit in concluſione deducta ex communibus principiis; alii denique cùm D. Thoma aſſerunt, idem eſſe àc *cùm alio ſcientia*, eò quòd ſcientiam univerſalem applicat, & coniungit cum actione in particulari. At penès quid rei, ſeù attenta quidditate, conſcientia ſic communitèr definitur à Theologis: *Dictamen intellectus practicè practicum, dictans in particulari quid hic & nùnc ſit agendum, tanquàm honeſtum, vèl non agendum tanquam in honeſtum.*

2 Explicatur definitio. Dicitur *dictamen*, quia conſcientia eſt quædam intimatio regulæ externæ, àc remotæ, nempè legis; & eſt quaſi genus, per quod convenit cùm lege naturali, aùt naturali lumine, cum ſyndereſi, àc ſcientia morali, quæ etiam dictant, & intimant voluntati quid agendum, vèl fugiendum ſit. Dicitur *intellectus*, quia dictare, proponere, regulare, dirigere &c. quæ ſunt munera conſcientiæ, pertinent ad intellectum, & nullatenus ad voluntatem. Dicitur *practicè practicum*, ut denotetur, quòd conſcientia, proùt hic de ea agimus, non eſt dictamen quomodocumque, ſeù improprie, aut ſpeculativè practicum, uti ſunt ſyndereſis, & ſcientia moralis, quæ licèt verſentur circa operabile, ſeù operationem, tamen verſantur circa illam in communi; ſed conſcientia eſt dictamen propriè, & practicè practicum, quia debet eſſe immediata regula actionis hìc, & nunc in particulari exercendæ ſub talibus circunſtantiis. Ideò additur *dictans in particulari*, &c, ut declaretur ampliùs diſtinctio conſcientiæ; tùm à *ſyndereſi*, ſeù *ſyntereſi*, quæ dictat prima, & generaliſsima principia moralia, v. g. *bonum eſt amandum, malum fugiendum*; tùm à ſcientia morali, quæ ex talibus principiis infert concluſiones practicas univerſales, v.

g.

v. g. *furtum eſt malum : ergo eſt fugiendum.*

3 Ex quibus colliges primò, conſcientiam formaliter pertinere ad intellectum, & non ad voluntatem, ut docet Subt. Doct. in 2. diſt. 39. q. 2. Prob. 1. Eccleſiaſtes cap. 7. v. 23. dicitur: *Scit enim conſcientia tua, quia, & tu crebrò maledexiſti, aliis.* Et Epiſt. 2. ad Corinth. cap. 1: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Item Epiſt. ad Roman. cap. 2: *Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*: Sed ſcire, & teſtari pertinet ad intellectum: ergo Prob. 2. D. Baſilius in Proverbia ait: *Conſcientia ex naturale iudicium, aut naturale iudicatorium.* Et alii S. S. P. P. aſsignantes munera conſcientiæ dicunt, ipſam dirigere ad proſecutionem boni, & fugam mali; redarguere malè operantes, monere, iudicare, & alia huiuſmodi; ſed hæc omnia pertinent ad ſolum intellectum, & non ad voluntatem, quæ, cum ſit potentia cœca, non poteſt dirigere, nec arguere, ut manifeſtè patet: ergo.

4 Dices 1: conſcientia in ſcriptura dicitur bona, vel mala; ſed bonum, & malum pertinent ad voluntatem: ergo. Conf.: proprium conſcientiæ munus eſt ſtimulare, & inſtigare ad proſecutionem boni, & fugam mali; ſed hoc pertinet ad voluntatem: ergo. Ad argum. reſp. cum Sub. Doct. cit. diſt. mai.: conſcientia dicitur bona, vel mala extrinſecè, directive, & obiectivè, aut per convenientiam cum bona, vel mala voluntate (ſicut etiam in Sacra Scrip. intellectus practicus dicitur bonus, ac etiam conſilium dicitur bonum) conc. mai. dicitur bona, vèl mala intrinſecè, ſubiectivè, ſeu formaliter, qualiter pertinet ad voluntatē, neg. mai.; per quod pater diſt. ad min., & neg. conſeq.. Ad conf. diſt. mai.: proprium conſcientiæ munus eſt inſtigare oſtenteſive, & directivè, conc. mai. impulſivè, neg. mai.; & diſt. min.: inſtigare impulſivè, pertinet ad voluntatem, conc. min.; inſtigare obſtenſivè, & directivè, neg. min., & conſeq.. Inſtabis: in Epiſt. ad Hæbr. cap. 9. dicitur: *Sanguis Chriſti emundabit conſcientias noſtras ab operibus mortuis*; Sed mundari, ſicut, & inquinari, pertinent fotmaliter ad voluntatem: ergo. Reſp., quòd ſicut conſcientia non dicitur formaliter, ſed tantùm denominativè extrinſecè bona, vèl mala ab ipſa voluntate, quatenùs habet adiunctum actum voluntatis bonum, vèl malum, ad quem dirigit: ita etiam dicitur inquinata, vèl mundata. Item conſcientia aliquando ſumitur pro obiecto illius, nempè pro

operibus bonis, aut peccatis: ſicut dicitur, pœnitentem aperire confeſſario ſuam conſcientiam, id eſt, ſua peccata.

5 Dices 2: ſi conſcientia pertineret ad intellectum, ſequeretur quod ſciens plus de agibilibus, eſſet plus conſcientiatus; ſeù quòd habens perfectiorem notitiam de rebus agendis, eſſet melioris conſcientiæ; ſed hoc eſt falſum, ſiquidem plures doctiores ſunt peioris conſcientiæ: ergo hęc non pertinet formaliter ad intellectum, ſed ad voluntatem. Conf.: obiectum conſcientiæ eſt bonum; ſiquidem proprium conſcientiæ munus eſt inſtigare ad bonum, & avertere à malo; ſed ſola voluntas proſequitur bonum, & refugit malum: ergo. Ad arg. reſp. ex Subt. Doct. cit. diſt. mai.: ſequeretur, quòd habens perfectiorem notitiam proprie, & practicè practicam, quæ habet adnexam executionem earum operationum, quas conſcientia dictat, eſſet plùs conſcientiatus, ſeù haberet meliorem conſcientiam, conc. mai.; habens perfectiorem noticiam improprie, & ſpeculativè practicam, quæ non habet adnexam executionem, eſſet melioris conſcientiæ, neg. mai.; & ſimiliter diſt. min., neg. conſeq.. Ad confirm. diſt. mai.: obiectum conſcientiæ eſt bonum oſtenſum ut conveniens, ſeù in ratione iudicabilis, aut ſub ratione veri practici, qualitèr eſt obiectum intellectus, ſeu cognitionis practicæ, conc. mai.; obiectum conſcientiæ eſt bonum appetitum, ſeù ſub ratione boni proſequibilis, qualitèr eſt obiectum voluntatis, neg. mai.; per quod patet ad min..

6 Colliges 2: conſcientiam propriè, & principalitèr eſſe actum intellectus; atamèn ex repetione actuum ſimilium poſſe acquiri habitum, qui dicatur conſcientialis. 1. pars eſt communis, & prob.: conſcientia eſt iudicium, ſeù dictamen dirigens, & regulans hic, & nunc operationes humanas in particulari; ſed hoc proprie, & principalitèr dicit iudicium, & dictamen actuale, ſeu actum iudicii de bonitate, aut malitia rei agendę, vèl omittendæ: ergo. 2. pars eſt Scotiſtarum cum Sub. Doct. contra communem aliorum. Prob. 1: quando aliquis elicit frequenter actus, ſeù dictamina conſcientiæ circa aliquod obiectum, experitur inclinationem, facilitatem, promptudinem, & delectationem difficulter movilem circa ſimiles actus, quam non experiebatur ante elicientiam illorum: ergo ſignum eſt, dari habitum conſcientialem, acquiſitum ex actuum ſimilium frequentatione. Conf.; ſi conſciētia diceret præciſe actum, ſequæretur, quòd

æqua-

æqualem conſcientiam haberent omnes ceſſantes ab illo; ita quòd tantùm, vèl nihil conſcientię haberet unus, àc alter; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. 2: ad bonitatem, & malitiam moralem requiritur dictamen conſcientiæ; quia nihil volitum quin pręcognitum; ſed non ſemper requiritur dictamē actuale ſed ſufficit virtuale, imo iuxta aliquos ſufficit habituale: ergo datur conſcientia habitualis.

7 Dices: propter ſolos habitus non dicimur digni laude, vel vituperio; ſed conſcientia, cum poſsit eſſe bona vèl mala, efficit nos dignos laude, vèl vituperio: ergo nequit eſſe habitus. Conf.: habitus generantur, & corrumpuntur per plures actus; ſed conſcientia ſicut unico actu formatur, ita etiam unico actu deponitur: ergo. Ad argum. diſt. mai.: propter habitus non dicimur formaliter digni laude, vèl vituperio, ita ut ipſis ſolis non mereamur, nèc demereamur, conc. mai.; non dicimur denominativè, denominatione derelicta ab actibus, quibus meruimus, vèl demeruimus, & habitum generavimus, neg. mai.; & diſt. min.: conſcientia actualis reddit formaliter nos dignos laude, vèl vituperio, admit. min. (nàm diximus ſupra, quomodo dicatur bona, vèl mala;) conſcientia habitualis reddit nos formaliter dignos laude, vèl vituperio, neg. min.; quia tantùm derelinquit denominationem deſumptam ab actibus prętéritis. Ad confirm. conceſ. mai.; diſt. min.: conſcientia proprie, & principaliter, ſeù actualis, ſicut unico actu formatur, ita etiam deponitur, conc. min.; conſcientia minùs propriè, & principaliter, ſeù habitualis, neg. min., & conſeq..

8 Colliges 3: conſcientiam diſtingui à ſyndereſi in eo, quòd ſyndereſis proprie eſt habitus primorum principiorum moralium in univerſali, ſeù inclinans ad bonum, & retrahens à malo; àc in ſyndereſi non poteſt eſſe error, nec dubium, cùm nullus poſsit negare, aut dubitare in genere, malum eſſe fugiendum, bonum eſſe ſequendum, non eſſe faciendum alteri quod quiſque non vult ſibi &c. Conſcientia autem in ſpecie, & individuo dictat, hoc, vel illud bonum hìc; & nunc eſſe amplexandum, aut malum fugiendum; àc in conſcientia poteſt eſſe eror, dubium, vèl opinio. Inſuper conſcientia diſtinguitur à ſcientia morali in eo, quòd ſcientia moralis ex primis principiis dictatis à ſyndereſi infert concluſiones in univerſali, vèl etiam in particulari, cęterum non regulantes actum in particulari ſub his numero circunſtantiis cauſæ loci,

ci, temporis &c. hic, eſt nunc exercendum. Conſcientia verò infert concluſiones in particulari regulantes actum particularem hic, & nunc exercendum ſub his numerò circunſtantiis. Sit exemplum: in hoc ſyllogiſmo practico ſynderis proponit hanc maiorem: *Bonum eſt faciendum*, ratio verò, aut alia noticia acquiſita proponit minorem; *ſed ieiunare eſt bonum*; tùm infert ſcientia moralis: *ergo ieiunium eſt amplectendum.* Imò ut deliberet aliquis, àn hic, & nunc debeat, vèl ſibi liceat ſolvere ieiùniùm, tunc ſcientia moralis format hunc diſcurſum: *Lex Eccleſiaſtica non obligat cum gravi incommodo; ſed grave periculum ſalutis eſt grave incommodum: ergo lex ieiunii non obligat in tale caſu*; ſed quia iſte diſcurſus ad huc non reſpicit proximè in particulari individuam operationem talis perſonę, ideò oportet particularius ſubſumere ſic: *ſed mihi hic, & nunc imminet grave periculum ſanitatis*, vèl ex propria experientia, vel ex conſilio Medici: *ergo præceptum ieiunii me non obligat hic, & nunc*; qui quidem actus proximè regulat honeſtatem moralem operationis hic, & nunc exercendæ, & tale dictamen obtinet propriè rationem conſcientiæ.

9 Colliges 4: conſcientiam eſſe dictamen diſcurſivum, vèl formalitèr, & explicitè, vèl implicitè, & virtualitèr. Ratio eſt, quia conſcientia ſita in tale dictamene, eſt *concludens ſcientia*, quatenus ex principiis, vèl prę̃miſsis communibus, concludit in particulari quid agendum, vèl omittendum ſit hic, & nunc. Colliges 5: conſcientiam eſſe indubitatam regulam proximam actionum moralium, ita ut nulla actio poſsit eſſe bona, vèl mala, niſi conſcientia illam dictet, & proponat ut bonam, vèl ut malam. Prob.: lumine naturæ notum eſt, neminem benè, vèl malè moralitèr agere, quin velit, & operetur liberè; ſed bonum, & malum nequent hic, & nunc eſſet voluntaria, quin ſint cognita hic, & nùnc ſecundum particulares circunſtantias: ergo nulla actio poteſt eſſe bona, vèl mala, quin conſcientia illam dictet ut talem.

10 Colliges 6: dictamen conſcientiæ, ut ſit regula ſufficiens ad honeſtè operandum, debere eſſe practicè moralitèr certum; non verò requiri, quòd ſit certum ſpeculativè, metaphyſicè, vel phyſicè. Prob.: 1. pars primò: omnis actus elicitus prudentiæ debet eſſet certus ſaltem practicè, & moraliter; ſed dictamen conſcientiæ, ut ſit regula ſufficiens ad honeſtè operandum, debet eſſe

ac-

actus elicitus prudentiæ: ergo. Mai. conſtat, quia omnis actus prudentiæ eſt actus virtutis intellectualis; ſed talis actus debet eſſe certus ſaltèm moraliter, & practicè; nam virtus intellectualis eſt, *qua anima verum dicit affirmando, vel negando*, iuxta Ariſt. 6. Et hic: ergo. Min. etiam patet, ſiquidem prudentia eſt *recta ratio agibilium*, cui proprium eſt ſtatuere, atque concludere, quid fieri poſsit, aut debeat conſideratis omnibus circunſtantiis; ſed tale debet eſſe dictamen conſcientiæ, ut ſit regula bonæ actionis moralis: ergo debet eſſe actus prudentiæ.

11 Prob. ſecundò eadem pars: qui ſe voluntariè exponit periculo peccandi, peccat; ſed qui operatur cum conſcientia practicè incerta, vèl cùm cognitione dubia, ſeù formidoloſa, aùt cum ſuſpicione malitiæ in ſua operatione, ſe exponit periculo peccandi: ergo ad honeſtatem actionis requiritur dictamen conſcientiæ certum, ſaltèm practicè, & moraliter. Prob. 2. pars corollarii: ferè impoſsibile eſt, ut ſemper; ac de omnibus agibilibus formetur dictamen ſpeculativè, metaphyſicè, vèl phyſicè certum: ergo cùm non teneamur ad impoſsibilia, non requiritur tale dictamen ad hoc ut actio ſit moraliter bona. Conſ.: ad honeſtatem actionis non requiritur neceſſario conformitas eius cum regula remota, ſeù lege, nec cùm obiecto ut eſt in ſe phyſicè, vèl metaphyſicè, ſed ſufficit conformitas cum regula proxima, ſeù cùm dictamine rectæ rationis, ſeù conſcientiæ proponentis obiectum ut honeſtum certò moraliter, ex rationalibus motivis, & adhibitis prudentibus diligentiis: ergo non requiritur certitudo ſpeculativa metaphyſica, vèl phyſica; ſed ſufficit moralis, & practica.

12 Colliges 7: conſcientiam eſſe iudicium, ſeù dictamen practicum, non ſolùm circa futura, ſed etiàm circa præſentia, & præterita. Ratio primi eſt; quia non ſolùm quando quis proponit agere, ſed etiam quando actu agit iuxta conſcientiam, dicitur conformari propriè conſcientiæ; & quando proponit agere, vèl agit contra illam, dicitur conſcientia illum arguere, & inſtigare ad omiſionem mali; ſed talis modus eſt practicus, cum dictet electionem boni, & fugam mali; qui ſunt actus practici: ergo. Ratio 2. eſt; quia conſcientia de præteritis dictat fuiſſe bene, vel malè facta, & quomodo debuiſſent fieri, & conformari rectæ rationi; ſed hoc eſt dictare obiectum prac-

ticum : ergo tale eſt dictamen conſcientiæ de præteritis.

13 Ad 2. part. quæſt. reſp. primò : Conſcientia ex parte motivi, ſeù medii, quo formatur, communitèr dividitur in quinque membra, videcilicet, in *Rectam, Erroneam, Scrupuloſam, Dubiam*, & *Probabilem*. Prob., & explicatur: Conſcientia eſt quoddam iudicium, ſeu dictamen prácticum: ergo tot erunt eius membra divídentia, ſeù ſpecies, quot poſſunt aſsignari motiva aſſentiendi practicè; ſed motivum ita aſſentiendi aliud eſt rectum; aliud erroneum; aliud ſcrupuloſum, leve, aut nullius momenti; aliud dubium; & aliud probabile, ſeù opinativum: ergo tot ſunt ſpecies iudicii, ſeu dictaminis conſcientiæ. Reſp. 2: ex parte materiæ Conſcientia eſt triplex, nimirum, *obligans, Conſulens*, & *Permittens*; quamvis ſola obligans ſoleat dici ſtrictè conſcientia. Prima eſt, quæ dictat, aliquid eſſe agendum tanquam præceptum, vèl omittendum tanquam prohibitum. Secunda eſt, quæ præciſe dictat, aliquid eſſe agẽdum, vèl omittendum tanquam melius, ſeù magis conforme honeſtati. Tertia eſt, quæ ſolùm dictat, aliquid hìc, & nunc eſſe permiſſum, ſeù licitum vèl non illicitum. De ſolis quinque conſcientiæ membris ſupra ſpecificatis exprofeſſo tractabimus, & quod de unoquoque ſit ſcitu dignum in ſequentibus quæſt. reſolvemus.

QUÆST. II.

Quid ſit conſcientia recta? Unde ſumatur eius rectitudo? Et qualis ſit eius obligatio?

1 QUantum ad 1. part. quæſt. dicimus. Conſcientia recta eſt *dictamen practicum intellectus formatum ex principiis veris, & certis, rectèque applicatis, dictans abſque formidine de oppoſito, hic, & nunc eſſe licitum, quod à parte rei licitum eſt, vel illicitum, quod à parte rei illicitum eſt*. Hæc conſcientia vocatur etiam *vera*, quia dicit conformitatem cum obiecto prout eſt in ſe, & per hoc differt à conſcientia erronea ſeù falſa: vocatur etiam *certa*, eò quia certum reddit operantem, & certitudinem derivat in actum à ſe regulatum, àc per hoc diſtinguitur à conſcientia opinativa, ſeu probabili, quæ eſt cum formidine de oppoſito. Pro cuius intelligentia ſciendum eſt 1, quòd ut dictamen conſcientiæ ſit omnino verum, certum, & rectum, requiruntur duo, Primum eſt, quòd principia, ex quibus formatur

ſint

ſint certa; qualia ſunt præcepta legis naturalis, & legis Divinæ, àc etiam humanæ, tam Canonicę, quàm Civilis, quæ revera exiſtant ſicut proponuntur operanti. Secundum eſt, quod illa principia ſint rectè applicata; nàm ſi hoc deficiat, erit conſcientia erronea; v. g. eformat quis hoc dictamen: *Lex dictat, eſſe obediendum Superiori; ſed meus Superior hic, & nunc præcipit mentiri: ergo hic, & nunc debeo mentiri*; tùnc caſus conſcientia non eſt recta, ſed erronea; quoniam ratio non rectè applicat illud principium: *Superiori eſt obediendum*; nàm debebat ſub intelligere: *in licitis, ſeu legitimè præcipienti*: undè cùm mentiri ſit ſemper illicitum, ideo illud dictamen evadit erroneum propter pravam applicationem principiorum.

2 Sciendum eſt 2., quòd veritas, certitudo, & rectitudo conſcientiæ eſt duplex. Una *ſpeculativa*, ſeu *phyſica*, quæ vocatur etiam *materialis*. Altera *practica*, ethica, ſeu moralis, quæ appelatur etiam formalis. Primo modo dicitur coſcientia recta, quando dictat obiectum, ſicut à parte rei eſt. Secunda modo, quando omnibus penſatis dictat obiectum, ut eſt propoſitum ab intellectu tanquàm conforme legi, & rectæ rationi, ſivè aliàs ita ſe habeat à parte rei, ſivè non. Utraque veritas, & rectitudo reperitur in conſcientia recta, prout hic agimus de illa, & manet explicata: unde ſolet appellari conſcientia *ſimpliciter recta*, ad diſtinctionem à conſcientia invincibiliter erronea, quæ etiam poteſt dici vera, certa, & recta, ſed ſecundum quid, & practicè tantum, ut in quæſt. ſequenti videbitur.

3 Ad 2. part. quæſt. dicimus: rectitudo conſcientiæ non deſumitur à priori ex habitudine conformitatis ad appetitum rectum; ſed rectitudo phyſica, & ſpeculativa ſumitur ex habitudine conformitatis ad obiectum ſecundum ſe conſideratum, & ut à parte rei conſonum legi, & rationi; rectitudo verò practica, & moralis ſumitur ex habitudine conformitatis ad obiectum, quatenus repreſentatum ab intellectu, ut conforme legi, rectæque rationi. Ita communiter Noſtrates contra alios. Prob. 1. pars reſolùit.: appetitus rectus neceſſariò pendet à recta ratione: ergo rectitudo rationis eſſentialiter antecedit appetitum rectum, & operationem voluntatis; atque adeò rectitudo conſcientiæ non poteſt eſſentialiter, & à priori deſumi ex appetitu recto, ſeù ex conformitate ad ipſum.

4 Prob. 2. pars reſolut.:

obiectum, prout eſt in ſe à parte rei, eſt cauſa, & menſura veritatis, & rectitudinis ſpeculativæ, & phyſicæ repertæ in propoſitione; ſiquidem iuxta Ariſt. lib. 1. Periherm, cap. 8. *ex eo quòd res eſt, vel non eſt; propoſitio redditur vera, vèl falſa*; ſed conſcientia eſt propoſitio, ſive iudicium illativum, aut potiùs illatum: ergo eius veritas, & rectitudo ſpeculativa deſumitur ex conformitate ad obiectum, prout ſe habet à parte rei. Prob. 3. pars: omnis actus vitalis ſumit ſpeciem ex habitudine ad ſuum obiectum, ut in Animaſtica docetur; ſed conſcientia, etiàm quatenùs practicè recta eſt actus vitalis: ergo ſumit ſpeciem rectitudinis practicæ ex habitudine ad ſuum obiectum. Sed non ex alia habitudine conformitatis, quàm ad obiectum operabile, quatenùs repræſentatum ab intellectu, ut conforme rectæ rationi, & legi: ergo ab eo deſumit rectitudinem practicam. Prob. min. ſub ſumpta: tùm, quia verſamur in linea morali, in qua genus, & ſpecies ſumitur à rebus, non ſecundum earum eſſe phyſicum, ſed quatenùs ab intellectu repreſentantur, & à ratione proponuntur. Tùm quia conſcientia recta ſecundum quid, ſeù practice præcisè, qualis eſt conſcientia invincibiliter erronea, non aliundè ſumit ſpeciem ſuæ rectitudinis, quàm ex habitudine conformitatis ad obiectum, quatenùs repræſentatum ab intellectu, ut conforme rectæ rationi, & legi: ergo etiam conſcientia ſimpliciter recta ſumit ſuam rectitudinem practicam ex eodem capite; cùm circa ipſam eadem ſit ratio de utràque.

5 Dices: Ariſt. 6. Et hic. cap. 2. ait: *activa mentis veritas eſt conſentanea appetitui recto*: ergo, iuxta ipſum, rectitudo conſcientiæ deſumitur, & attenditur penès habitudinem ad appetitum rectum; non verò ad obiectum quovis modo conſideratum. Reſp. explic. antec.: *mentis veritas eſt conſentanea appetitui recto*, tanquam ſuo effectui, & regulato, conc.; tanquàm ſuæ cauſæ regulæ, vèl menſuræ, neg. hunc eſſe ſenſum Philoſophi; & diſt. conſeq.: rectitudo conſcientiæ attenditur à poſteriori per conformitatem ad appetitum rectum; qualiter cauſa cognoſcitur bona ex bona effectu, ſeù bona arbor ex bono fructu; conc. conſeq.; attenditur à priori, qualiter bonitas effectus deſumitur ex bonitate cauſæ, neg. conſeq.

6 Ad 3. parr. quæſt. dicimus primò; conſcientia rec-

ta,

ta, dictans aliqnid agendum tanquam præceptum, vèl omittendum tamquam prohibitum, obligat ad ſui ſequelam ſub peccato. Prob. 1: in Epiſt. ad Rom. cap. 14: dicitur: *omne, quod non eſt ex fide*, (id eſt, contra conſcientiam, ut explicant S.S. P.P.) *peccatum eſt*. Itèm Innocentius III. in c. *litteras* de reſtit. ſpoliat. inquit: *quidquid fit contra conſcientiam ædificat ad gehennam*: ergo: Prob. 2: voluntas tenetur ſequi regulam proximam ſuarum actionum, præcipientem, vèl prohibentem aliquid; ita ut devians à tali regula, vèl faciens contra illam, peccet gravitèr, vèl levitèr, iuxta proportionem materię, vèl prȩcepti obligantis, aùt dictaminis proponentis; ſed conſcientia, maximè recta ſimplicitèr, eſt regula proxima noſtrarum actionum, applicans regulam remotam, videlicet leges; nàm per illud iudicium innoteſcit, & quaſi intimatur voluntati bonitas, vèl malitia obiecti, finis, circunſtantiarum &c.: ergo.

7 Dicimus 2: talis, & tanta eſt obligatio conſcientiæ rectæ, ut nèc à Deo poſsit diſpenſari. Eſt commune. Prob. 1: Dens non poteſt velle aliquid contrarium legi naturali, & æternæ; ut ait Subt. Doct. in 3. d. 37. q. un.; ſed ſi Deus diſpenſaret in obligatione conſcientię rectæ, vellet aliquid contrarium legi naturali, & æternæ: ergo. Prob. min.: conſcientia recta eſt participatio, & intimatio legis naturalis, & æternæ: ergo. Prob. 2. ex Doct. cit.: diſpenſare non eſt facere, quòd ſtante præcepto liceat facere contra illud, ſed eſt revocare præceptum, vèl declarare qualitèr debeat intelligi; nàm eſt duplex diſpenſatio ſcilicet iuris revocatio, & iuris declaratio; ſed manente conſcientia, manet præceptum, intimatum per ipſam: ergo non eſt intelligibile, quòd obligatio conſcientiæ ſit diſpenſabilis. Prob. 3: vèl Deus notificaret homini ſuam diſpenſationem, vèl non? Si non: ergo iila diſpenſatio non excuſaret operantem contra præceptum; à ſua conſcientia intimatum. Si Deus intimaret illi diſpenſationem: ergo ille ex tali noticia iudicaret, licitum ſibi eſſe agere ſic ex Dei diſpenſatione: ergo iam non operaretur contra conſcientiam, ſed iuxta illam; & ad ſummum diceretur agere contra iudicium, quòd alioquin formaſſet, ſi diſpenſationem non noviſſet: ergo verè diſpenſari non poteſt, ut quis agat contra dictamen conſcientiæ rectæ.

8 Quęres: an agere contra conſcientiam veram, & rectam ſit ſpeciale peccatum contra

tra ſpeciale præceptum; & an ſit unum, vel duplex peccatum. Reſp. 1: peccare contra conſcientiam indirectè ſolùm, & operando ex affectu boni utilis, aùt delectabilis, non eſt ſpeciale peccatum, nec diſtinctum ab eo, quòd committitur per tranſgreſſionem præcepti, per conſcientiam intimati. Eſt communis ſententia Theologorum contra paucos. Prob. primò: agens contra conſcientia ideò peccat, quia facit id quod cognoſcit, & iudicat eſſe malum; & ideo ſolam illam malitiam contrahit, quàm cognoſcit; ſed agens ſolùm indirectè contra conſcientiam, & operans tantum ex affectu boni utilis aùt delectabilis, non cognoſcit aliam malitiã, quàm obiecti, ſeu tranſgreſſionis præcepti per conſcientiam intimati: ergo. Prob. min.: conſcientia tùnc caſus, & prout regulariter contingit, non affert aliam obligationem diſtinctam ab obligatione præcepti, vèl virtutis, quam proponit; quia conſcientia, vèl eius dictamen, ſeù iudicium eſt conditio univerſalis proponens, & applicans unam quamque legem, & vim non habet ratione ſui, ſed rationi legis, quàm applicat, & proponit: ergo cùm non afferat novam, & diſtinctam obligationem, nec afferet novam malitiam; ac proinde peccans prædicto modo contra conſcientiam, non agnoſcit, nec poteſt agnoſcere ſpecialem malitiam. Prob. 2: furtum v. g. prohibetur lege naturali, Divina, & humana; ſed tamèn eſt per ſe unum peccatum; eò quia tales leges prohibent illud ex motivo eiuſdem virtutis, ſcilicèt iuſtitiæ: ergo ſi militer licet eſſent duæ obligationes, una conſcientiæ, & altera legis per eam applicatæ, tamen non eſſent duo peccata; quia conſcientia nititur conſervare eandem honeſtatem, ac lex applicata, & ſunt ſibi invicèm ſubordinatæ.

9 Reſp. 2: agere directè contra conſcientiam, intendendo directè, & expreſsè reſiſtere illi, aùt legi per eam propoſitæ, eſt peccatum ſpeciale, & diſtinctum à peccato contra virtutem præſcriptam à lege, & conſcientia illam intimante. Ita N. Maſtrius in Summa Mor. diſp. 1. q. 1. art. 2.; & Franciſcus Fælix in hoc tract. cap. 1. dific. 2. Prob.: frangens ſpeciale præceptum obligans ex motivo ſpecialis virtutis, committit peccatum ſpeciale, & diſtinctum ab altero peccato contra aliud præceptum, & alteri virtuti oppoſito; ſed agens directè contra conſcientiam, & legem præcipientem v. g. audire ſactum in die feſto, frangit ſpeciale præceptum obedien-

diendi legibs, & conſcientiæ illas proponenti, obligans ex motivo ſpecialis virtutis obedientiæ, diſtinctæ à virtute religionis, ex cuius motivo obligat præceptum audiendi ſacrum: ergo ille committit peccatum ſpeciale, & diſtinctum ab altero oppoſito illi legi auditionis ſacri. Mai. conſtat ex communi Theologorum ſententia diverſificante ſpecificè peccata per oppoſitionem ad virtutes diſtinctas. Min. etiam patet; quia ſicut Subditus nolens obedire Superiori legitimè prohibenti rem, aliunde permiſſam, peccat ſpecialitèr contra obedientiam; ita agens directe contra conſcientiam, & expreſsè intendens reſiſtere illi, aut legi per eam intimatæ, frangit ſpecialitèr præceptum obedientiæ, qua obligamur obedire legibus, & conſcientiæ illas proponenti, & intimanti.

10 Dices 1. contra 1. reſolut.: agens adhùc indirecte contra conſcientiam, ſaltèm ſimplicitèr rectam, peccat contra duas regulas, & violat duo præcepta: ergo committit duo peccata. Prob. antec.: peccat contra legem, quæ eſt regula remota, & contra ipſam conſcientiam, quæ eſt regula proxima; & violat, præceptum naturale, quo tenemur ſequi dictamen conſcientiæ, atque etiam violat Præceptum illud particulare, quod tranſgreditur per ſuam operationem: ergo. Reſp. diſt. antec.: peccat contra duas regulas ſubordinatas, & partiales, quæ integrant unicam regulam completam, & adæquatam; & violat duo præcepta, quorum unum eſt univerſale, & imbibitum in alio particulari, & ambo inducunt unicam obligationem, conc. antec.; peccat contra duas regulas diſparatas; & violat duo præcepta ſpecialia, & inducentia obligationes diſtinctas, neg. antec.; quia iudicium, ſeù dictamen conſcientiæ ſe habet ut intimatio, & applicatio legis, ſeù præcepti, atque adeo non inducit ſpecialem obligationem; nèc ſe habet ut lex; vèl præceptum ſpeciale contra diſtinctum, ſed ut univerſalè, & imbibitum in illo particulari præcepto, per illam intimato.

11 Dices 2. contra 2. reſolut.: iuxta dicta, conſcientia non habet vim obligandi ratione ſui, ſed tantum ratione legis, quam intimat voluntati; nec præceptum ſequendi ipſam eſt ſpeciale, ſed commune, & imbibitum in illo particulari, quod proponit: ergo adhuc ex malitia velle directè reſiſtere conſcientiæ aut legi per ipſam propoſitæ, non erit peccatum ſpeciale, nec diſtinctum ab altero

tero, opoſito illi virtuti, quam reſpicit præceptum particulare legis intimatæ. Diſt. antec.: cõſcientia per ſe, ex natura rei, ſe habens præcisè ut intimatio, & applicatio legis, & reſpiciens honeſtatem virtutis, quam reſpicit ipſa lex quam proponit, non habet vim obligandi ratione ſui, nec cadit ſub præcepto contra diſtincto, & ſpeciali, conc. antec.; conſcientia adhùc per accidens, & ex intentione directa agẽtis ſe habens ut materia, vèl obiectum cadẽs ſub alio ſpeciali præcepto obediendi eius dictamnii, & reſpiciens honeſtatem alterius virtutis diſtinctæ ab ea, quam reſpicit lex intimata per ipſam conſcientiam, neg. antec., & conſeq.

QUÆST. III.

Quid, & quotuplex ſit conſcientia erronea; ac quænam ſit eius obligatio?

1 AD 1. difficul. reſp. Conſcientia erronea eſt dictamen practicum intellectus formatum ex principiis falſis, vèl falsò applicatis, habitis tamẽn pro veris, & rectè applicatis, dictans aliquid alitèr àc eſt à parte rei, ſeù bonum ut malum, vèl malum ut bonum. Hoc facilè patet ex dictis in quæſtionibus præced. Ad 2. igitur difficult. reſp.: Conſcientia erronea eſt duplex; una vincibilis, & alia invincibilis. *Vincibilis* eſt, quæ provenit ex ignorantia vincibili, & culpabili, quæ adhibita morali, & prudenti diligentia potuit, atque adeò debuit vinci. *Invincibilis* è contra eſt, quæ provenit ex ignorantia invincibili, & inculpabili, quæ nulla morali diligentia potuit vinci; vèl quia non venit in mentem aliqua dubitatio de eo, in quo eſt ignorantia, & error; vèl quia licet venerit in mentem, tamèn adhibita ſufficienti inquiſitione, & diligentia pro qualitate materię, & oportunitate temporis, loci, &c. illa ignorantia, & error non potuit ſuperari, àc proinde nec debuit, cùm nemo teneatur ad impoſsibile.

2 Prętereà conſcientia erronea invincibilis, & poteſt eſſe circa unam tantùm partem contradictionis, ut ſi quis exiſtimaret, ſe teneri deferere moribundum, & adire ad audiendum ſacrum in die feſto; & poteſt eſſe circa utramque partem contradictionis, ut ſi aliquis in illo caſu exiſtimaret, ſe peccare ſi omittat auditionem ſacri, àc etiam eſſe peccatum, deferere moribundum in tali occaſione, & hoc adhùc poſſet contingere dupliciter; vèl ita ut exiſtimet, unum eſſe gravius

pec-

peccatum ; vèl ita ut ambo ſint æqualia in eius iudicio , ſeù nequeat diſcernere , quodnam ſit maius. Pro reſolut. difficult. 3. ſupponimus , quòd non loquimur de conſcientia erronea purè permittente,vèl conſiliante; quia nemo obligatur ad faciendum,vèl omittendum illud, quòd eſt unicè permiſſum , vèl conſiliatum ; ſed unicè tenetur facere, vel omittere illud,quod eſt præceptum aut prohibitum; atque adeò unicè quærimus de obligatione conſcientiæ erroneæ præcipientis , vèl prohibentis. Pro cuius clariori reſolut. ſit.

SECTIO I.

Declaratur obligatio conſcientiæ erroneæ invincibilis.

3 Dicimus primò : conſcientia erronea invincibilis , quæ eſt circa unam tantùm partem contradictionis, obligat nedum negativè, nempè nè contra eam operemur , ſed etiam poſitivè , ſcilicet ut eam ſequamur; obligatione quidem gravi , vèl levi iuxta qualitatem dictaminis. Eſt commune, & docetur à Subt. Doct. in 2. in Report. d. 39. §. *ad 3. quæſtionem.* Prob. 1: Apoſt. ad Rom. 14. dicens : *omne , quod non eſt fide* (nempè conſcientia) *peccatum eſt* : loquitur de conſcientia erronea: ergo peccat , qui operatur contra eam, & non ſequitur ipſam. Prob. antec:: Apoſt. ibidem ait : *ſcio & confido in Domino Ieſu,quia nihil commune per ipſum , niſi ei qui exiſtimat , quid commune eſſe , & ei comune eſt* : Id eſt,in lege evangelica nullus cibus immundus eſt; ſi tamen aliquis Gentilis recens converſus erroneè invincibiliter exiſtimet, aliquem cibum ſibi immundum eſſe , peccabit ſi illum manducet , ut conſtat ex toto illo cap: ergo loquitur nedùm de conſcientia ſimpliciter recta , ſed etiàm erronea.

4 Præterea idem Apoſt. Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 8. loquens de illis,qui erroneè exiſtimant, eſcas idolis immolatas, ſeù idolothyta non eſſe manducanda , aſſerit ipſos peccare comedendo illa , ſiquidem ait: *quidam autem cum conſcientia uſque nuùnc idoli , quaſi idolothytum manducant; & conſcientia ipſorum,cum ſit infirma* (ſeù erronea) *polluitur.* Item ad Galat. cap. 5. inquit : *teſtificor autèm rurſus omni circumcidenti , ſe , quoniam debitor eſt univerſæ legis faciendæ* ; id eſt , ex conſcientia erronea , qua putaret quis , ſe obligari ad obſervantiam veteris legis : ergo iuxta Apoſtolum , conſcientia erronea obligat, non ſolùm negativè , ſed etiam poſitivè.

5.

5 Prob. 2. ratione: eò ipſo quòd conſcientia ſit invincibiliter erronea, perinde ſe habet in prudenti, & inculpabili æſtimatione operantis, àc ſi eſſet ſimpliciter, & abſolute recta; ſed tenemur ſequi conſcientiam ſimpliciter rectam dictantem aliquid agendum, vèl omittendum ſub præcepto: ergo etiàm tenemur poſitivè ſequi conſcientiam invincibiliter errantem. Prob. mai.: cùm voluntas ſit potentia cæca, Deus ut author naturæ ſubdidit ipſam ductui, & dictamini intellectus, ità ut debeat reputare bonum, aut malum, quod ſibi ab intellectu fuerit propoſitum: ergo. Conf.: ideò voluntas tenetur ſe conformare conſcientiæ ſimpliciter rectæ, quia ea eſt practicè vera, & actus prudentiæ; ſed etiàm conſcientia invincibiliter erronea eſt practicè vera, & actus prudentiæ: ergo. Prob. min.: conſcientia invincibiliter erronea dictat obiectum operabile ſicùti eſt in intellectu, & prout ab ipſo iudicatur poſt exactum veritatis examen; ſed talis actus eſt practicè, àc formaliter verus, & prudentialis; ſiquidem non temerè, ſed maturè, & examinatè dictat operationem conformem menti, ſeù exiſtimationi, & obiecto operabili prout eſt in mente: ergo. Vrgetur: qui non ſequitur dictamen conſcientiæ erroneæ invincibilis circa unam tantùm partem contradictionis, procedit abſque prudenti dictamine; quia nec habet, nec poteſt habere ſimùl dictamen contradictorium; ſed qui procedit abſque dictamine prudenti, imprudenter agit; & ſi fiat in materia morum, in qua hic verſamur, peccat: ergo.

6 Prob. 3.: quamvis lex naturalis, vèl poſitiva ſit regula prima, & remota actionum humanarum; tamen regula proxima eſt conſcientia, ſeù ratio, per quam illæ leges cognoſcuntur, & intimantur; nam leges non ſunt regulæ, niſi aut cognitæ, & intimatę voluntati per conſcientiam: ergo æquè obligatorium eſt, ſequi legem, quæ ut obligatoria hic, & nunc cognoſcitur, & intimatur per conſcientiam errantem invincibiliter, àc obligatorium eſt ſequi legem à parte rei talem, cognitam, & intimatam prout eſt à parte rei; quia obiectum tribuit actui ſpeciem moralem, prout hìc, & nunc proponitur à ratione. Conf.: detrectans, vèl nolens adimplere præceptum à conſcientia firmitèr propoſitum, & intimatum, quantùm eſt ex ſe reſiſtit præcepto, cui non vult ſe conformare: ergo peccat. Prob. antec.: qui exiſtimat, præceptum à Prætore in-

intimatum nomine Regis, eſſe præceptum ipſius Regis, ſi illud contemnat, quantùm eſt ex ſe contemni præceptum Regis, tametſi Rex tale præceptum non impoſuerit: ergo ſimiliter &c.

7 Argues 1: nemo poteſt obligari ad aliquid intrinſecè malum; ſed conſcientia erronea, etiam invincibilis, poteſt dictare faciendum aliquid intrinſecè malum, v. g. mentiri ad defenſionem Proximi: ergo conſcientia erronea invincibilis nequit obligare poſitivè: Conf. 1: nemo tenetur diſcordare a recta ratione, neque a lege æterna; quin potiùs peccat ille qui ab ea diſcordat, cùm peccatum ſit *dictum, factum, vèl concupitum contra legem æternam Dei*; ſed qui ſequeretur conſcientiam invincibiliter erroneam præcipientem v. g. mendacium, diſcordaret à recta ratione, & à lege æterna, quæ prohibet illud: ergo nullus tenetur ſequi talem conſcientiam. Conf. 2: inferior non poteſt obligare contra præceptum ſuperioris; ſed conſcientia eſt inferior Deo, cujus præceptum eſt, ne mentiamur: ergo in nullo evenu poteſt conſcientia præcipere, aùt obligare ad mentiendum.

8 Reſp. ad argum. diſt. mai.: nemo poteſt obligari per ſe, & ex natura rei ad aliquid intrinſecè malum, conc. mai.; non poteſt obligari per accidens, ratione exiſtimationis erroneæ dictantis, & præcipientis illud tamquàm bonum, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſ.. Vel alitèr diſt. mai.; nemo poteſt obligari ad malū formaliter ſeu cognitum, & intimatum ut tale, conc. mai.; ad malùm purè materialitèr, & aliundè propoſitum, & intimatum ut bonum formaliter, neg. mai.; & ſimiliter diſt. min., neg. conſeq.. Ad 1. conf. diſt. mai.: nemo tenetur, nèc poteſt diſcordare à recta ratione practica, nequè à lege ęterna cognita, & intimata, conc. mai.; à recta ratione tantum ſpeculativa, nèquè à lege æterna invincibiliter ignorata, & erronee in contractum propoſita, neg. mai.; & diſt. min.: qui ſequeretur conſcientiam invincibiliter erroneam, diſcordaret à recta ratione ſpeculativa, & à lege æterna ignorata, quæ à parte rei prohibet illud, conc. min.; diſcordaret à recta ratione practica, & à lege æterna cognita, & intimata, quæ prout hic, & nunc proponitur, prohibet illud, neg. min.; ſiquidem imò potius concordaret, cùm recta ratione practica, & cum lege ęterna præcipiente conformitatem operationis cùm dictamine conſcientiæ, & cùm lege firmiter, &

prudẽter exiſtimata ut tali. Ad 2. conſ. diſt. ſimilitèr mai.: inferior nequit obligare contra præceptum Superioris cognitum ut tale, conc. mai.; ignoratum invincibilitèr, neg.mai.; & diſt. min.: conſcientia eſt inferior Deo, cuius præceptum reverà à parte rei eſt, nè mentiamur, attamèn à conſcientia invincibilitèr errante intimatur oppoſitum, ut præceptum Divinum, conc. min.; cuius præceptum hìc, & nunc intimatum à tali conſcientia eſt, nè mentiamur, neg. min.; & conſeq: quia tùnc dictamen conſcientiæ non eſt contrarium, ſed conforme præcepto Divino prudentèr exiſtimato.

9 Argues 2: ſi conſcientia invincibilitèr erronea obligaret poſitivè, actus conformis tali conſcientiæ eſſet bonus, & meritorius; ſed hoc eſt falſum; ergo. Mai. patet; quia eſſet actus virtutis, & adimpletivus præcepti exiſtimati, qui aliundè poſſet habere conditiones requiſitas ad rationem meritorij. Prob. min.: ſi talis actus eſſet bonus, foret licitum complacere de illo; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min.: ſi foret licitum, aliquem ſibi complacere de tali actu, etiàm eſſet licitum, illum conſulere alteri invincibilitèr ignoranti turpitudinem obiecti; nàm licitùm eſt conſulere alteri quod licitum eſt agere, àc de illo complacere; ſed non licet conſulere talem actum: ergo. Reſp. conceſ. mai.; (quia actus humanus ſpecificatur ab obiecto, quatenùs à ratione propoſito; & voluntas in illo caſu appetit rationem honeſtatis, & virtutis ab intellectu propoſitæ) neg. min. & diſt. mai. probat.: foret licitum complacere de illo actu proùt rectè facto ex modo putative honeſto, conc. mai.; complacere amplìùs de illo iàm noto ut malo, ſivè poſt errorem depoſitum, neg. mai., & min. in hoc ſenſu; ad cuius probat. diſt. mai.: etiam eſſet licitum habenti conſcientiam invincibiliter erroneam de bonitate talis actus, illum conſulere alteri, conc. mai.; etiàm eſſet licitum habenti noticiam turpitudinis obiecti, illum actum conſulere alteri adhùc invincibilitèr ignoranti turpitudinem obiecti, neg. mai., & diſt. ſimilitèr min., neg. conſeq..

10 Argues 3: ſi quis invincibilitèr putaret, amorem Dei eſſe malum, non peccaret amando ipſum; nam implicat Deum diligere, & eadem dilectione peccare: ergo non peccat qui operatur contra conſcientiam invincibilitèr erroneam, àc proindè non tenemur ſequi ipſam. Reſp. 1. neg. ſuppoſitum, ſcilicet poſſe dari erro-

errorem invincibilem, quo aliquis iudicet, amorem Dei ſuper omnia eſſe peccaminoſum; nam ipſum lumen naturale dictat, ſumum bonum eſſe ſuper omnia diligendum. Reſp. 2: admiſſo illo ſuppoſito; neg. alterum, nempè illum ſic errantem poſſe elicere actum dilectionis Dei ſuper omnia; nàm qui diligit Deum, præfert ipſum omnibus, & qui ageret contra conſcientiam dictantem, quod dilectio Dei eſſet peccatũ, non præferret Deum omnibus, quin potiùs Deo prę ferret illud quod facet, ſcil. peccatum exiſtimatum dilectionis Dei. Unde licèt in materia aliarum virtutuum poſsimus operari contra conſcientiam erroneam, non tamèn in materia charitatis, quia hæc in eo conſiſtit, ut nolit quis peccare, ſivè Deum offendere, ſed ipſum omnibus præferre.

11 Argues 4: ſi conſcientia invincibiliter erronea obligaret poſitivè, Subditus poſſet, & teneretur illam ſequi, ac non teneretur, nèc poſſet obidere Prælato præcipienti oppoſitum illius dictamini; ſeù conſcientia invincibiliter errans plus obligaret, quàm præceptum Superioris; ſed hoc eſt falſum: ergo. Min. eſt Sub. Doct. in 2. in Report. d. 39. *ad 3. quæſt.*; & in 4. ſent. d. 3. q. 4. Et ulterius prob. primò: Subditus Religioſus vovit obedire ſuo Prælato in his, quæ non ſunt contra Deum; ſed ea, quæ conſcientia erronea dictat ut mala, non ſunt contra Deum; nàm aliàs non eſſet conſcientia erronea: ergo. Prob. 2: poteſtati ſuperiori magis obediendum eſt, quàm inferiori, ut inquit Gloſa ſuper cap. 13. Epiſt. ad Roman.; ſed poteſtas Prælati ſuperior eſt reſpectu conſcientiæ Subditi: ergo. Prob. 3. Subditus nequit operari contra præceptum Prælati ut ſequatur dictamen ſuę conſcientię, niſi iudicando de præcepto Prælati; ſed Subditus non debet iudicare de præcepto Prælati, quin potiùs Prę latus debet iudicare de actibus Subditi: ergo.

12 Ad arg., quod continet ſpecialem difficultatem, circa quam ſunt duæ oppoſitæ ſententiæ, reſp. cùm communiori, tàm inter exteros, quàm inter Noſtrates, conceſ. mai.; neg. min.; ad cuius probat. ex Sub. Doct: dicimus, quòd dùm aſſerit, præceptum Prę lati obligare magis quàm dictamen conſcientiæ erroneæ, expreſsè loquitur de conſcientia vincibili, ſeù proveniente ex errore culpabili, qui prudenter, & rationabilitèr poteſt, ac debet à Subdito deponi; nàm tùm certè tenetur obedire præcepto Prælati; cùm nullus per ſuam

culpam abſolvatur à lege, vèl præcepto Superioris: Attamèn de conſcientia erronea invincibili, ſeu provenienre ex errore inculpabili, qui prudentèr, & rationabilitèr non poteſt, ac proindè non debet à Subdito deponi, aſſerit ipſe Doct. in 4. cit., & in Report. ibidèm, quod Subditus tenetur illam ſequi, & quòd illa conſcientia magis obligat, quàm præceptum oppoſitum Prælati, ſiquidem ait Doct. quod non tenetur Subditus habere falſam opinionem de ſuo Superiore, ſeù iudicare eius præceptum tanquam rationabile, quandò iudicium, ſeù conſcientia Subditi, licet erronea, invincibilis tamen, rationabilis, & prudens, intimat, & præcipit oppoſitum præcepto Prælati; atque etiàm inquit ipſe Doct., quod Subditus tenetur obedire in omnibus; quæ non ſunt inmediatè contra Deum, & bonos mores: undè cùm operari contra conſcientiam invincibiliter erroneam præcipientem, & obligantem in vi legis Divinæ, vèl alterius ſuperioris præcepto Prælati, ſit immediatè contra Deum, & bonos mores, ut patet ex dictis; ideò tenetur ſequi talem conſcientiam potiùs quàm præceptum Prælati, ex quibus conſtat fundamentum noſtræ ſolutionis, & ſententiæ, quam ſequimur ex Subt. Doct.

13 Ad 1. probat. à ratione illius min. reſp. conceſ. mai., diſt. min.: ea, quæ conſcientia erronea dictat ut mala, non ſunt contrà Deum ſe ipſa, à parte rei, phyſicè, & materialiter, conc., vèl tranſeat min.; non ſunt exiſtimativè, moralitèr, & formalitèr contra Deum, neg. min., & conſeq. Ad 2: probat. conceſ. mai., diſt. min.: poteſtas Prælati ſuperior eſt reſpectu conſcientiæ Subditi non intimantis legem Dei, vèl alterius ſuperioris, conc. min.; ſuperior eſt reſpectu conſcientiæ Subditi ut intimantis legem Dei, vèl alteriùs Superioris, neg. min.; quia conſcientia, utpote nuncius, vèl quaſi delegatus Superioris, ſe habet ut ſuperior reſpectu præcepti Prælati inferioris. Ad 3. deniq; probat. reſp. neg. mai.; quia Subditus poteſt ſuſpendere iudicium circa modum præcipiendi ex parte Prælati; vèl poteſt exiſtimare, Prælatum illum præcipere cum bona intentione, & ex conſcientia invincibiliter errante, quæ tantùm Prælato eſt regula proxima benè operandi, non autem Subdito, qui debet operari iuxta propriam rationem, & conſcientiam, quæ eſt ipſi regula proxima. Attamèn ſi facto debito examine, & omnibus matùrè penſatis, poſsit Subditus ſuam conſcientiam deponere, aut de

illa

illa rationabiliter, & prudenter dubitare, tenetur illam deponere, & Prælato obedire; quia Prælato potiùs ſtandum eſt in dubijs, iuxta illam regulam generalem: *tutum eſt ſequi ſententiam Præpoſiti ſui, in iudicio illius propriam conſcientiam deponere.*

14 Dicimus 2. licèt videatur moralitèr, & practicè impoſsibilis caſus, in quo detur conſcientia erronea invincibilitèr circa utrãque partem contradictionis; tamen admiſſo caſu, ſi conſcientia dictet unum extremum, ſeù peccatum ut gravius, tenetur non eligere illud, ita quòd ſi illud eligat, peccatum commitat; ſi autem dictet utrumque ut æquale, ſeu æqualis malitiæ, eligens quancumque partem non peccabit. Prima pars reſolut. eſt Caietanij Felicis Verani in tract. præſenti. Prob.: impoſsibilis eſt practicè, & moralitèr caſus, in quo non detur ſufficiens potentia ad deponendam conſcientiam erroneè dictantem, utrãque partem contradictionis eſſe peccatum mortale, v. g. & deſſerere moribundum ad audiendum ſacrum, & audire ſacrum derelicto moribundo: ergo ita impoſsibilis eſt conſcientia erronea invincibilis circa utramque partem contradictionis. Conſeq. patet; ſiquidem conſcientia, cuius error poteſt deponi, non eſt invincibilis. Prob. antec.: ſola attentio, & examinatio eorum, quæ lumen, ſeù ratio naturalis dictat, ſufficit ad deponendam illam conſcientiam erroneam; ſed eſt impoſsibilis moraliter, caſus, in quo quis compos rationis non poſsit attendere, & examinare ea, quæ lumen naturale dictat: ergo. Prob. mai.: lumine naturali eſt notum, neminem poſſe obligari ad incompoſsibilia; & quod concurrentibus duobus præceptis ſimùl incompoſsibilibus in eorum obſervatione, unum neceſſariò debet ceſſare; atque etiam eſt notum naturali lumine, quòd minus cedit maiori; ſed his attentis, & examinatis ſtatim occurrit, aliquod ex illis præceptis eſſe maius, vèl exiſtimatur ut ſtrictius, àc proinde ſe teneri obſervare ſolùm illud: ergo ſola attentio, & examinatio eorum, quæ ratio naturalis dictat, ſufficit ad deponendam illam conſcientiam erroneam.

15 Secunda pars eſt communis, & prob.: homo tenetur vitare illud, quod poteſt vitare, & aliunde exiſtimat eſſe malum; ſed in caſu conſcientiæ invincibiliter erroneæ dictantis, eſſe gravius peccatum unam partem contradictionis, in illa exiſtimatur exceſus malitiæ, & ſupponimus, quod poſ-

ſit vitari, eligendo aliud extremum minus malum : ergo ſi eligatur peius, cõmittitur peccatum. Tertia pars eſt contra aliquos, ipſam tamen tenent plurimi, & graves A.A. Prob.: ad peccandum non ſufficit indifferentia phyſica ad ponendum phyſice, vèl non ponendum actum, ſed requiritur indifferentia moralis ad peccandum, vèl non peccandum, ſeù ad vitandum malum; ſed in caſu conſcientiæ invincibiliter erroneę dictantis, utramque partem contradictionis eſſe peccatum æquale, quamvis detur indifferentia phyſica ad ponendam determinatè quamlibet ex illis, tamèn non datur indifferentia moralis ad non peccandum, ſeù vitandum malum, quod invenitur ęquale in qualibet ex illis: ergo non peccabit eligens quamlibet ex ipſis. Conf.: ſola cogitatiò, qua quis exiſtimat, ſe peccaturum ſi aliquid operetur, non ſufficit ad peccandum, niſi illa actio fiat liberè, ita ut malum exiſtimatum poſsit vitari; v. g. ſi quis vinculis onuſtus iudicet, ſe peccare non audiendo ſacrum, non propterea peccat, quia nequit libere audire illud; ſed in caſu propoſito non poteſt adimpleri utrumque præceptum, ſcil. aſsiſtere moribundo, & audire ſacrum: ergo actio illa non eſt libera, ac proinde nec peccaminoſa.

16 Argues contra iſtam 3. part.: licet homo conſtitutus in tali caſu nequeat fugere malitiam utriuſque partis, poteſt tamèn fugere quamlibet determinatè: ergo quando eligit unam cum determinata malitia, propoſita actione libera, amplectitur obiectum iudicatum malum, atque adeò illa actio, utpote libera, erit peccaminoſa. Reſp. diſt. antec.: poteſt Phyſicè fugere qnamlibet determinatè, conc. antec.; poteſt moralitèr, neg. antec., & conſeq. ſub diſtinct. data; quia licet homo in illo caſu eſſet liber reſpectu cuiuslibet præcepti in particulari, non tamèn reſpectu amborum ſimùl; unde illa libertas potius eſſet phyſica ad ponendum, vèl non ponendum unum, aut alterum extremum, quàm moralis ad peccandum, vèl non peccandum, ſeù vitandum malum; atque adeò non ſufficeret ad peccandum.

SECTIO II.

Statuitur obligatio conſcientiæ erroneæ vincibilis.

17 DICIMUS: conſcientia vincibiliter erronea obligat negative, nè contra eam operemur; non verò poſitivè, ut eam ſequamur, imò nec licitè eam ſequi poſſumus, quando dictat ut bonum, quòd

eſt

eſt malum ; obligat tamen ut eam deponamus. Ita Seraph. Doct. in 2. d. 39. art. 1: q. 3.; & Subt. ibidem, quem ſequuntur communiter Noſtri, præſertim Maſtrius, Reiffenſtuel, Holzmann, Panger, Dupaſquier, & alij, contra alios diverſimode opinantes. 1. pars, nempe quod obliget negativè, prob. primò ex authoritatibus, quibus in num. 3. & 4. probavimus 1. reſolut. ; nàm loquuntur indefinitè de conſcientia errante, etiam vincibili. Prob. 2: nunquam licet agere id, quod actù proponitur eſſe malum ; ſed conſcientia erronea, etiàm vincibilis ſivè dictans aliquid ut prohibitum; ſivè dictans aliquid ut præceptum, & eò ipſo prohibens eius oppoſitum, proponit malum ut fugiēdum : ergo obligat negativè, nè contra eam operemur, ita ut agere contra ipſam ſit peccatum. Conf.: quandiù ſtat iudicium, licet culpabilitèr erroneum, dictans aliquid hic, & nunc eſſe malum, non poteſt voluntas eligere illud ut bonum, cùm ut tale non proponatur ab intellectu, à cuius directione pendet voluntas, & cui debet conformari ut operetur rectè : ergo eò ipſo quod illud eligat, conſentit, & contrahit malitiam apræhenſam.

18 Secunda pars, ſcil. quòd conſcientia vincibilitèr erronea non obligat poſitivè ut eam ſequamur, imò nec licitè ipſam ſequi poſſumus, quando dictat ut bonum quod in rei veritate eſt malum, vèl tanquam prohibitum, quòd à parte rei præceptum eſt ; Prob. primò ex Subt. Doct. cit. : nemo per ſuam culpam poteſt ſe abſolvere à lege obligante ad contrarium illi, quod ſibi culpabiliter proponitur ; ſed habens conſcientiam vincibiliter erroneam dictantem ut bonum, quod in rei veritate eſt prohibitum, vèl tanquam non præceptum id quod re vera præceptum eſt, per ſuam culpam apponit ſibi legem contrariam legi à parte rei obliganti; ſiquidem talis error eſt voluntarius, & culpavilis: ergo tàm longe abeſt, ut obligetur ad ſecundam talem conſcientiam, & legem ab ipſa propoſitam, quòd nèc licitè poſsit ſequi illam.

19 Prob. 2: implicat, dari obligationem ad actum formaliter malum ; ſed actus procedens ex conſcientia vincibilitèr, & culpabiliter erronea dictante malum tanquam bonum, eſt formaliter malus: ergo. Prob. min.: ad hoc ut actus ſit formaliter malus ſufficit, quòd eius malitia ſit voluntaria ſaltèm indirectè, & in ſua cauſa ; ſed malitia illius actus, ſivè talis actus malus, ſaltem

indirectè, & in ſua cauſa nempè in errore vincibili, & culpabili, eſt voluntarius: ergo. Conf.: dictamen conſcientiæ ita vincibiliter erroneæ eſt actus imprudentiæ, ſiquidèm non procedit ex maturo examine, nèc diligenti inquiſitione; ſicut è contra, dictamen conſcientiæ invincibiliter erroneæ eſt actus prudentię; ergo non eſt practicè verum, àc proinde non obligat, nèc licet ſequi illud.

20 Notantèr dicitur, quòd *non obligat, nèc licet ſequi conſcientiam vincibiliter erroneam, quæ dictat ut bonum, quòd ſit verè malum, aùt tanquam non præceptum, vèl quid prohibitum, quod eſt verè præceptum*; nàm ſi dictet aliquid eſſe bonũ, & præceptum, licet tale non ſit, dummodo verè non ſit prohitum, aùt malum ſed bonum aut indifferens; licebit illam ſequi, imò aliquandò obligabit durante errore, ut v. g. ſi quis vincibiliter erroneè indicet, ſe teneri audire Miſſam in die feriali; imò obligatorium erit ſequi tale dictamen, per accidens, & ex ſuppoſitione quod non deponat ſuum errorem; nàm alias ſe exponet periculo peccandi, & frangendi legem, àc proinde peccaret. Et fortaſsè in hoc ſenſu loquuntur aſſerentes, conſcientiam vincibiliter erroneam obligare ad ſui ſequelam.

21 Tertia denique pars, ſcil. conſcientiam erroneam vincibilem obligare, ad ſui depoſitionem. Prob.: ad illud directè obligatur habens conſcientiam erroneam vincibilem, quo omiſſo ipſe ſe exponit periculo, & incurrit neceſsitatem peccandi, ſeque redendi perplexum; ſed habens conſcientiam erroneam vincibilem, niſi illam deponat in aliquo tempore, vèl inſtanti, in quo urget præceptum exiſtimatum, ſe exponit periculo, & incurrit neceſsitatem peccandi, ſe que redendi perplexum; nàm permanente illo dictamine erroneo peccabit, ſi operetur contra illud, àc etiàm peccabit, ſi ſequatur illud, prout ſuprà manet oſtenſum, & explicatum: ergo directè obligatur ad deponendum talem conſcientiam, ulterius examinando, vèl inquirendo circa illam, qua depoſita ceſſabit omnis abſurditas neceſsitatis, & perplexitatis, quæ eſt tantum per accidens, conditionata, & ex ſuppoſitione libera, qua quis culpabilitèr vult manere in tali conſcientia.

22 Argues 1. contra 2. part.: Apoſt. in epiſt. ad Galat. cap. 5. ait: *teſtificor omni homini circumcidenti ſe, quia debitor ſit univerſæ legis faciendæ*; ſed

tunc

tunc erat ignorantia vincibilis de obligatione circumciſionis, quæ tamen poſitivè obligabat, ut patet per illa verba : *debitor eſt* : ergo nedùm licitum, ſed etiam obligatorium eſt ſequi conſcientiam erroneam vincibilem. Reſp. neg. min. quoad 2. part. ; quia Apoſt. per illa verba ſolùm intendit, conſcientiam vincibilem obligare negativè, nè contra eam operemur quandiù non vincitur, non verò obligare poſitivè ut eam ſequamur; ſicut dùm ait Apoſt., quod *omne, quod non eſt ex fidè* (ſeù conſcientia) *peccatum eſt*; iuxta Gloſſam eſt idem, ac contra conſcientiam.

23 Argues 2: ex Mag. Ferre : ideo error ex ignorantia invincibili obligat ad ſui ſequælam, quia proponit obiectum tanquam de lege Dei, & ut præceptum obligans hic, & nunc ad eius ſequælam; ſed error ex ignorantia vincibili eodem prorſùs modo proponit ſuum obiectum tanquàm de lege Dei, & ut hic, & nùnc obligans ſub peccato ad eius executionem : ergo eodem modo obligat, àc error ex ignorantia invincibili. Conf.: conſcientia eſt lex, aut iudex, vèl regula, quam voluntas tenetur ſequi: ergo quamvis ſit erronea, ſivè invincibilis, ſivè vincibilis, obligat voluntatem ad illius ſequælam poſitivam.

24 Ad arg. diſt. mai.: ideò error ex ignorantia invincibili obligat poſitivè ad ſui ſequælam, quia obiectum tamquàm de lege Dei proponit prudentèr, & ut practicè rectus, verus, àc conformis legi Divinæ, conc. mai.: quia imprudentèr, & ut practicè erroneus, falſus, & diſcordans à lege Dei, neg. mai., & min. abſolutè ; quia iudicium erroneum ex ignorantia vincibili eſt imprudens, utpotè ſine debito examine, & nedùm, ſpeculativè, ſed etiam practicè eſt falſum, & diſcordans à lege Dei. Ad conf. diſt. antec.: conſcientia vera, ſeù recta ſaltèm practicè, eſt lex, vèl iudex, aut regula, quā tenemur ſequi, con. antec.; conſcientia falſa, ſeù erronea nedùm ſpeculativè, ſed etiam practicè, eſt lex &c., neg. antec., & conſeq.

25 Argues 3: voluntas tendens in obiectum vere bonum, & exiſtimativè, ſeù erroneè adhuc vincibilitèr malum, eſt mala : ergo etiàm tendens in obiectum verè malum, & exiſtimativè, ſeu erroneè adhuc vincibilitèr bonum, erit bona ; atque adeò erit licitum ſequi ipſam. Prob. conſeq.: ideo antec. eſt verum, quia voluntas non fertur, nèc ſpecificatur moralitèr ab obiecto ſecundum ſe phyſicè à parte rei, ſed ut proponitur à ratione: er-

ergo ſi dum fertur in obiectum bonum putatum malum eſt mala, etiam dum fertur in malum putatum bonum erit bona. Reſp. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia bonum eſt ex integra cauſa, malum autem ex quocumque defectu & magnus defectus eſt operari imprudenter ex conſcientia vincibiliter erronea, quam cum poſſet homo, & deberet deponere, non deponit.

26 Argues 4 ſi conſcientia vincibiliter erronea obligaret negativè, nè contra eam operemur, non autem poſitivè ut eam ſequamur, homo laborans tali conſcientia maneret perplexus, ſivè obligatus ad duo contradictoria, & neceſſitatus ad peccandum erga quodvis extremum quod eligat; ſed hoc eſt abſurdum: ergo. Prob. mai.: ſi conſcientia erronea dictat, eſſe mentiendum ſub præcepto ad defendendum proximum, peccaret operando contra illam non mentiendo; ſed aliunde peccaret ſequendo illam, ſeù mentiendo: ergo. Conf. 1: qui habet conſcientiam erroneam vincibilem tenetur non agere contra illam: ergo tenetur agere iuxta ipſam; ſiquidem, non datur medium inter talia extrema. Conf. 2: diſcordare à tali conſcientia eſt malum: ergo concordare cum ipſa erit bonũ.

27 Reſp. ad arg. diſt. mai.: homo laborans conſcientia erronea vincibili maneret perplexus &c. per accidens, ſecundum quid, & ex ſuppoſitione, ſeù conditione ſibi libera, & culpabili, videlicèt ex ignorantia, quam poſſet, & deberet deponere, conc. mai.; maneret perplexus &c. per ſe, ſimpliciter, & abſolutè, neg. mai., & applicata diſtinct. ad min., neg. conſeq.. Ad 1. conf. conceſ. mai., & min.; neg. conſeq.; quia licet reſpectu conſcientiæ invincibiliter erroneæ non detur medium inter *operari iuxta, & operari contra conſcientiam*, atque adeò eò ipſo quod quis obligetur non operari contra illam, tenetur operari iuxta ipſam; tamèn reſpectu conſcientiæ erroneæ vincibilis datur medium inter illa duo extrema, ſcilic. inquirire ad deponendam talem conſcientiam, & ad hoc tenemur ſemper, quotiès poteſt vinci, & deponi; nàm alias foret invincibilis. Ad 2. conf. ſimiliter conceſ. antec., neg. conſeq.; quia bonum in illo caſu eſt medium aſſignatum, ſcil. deponere errorem illum.

27 Quæres 1: quodnam ſit peccatum gravius, agere iuxta, an verò contra conſcientiam vincibilitèr erroneam? Reſp.: cæteris paribus, gravius peccatum eſt agere con-

tra-

tra, quam iuxta talem conſcientiam. Sic N. N. Sporer, & Holzman; Veranus, & alij. Prob.: cœteris paribus, gravius eſt peccatum ſcientiæ, & malitiæ, quàm peccatum ignorantiæ etiam culpabilis; ſed peccatum contraventionis cõſcientiæ vincibiliter erroneæ eſt ex ſciencia, & malitia; peccatum autem ſequelæ ipſius fit ex ignorantia, eſtò culpabili: ergo. Mai. conſtat; quià ignorantia (ſaltèm ſi non ſit affectata, & ex malitia ad liberiùs peccandum, ſed craſſa, & ex negligentia) minuit rationem voluntàrij, & malitiæ. Min. etiam patet; quia quod fit contra talem conſcientiam, fit cùm iudicio actualitèr dictãte, illud illicitè fieri; quod verò fit iuxta talem conſcientiã fit cum ignorantia, & errore iudicij actualitèr dictantis, illud licitè fieri; quamvis culpabilitèr aliunde ſit in illo errore.

28 Diximus: *cæteris paribus*; nàm ſi cœtera ſint imparia, ut ſi talis conſcientia dictet, neceſſarium, & obligatorium eſſe leve mendacium ad ſalvandam vitam proximi, qui à latrone invaditur, tunc gravius peccabit non mentiendo, ſeu operando contra conſcientiam, quia exiſtimat ſe reum homicidij, quàm operando iuxta illam, & ſe conſtituendo reum levis mẽdatij; & ſic in aliis caſibus non ſervantibus æqualitatem in omnibus. Cęterum quia in caſibus particularibus ratò, aùt nunquàm cætera ſunt paria; ideo N. Maſtriùs: & alij plurimi dicunt, non poſſe aſsignari regulam generalem in hoc puncto; ſed iudicandum eſſe iuxta diverſitatem rei faciendæ vèl omittendæ, & iuxta qualitatem obligationis ex conſcientia ortæ, ex oppoſitione ad maiorem, vèl minorem virtutem, ſaltèm iuxta exiſtimationem conſcientiæ: & ſic de aliis.

29 Dices cum N. Baſſolio ex Subt. Doct. in Report. in 2. d. 39. *ad* 4. *quæſtionem*: gravius peccat ille, qui tranſgreditur legem Superioris veram, & magis ſtrictam, quàm qui tranſgreditur legem inferioris apparentem, purè fabricatam, & minùs obligatoriam; ſed qui operatur ſecundum conſcienciam vincibiliter erroneam, tranſgreditur legem veram, & magis ſtrictam, à Superiore, nempe à Deo latam; & qui agit contra talem conſcientiam, unicè tranſgreditur legem apparentem, à conſcientia fabricatam, & minus obligatoriam, ut potè ab inferiore, ſcil. ab ipſa conſcientia impoſitam: ergo magis peccat, qui facit iuxta, quàm contra talem conſcientiam. Totus ſyllogiſmus ferè ad litteram eſt N. Sub. Mag.: ergo noſtra reſolut. eſt con-

contraria Doctori.

30 Reſp. cum Maſtrio conceſ. mai.; diſt. min.: qui operatur ſecundùm conſcientiam vincibiliter erroneam in materia determinata, nempè prohibita per legem Divinam, tranſgreditur, &c., conc. min. quoad 1. partem, & permit. quoad 2.; qui operatur ſecundùm conſcientiam erroneam abſolutè in omni materia, tranſgreditur &c., neg. min., & diſt. conſeq.: ergo cœteris imparibus, ſeù ſtante diverſa obligatione legis, aùt indeterminata materia, in qua conſcientia proponat legem contrariam legi Divinæ, magis peccat, qui facit iuxta, quam contrà talem conſcientiam; & in eo ſenſu, in quo loquitur Subt. Doct., conc. conſeq.; cœteris paribus, ſeù ſtante æquali, & uniformi obligatione legis ex parte utriuſque extremi, vèl abſolutè, & in omni materia; àc in ſenſu, in quo non loquitur Subt. Doct., neg. conſeq..

31 Alitèr etiàm reſp. diſt. mai.: graviùs peccat, qui tranſgreditur legem veram Superioris, cognitam, & intimatam ut talem; quàm qui tranſgreditur legem fabricatam ab inferiori, cognitam, & propoſitam ab ipſo prout ſic, conc. mai.; gravius peccat, qui tranſgreditur legem veram Superioris, ignoratam, ſeù non actù propoſitam prout talem; quam qui tranſgreditur legem fabricatam ab inferiori, & minus obligatoriam ex natura rei, attamèn exiſtimatam ut legem veram, & ut legem Superioris intimatam ab inferiori, veluti nuncio illius, & in eius nomine, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min., neg. conſeq.; quia ignorantia, quamvis culpabilis, legis veræ, & magis ſtrictæ, minuit voluntarium, & rationem malitiæ in eius tranſgreſſione; ſicut è contra ſcientia alterius legis in ſe fabricatæ, & verè minus obligatoriæ, tamèn propoſitæ ut veræ, & ſtrictè obligantis, auget voluntarium, & rationem malitiæ.

32 Quæres 2: quomodo ſit deponenda conſciētia erronea? Non loquimur de invincibili, quæ eò ipsò quòd ſit talis, nequit moraliter deponi; ſed tantum quærimur de vincibili, quæ poteſt, àc debet deponi. Reſp. igitùr: conſcientia erronea non eſt deponenda ad libitum, ſeu ex ſolo voluntatis imperio, ſed cùm ſufficienti fundamento, & motivo. Ita communiter Theologi. Prob.: conſcientia erronea debet rationabiliter, prudenter, & non temerè deponi: ergo non eſt deponenda præcisè ad nutum voluntatis, ſed cum motivo ſufficienti. Antec. patet; quia aliàs non minus peccaret, qui irra-

irrationabiliter imprudenter, & temerè deponeret talem conſcientiam, quàm ille, qui operaretur contra illam, nondùm facta diligentia ad ipſam deponendam; & ita temerè illam deponës ſe exponeret periculo peccandi, caſu quo talis conſcientia, quam deponit, eſſet vera, & recta. Conſeq. eſt legitima; quia eò ipſo quod quis ad nutum, & ſine ſufficienti fundamẽto deponeret talem conſcientiam, temere, irrationabiliter, & imprudenter deponeret ipſam.

33 Conf.: ſi aliquandò conſcientia erronea poſſet deponi ad nutum, & ſine ſufficienti fundamento, maximè quandò cognoſcitur, quòd fuit temerè formata; ſed non poteſt cognoſci ut talis, niſi accedat iudicium rectum, & ſufficiens motivum ad iudicandum, talem conſcientiam fuiſſe temerè formatam: ergo ad illam deponendam ſemper requiritur ſufficiens motivum. Hoc autèm poteſt facilè fieri, adhibendo debitam diligentiam, applicando intellectum ad attentius conſiderandum illud, in quo ſe falli ſuſpicatur, & diſcurrendo ex primis principijs practicis ad agnoſcendum ſuum errorem. Vèl inveſtigando, ſeù adhibendo conſilium virorum prudentum, & ſapientum, iuxta illud Proverb. cap. 13: *qui agunt omnia cùm conſilio, regũntur ſapientia.* Et Eccleſiaſtici cap. 32. *Fili: ſine conſilio nihil agas, & poſt factum non pœnitebis.*

34 Quæres 3.: quando ſit deponenda conſcientia erronea? Pro reſolut. oportet obſervare, duplicem eſſe conſcientiam erroneam ex ignorantia vincibili. Una eſt de præcepto negativo, quod obligat ad ſemper, & pro ſemper; & ut præceptum *non occides*, aut *non furaberis*, quorũ quodlibet obligat ita, ut pro nullo tempore ſit licitum *occidere*, aùt *furari*. Altera eſt de præcepto affirmativo, quod obligat ad ſemper, ſed non pro ſemper, ſcilicèt ad nunquam eliciendum actum contrarium, & ad eliciendum actum præcepti in determinato tempore; ut præceptum diligendi Deum ſuper omnia obligat ita, ut pro nullo tempore odium Dei ſit licitum, & amor Dei ſit neceſſario eliciendus pro tempore determinato. Quo ſuppoſito.

35 Reſp. ad quæſitum: conſcientia erronea de præcepto negativo eſt deponenda ſtatim ſine mora; illa verò, quæ eſt de præcepto affirmativo eſt deponenda ſaltèm pro tempore inducente impletionem talis præcepti. Ita Subt. in Report. in 2. d. 39. *ad* 3. *quæſtionem*. Prob. 1. pars: ſtante conſcien-

cientia erronea proponente v. g. homicidium licitum, & præceptum; ſi iſtud committitur, violatur lex Dei prohibens homicidium; ſi autèm omittatur, recedituir à regula obligante ſecundum rationem erroneam: ergo habens talem conſcientiam eſt in periculo ſtatim peccandi, quocumque ſe vertat; àc proinde tenetur illam deponere ſtatim ſine mora. Prob. 2. pars: habens conſcientiam erroneam de præcepto affirmativo poteſt per aliquod tempus ſtare ſine peccato, quocumquè ſe vertat, & quamcumq̃ partem eligat: ergo non tenetur ſtatim ipſam deponere, ſed pro tempore obligationis præcepti. Antec. cum conſeq. patet; quia præceptum affirmativum habet determinatum tempus adimpletionis, atque adeò habens conſcientiam erroneam dictantem, quod illud non obliget, ſive illud adimpleat ante determinatum tempus, ſivè non adimpleat, eius ommiſsio non eſt culpabilis; at adveniente tempore obligationis, ſi tùnc omittitur iuxta conſcientiam erroneam, violatur lex Dei, obligans ad illius impletionem.

QUÆSTIO IV.

Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa & quomodò ſe gerere debeat laborans ipſa?

1 PRO ſolutione 1. quæſiti in titulo quæſt. dicimus, quòd ſcrupulus, à quo dicitur conſcientia ſcrupuloſa, eſt diminutivum à *ſcrupus*, qui eſt lapillus in calceo, non tam pedem vulnerans, quam affligens, & vexans: unde ſcrupulus ab aliquibus dicitur: *ſuſpicio orta ex lebibus fundamentis*; ab aliis: *anxietas, & titubatio mentis ex levibus, & incertis coniecturis*; vèl: *inani ratione nixa aprehẽſio, indeque natus timor, & anxietas mẽtis de eo, quòd alicubi peccatum ſit, ubi reverà non eſt*; & ſic variè deſcribitur à variis, qui coincidunt in idem. Unde conſcientia ſcrupuloſa ſic poteſt deſcribi: *eſt quædam aprehenſio; vèl iudicium imperfectum, ortum ex leviſsimis frivolis, & inanibus motivis, de malitia alicuius rei alioqui bonæ.* Dicitur *aprehenſio, vel iudicium*; quia ſæpè ſiſtit in ſimplici aprehenſione, aliquando verò iudicat poſitivè. Dicitur *imperfectum*; quia licet inclinet in unam partem, per quod differt à conſcientia dubia, quæ manet anceps, & ſuſpenſa; tamèn incli-

inclinat abſque firma adhæſione malitiæ, imò ſæpè ſtat cum iudicio firmiori de bonitate rei; & ideò vocatur quædam ſuſpicio, quę eſt opinio mali ex levibus ſignis; & per hoc diſtinguntur etiàm à conſcientia erronea, quæ perfectè iudicat, & firmitèr inclinat in unam partē. Dicitur *ortum ex leviſſimis frivolis & inanibus motivis*; nàm ſi habeat rationabilia fundamenta, potius erit conſcientia timorata, quàm ſcrupuloſa, quæ ſunt valde diverſæ, & malè ſolent confundi; & per hoc differt ulterius à conſcientia erronea, quę nititur motivis, licet in ſe falſis, tamèn apparentibus ut veris, & gravibus; àc etiam differt, à conſciētia probabili, quæ rationabilibus nititur motivis. Denique dicitur: *de malitia rei alioqui bonæ*; quia regularitèr non accipitur pro præſumptione, aut indicio, quo res mala præſumitur bona, ſed è converſo; quo res bona præſumitur mala; & per hoc differt à conſcientia ſimplicitèr recta.

2 Ad 2. quæſitum dicimus: ſempèr eſt licitum, & plerumque conſultum, àc quandoque obligatorium agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, cognitam ut talem, etiàm nondum abiectam; conſuetiùs tamèn eſt deponere, àc abijcere illam. Prima pars, ſcil. licitum ſempèr eſſe agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, eſt communis ſententia. Prob.: conſcientia ſcrupuloſa, ſeu ſcrupulus eſt ſuſpicio, aprehenſio, anxietas, titubatio, & ad ſumum iudicium imperfectum, ex leviſsimis rationibus, àc imprudens dictamen, & veluti opinio improbabilis; ſed his omnibus reſiſtitur licitè, & prudentèr: ergo. Conſ.: quoties adeſt iudicium determinatum, & prudentiale circa honeſtatem alicuius actionis, poteſt voluntas ſe conformare ipſi, reſiſtere, ſeù agere contra levem ſuſpicionem partis oppoſitæ; ſed cum conſcientia ſcrupuloſa, levitèr ſuſpicante, quòd potus aquę frangat ieiunium eccleſiaſticum, poteſt ſtare iudicium determinatum, & prudentiale de oppoſito, ſcil. quòd non frāgat; ergo licitum eſt ſequi illud dictamen prudentiale oppoſitum conſcientię ſcrupuloſæ, adhùc trepidanti, aùt remordenti.

3 Advertend. eſt tamèn illud, quod manet expreſſum in aſſertione, ſcil. quòd ut licitum ſit agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, debet ipſa cognoſci ut talis; quia tunc intervenit iudicium prudens de honeſtate oppoſiti, & ſcrupuloſus cognoſcit ſuum timorem niti levibus, àc frivolis motivis, àc proinde poſſe licitè reſiſte-

ſiſtere tali iudicio, & ſequi oppoſitum ; nàm ſi ſcrupuloſus format iudicium determinatum de malitia actionis, vèl practicè de illa dubitet, tùnc non laborat conſcientia propriè ſcrupuloſa, ſed potiùs erronea, vèl dubia, contra quam non licet agere, ſed debet deponi, & tunc agere quod certum apparuerit. Attamèn illa cognitio conſcientiæ ut ſcrupuloſæ non debet neceſſariò eſſe actualis, & formalis, ſed ſufficit habitualis, vel virtualis, fundata in experientia actuum præteritorum ſimilium. Nec eſt neceſſum, quod talis cognitio fundetur in aliqua ratione intrinſeca, ſed ſufficit quod fundetur in extrinſeca, nempè quod Confeſſarius, vel Vir probus aſſerat, illum laborare conſcientia ſcrupuloſa.

4 Secunda pars aſſert. videlicèt eſſe plerumque conſultum, agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, eſt etiàm communis ſententia. Prob.: illud eſt de conſilio, quod eſt melius, quàm eius oppoſitum ; ſed agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, plerumquè eſt melius ſuo oppoſito: ergo. Prob. min.: tùm quia ſequendo ſcrupulos, plerumque præteritur inutiliter tempus, quod poſſet impendi ad ſalutem animæ, ſi reſtitueretur ipſi ; tum, quia vix datur efficatius remedium ad abijciendos ſcrupulos, quàm agere contra illos : ergo melius eſt agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, quàm ſequi ipſam. Conf.: Patres ſpirituales, & Doctores ſæpè conſulunt agere contra ſcrupulos: ergo conſultum eſt agere contra illos.

5 Tertia pars, nempè obligatorium aliquando eſſe, agere contra conſcientiã ſcrupuloſam, docetur à N.N. Holmann, & Dupaſquier, quin aliquis Doctorum audiatur contradicens tali ſententiæ. Prob: conſcienria ſcrupuloſa non ſolùm turbat veram animi pacem, lætitiamque ſpiritualem impedit, ſed etiàm valetudinem corporis quandoque in varias infirmitates adducit; imò & ſcrupuloſum expon t periculo deſperationis, blasfemiæ, infidelitatis, & aliorum peccatorum : ergo quandoque obligatorium eſt agere contra illam, ut vitentur illa mala. Quarta denique pars, ſcil. conſultiùs eſſe, abijcere conſcientiam ſcrupuloſam, eſt communis ſententia. Prob.: depoſita, & abiecta conſcientia ſcrupuloſa, operatur homo ſine illa perturbatione, quam affert talis conſcientia, & precabetur periculum incurrendi in illius damna : ergo ſempèr eſt melius, & tutius deponere, & abijcere illam. Quare P. P., & D.D. aſsignant regulas, & re-

me-

media, quibus poſsit deponi, & curari velut infirmitas ſpiritualis.

6 Argues 1. authoritate: Proverb. cap. 28. dicitur: *beatus homo, qui ſemper eſt pavidus.* Et Eccleſiaſtici cap. 5: *de propitiato peccato noli eſſe ſine metu*: ergo pavor, metus, vel ſcrupulus ſemper eſt bonus, & conſequenter non licet agere contra ipſum. Deinde in jure canon. cap. *Inquiſitioni* de ſententia excomunic. habetur, coniugem habentem ſcrupulum circa valorem matrimonij non poſſe pefere debitum, quin prius deponat conſcientiam levem, ſcrupulum: ergo quia non licet agere contra ipſum. Item, axioma Canoniſtarum, & Theologorum eſt, quod *in dubijs tutior pars eſt eligenda*; ſed qui angitur ſcrupulis eſt dubius de honeſtate actionis: ergo non licet ei agere contra conſcientiam ſcrupuloſam, ſed tenetur ſequi ipſam, utpote dictantem partem magis tutam. Præterea, D. Greg. ad Auguſt. Anglorum epiſcopum ita ſcribit: bonarum mentium eſt ibi timere culpam, ubi culpa non eſt: ergo.

7 Ad illud ex Prov. & Eccleſ. reſp.; quod non ibi agitur de conſcientia propriè ſcrupuloſa inducēte ad puſilanimitatem, ſed de timorata, rationabili, & prudenti, quæ movet vigilantiam ad peccata cavenda, & præcepta ſervanda. Quare conceſ. antec., diſt. conſeq.: pavor, & metus rationabilis, prudens, & proprius conſcientiæ verè timoratæ, & diſtinctæ à ſcrupuloſa, ſemper eſt bonus, & non licet agere contra ipſum, conc. conſeq.; pavor, & metus inanis, nimius, & imprudens, qui eſt propriè ſcrupulus, neg. conſeq.. Ad aliud ex iure can. explic. textum: coniugem habentem ſcrupulum largè ſumptum, id eſt; dubium, vel remorſum prudenter, & rationabiliter fundatum, non poſſe &c, conc. hunc eſſe ſenſum; habentem ſcrupulum propriè acceptum prout hic de illo loquimur., neg. hunc eſſe ſenſum illius textus. Ad illud axioma dicimus, illud eſſe intelligendum de dubio propriè dicto, pro quo obſervandæ ſunt regulæ aſsignandæ in quæſt. ſeq.; non verò de ſcrupulo propriè accepto, importante inanem ſuſpicionem ortam ex levibus cauſis. Ad utimum ex D. Greg. reſp., loqui de conſcientia verè timorata, non, autem de verè ſcrupuloſa.

8 Arg. 2. à ratione: tùm, quia conſcientia ſcrupuloſa importat iudicium, ſaltem imperfectum, quo iudicat, ali-

quid eſſe malum : ergo non poteſt ſtare ſimùl aliud iudicium oppoſitum, vi cuius licitè operetur contra iudicium ſcrupuloſum; ſiquidem duo iudicia contraria nequeunt eſſe ſimùl in eodem intellectu. Tum, quia ut quis licitè operetur, requiritur iudicium ſaltem probabile de honeſtate operationis; ſed perſeverante ſcrupulo non ſtat tale iudicium : ergo. Tum, quia illud faciendum eſt nunc, quod in hora mortis fieret; ſed in illa non auderet aliquis contra ſcrupulum operari, cum illo non confeſſo decedere, & coram juſtiſsimo Iudice comparere : ergo & nunc non debet quis contra conſcientiam ſcrupulosam operari.

9 Reſp. ad 1. permiſ. antec. (quod poterat negari, quia conſcientia ſcrupuloſa ſæpiſsimè non eſt niſi inanis aprehenſio, levis ſuſpicio, formido, anxietas &c.) neg. conſeq.; quia cùm iudicio levi, inani, & imperfecto poteſt ſtare determinatum iudicium contrarium, ſicut qualitas intenta v. g. calor poteſt ſtare cum contraria qualitate remiſſa; & maximè cum illa iudicia ſint ex diverſis motivis. Ad 2. conceſ. mai., neg. min.; nàm ſi ſcrupulus, quamvis urgens, excluderet aſſenſum determinatum oppoſitum, tùnc non eſſet ſcrupulus, ſed verum dubium, vèl ſtrictus error. Ad 3. conceſ. mai., neg. min.; quia etiam in articulo mortis, & tunc maximè, licet, & expedit contra ſcrupulos operari, & illos contemnere, cum ſint periculo pleni, quos Iudex iuſtus non iudicabit, & tunc præſertim dicendum eſt puſillanimis, *confortamini, & nolite timere*, iuxta illud Iſaiæ cap. 35.; & reſiſtite, ac pugnate fortes in fide.

QUÆSTIO V.

An cum conſcientia dubia poſſimus rectè operari?

1 ADvertendum eſt primò, quòd conſcientia dubia eſt, quæ neutri parti præſtat aſſenſum determinatum, nèc magis inclinat in unam, quàm in alteram partem, ſed manet ſuſpenſa, anceps, & quaſi in æquilibrio inter utramque; unde non eſt propriè, & formaliter conſcientia, ſed potiùs ſuſpenſio, & privatio conſcientiæ, ſeù iudicij circa quodlibet ex extremis; ſed tamen dicitur, & eſt virtualiter conſcientia; quia licèt formaliter, & expreſsè nullum includat actum, vèl iudicium, tamèn virtualiter, & quaſi moraliter includit illud,

lud, quatenùs dubitans de aliqua re cenſetur iudicare illam incertam; atque adeò cenſetur hæreticus, vel infidelis ille, qui dubitat de rebus fidei, quia eò ipſo cenſetur iudicare illas eſſe incertas. Ad conceptum autèm eſſentialem dubij requiritur primò cogitatio de utraque parte contradictionis; nàm alias non eſſet dubium, ſed inadvertencia, vèl inconſideratio. Requiritur ſecundo ſuſpenſio iudicij circa utramque partem; nàm ſi intellectus ſe determinet, vèl inclinet ad alterum, tolitur æquilibrium, & non erit dubium, ſed opinio, ſuſpicio, error, vèl certitudo. Requiritur tertiò, quòd ſuſpenſio iudicij proveniat ex defectu motivi determinantis, vèl inclinantis ad aſſenſum, vèl diſſenſum; nàm ſi proveniat ex diſtractione intellectus ocupati erga alia obiecta, vèl ex alia ſimili cauſa, non erit propriè dubium.

2 Advert. eſt 2. varias eſſe diviſiones dubij, ac proinde conſcientiæ dubiæ, quæ ab illo ſùmit appellationem. Primò dividitur in *poſitivum*, & *negativum*. Poſitivum eſt ſuſpenſio iudicij proveniens ex æqualitate motivorum pari pondere inclinantium in utramque partem contradictionis. Negativum in mortalibus eſt ſuſpenſio iudicij proveniens, non ex defectu omnis motivi ad aſſenſum, vel diſſenſum cuiuſlibet partis (nàm hoc non meretur nomen dubij, ſed neſcientiæ, aut ignorantiæ) ſed ex defectu motivorum ſufficienter inclinantium ad aſſenſum, vèl diſenſum alicuius partis. Secundò dividitur in dubium *juris*, & dubium *facti*. Dubium juris eſt, quando dubitatur de lege, aut præcepto, ſeu obligatione illius, vèl de valore, aùt licentia actus, v. g. an ſit lex, vel præceptum in poſitum Monialibus ad recitandum Divinum Officium? An ad illud recitandum obligetur Subdiaconus recens ordinatus? An in foro interno valeat teſtamentum ſine debita ſolemnitate conditum? An itinerantibus ſit licita ſecunda refectio? Dubium facti eſt quando quis certus de lege, & eius obligatione, dubitat: an ſatisfecerit?

3 Rursùs dividitur dubium in *ſpeculativum*, & *practicum*. Speculativum eſt, quo dubitatur de veritate obiecti, non verò immediatè, & directè, de praxi quamvis aliàs ex tali dubio poſſint poſtmodum oriri dubia practica: v. g. an adſit obligatio confitendi circunſtantias notabiliter aggravantes? An talis

dies ſit ieiunij? &c. Dubiū practicum eſt, quo dubitatur de bonitate, vèl malitia operationis, ſeù in quo immediatè, & directè quæritur de praxi, aut operatione. Dubium practicum ſubdividitur in *generale*, & *particulare* ſeù in *ſpeculative practicum*, & *practicè practicum*. Dubium generale, ſeù ſpeculativè practicū (quod communiter appellatur ſpeculativum, eò quia non eſt perfectè practicum) eſt quod verſatur circa operationem ſecundum ſe, & in genere, abſtrahendo à circunſtantijs, quibus in particulari, ſit licita, vèl illicita hìc, & nunc, v. g. dubitare, an univerſaliter liceat in die feſto itinerare, vèl pingere? An ſit prohibitum comedere laticinia in quolibet die ieiunij? &c. Dubium practicum particulare, ſeù practicè practicum (quod ut potè perfectè tale, ſolet dici practicum abſolutè) eſt quòd verſatur circa operationem prout in particulari affectum omnibus circunſtantijs, quibus hic, & nunc exercenda venit, v. g. àn in tali die feſto, ad talem negotium, cùm tali neceſsitate, vèl urgenti motivo liceat mihi itinerari? An in hoc die ieiunij, in hac ocaſsione, vèl cùm tali cauſa liceat comedere laticinia &c. His notatis, ſit.

4 Concluſ. 1: illicitum eſt operari cum conſcientia practicè dubia. Eſt communis, & traditur à Sub. Doct. in quęſt. 1. Prologi in fine. Prob. primò ex ipſo: qui agit cùm conſcientia practicè dubia, operatur temerè, & ſe exponit periculo peccandi, ſiquidèm dubitat de malitia operationis in talibus circunſtantijs: ergo peccat iuxta illud Eccleſ. cap. 3. *qui amat periculum, peribit in illo*. Conf.: iuxta Apoſt. ad Rom. cap. 3. *omne quod non eſt ex fide* (ſeù conſcientia) *peccatum eſt*; ſed operans cum conſcientia practicè dubia non agit ex fide, conſcientiæ: ergo. Prob. min.: practicè dubitans eſſe peccatum illud, quod agit, ſtante tali dubio non credit illud eſſe licitum; nàm ſi crederet, iàm non practicè dubitaret: ergo. Prob. 2. concluſ.: operans cùm conſcientia practicè dubia vult, ſaltèm virtualitèr, & interpretativè malitiam operationis, ſeù operationem malam; ſed talis voluntarietas ſufficit ad peccatum, ut patet ex dictis in tract. *de Actibus humanis*: ergo. Prob. mai.: operans cum conſcientia practicè dubia vult abſolutè rem, & operationem, ſivè ea ſit bona, ſivè mala; vèl ita ſegerit ut oſtendat, ſe eſſe paratum ad idem agendū quamvis

vis ſciret, illud eſſe malum; cùm eligat illud ſub tali dubio; ſed hoc eſt, ſaltèm virtualitèr, & interpretativè, velle malum: ergo.

5 Prob. 3: ideo actus eſt malus, quia non eſt conformis rectæ rationi; ſed operans cum conſcientia practicè dubia operatur ſine tali conformitate: ergo peccat. Mai. patet. ex tract. *de Actibus Humanis*. Prob. min.: recta ratio illius non dictat, talem actionem eſſe honeſtatem; quia tùnc iàm haberet conſcientiam rectam, & non dubiam: ergo. Ex quibus colligitur, quòd operans cùm conſcientia practicè dubia peccat mortaliter, vèl virtualitèr, & in illa ſpecie, in qua dubitet, & iuxta qualitatem dubij. Ratio eſt; quia operans cum tali dubio ſe exponit periculo tranſgrediendi formaliter illud præceptum, & contraveniendi illi virtuti, de quibus dubitat; ac proindè contrahit malitiam eiuſdem tranſgreſsionis gravis, vèl levis, & in tali, vèl quali ſpecie, iuxta qualitatem, & ſpeciem dubij.

6 Dices 1.: non peccat ille, qui elicit operationem minus probabiliter licitam: ergo nec etiàm ille, qui elicit operationem dubiè licitam, ſequendo conſcientiam practicè dubiam. Prob. conſeq.: operatio minùs probabilitèr licita apparet magis illicita, quàm licita; operatio verò dubiè licita apparet ad ſummum æqualitèr illicita: ergo ſi liceret elicere illam, multo meliùs iſtam. Reſp. conceſ. antec. in ſenſu poſteà explicando, neg. conſeq.; ad cuius probat. diſt. antec.: operatio minùs probabilitèr licita apparet vi iudicij directi magis illicita ſpeculativè, & materialiter; operatio verò dubiè licita apparet æqualitèr practicè, & formalitèr illicita, conc. antec.; operatio minùs probabilitèr licita apparet vi iudicij reflexi magis practicè, & formalitèr illicita; operatio verò dubiè licita apparet æqualitèr tantùm ſpeculativè, & materialiter illicita, neg. antec., & conſeq.. Solutio declarabitur in conciuſ. ſequenti, & dùm loquamur de conſcientia probabili.

7 Dices 2.: non eſt peccatum, quin ſit voluntarium; ſed qui agit cum dubio, adhùc practico, non vult peccatum: ergo non peccat quamvis agat cum tali dubio. Prob. min.: *nihil volitum, quin præcognitum*; ſed operans cùm conſcientia practicè dubia non cognoſcit, actionem eſſe malam, & peccaminoſam; ſed manet anceps, & ſuſpenſus erga eius maliciam: ergo. Conf.: qui agit cum tali dubio,

bio, non operatur contra conſcientiam: ergo non peccat; cùm non careat rectitudine debita, nèc operetur contra regulam proximam. Prob. antec. ille non agit contra iudicium practicum dictans malitiam operationis; ſiquidem non præceſsit tale iudicium, quin potiùs ſuſpenſio illius: ergo. Ad urg. diſt. mai.: non eſt peccatum, quin ſit voluntarium, ſaltèm indirectè, virtualitèr, aùt interpretativè, conc. mai.; quin ſit voluntarium præcisè directè, expreſsè, & formalitèr, neg. mai., & min. in hoc ſenſu; ad cuius probat. conceſ. mai., diſt. min.: operans cùm conſcientia practicè dubia non cognoſcit certò, actionem eſſe malam, conc. min.; non cognoſcit dubiè, & cognitione trahente poſt ſe iudicium Syndereſis dictans, illicitum eſſe, illum ſe exponere periculo peccandi, neg. min., & conſeq.. Ad confirm. diſt. antec.: agens cum tali dubio non agit contra conſcientiam expreſſam, & formalem, conc. ant.; implicitam, virtualem, & interpretativam, neg. antec, & conſeq..

8 Conclus. 2.: licitum eſt operari cum conſcientia ſpeculativè dubia, quando adhibita diligentia morali ad depoſitionem dubij non poteſt vinci, & aliunde formatur conſcientia, practicè certa de honeſtate operationis. Eſt etiam communis. Prob.: regula proxima noſtrarum operationum non eſt notitia ſpeculativa ſiſtens in cognitione veritatis obiecti, aùt bonitate operationis ſecundum ſe, & in genere, ſed noticia practica perpendens bonitatem, vèl malitiam operationis in particulari cum omnibus circunſtantijs, ſub quibus hic, & nùnc exercenda venit; ſed obiectum, & operatio, quæ ſecundum ſe, & in genere apparens ſpeculativè dubia, poſſunt ex aliqua occurrente circunſtantia reddi practicè certa, & eligibilia ut bona: ergo. Prob. min. primò: iudicium ſpeculativum pendet ex alio principio (nempè ex obiecto, aut operatione ſecundum ſe inſpectis), ac iudicium practicùm (ſcil. ex obiecto, vèl operatione, prout ſubſunt certis circunſtantijs, quæ variant obiectum, & operationem erga illud, in genere moris): ergo cum dubio ſpeculativo de honeſtatè, vèl malitia alicuius obiecti, & operationis, poteſt ſtare iudicium practicè certum de illorum bonitate.

9 Prob. ſecundò illa min. varijs exemplis: poteſt quis, bona fide poſſidens aliquam rem, dubitare poſtea, an ſit ſua, vèl aliena? Et tamen remanente dubio poſt adhibi-

hibitam moralem diligentiam ad illud vincendum, poteſt practicè ſe reſolvere ad licitam retentionem, fundatus in illa regula Iuris *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*. Item Clericus aliquantulum ægrotus dubitans ſpeculativè de obligatione ipſius ad Divinum officium recitandum, accedente conſilio Medici, vèl confeſſarij eximentium ipſum ab obligatione, poteſt practicè iudicare, ſe licitè illud omittere. Prætereà Miles ſpeculativè dubitans de iuſtitia belli poteſt practicè certò iudicare, ſe in illo bello pugnare licite, eò quia eſt præceptum Principis, & in dubio ſtandum eſt iudicio Superioris: ergo. Conf.: qui prudenter, & certò practicè iudicat, ſe licitè operari, licite operatur; ſed pluriès contingit, ut ſpeculativè dubitans tamèn prudenter, maturè, & cum fundamento gravi iudicet certò practicè, ſe licitè operari, ut patet in relatis caſibus, & in alijs pluribus: ergo.

10 Diximus in conclus.: *quando adhibita morali diligentia ad depoſitionem dubij non poteſt vinci, & aliundè formatur conſcientia practicè certa de honeſtate operationis*. Hæc enim duo requiruntur ad hoc, ut aliquis licitè operetur cum dubio ſpeculativo, ita ut quoliber deficiente peccaret operans cùm tali dubio. Nam ſi defficiat primum, ſeù non ſit adhibita ſufficiens diligentia in inquiſitione veritatis, ad vincendum dubium ſpeculativum, agit temerè imprudenter, & cùm ignorantia vincibili, & culpabili, quæ inficit, & reddit peccaminoſam operationem dubitantis. Si deficiat ſecundum, id eſt conſcientia practicè certa de honeſtate operationis, quę eſt regula proximè directiva actionis humanæ, ageret cœcè, & imprudenter, atque adeò peccaret. Ad deponendum autèm dubium ſpeculativum, ſicut etiàm ad formandum dictamen practicè certum, in quod reſolvatur, vèl mutetur illud dubium, requiritur aliquod principium, fundamentum, vèl motivum, ex cuius influxu, & non ſolo voluntatis arbitrio, procedat reſolutio practica; nàm aliàs non eſſet prudens, rationabilis, vèl conformis rectæ rationi, àc proindè nec regula ſufficiens operationis rectæ.

11 Dices: impoſsibile eſt dubitare ſpeculativè, & non practicè de bonitate actus; ſed per nos ſemper eſt illicitum operari cum dubio practico de bonitate, vèl malitia illius: ergo etiam cùm dubio ſpeculativo. Prob. mai.:

omne iudicium practicum adducitur ex ſpeculativo, & continetur in eo tanquam univerſale in particulari; v. g. hoc iudicium particulare, & practicum: *in hoc die feſto teneor, audire ſacrum*: continetur in hoc univerſali, & ſpeculativo: *eſt obligatio audiendi ſacrum in die feſto*; ſed impoſſibile eſt, quod propoſitio univerſalis ſit dubia, & particularis certa: ergo impoſſibile eſt dubitare ſpeculativè, & non practicè. Reſp. neg. mai., & diſt. mai. probat.: iudicium practicum adducitur, & continetur remotè, & inadæquatè in ſpeculativo, conc. mai.; proximè, & adæquatè neg. mai.; quia iudicium practicum adducitur, non ex ſola ſpeculatione obiecti, vèl actus ſecundum ſe, ſed etiàm ex conſideratione omnium circunſtantiarum in particulari, quæ poſſunt variare iudicium, & obiectum, ac actum in eſſe moris; & diſt. min.: impoſſibile eſt, quod propoſitio univerſalis ſit dubia, & particularis adæquatè contenta in illa, ſeù reſpiciens idem prorſus obiectum, ac ex eodem principio, ſit certa, conc. min.; & quod, particularis inadæquatè contenta in univerſali, ſeù non reſpiciens idem omnino obiectum, nèc proveniens ex eodem principio, ſit certa, neg. min., & conſeq.

QUÆSTIO VI.

Quæ ſint, & quommodò debeant intelligi regulæ, quibus tenetur dubitans ſe conformare, nè peccet?

1 EX dictis patet, quòd conſcientia dubia, prout talis, non eſt regula directiva, nec rectificativa actionis humanæ; atque adeò omnis dubitans de bonitate, & malitia operationis, nè incurrat peccatum, tenetur formare ſibi conſcientiam practicè certam de honeſtate operationis; quamvis cùm hac differentia, quòd ſpeculativè dubitans poteſt illam formare ſimùl cùm tali dubio modo ſupràdicto; à practicè dubitans, non niſi deponendo tale dubium, poteſt formare, conſcientiam practicè certam. Ex dictis etiam conſtat, quod conſcientia nequit de dubia in certam mutari, nèc dubium prudentèr deponi pro nutu voluntatis, ſed pondere alicujus, motivi, ſeù fundamenti rationabilis, & ſufficientis ut prudentèr determinetur in unam partem. Sed quoniam pro ſecura reſolutione in dubijs ſolent aſsignari duæ præſertim regulæ, quæ diverſimodè ſo-

lent

ſolent intelligi, ideò oportet illas ſeorſim explanare in duplici ſect., quarum ſit.

SECTIO I.

Quomodò ſit intelligenda illa regula : *in dubijs tutior pars eſt eligenda*?

2 SUpponimùs primò, prędictam regulam deſumptam eſſe ex varijs locis Iuris Canonici, & ut axioma, vèl principium recipi communitèr; quarè ſolùm de eius intelligentia eſt difficultas præſens. Supp. 2, quòd ly *tutior* poteſt ſumi dupliciter. Primò *comparativè*, ſeù comparatione facta ad partem ſimplicitèr tutam, ſeu nullatenùs periculoſam; ita ut illa pars dicatur comparativè tutior, quæ nedùm eſt abſolutè tuta; ſed quæ eſt magis talis, quàm altera quæ eſt poſitivè tuta. Secundò *adverſativè*, ſeù per contrapoſitionem ad alteram partem non omninò tutam, ſeù aliquomodò periculoſam; adeò ut illa pars dicatur adverſativè tutior, quæ eſt tuta poſitivè, abſolutè, & omninò; illa verò dicitur minus tuta, quæ eſt aliquomodò periculoſa. Sed quia periculum (prout ad præſens attinet) poteſt eſſe duplex: unum materiale, & inculpabile, ſeù tranſgreſsionis materialis, & in eſſe rei; alterum autem formale, & culpabile, ſeù tranſgreſsionis formalis, & in eſſe moris; ideò pars adverſativè tutior poteſt adhuc dici dupliciter. Primò ſpeculativè, materialitèr, phyſicè, & in eſſe rei, ſeù in qua nullum timetur periculum tranſgreſsionis, nèc formalis, nec materialis; illa autèm dicitur minus tuta, in qua timetur quidem periculum tranſgreſsionis materialis præcisè. Secundò poteſt dici pars adverſativè tutior practicè, formalitèr, & in eſſe moris, ſeù in qua nullum timetur periculum peccati, ſivè tranſgreſsionis formalis; illa verò dicitur minùs tuta, in qua timetur periculum peccati, ſeù formalis tranſgreſsionis.

3 Supp. 3., partem adhùc comparativè tutiorem eſſe eligendam, ſaltèm de conſilio, ſeù ad melius operandum, non tamèn ex prędcepto, ſeù ad benè ſimpliciter agendum; quia non tenemur ex præcepto facere meliùs, ſed ſimplicitèr, & abſolutè bonum, tàm in certis, quàm in dubijs, ac proinde non tenemur eligere partem comparativè tutiorem, ſed tutam poſitivè, ſeù in qua nullus eſt timor periculi. Supp. 4., quòd in dubio practico de malitia unius tantùm partis contradictionis tenemur ex prę-

cep-

cepto abſolutè eligere partem adverſativè tutiorem; quià ex præcepto tenemur nos non injicere in periculum proximum peccati, ſeù formalis transgreſionis, àc non eligere partem minùs adverſativè practicè tutam, ſeù formaliter periculoſam; quod eveniret in tali dubio practico ſemel àc non eligeretur pars adverſativè tutior, ſeù in qua non timeretur periculum, ſivè peccatum. At in dubio practico de malitia utriuſque partis contradictionis, & urgente neceſsitate eligendi unam ex illis, tenemur eligere minus malam; quia tùnc casùs illa cenſetur tutior, vèl tuta, iuxta regulam deſumptam ex Iure: *ex duobus malis minus eſt eligendum*, nempè quando urget neceſsitas eligendi unum ex duobus, vèl non poſſunt vitari ambo. Supp. 5., quòd in dubio ſpeculativo vincibili, & ante adhibitam diligentiam ad eius depoſitionem, tenemur eligere partem omninò adverſativè tutiorem; quia aliàs temere, & imprudenter operamur, nos exponendo periculo peccati, & tranſgreſionis formalis per electionem partis minùs tutæ, ſeù periculoſæ practicè, & formaliter. Unde ſolum eſt difficultas de intelligentia prædictæ regulæ in dubio ſpeculativo invincibili, ſeù poſt factam debitam diligentiam ad eius depoſitionem; circa quod:

4 Dicimus 1.: in omni dubio, ſivè juris, ſivè facti, & in qualibet materia tenemur eligere partem adverſativè tutiorem practicè, formaliter, & in eſſe moris. Prob.: in omni dubio, & in qualibet materia tenemur formare, & ſequi conſcientiam practicè rectam, àc vitare periculum peccati, ſeù formalis tranſgreſionis; ſed eligens partem minus adverſativè tutam practicè, & formaliter, non ſequeretur conſcientiam practicè rectam, nec vitaret quin potiùs ſe injiceret periculo peccati, ſeù formalis tranſgreſionis: ergo ſemper tenemur eligere partem, adverſativè tutiorem practicè, & formaliter, ſeù in qua hic, & nùnc nullum timeatur periculum peccati, ſeù tranſgreſionis formalis. Conf.: Ius Can. præſcribit illam regulam tanquam univerſalem, & communem in omni materia; ſiquidem Pontifices decernentes, eligi debere partem tutiorē in aliqua materia particulari, reddunt illam regulam pro ratione, ſeù fundamento, aùt principio univerſali: ergo in omni dubio, & in qualibet materia debet tenere, obligare iuxta aliquem ſenſum, nempè ita ut obliget ad eligendam partem adverſativè tu-

tio-

tiorem, ſaltèm practicè, formaliter, & in eſſe moris.

5 Dicimus 2.: in quibuſdam dubijs, & in aliquibus materijs tenemur ſequi partem adverſativè tutiorem adhùc ſpeculativè, materialitèr, & in eſſe rei; nempè in dubio quoad valorem Sacramentorum; imò, & quoad valorem ſeù efficatiam cuiuſvis actus, cuius nullitatem non poteſt amoliri noſtra bona fides, vèl iudicium, quamvis aliundè prudens, nèc poteſt amovere periculum damni imminentis ex electione partis minus tutæ; atque etiàm dùm electio partis tutioris eſt expreſsè præcepta à Iure. Eſt etiam commune quoàd omnes partes. Prob. 1. pars primò: inter propoſitiones damnatas ab Innoc. XI. præſcribitur hæc: *non eſt illicitum in Sacramentis conferendis ſequi opinionèm probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore &c.*: ergo, & in dubio quoad valorem Sacramentorum non licet ſequi partem minùs tutàm etiam ſpeculativè, & in eſſe rei, ſed tenemur eligere tutiorem. Prob. ſecundò eadem pars ex Subt. Doct. in 4. d. 3. q. 2. dubitans, & eligens partem minus tutam in adminiſtratione Sacramentorum, ſe exponit periculo proximo, & formali nullitatis, & falſitatis ſaltèm materialis, àc etiàm privationis boni ſpiritualis proprij, vèl alieni; ſed hoc eſt illicitum; ut eſt manifeſtum: ergo.

6 Prob. 2. pars reſolut.: quoties non poteſt occurrere ſufficiens ratio mutandi, ſeù reducendi conſcientiam ſpeculativè dubiam inpracticè certam, ſeù rectam, non operamur prudenter, nèc licite; ſed eligendo partem minus tutam, adhùc ſpeculativè, materialitèr, & in eſſe rei, quando dubium eſt quoad valorem actus, cuius nullitatem nequit amoliri noſtra bona fides, nèc ita poteſt amovere periculum damni proprij, vèl alieni, in tali caſu non poteſt occurrere ratio ſufficiens reducendi conſcientiam ſpeculativè dubiam inpractice certam: ergo tùnc caſus tenemur eligere partem magis tutam. Prob. min. primò: talis ratio foret noſtra bona fides, aùt dictamen aliunde prudens validitatis actus, aùt amotionis periculi; ſed ſumus in caſu, in quo valor actus, aùt periculi amotio non pendet ex iudicio noſtro, quamvis aliunde prudenti, ſed ex natura rei: ergo in tali caſu nequit occurrere ratio ſufficiens reducendi iudicium ſpeculative dubium inpracticè certum. Prob. 2. eadem min.: prudentia dictat, eam actionem in

ta-

tali materia adhibendam eſſe, qua tollatur periculum, quod reipſa timetur futurum; ſed non adhibetur talis actio, nèc tollitur periculum, eligendo partem minus tutam à parte rei: ergo tunc nequit occurrere motivum prudens reſolvendi dubium ſpeculativum in dictamen practice certum.

7 Conf.: illicitum eſt operari quin deponatur dubium, vèl formido practica de malicia operationis, & formetur dictamen practicè certum de illius bonitate; ſed id fieri non poteſt eligendo partem minus tutam in eſſe rei, quando dubium eſt de valore actus, vèl illatione damni: ergo. Prob. min.: practica formido in illis caſibus oritur ex proximo periculo invalidandi tutum, vèl inferendi damnum; & certitudo practica ſtat in ſeveritate non exponendi ſuam operationem periculo nullitatis actus vèl illationis mali ſibi, vèl proximo; ſed eligens in illis caſibus partem minus tutam nequit deponere prædictam formidinem, nèc habere præfatam certitudinem, ut eſt manifeſtum, cum eligat partem expoſitam tali periculo: ergo. Sed hoc ulteriùs patebit ex dicendis de conſcientia probabili. Tertia denique pars noſtræ reſolut. Eſt manifeſta; quia ſi lex aliqua expreſsè præcipiat eligere partem tutiorem in aliqua materia, certum eſt, non teneri obedire legi, & ligere illam.

8 Dicimus 3.: non in omnibus dubijs, ſive juris, ſivè facti, nec in omnibus materijs tenemur eligere partem tutiorem, ſed pluriès poſſumus eligere minus tutam ſpeculativè, materialiter, & in eſſe rei. Eſt ſatis commune, maximè inter Noſtrates, contra alios diverſimodè opinantes. Prob. primò: non obſtante dubio, ſivè juris, ſive facti, tàm in materia juſtitiæ, quàm aliarum virtutuum, poteſt occurrere ratio ſufficiens, ob quam prudentèr formetur conſcientia practicè certa de honeſtate electionis partis minus tutæ ſpeculativè, materialiter, & in eſſe rei: ergo tùnc poſſumus licitè illam eligere, quin teneamur ſemper eligere tutiorem. Conſeq. patet; quia licet operari cum conſcientia ſpeculativè dubia, dummodò operemur ex conſcientia practicè certa, & prudentèr formata. Prob. antec.: non obſtante dubio ſpeculativo circa obligationem partis tutioris poteſt occurrere dubitanti certitudo poſſeſsionis habitæ bona fide ex parte ſui; ſed hæc eſt ratio ſufficiens ad formandam conſcientiam practicè certam de licita electione partis

mi-

minus tutæ ; ſiquidem fundatur in regula Iuris : *dubij melior eſt conditio poſſidentis* : quę tenet non tantùm in dubio facti , ſed etiam juris , & non ſolùm in materia iuſtitiæ , ſed & aliarum virtutum , ut poſtea probabimus : ergo.

9 Prob. 2: ideò teneremur ſemper eligere partem tutiorem , quia eligens partem minus tutam in eſſe rei , ſe exponeret periculo tranſgreſſionis , àc imprudenter , & temere ageret , atque adeo peccaret ; ſed unicè ſe exponeret periculo tranſgreſsionis materialis , & inculpabilis , non verò formalis , & peccaminoſæ, cùm operaretur ex dictamine conſcientiæ practicè certæ;nèc operaretur temerè , ſed prudenter ; & cùm fundamento gravi prædictæ regulæ , prout à graviſsimis A. A. explicatæ : ergo. Prob. 3: regula præſcribens in dubio electionem partis tutioris non eſt contraria , ſed conſona alteri dictanti , in dubio eſſe meliorem conditionem poſsidentis; cùm nequeat admiti contrarietas inter diſpoſitiones Iuris : ergo quando dubitans ſe reſolvit ad electionem partis minùs tutæ in eſſe rei , fundatus in regula poſſeſsionis,non operatur illicitè,nec ſe opponit alteri regulæ, ſed eligit partem tutiorem practicè , & formaliter vèl tutam abſolutè.

10 Dices : prædicta regula tenet alitèr , & potiùs, àc ſpecialiùs in dubijs , quàm in certis ; cùm precisè recitet de illis , & non de iſtis; ſed etiàm in certis tenemur ex conſilio eligere ſemper partem comparativè tutiorem; ſiquidem ſemper eſt melius eligere, quod eſt tutius : ergo in dubijs tenemur ex præcepto ſemper eligere partem adverſativè tutiorem , ſeù in qua nullus eſt timor periculi. Reſp. conceſsis prę̃miſsis diſt. conſeq.: in dubijs tenemur ſemper eligere partem ſtrictè adverſitativè tutiorem , nempè practicè , & formalitèr , ſeù in qua nullus eſt timor practicus periculi formalis , culpabilis, & peccaminoſi, conc. conſeq., iuxta dicta in prima aſſert.; in dubijs tenemur ſemper eligere partem latè adverſativè , & potiùs comparativè tutiorem, ſcil. ſpeculativè , & materialitèr , ſeù in qua nullus eſt timor ſpeculativus periculi materialis , & inculpabilis , neg. conſeq.; quia cùm in caſibus prædictis in ultima aſſert. pars in eſſe rei minùs tuta eligatur ex conſcientia practicè certa , & prudenter formata, tunc casùs eſt practicè tutior, vèl ſimplicitèr tuta ; quare ſi adhùc in tali caſu teneremur eligere partem tutiorem in

eſſe

eſſe rei, eſſet obligatio ex præcepto eligendi partem comparativè practicè tutiorem; ſeù non ſufficeret ad benè operandum eligere bonum ſimpliciter, ſed deberemus eligere melius comparativè. Sed hoc amplius conſtabit ex dicendis de conſcientia probabili.

SECTIO II.

In quibus materijs, & in qualibus dubijs teneat hæc regula: *melior eſt conditio poſſidentis?*

11 PRæſup. primò, quòd in 6. de Regulis juris habetur hæc regula, quæ eſt 65: *in pari delicto, vèl cauſa melior eſt conditio poſſidentis*: quę pro eadem accipitur, àc iſta: *in dubijs melior eſt conditio poſſidentis*; eò quia dubium eſt par cauſa pro utraq̃ parte. Præſup. 2.; quòd ad hoc ut teneat prædicta regula, ſeù faveat poſſeſsio, debent concurrere duo, ſcil. detentio rei apud dubitantem, & bona fides, nempè quæ habetur ſine dolo, & oritur ex aliquo titulo, vèl iure, v. g. hæreditatis, emptionis, aùt alio huiuſmodi, ſiquidem poſſeſsio communiter dicitur: *rei detentio juris adminiculo ſuffulta*; & in 6. de Regulis Iuris habetur hæc, quæ eſt 36: *pro poſſeſſore habetur, qui dolo deſijt poſſidere*. Unde poſſeſsio debet incipere bona fide fundata in aliquo titulo, vèl, jure, ex quo oriatur dictamen certum de proprietate, ſeù dominio rei poſſeſſæ; atque ipſa bona fides debet continuari, ita ut adveniente dubio de tali titulo, ſeù jure, àc proinde de proprietate rei, fiat ſufficiens diligentia ad inveſtigandam veritatem tituli, & depoſitionem dubij; nàm ſi poſſeſsio inceperit cum dubio, vèl adveniente ipſo non fiat ſufficiens inquiſitio ad illud vincendum, tunc caſus erit poſſeſſor mala fide, & cum dolo, àc illa non eſt legitima, nec vera poſſeſsio, ſed iniqua detentio. Quare difficultas eſt de vera, & legitima poſſeſſione: quandò, & quomodo faveat poſsidenti, ut licitè reſolvat dubium in ſui favorem?

12 Aſſerimus 1.: prædicta regula tenet in materia iuſtitiæ, ita ut poſſeſsio ſit ſufficiens ratio ad reſolvendum dubium ſpeculativum de proprietate rei detentæ in dictamen practicè certum de licita illius detentione. Eſt communis. Prob. primò: prædicta regula eſt propria Iuris, & poſſeſsio dicitur detentio rei jure aliquo ſuffulta; ſed jus eſt obiectum iuſtitiæ: ergo ſi illa regula tenet, maximè in materia iuſtitiæ. Conf.: ideò

eſt

eſt meliot conditio poſidentis, quia poſſeſsio per ſe ſpectat ad ſuitatem, ac de poſsidente bona fide præſumitur, ipſum tenere quod ſuum eſt; ſed tribuere unicuique ſuum pertinet per ſe primò ad iuſtitiam, quæ eſt conſtans, & perpetua voluntas dandi unicuique quod ſuum eſt, ſeù tribuendi jus ſuum unicuique: ergo prædicta regula tenet maximè in materia iuſtitiæ.

13 Prob. 2.: ille eſt melioris conditionis, qui ſimpliciter habet maius jus ad rem, de cuius dominio dubitatur; ſed in materia iuſtitiæ poſſeſſor habet ſimpliciter maius jus, quàm non poſſeſſor, inter quos dubitatur dominium: ergo. Prob. min.: ultrà jus dubium proprietatis æqualein utroque, habet poſſeſſor titulum, & jus certum poſſeſsionis: ergo ſimpliciter habet maius jus, ac proinde ſufficientem rationem reſolvendi dubium in dictamen practice certum de licita detentione rei, de cuius proprietate dubitatur, ſemel ac contra ipſum certò non probetur. Conf.: poſſeſsio habita bona fide, & continuata pertempus ſtatutum à lege, fundat *uſucapionem*, & *præſcriptionem*, quæ dat jus certum, & abſolutum dominium in rem aliunde alienam, ita ut deinceps non teneatur poſſeſſor reſtituere illam: ergo etiàm dat jus retinendi rem dubiam, quandiù non certò conſtet, eſſe alienam. Urg.: Ius civile in leg. 1. Cod. *de conditionibus incertis* ſtatuit, non eſſe quempiam cogendum reſtituere quod poſsidet, niſi conſtet illud eſſe alienum: ergo iuſtè, & licitè poteſt illud retinere in dubio.

14 Prob. 3.: iudicium in foro interno conſcientiæ rectè conformatur iudicio fori externi, quoties non conſtet, quòd ſit falſa præſumptio, cui iſtud inititur; ſed in foro externo poſſeſsio protegit poſſeſſorem, & eſt iuſtus titulus, ut quis præſumatur dominus rei poſſeſſæ, & manuteneatur in poſſeſsione illius: ergo forum internum rectè conformatur ipſi, dùm in dubio de proprietate rei poſſeſſæ iudicat certò practicè, ſe licitè illam retinere. Prob. 4. ſi dubitans non poſſet licitè retinere rem, quam poſsidet, vèl deberet illam reſtituere alteri, qui etiam in dubio contendit de jure proprietatis; vèl foret dividenda inter utrumque; vèl eſſet deſſerenda ab utroque, & danda pauperibus; ſed poſsidens non tenetur illam reſtituere alteri, quia cùm iſte ſit etiàm in dubio, non poſſet illam retinere, ſed debet eam iterum reſtituere poſſeſſori, & ſic ibimus in circu-

lum

ſum vitioſum ; nèc debet dividi inter utrumque, nàm tùnc nullatenùs eſſet melior conditio poſſidentis, nèc eſſet iuſtus titulus poſſeſsionis ; nèc denique debet deſſeri ab utroque, quia nullus, maximè poſſeſſor, tenetur cedere ſuo juri, nèc adeſt lex præcipiens talem elargitionem : ergo in dubio poteſt licitè retineri a poſſeſſore.

15 Obijc. 1: in Iure Can. ſtatuitur, quod in dubio tutior pars eſt eligenda; ſed tutius eſt reſtituere, quàm retinere ; cùm in retentione poſsit eſſe tranſgreſsio legis, non verò in reſtitutione : ergo dubitans tenetur reſtituere, quin illi faveat conditio poſidentis, adhùc in materia iuſtitiæ. Conf.: qui ſe exponit periculo retinendi rem non ſuam, peccat contra iuſtitiam; ſed poſſeſſor retinens rem dubiè ſuam, ſe exponit periculo retinendi rem alienam : ergo nequit licitè retinere illam. Ad arg. diſt. mai.: in dubio eſt eligenda pars adverſativè tutior practicè, & formaliter conc. mai.: tutior comparativè, vèl etiàm adverſativè materialiter, & in eſſe rei, ſubdiſt.: quando non adeſt ſufficiens ratio, vi cujus dubium ſpeculativum reſolvatur in dictamen practice certũ de licita electione partis minus tutæ in eſſe rei, & hæc reddatur tutior adverſativè practicè, vèl ruta formaliter, conc. mai. ; quandò adeſt talis ratio, & formatur tale iudicium practicè certum, neg. mai.; & ſimiliter diſt. min.: tutius materialiter eſt reſtituere, quàm retinere, cõc. min. tutius practicè, & formaliter, ſubdiſt.: quando non adeſt melior poſsidentis conditio, quæ eſt ratio ſufficiens ad formandum dictamen practicè certum de licita retentione, conc. min.; quando adeſt talis ratio, neg. min., & conſeq.. Ad conf. diſt. mai.: qui ſe exponit periculo retinendi rem non ſuam formaliter, & ſine titulo juris, peccat contra iuſtitiam, conc. mai.; qui ſe exponit periculo retinendi rem non ſuam materialiter, & aliunde cum titulo juris ad ſuitatem, neg. mai., & applicata diſtinct. ad min., neg. conſeq.

16 Obijc. 2: in eo caſu, in quo eſt æqualitas juris circa aliquam rem, eſt etiam iuſtitiæ æqualitas circa eandem ; ſed in dubio eſt æqualitas juris pro utraque parte, non obſtante unius poſſeſsione: ergo etiàm eſt æqualitas iuſtitiæ ; àc proinde non eſt melior conditio poſsidentis. Conf., qui bona fide poſsidet rem, non eſt ingreſſus in eius poſſeſsionem, niſi ex eo jure, quod

mo-

modo facit in ſui defenſionem: ergo talis jus eſt æquale cum jure alterius partis, etiam coniunctum cum poſſeſsione erit æquale. Prob.conſeq.: poſſeſsio non eſt iuſta iuſtitia diſtincta ab ea, vi cuius poſſeſſor dicitur iuſtè poſſidere: ergo ſi eſt æqualitas in tali jure, per ſolam poſſeſsionem non ponitur inæqualitas in materia iuſtitiæ. Urg.: exceſus juris ex una parte diſſolvit dubiũ ortum ex æqualitate juris pro utraque: ergo vèl poſſeſsio non addit aliquid juris ex parte poſsidentis; vèl diſolvit dubiũ in materia iuſtitię, & conſequenter in illa non verificatur, quòd in dubio eſt melior conditio poſidentis.

17 Ad obiect.diſt. mai.: dùm eſt æqualitas juris cùm æquali conditione, titulo, & præſumptione juris, eſt etiam æqualitas iuſtitiæ, conc. mai.; dùm eſt æqualitas juris cùm meliori conditione, titulo, & præſumptione juris in favorem unius partis, neg. mai., & ſimiliter diſt. min., nam poſſeſsio addit meliorem conditionem, alium titulum, & præſumptionem juris de ſuitate rei poſſeſſæ. Vel conceſſa mai., diſt.min.: non obſtante poſſeſsione eſt æqualitas juris quòad proprietatem, & dominium rei, permit. min.; eſt æqualitas juris quoad uſum, & retentionem rei, neg. min., & diſt. ſimiliter conſeq.. Ad conf.diſt.ant.:qui bona fide&c, & ipſa poſſeſsio adauget illud jus, & tribuit novum titulum; àc præſumptionem iuris de ſuitate poſsidentis,conc. antec.; & nihil tribuit, vèl adauget, neg. antec., & diſt. ſimiliter conſeq.: ſi tale jus eſt æquale, & poſſeſsio nihil tribuit,nec ſuperaddit,etiam coniunctum cum poſſeſsione erit æquale, conc. conſeq.; ſi tale jus eſt æquale, & aliunde poſſeſsio ſuperaddit meliorem conditionem, & titulum, àc ſuperaddit aliquid juris;etiam coniunctum cum poſſeſsione illud jus erit æquale, neg.conſeq.; ad cuius probat. diſt. antec.: poſſeſsio non eſt iuſta iuſtitia diſtincta ab ea, qua poſſeſſor dicitur poſsidere, & aliunde conſumat, complet, & addit illam rationem iuſtitiæ, conc. antec,; non eſt diſtincta, nèc illam conſummit, complet, vèl auget,neg. antec., & conſeq. ſub diſtinctione data.

18 Ad urgent. diſt. antec.: exceſus juris certi quoad proprietatem diſolvit dubium pro utraque, conc. antec.; exceſus juris præſumpti, aut ortus ex meliori conditione, & titulo juris quoad poſſeſsionem, diſſolvit dubium, ſub-

diſt.: diſſolvit dubium practicum quòad licitam retentionem, conc. antec.; diſſolvit dubium ſpeculativum quòad proprietatem, neg. antec., & ad conſeq. dicimus, quod quamvis poſſeſsio non addat jus certum, nec diſſolvat dubium ſpeculativum quòad proprietatem, vèl dominium rei; tamèn addit præſumptionem juris, titulum, & meliorem conditionem, vi cuius diſſolvit dubium practicum, vèl reducit dubium ſpeculativum in dictamen practicè certum de licita, & iuſta retentione illius rei.

19 Aſſerimus 2: prædicta regula tenet etiam in alijs materijs, & in dubijs tàm juris, quàm facti, per ſe loquendo, & ſeclusa lege poſitiva, quæ expreſsè aliud ſtatuat in aliquo caſu; ita ut poſſeſsio ſit per ſe ſufficiens titulus, & ratio reſolvendi dictum ſpeculativum in dictamen practicum de licita electione illius partis, pro qua ſtet poſſeſsio. Eſt communis Probabiliſtarum contra Antiprobabiliſtas communiter. Prob. primò: ideò in materia iuſtitiæ melior eſt conditio poſſidentis, quia poſſeſſor præter jus dubium, quòd habet æquale cum non poſſeſſore, inſuper habet titulum, & jus certum poſſeſsionis; ſed etiam in alijs materijs, & in dubijs tàm juris, quàm facti, poſſeſſor præter jus dubium habet jus certum poſſeſsionis, quo ſi ſpoliaretur, committeretur inæqualitas, & fieret injuria ipſi poſsidenti: ergo. Prob. min.: poſſeſsio eſt titulus communis, & univerſalis in omnibus materijs, & in dubijs cuiuſcumque generis: ergo. Prob. antec.: voluntas in caſu legis, vèl obligationis dubiæ erga quamlibet virtutem, v. g. Religionem, abſtinentiam &c. habet certam poſſeſsionem ſuæ libertatis, quæ eſt maximum bonum à Deo collatum homini, & in caſu delicti dubij in qualibet materia habet certam poſſeſsionem ſuę innocentiæ; vel è contra ubi lex eſt certa, exemptio autèm, aut ſatisfactio dubia, tùnc lex habet poſſeſsionem certam ſuæ obligationis in materia cuioſlibet virtutis; quia noſtra libertas non eſt ſoluta a lege, ſed ſubdita Deo, & inde poteſtati ſublimiori; iuxta Apoſt. ad Rom. cap. 13.: ergo poſſeſsio eſt titulus univerſalis in omnibus materijs, & in dubijs tàm juris, quàm facti.

20 Prob. 2.: prædicta Regula præſcribens, quòd in dubio ſit melior cõditio poſsidentis, fundatur in æquitate naturali exigente, quod duplex titulus præponderet ſimpli-

plici, & jus maius prævaleat minori; ſed æquitas naturalis locum habet, & æqualiter tenet, tàm extra, quàm intrà materiam juſtitiæ, & in dubijs tam juris, quàm facti: ergo. Prob. mai.: æquitas naturalis dictat, quòd in dubio nemo debeat præſumi obligatus; & quòd debitum incertum non exigit ſolutionem certam, ſicut nec è contra ſolutio incerta extinguit debitum certum; atque etiàm quòd dùm obſcura ſunt jura utriuſque partis, favendum eſt Reo potiùs, quàm Actori; ſed hæc, & ſimilia dictamina continentur implicitè in illa regula: *in dubio melior eſt conditio poſſidentis*: ergo hæc fundatur in æquitate naturali. Prob. min.: ſi aliquis interroget: an ſit obligatus voto, quia invincibiliter dubitat, àn emiſſerit illud? Reſpondetur communiter, non eſſe obligatum; quia factum, uti eſt votum, non præſumitur, donec probetur; ſeù quia pro libertate voventis ſtat poſſeſsio. Si autèm è contrà aliquis certus de emiſsione voti, & invincibiliter dubius de illius adimpletione, interroget: an ſit obligatus illud adimplere? Reſpondetur affirmativè, quia factum, uti eſt adimpletio, non præſumitur, donèc probetur, ſeù quia poſſeſsio ſtat pro obligatione voti: ergo talia dictamina fundantur in prædicta regula, quę tenet in qualibet materia.

21 Difficultas autèm ad diſcernendum, ex parte cuius ſtet poſſeſsio, reſolvitur, & declaratur per duas regulas, quę communiter aſsignantur, & quarum una deſervit præcipuè in dubio juris, alia verò in dubio facti. Prima eſt: oportet attendere, àn id, quod inducit, vèl poteſt inducere obligationem, & arctare libertatem, exiſtat, & ſit poſitum antequam oriretur dubium, vèl non? Si conſtet, illud eſſe poſitum antè exortum dubium, tunc lex, eiuſque obligatio eſt in poſſeſsione; ſi autèm illud non conſtet, poſſeſsio ſtat pro libertate. Sit exemplum: ſenex dubitans (poſt ſufficientem veritatis inquiſitionem), an expleverit ſexageſsimum ætatis annum, & ſit exemptus à ieiunio? Tenetur ieiunare; quia poſſeſsio ſtat pro lege, & obligatione, quæ præcedit, exiſtit, & eſt poſita antequam exoriretur dubium de exemptione ab illa. È contrà verò adoleſcens dubitans (poſt examen debitum ad vicendum dubium), àn compleverit vigeſimum primũ ætatis annum, tenèaturque ad ieiunium? Non tenetur ad illud; quia poſſeſsio ſtat pro libertate, quę antecedit dubium, lex verò, aut

eius obligatio ſubſequitur ad illud. Et ſic in alijs caſibus ſimilibus.

22 Secunda regula eſt: oportet videre, pro quanam parte ſtet præſumptio juris in foro externo, nàm pro illa etiam ſtat poſſeſsio; adeò ut ſi præſumptio fori externi ſtet pro obligatione tenebitur quilibet illam adimplere; ſecus verò ſi ſtet pro libertate. Ratio eſt; quia jus non præſumit temerè, & abſque cauſa rationabili: ergo dum præſumit in favorem unius partis, recte judicatur, poſſeſsorem illius partis tueri debere, ut pote quæ ſuffulta tam verisimili conjectura, ut habeatur pro veritate ipſa, quandiu non afferatur efficatior probatio contraria. Si quæratur: cuinam parti faveat præſumptio Iuris? Reſp., ſtare pro illa, ſeù favere illi, cui non incumbit probare, quin potius in contrariam partem transfert onus probandi. Exempli gratia: eſt aliquis in dubio: an fecerit votum? Tunc præſumptio juris ſtat pro libertate, quæ transfert onus probandi in contrariam partem pro illius editione, nam cùm votum ſit quid facti, debet probari, & non præſumi iuxta illud celebre axioma juridicum: *factum in dubio non præſumitur, ſed demonſtrari debet.*

23 Notanter diximus in aſſert.: *per ſe loquendo, & ſeclusa lege poſitiva, quæ aliud expreſsè ſtatuat in aliquo caſu*; nàm ſi lex poſsidenti reſiſtat, tùnc conditio poſsidentis non eſt melior, nèc pro ipſo erit iudicandum, ſed iuxta legis ſtatutum; atque adeò non obſtante poſſeſsione ex parte libertatis Clerici in dubio commiſsi homicidij, dùm conſtat de corpore delicti, & aliqua eius exercita actione; cenſeri debet velut homicida ut caveat à miniſterio Altaris; nam in cap. *ſignificaſti* de homicidio dicitur expreſse: *ſi non poſsit aſcerni, ex cuius ictu percuſſus interijt, in hoc dubio tanquam homicida debet haberi; cum in hoc caſu ſit tutius abſtinere a celebratione, quàm temerè celebrare.* Similiter, quia eſt alia regula Iuris, quòd *in dubio favendum eſt reo*, ideò ſi oriatur dubium: an quidam ſit filius legitimus Sempronij? Licet alij fratres ſint in poſſeſsione hæreditatis paternæ, adhùc in favorem illius iudicandum erit, quia pro ipſo ſtat præſumptio; imò & diſpoſitio Iuris. Et ſi dubium oriatur: an quidam ſit ſervus Caij, vèl ſit liber? Quamvis Caius ſit in poſſeſsione, tamen iudicandum eſt in favorem libertatis; quia in his, & ſimilibus caſibus multò

plùs

plùs œſtimatur id, quod cedit in favorem Rei, quam illud quod cederet in favorem poſſidentium, nàm lege ita eſt deciſum.

24 Obijc. 1: poſſeſsio eſt earum rerum, quarum poteſt haberi dominium, ſeu fundatur in vero jure; ſed totum hoc pertinet ad materiam iuſtitiæ: ergo & poſſeſsio; àc proinde illa regula nequit tenere in alia materia. Diſt.mai.: poſſeſsio ſtrictiùs accepta, eſt earum rerum, quarum poteſt haberi ſtrictum dominium, & fundatur in vero rigoroſo jure, conc. mai.; poſſeſsio non ita ſtrictè ſumpta, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min., totum hoc rigorosè acceptum pertinet ad materiam iuſtitiæ, conc. min.; non ita ſtrictè ſumptum, neg. min.; & conſeq: ſub diſtinctione data; quia poſſeſsio communitèr accepta etiam eſt de rebus, quarum habemus aliquale dominium, & jus aliquod: ſic homo eſt dominus, & poſſeſſor propriæ libertatis, & innocentiæ.

25 Obij. 2: pro certa lege ſtat poſſeſsio; ſed eſt lex certa, qua prohibemur ſequi libertatem, adhùc in dubio ſuperveniente alicuius legis particularis, aut obligationis eiuſdem: ergo poſſeſsio ſemper ſtat pro lege. Prob. min: eſt lex certa prohibens nos exponere periculo tranſgreſſionis legis; ſed ſequi libertatem adhuc in dubio ſuperveniente alicuius legis, eſt nos exponere periculo trangreſſionis illius ergo. Conſ.: tùnc poſſeſsio ſtat pro lege, quandò homo reperitur ligatus nexu obligationis illam ſervandi, & eius libertas non eſt ſoluta, ſed ſubdita legi; ſed ab ingreſſu uſus rationis pro toto tempore vitæ reperitur homo ligatus nexu obligationis ſervandi leges, & præcepta, àc eius libertas numquam eſt ab eis ſoluta, ſed ſemper illis ſubiecta: ergo ſemper poſſeſsio ſtat pro lege.

26 Ad obiect.reſp. conceſ. mai. neg. min., ab cùius probat. diſt. mai.: eſt lex certa prohibens nos exponere periculo formalis, & culpabilis tranſgreſsionis legis certæ, conc. mai.; prohibens nos exponere periculo materialis, & inculpabilis tranſgreſsionis legis dubiæ, neg. mai.; quia non eſt lex præcipiens, quòd non legem, ſivè non certam habeamus pro lege certa, neque obligans ad ſolutionem certam pro debito, ſeù obligatione dubia; & diſt. ſimiliter min.: ſequi libertatem in dubio ſupervenienti alicuius legis eſt nos exponere periculo materialis, & inculpabilis tranſ-

greſsionis legis dubiæ, conc. min.; periculo formalis, & culpabilis tranſgreſsionis legis certæ, neg. min., & conſeq.. Ad conf. diſt. mai.: tùnc ſtat poſſeſsio pro lege, quandò homo reperitur ligatus nexu obligationis ſervandi illam debitè promulgatã, intimatam, & cognitam ut obligantem pro illo tunc, conc. mai.; ſecùs, vèl ſine talibus conditionibus, neg. mai.; & diſt. min.: ab ingreſſu uſus rationis reperitur homo ligatus nexu obligationis ſervandi leges quatènus debitè intimatas, & cognitas ut obligantes pro tali determinato tempore; àc eius libertas nunquàm ab illis prout ſic eſt ſoluta, conc. min.; ſempèr, & pro ſempèr eſt ligatus nexu obligationis ſervandi leges etiàm non debitè intimatas, nèc cognitas ut obligantes pro tali tempore; ac eius libertas nunquàm eſt ſoluta ab illis adhùc prout non debitè intimatis, nèc cognitis ut obligantibus pro tali tempore, neg. min., & conſeq..

27 Obijc. 3. ideò in materia iuſtitiæ eſt melior in dubio conditio poſsidentis, quia cùm cætera ſint paria, poſſeſsio prævalet pro una parte; ſed in alijs materijs inter libertatem, & legem nequit eſſe talis paritas, quia lex ſempèr eſt ſuperior, & libertas inferior: ergo. Conf. 1.: adhùc in materia iuſtitiæ in dubio inter partes inæquales eſt melior conditio Eccleſiæ, cauſæ piæ, matrimonij, dotis, & aliorum huiuſmodi: ergo etiàm in alijs materijs erit ſemper melior conditio legis, & ſuperioris. Conf. 2. ſi à materia iuſtitiæ ad alias virtutes argueretur melior conditio poſsidentis, ſequeretur, quod ſicut poſſeſsio in materia iuſtitiæ inducit præſcriptionem, & uſucapionem; quæ ſunt *acquiſitio, vel alienatio dominij per continuationem poſſeſsionis per tempus ſtatutum à lege*; ita etiàm poſſeſsio libertatis induceret præſcriptionem adverſus legem, adhùc Divinam, & naturalem; ſed hoc nequit dici: ergo nèc quòd poſſeſsio faveat, vel poſsit ſtare pro libertate.

28 Reſp. ad obiect. conceſ. mai., diſt. min.: inter libertatem, & legem debitè intimatam, ſeù certò cognitam ut talem, nequit eſſe talis paritas, conc. min.; inter libertatem, & legem dubiam, non debitè intimatam, ſeù non certò cognitam, nequit eſſe talis paritas, neg. min.; quia tùnc lex non eſt ſuperior, ſed dictamen conſcientiæ proponèns libertatem velut ſui juris, ſeù ſine ligamine legis, & hoc intimans ex parte ſuprę-

mi

mi Legiſlatoris, nempe Dei, qui ſicut non vult, quòd contemnatur, vèl violetur eius lex, ita non vult, quòd pro lege eius habeatur non lex. Ad 1. conf. conceſ. antec., neg. conſeq.; tùm, quia in favorem Eccleſiæ, cauſæ piæ &c. ſunt jura expreſſa in materia juſtitiæ pro caſu dubij; attamen in favorem legis, & contra libertatem, non ſemper, & in omni materia ſunt talia jura. Tùm, quia in dubio pro Eccleſia, vel cauſa pia, & cauſa prophana eſt inæqualitas inter partes, àc ſuperioritas ex parte cauſæ, vèl loci pij; àt in dubio pro libertate, & lege dubia, non eſt talis inæqualitas; nèc ex parte legis tunc caſus reperitur ſuperioritas. Ad 2. conf. neg. ſequælam, quia poſſeſsio; & melior poſsidentis conditio non transferuntur ad materiã aliarum virtutum cùm ea proprietate, & rigore, quo reperiuntur in materia iuſtitiæ; & ideo non eſt neceſſe, quòd præſcriptio, uſucapio, & alia quæ ſunt propria poſſeſsionis in materia iuſtitiæ, conveniant etiàm poſſeſsioni in alijs materijs, quæ non habent quoàd hoc univocationem omnimodam, ſed unicè convenientiam quandam analogam.

***

QUÆSTIO VII.

An poſsimus licitè nos conformare conſtientiæ probabili?

QUÆSTIONEM iſtam, tàm celebrem, quàm utilem, oportet acuratè verſare, atque diſcutere; cæterum in eius diſcuſsione, ſicut & reſpectivè in alijs, nec erimus nimis longi, nèc omninò breves; ſed velùti medio ituri, afferemus illa, quæ iudicaverimus ſcitu neceſſaria, & ſufficientia. Et quia in prædicta quæſt. continentur plures difficultates; ideò pro maiori claritate oportet illas ſeorſim examinare per ſectiones ſequentes.

SECTIO I.

Quid, eſt quotuplex ſit conſcientia, àc opinio probabilis

1 QUONIAM conſcientia *probabilis*, quæ etiam dicitur *opinativa*, ſequitur ad opinionem probabilem, & inititur ipſi, ſicut aſſenſus concluſionis ſequitur ad aſſenſum præmiſſarum; ideò oportet priùs agere de quidditate, & diviſione opinionis probabilis, ut inde conſtet, quid, & quotu-

plex ſit conſcientia probalis. Aſſerimus igitur primò, quòd opinio probabilis eſt iudicium, ſeu aſſenſus determinatus unius partis, nixus fundamento poſitivo, gravi, & ſolido, citrà certitudinem, ſeù cùm formidine partis oppoſitæ. Ita D. D. communiter. Dicitur *iudicium, ſeù aſſenſus determinatus unius partis*, ut diſtinguatur à dubio, quod eſt ſuſpenſio iudicij, à ſuſpicione, quæ quia movetur levibus indicijs, & coniecturis, non aſſentitur determinatè uni parti: Dicitur *nixus fundamento poſitivo*, quia ad conſtituendam opinionem vere, & Theologicè probabilem non ſufficit pura negatio fundamenti in contrarium, cùm hæc non poſsit fundare prudentem aſſenſum; nemo enim prudenter aſſentitur huic propoſitioni: *turca dormit*: eò præcisè quia non habet fundamentum in contrarium, ſeù ad prebendum diſſenſum.

2 Dicitur *gravi & ſolido*; per quod diſtinguitur, tùm ab opinione improbabili, quę nititur motivo ſimpliciter indigno aſſenſus; tùm ab opinione tenuiter, ſeù leviter probabili, quæ nititur fundamento levi, ac proinde non merenti aſſenſum viri prudentis; tùm etiàm ab opinione dubiè probabili, & à probabiliter probabili, cuius motivum non eſt certò gravè, atque adeò impotens movere, & determinare ad aſſenſum prudentem. Unde nulla ex talibus opinionibus eſt verè, & propriè Theologicè probabilis; nàm hęc requirit fundamentum certò ſolidum, & grave, non ſolùm abſolutè, & ſecundum ſe, ſed etiàm comparativè ad fundamenta partis oppoſitæ, ita ut ab iſtis non enervetur illius efficacia, & vis trahendi ad aſſenſum prudentem. Dicitur denique *citra certitudinem, ſeù cum formidine partis oppoſitæ*; per quod differt opinio à ſcientia, & fide Divina; nàm iſtæ ſunt determinationes adeo firmæ, & fixæ, ut excludant omnem formidinem, adhùc virtualem, vèl aptitudinalem circa alteram partem; opinio verò licet ſit determinatio formalis, & prudens erga unam partem, tamèn non eſt adeo firma, & fixa, ut tollat omnem prorsùs formidinem, cum relinquat ſaltem virtualem, & aptitudinalem erga partem oppoſitam; quia tam ex obiecto, quod eſt contingens, quàm ex medio, ſeù motivo, quod non eſt evidens, nèc infallibile poſſet ſubeſſe falſitas ipſi aſſenſui opinabili; quæ quidem formido quamvis tollat firmitatem, & omnimodam certitudinem,

nem, non verò determinationem, imò nèc certitudinem ſaltèm actualem, moralem, & prudentem.

3 Aſſerimus 2.: opinio, ſeù ſententia probabilis dividitur primò in *probabilem intrinſecè*, & in *extrinſecè probabilem*. Probabilis intrinſecè eſt, cuius probabilitas habetur ex rationibus, ſeù principijs, aùt fundamentis, quibus nititur. Probabilis extrinſecè eſt, cujus probabilitas habetur ab authoritate, ſeù à gravitate, prudentia, vèl multitudine Authorum tenentium talem opinionem. Cæterùm ut probabilitas extrinſeca conſtituat opinionem verè, & Theologicè probabilem, debet referri ad intrinſecam probabilitatem: Ratio eſt; quia nulla opinio poteſt cenſeri verè probabilis, niſi appareat conformis rectæ rationi, & legi, præſertim Divinæ; ſed talem conformitatem non obtinet ex ſola D. D. authoritate, ſed quatenùs iſta prudenter præſumitur connexa cum probabilitate intrinſeca, in qua ſupponuntur fundati A. A. periti, & graves, qui tenent illam opinionem ut verè probabilem: ergo.

4 Dividitur ſecundò opinio probabilis in *probabilem ſpeculativè*, & *probabilem practice*. Opinio tantùm ſpeculativè probabilis eſt, quæ nititur fundamento unicè ſpeculativè probabili, ſeù tali quod, attenta natura obiecti, imò, & circunſtantijs, quæ ſpectant ad obiectum ut ſpeculabile, reddat illud veroſimile, & aptum movere ad aſſenſum; aliundè tamèn attentis circunſtantijs ſpectantibus ad praxim illius ſpeculationis, ſeù exercitium operationis, invenitur aliqua impediens praxim, ſeù reddens practicè improbabilē opinionē probabilē ſpeculativè. Opinio practicè probabilis eſt, quæ nititur fundamēto practicè probabili ſeù tali, quod attentis etiàm circunſtantijs ſpectantibus ad praxim ſpeculationis ſit aptum movere hic, & nunc ad aſſenſum, & uſum licitū opinionis probabilis. Ex quo patet, contra aliquos, quòd poteſt aliqua opinio eſſe probabilis ſpeculative, quin ſit probabilis practicè: v. g. opinio aſſerens, excuſatum ab abſtinentia à carnibus eſſe etiam exemptum eò ipſo à ieiunio, eſt adhùc ſpeculativè probabilis, non verò practicè; quia S. S. D. N. Benedictus XIV. permittens probabilitatem ſpeculativam illius opinionis, ſeù illam relinquens in ſua probabilitate, prohibuit eius praxim, àc oppo-

ſitam

ſitam præcipit. Et ita ſimiliter in alijs exemplis.

5 Tertio dividitur opinio probabilis in *certò probabilem, & in probabiliter probabilem.* Prima eſt, de qua certò conſtat, eſſe probabilem, tùm ex fundamentis, tùm ex D.D., qui eam defendunt, àc etiam ex contrarijs, qui eius probabilitatem fatentur. Secunda eſt, de qua non certò, ſed tantum probabiliter conſtat, eſſe probabilem; tùm quia eius fundamenta non ſatis certificant eius probabilitatem; tùm quia eius probabilitas eſt opinabilis inter D.D., alijs concedentibus, alijs verò negantibus probabilitatem illius. Quarto dividitur opinio probabilis in *minus, æquè, & magis probabilem, àc probabiliſsimam.* Opinio minus probabilis eſt, cuius motiva ſunt quidem abſolutè gravia, ſed minùs quàm motiva opinionis oppoſitæ. Æquè probabilis eſt, cuius motiva ſunt æqualis ponderis, àc motiva opinionis contrariæ. Probabilior eſt, quæ nititur motivis fortioribus, quàm oppoſita. Probabiliſsima denique eſt, cuius motiva attingunt ſupremum gradum intra limites probabiliſsimi. Unde illa opinio eſt probabilior intrinſecè, pro qua militant efficatiores rationes, ſeù motiva intrinſeca, quàm pro contraria; illa autèm eſt probabilior extrinſecè, pro qua ſtant meliora motiva extrinſeca, ſeù maior authoritas D. D. menſuranda non præcisè ab eorum numero, ſed à peritia, prudentia &c. Quòd ſi una opinio nitatur efficacioribus rationibus; oppoſita verò fulciatur maiori authoritate Doctorum; illa eſt præferenda, & iudicanda probabilior, quàm iſta; quia rationes prævalent authoritati, cùm hæc fundetur in illis, & robur, àc pondus accipiat ab ipſis.

6 Quintò dividitur opinio probabilis in *tutiorem, & minùs tutam.* Tutior eſt illa, quæ affirmat partem magis tutam, ſeù in qua nullum eſt periculum peccati, ſeù tranſgreſionis adhùc materialis. Minus tuta eſt, quæ ſubſtinet partem non ita tutam, ſeù in qua eſt periculum peccati, ſeù tranſgreſionis, materialis quidem, non verò formalis; quia aliàs non eſſet ſimpliciter tuta, ſed practicè, & formaliter periculoſa. Notandum eſt hic, quod ſententia probabilior non ſemper eſt tutior, nèc è converſo: v. g. opinio aſſerens, quod accipiens rem proximi, & illam conſumens in extrema neceſsitate, ſi ad pinguiorem fortunam pervenerit, tenetur reſtituere æquivalens, eſt ſententia tutior, quia in reſtitutione nul-

nullum eſt periculum peccati; & tamen oppoſita ſententia negans obligationem reſtituendi in illo caſu, eſt probabilior, quia nititur efficatiori fundamento, nempè quod tùnc fecit rem ſuam, eò quia in neceſsitate extrema ſunt omnia communia.

7 Aſſerimus 3.: conſcientia probabilis eſt dictamen practicum, fundatum in opinione probabili, & applicativum eius ad operationem in particulari; ac immediate, & directè terminatum, non ad ſpeculationem, ſeù veritatem opinionis, ſed ad eius praxim, & honeſtatem operationis. Pro cuius declaratione advertimus, quòd probabile poteſt accipi dupliciter: primo prout idem eſt ac veroſimile, & in hoc ſenſu reſpectu eiuſden intellectus poteſt utraque pars contradictionis eſſe ſimùl probabilis, vèl una probabilior, quia poteſt utraque eſſe veroſimilis, vel una veroſimilior ſecundò poteſt ſumi probabile, quatenus idem eſt ac approbabile à iudicio prudenti, & in hoc ſenſu ſola illa pars eſt abſolutè probabilis reſpectu alicuius, quā ipſe poteſt approbare ut veram per prudens iudicium. Hinc in materia probabili debet diſtingui duplex actus, ſcil. directus, & reflexus. Directus eſt ipſe aſſenſus opinativus, quo ex motivis probabilibus concludimus, rem eſſe veroſimilem, v. g in hoc ſyllogiſmo: *ſit bona, & integra confeſsio ſacramentalis ſemel ac ſubijciatur illud, quod eſt materia neceſſaria confeſsionis, cum cæteris requiſitis; ſed circunſtantiæ notabiliter purè aggravantes non ſunt materia neceſſaria confeſsionis: ergo ſit bona, & integra ſine earum declaratione*: in quo aſſenſus concluſionis eſt opinativus, & probabilis, ut potè deductus ex una præmiſſa incerta, & probabili. Reflexus eſt, quo quis reflectens ad probabilitatem opinionis, & ad concluſionem illatam ex principijs directis, aſſumit aliud principium reflexum ſuper illam fundatum, & diſcurrit, ſaltèm, virtualitèr hoc modo: *illud eſt licitum hic, & nunc, quod prudenter iudico eſſe licitum; ſed prudenter iudico, eſſe licitum, non declare inconfeſione circunſtantias purè notabiliter aggravantes: ergo licitum eſt, illas reticere.*

8 Ex his: aſſenſus directus per ſe tantùm eſt probabilis opinativus, & formidoloſus, quia procedit ex motivo probabili, & incerto; ac terminatur per ſe, immediate, & directè ad veritatem, & ſpeculationem obiecti. Actus verò reflexus, licèt ſit præſuppoſitivè,

ſitivè, & fundamentaliter probabilis, ac ſpeculativè formidoloſus; tamen eſt formaliter practicè, & moraliter certus, ſiquidem deducitur ex præmiſſis practicè certis; nam maior eſt indubitata, ſcil. licitum eſſe illud, quod omnibus penſatis prudenter iudicatur eſſe licitum; & minor eſt pariter certa, cùm ſit fundata in probabili opinione, ac eius motivo gravi, quod inducit ad aſſenſum prudentem. Inſuper talis actus reflexus per ſe immediate, & directè reſpicit honeſtatem operationis, ac praxim licitam opinionis probabilis; atque talis actus reflexus eſt dictamen conſcientiæ practicum, ultimum, ac certum, quo actio operantis proximè regulatur. Ex quibus patet ſuprà poſita deſcriptio conſcientię probabilis, & eius diverſitas ab opinione; ſiquidem iſta eſt actus directus, immediatè reſpiciens veritatem obiecti, & non regulans proximè operationem; conſcientia autèm probabilis eſt actus reflexus, & applicatio opinionis ad operationem in particulari, reſpiciens per ſe immediatè eius honeſtatem, ac regulans proximè operationem.

9 Aſſerimus 4.: iuxta diviſionem opinionis probabilis, ferè etiàm dividitur conſcientia probabilis, ita ut alia ſit *intrinſecè*, alia *extrinſecè probabilis*; alia *minus*, alia *æquè*, alia *magis probabilis*, & alia *probabiliſsima*; alia *tutior*, & alia *minus tuta*; iuxta qualitatem opinionis, cui nititur, & cuius eſt applicatio. Excepta tamen diviſione in *ſpeculativè*, & *practicè probabilem*, quæ licet conveniat opinioni, eo quia iſta attendit etiam naturam, & circunſtantias ſpectantes ad veritatem, & ſpeculationem obiecti; tamen nequit adaptari conſcientiæ, quæ reſpicit immediatè praxim, & exercitium operationis ſecundum omnes eius circunſtantias in particulari; atque adeò ex opinione pure ſpeculative, non autèm practicè probabili, nequit formari conſcientia probabilis, quæ dictet, hic & nùnc licitam eſſe praxim illius opinionis; & ideo illa diviſio nequit convenire conſcientiæ probabili. Ac ideò fortaſis aliqui A.A. negarunt illam diviſionem opinionis probabilis, quia non diſtinxerunt inter opinionem, & conſcientiam probabilem.

***

*** *** ***
*** ***
*** ***
***

SEC-

SECTIO II.

An liceat conformari opinioni, & conſcientiæ vtrè probabili abſolutè, & ſimpliciter?

10 SUpponimus primò, quòd conformitas cum opinione probabili non eſt intelligenda ita ut ſententia probabilis poſsit eſſe regula proxima, & immediata operationis licitæ; tùm, quia opinio non eſt dictamen conſcientiæ ultimum, & practicè practicum ſed ſpeculativum, & non ultimum; tùm quia aſſenſus opinativus eſt formidoloſus; & incertus, atque ideo non licet nos conformare proximè cum ipſo: ſed intelligenda eſt illa conformitas ita ut opinio poſsit eſſe fundamentum & principium remotum ad formandam conſcientiam moraliter, & practicè certam, quæ ſit regula proxima. Nec etiam inquirimus: an poſsimus licitè nos cõformare cõſcientiæ prout formaliter, & ſubiectivè probabili, ſivè accepta pro concluſione proximè deducta ex præmiſsis probabilibus, ſeù pro aſſenſu formidoloſo, & fallibili ſecundum ſuam rationem formalem, nam prout ſic potiùs eſt conſcientia practicè dubia, quàm probabilis, atque certum eſt, non poſſe licitè nos conformare illi prout ſic acceptæ. Sed quærimus de conſcientia probabili, ſeù opinativa fundamentaliter, & præſuppoſitivè, nempe quæ reflexè formatur ex opinione probabili, attamẽ in ſe eſt formaliter certa moralitèr, & practicè, atque infallibiliter prudens, citra omnem formidinem practicam ex parte ſua, eſtò remaneat formido ſpeculativa, relicta ab aſſenſu opinativo præſuppoſito ad ipſam conſcientiam eformandam.

11 Supp. 2.: non poſſe licitè nos conformare opinioni probabili tantùm ſpeculativè, practicè que improbabili; ſiquidem ex illa nequit formari iudicium prudens de praxi licita, ſeù operatione honeſta, prout ex terminis conſtat. Supp. 3.: ex opinione ſolum probabiliter, probabili non poſſe formari dictamen conſcientiæ moraliter certum, quod requiritur ad rectè operandum; atque adeò eſt illicitus uſus talis opinionis, per ſe loquendo, & extra caſum gravis neceſsitatis. Ita communiter D.D.. Ratio eſt quia ad dictamen conſcientiæ prudens, moraliter certum, & practicè ſecurum, ex opinione probabili formandum, debet præſupponi iudicium certum, & experimentale de probabilitate illius opinionis; nam aliàs dic-

tamen conſcientiæ, in illa opinione fundatum, eſſet formaliter omnino incertum, & formidoloſum; ſed non præſupponitur iudicium certum; & experimentale de probabilitate opinionis, quandò opinio eſt ſolùm probabiliter probabilis; cùm incertum ſit, an nitatur motivis aſſenſu dignis: ergo illicitum eſt, nos conformare tali opinioni.

12 Supp. 4. à fortiori non poſſe licitè nos cõformare (per ſe loquendo, & extra caſum graviſsimæ neceſsitatis) opinioni tenuiter probabili. Patet hoc ex propoſitione 3. inter damnatas ab Innocentio XI. quæ ita ſe habet: *generatim, dum probabilitate ſivè intrinſeca, ſivè extrinſeca quantumvis tenui, modò à probabilitatis finibus non exeatur; conſilium agimus, ſemper prudenter agimus.* Patet etiam ratione, quia motivum tenue, ſivè intrinſecum, & ratione, ſivè extrinſecum, & ab authoritate, non eſt dignum aſſenſu viri prudentis, nèc ſufficit ad tollendum dubium practicum: ergo nec ſufficit ad formandam conſcientiam moraliter certam, àc proindè nec ad reddendam operationem licitam. Diximus: *per ſe loquendo, &c.* nàm per accidens, & in caſu graviſsimæ neceſsitatis, in quo melior opinio nequit reduci ad praxim, tunc utique poteſt; imò debet eligi opinio, ſivè probabiliter, ſive tenuiter, ſive dubiè probabilis; quia tunc ipſa neceſsitas reddit illam certo, àc vere probabilem hic, & nunc, atque ita debet eligi; non autem quatenus probabiliter tenuiter, aut dubiè probabilis. Quare difficultas præſens procedit unicè de opinione verè probabili, ſeu nixa motivo grav.

13 Supp. 15. quòd inter propoſitiones damnatas ab Alexandro VII. hæc eſt 21.: *ſi liber ſit alicuius junioris, & moderni, debet opinio cenſeri probabilis, dùm non conſtet, rejectam eſſe à Sede Apoſtolica tanquam improbabilem.* Unde patet, quòd non ideò aliqua opinio cenſenda eſt probabilis, quia traditur à quolibet Authore moderno, & aliundè non invenitur reiecta à Sede Apoſtolica; nàm ultra quod non ſit contraria Sacræ Scripturæ, traditionibus Eccleſiæ, definitioni Pontificiæ, nèc communi P.P., aut D.D. ſenſui; nàm ſi opponatur alicui iſtorum, erit propoſitio hæretica, erronea, aut temeraria, & omninò improbabilis: ultrà hoc igitur, probabilitas opinionis oritur præcipuè ex motivis intrinſecis, fundamentis, ſeu rationibus momentoſis, & gravibus, nedùm abſolutè, & ſe-

cun-

cundum ſe, ſed etiam comparative ad fundamenta ſententiæ contrariæ, ita ut illorum efficacia non enervetur ab iſtis, quin potiùs maneat in ſuo robore, & ſufficienter ſolvat fundamenta partis contrariæ. Deinde talis probabilitas attenditur, & extrinſecè manifeſtatur penès authoritatem Doctorum ſuſtinentium illam opinionem, qui ſupponuntur moti gravi rationum pondere, ut concorditèr ſubſcriberent ipſi; quare Ariſt. lib. 1. Topic. cap. 1. ait: *probabilia ſunt, quæ videntur omnibus, aùt pluribus, ſapientibus, & his maximè notis.* Diſcordant tamen A.A. in aſſignando numero Doctorum facientium probabilitatem extrinſecum; frequenter tamèn dicitur, quod hoc eſt reſpectivum ad authoritatem, & circunſtantias ipſorum ita ut, iuxta plures, ſufficiat etiam unus Author, ſi ſit omni exceptione maior, & nitatur fundamentis gravioribus, ſeù contra cuius authoritatem nulla poſsit fieri exceptio.

14 Supp. 6. cum communi, quòd ſententia, quæ anteà erat probabilis, poteſt reddi improbabilis; quia per novas Pontificum, aut Conciliorum declarationes, vèl propter argumenta gravia de novo inventa, amiſsit probabilitatem ſuam. E contra opinio prius improbabilis poteſt evadere probabilis; eò quia motiva magni momenti; quæ antè latebant, poſſunt detegi à viris Doctis. Similitèr opinio, quæ anteà erat minus probabilis, poteſt reddi probabilior propter nova fundamenta ſuperaddita prioribus; & è converſo probabilior poteſt reddi minùs probabilis propter unum, vèl alterum motivum convictum de falſitate. Difficultas igitur procedit de opinione verè Theologicè, & certò probabili hic, & nùnc, ſivè prout ſe habet de præſenti, quandò aliquis vult ſe conformare illi. Supp. 7. quòd ad rectè adſtruendam probabilitatem opinionis requiritur, quòd adhibeatur ſufficiens diligentia, qua poſsit pertingi ad certam veritatem rei, de qua diſputatur; nàm aliàs poſſet utens tali opinione incurrere peccatum, ad modum quo in conſcientia erronea vincibili incurritur. Hęc autèm obligatiò ſolùm extenditur ad viros doctos, non autèm ad ſimpliciores, & illitteratos, quibus ſufficit aſſentiri his, quæ ſibi licere audiunt à viris doctis. Quibus prænotatis, ſit.

15 Concluſ.: poteſt homo in rebus moralibus, ſeù actionibus humanis licitè ſe conformare opinioni, & conſcien-

cientiæ verè probabili abſolute, & ſimpliciter. Hæc concluſ. ſic abſolutè prolata, àc preſcindendo à quacumque probabilitate ſententię oppoſitæ, ſeù abſque oppoſitione opinionis contrariæ, eſt communis Theologorum, imò & Iuriſperitorum: Prob. primò: tunc aliquis licitè, & honeſtè operatur quandò elicit operationem conſonam regulis rectæ rationis; ſed qui ſe conformat opinioni, & conſcientiæ verè probabili, ſequitur regulas rationis rectæ: ergo ſe gerit licitè. Prob. min.: oppinionem eſſe verè practicè probabilem, idem eſt, àc apparere conformem regulis rectæ rationis: ergo. Prob. antec.: talis opinio nititur motivis magni momenti, quæ licèt non pariant evidentiam, tamèn determinant intellectum ut adhæreat uni parti potiùs, quàm oppoſitæ, quia cognoſcit, illa motiva eſſe iuxta regulas rectæ rationis, adeò ut ſi ita non iudicaret, non aſſentiretur illi parti ut probabili; nèc ipſa eſſet huiuſmodi, ſed moraliter falſa, & improbabilis practicè: ergo.

16 Conf.: ille operatur rectè, & conformitèr rectæ rationi, qui facit quantum poteſt, & debet ex vi conditionis humanæ; ſed ita ſegerit ille, qui ſequitur opinionem, & conſcientiam verè probabilem: ergo. Mai. conſtat; quia nemo tenetur ad impoſsibile, & Deus ab homine non exigit plùs, quam conditio, & imbecillitas humana poſsit ferre. Prob. min: hominis conditio pro præſenti ſtatu nequit in rebus moralibus aſſequi ſemper evidentiam, nèc certitudinem omnimodam omnium rerum agibilium, iuxta Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. 3:, & iuxta D. Thomam ſuper cap. 1. lib. 1. Ethic., materia moralis non exigit certitudinem mathematicam, & perfectam, ſicut res phyſicæ, & methaphyſicè exigunt illam: ergo qui ſequitur opinionem verè probabilem cum morali certitudine, facit quantum poteſt, & debet.

17 Prob. 2: tùnc aliquis rectè operatur, quando agit iuxtà dictamen prudentiæ, quæ eſt regula, & recta ratio agibilium intrà genus morum; ſed homo ſequens opinionem verè probabilem operatur iuxtà regùlas prudentiæ: ergo. Prob. min.. ille operatur iuxta leges prudentiæ, qui adhibita diligentia debita eligit id, quòd ex gravibus motivis iudicat eſſe dignum prudenti aſſenſu; ſed ita ſe habet homo ſequens opinionem verè probabilem, quam eligit, eò quia ipſam invenit, & iudicat dignam aſſenſu prudenti, ad quem movent,

vent, & determinant fundamenta gravia ipſius opinionis: ergo. Prob. 3: licet ſequi illam opinionem, & conſcientiam, ex qua poteſt formari conſcientia practicè certa; ſed hæc poteſt formari ex opinione, & conſcientia verè probabili: ergo. Prob. min.: qui poteſt prudenter deponere formidinem practicam, poteſt formare conſcientiam practicè certam; ſed qui ſequitur opinionem, & conſcientiam verè probabilem, poteſt prudenter deponere formidinem practicam: ergo. Prob. min.: tùnc prudenter deponitur formido practica circa honeſtatem operationis hìc, & nùnc, quando habentur motiva gravia, tùm intrinſeca, tùm extrinſeca, quæ honeſtatem illius operationis moralitèr certificant, ſed hoc habet qui ſequitur opinionem verè probabilem, ut patet ex dictis: ergo.

18 Prob. 4: ſi non eſſet licitum ſequi opinionem verè probabilem abſolutè, & ſimpliciter, omnis opinio eſſet deſerenda, & ſolùm ſecuritas eſſet tenenda, ita ut non liceret ſequi opinionem, adhùc probabiliſsimam intèr probabiles; ſed hoc eſt abſurdum, & damnatum, ab Alexandro VIII. proſcribente hanc propoſitionem: *non licet ſequi opinionem, vèl inter probabiles probabiliſſimam*: ergo. Prob. mai.: ideò non liceret ſequi opinionem verè probabilem abſolutè, & ſimpliciter: quia ad rectè moraliter operandum non ſufficeret certitudo practica, moralis, & prudens, ſed requireretur certitudo omnimoda, ſpeculativa, & phyſica, aut metaphyſica; ſed hoc ipſo non liceret ſequi ullam opinionem, etiàm probabiliſsimam inter probabiles; unde non parvum laqueum ſterneretur conſcientijs, ſi in tanta circunſtantiarum varietate non ſufficeret habere probabilem opinionem, ſed ſemper deberet inquiri ſententia omninò certa, & evidens; quod eſt impoſsibile conditioni humanæ pro ſtatu præſenti: ergo.

19 Prob. dènique concluſ.: illa eſt tuta operandi regula, quæ ab omnibus communiter approbatur, & quam in praxi frequentèr omnes ſequuntur; ſed omnes cōmuniter Doctores in materia morali approbant doctrinam probabilem pro rectitudine cōſcientiæ; & Pontifices in rebus Eccleſiaſticis dirigèndis; Reges, & Principes in adminiſtrandis Regni negotijs; ac Iudices, tàm Eccleſiaſtici, quàm Civiles, ſe conformant opinionibus non excedentibus limites probabilitatis, iuxta illam regulam Iuris: *quod veroſimilius præferatur, & ubi ſunt opiniones diſcordes, iudex ſequatur communem*: ergo.

20 Arg. 1.: qui ſequitur opinionem, & conſcientiam probabilem, operatur cum formidine, quę eſt de conceptu opinionis; ſed illicitum eſt operari cùm formidine, ſicut cum dubio peccandi: ergo non licet operari iuxta opinionem, & conſcientiam probabilem. Reſp. diſt. mai.: qui ſequitur opinionem operatur cum formidine ſpeculativa circa veritatem obiecti, conc. mai.; operatur cùm formidine practica circa honeſtatem operationis, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: non licet operari cum formidine practica, ſicut nec cum dubio, immediate, & proximè reſpiciente honeſtatem operationis hic, & nunc, conc. min.; non licet operari cum formidine tantùm ſpeculativa, ſicut nec dubio, verſante proximè circa veritatem obiecti, neg. min., & conſeq..

21 Replic.: dictamen practicum de honeſtate operationis ſe habet ad iudicium ſpeculativum de obiecto, ſicut concluſio ad præmiſſam, & ſicut particularis ad univerſalem; ſed concluſio non habet maiorem certitudinem, quam præmiſſæ; & talis eſt propoſitio particularis, qualis eſt univerſalis, in qua continetur: ergo ſi dictamen ſpeculativum de obiecto eſt formidoloſum, & incertum, etiàm iudicium practicum de operatione, illatum ex illo, & contentum in ipſo. Reſp. diſt. mai.: dictamen practicum ſe habet ad iudicium ſpeculativum reflexè attactum, ſicut concluſio ad præmiſſam, conc. mai.; ad iudicium ſpeculativum pręcisè directè conſideratum, ſubdiſt.: ſe habet ad ipſum, ſicut concluſio ad præmiſſam remotam, conc. mai.; ad præmiſſam proximam, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: concluſio non habet maiorem certitudinem, quàm præmiſſæ proximæ; & talis eſt particularis, qualis eſt univerſalis, in qua proximè, & adæquatè, continetur, conc. min.; quàm pręmiſſæ tantùm remotæ, & qualis eſt univerſalis, in qua ſolùm remotè, & inadæquatè continetur, neg. min. & conſeq.. Ad hoc ut ex opinione probabili formetur conſcientia recta requiritur, quod ad iudicium opinativum, & directum de obiecto accedat nova ratio, quę certo perſuadeat operationem eſſe licitam, quod fit, tum reflexione (ſaltem virtuali) ſupra iudicium opinativum ut verè probabile, & dignum aſſenſu prudenti, quod quidem iudicium eſt certum; tùm reflexione ad uſum licitum veræ probabilitatis communiter approbatum, quod etiam eſt certum. Quare licet

iu-

iudicium remotum, & inadęquatum ſit formidoloſum; tamen iudicium proximum, completum, & practicum eſt moraliter certum; atque adeò ex opinione probabili poteſt deduci conſcientia certa in genere moris.

22 Arg. 2.: probabilitas nequit eſſe regula humanæ operationis: ergo non licet illam ſequi. Prob. antec.: iudicium, quod ex ſe non eſt magis conforme, quam difforme legi æternæ, & quod ex proprio modo tendendi non magis ducit ad verum, quam ad falſum, non eſt regula rectæ rationis, quę, tanquam exemplata à ſuprema regula legis æternæ, debet eidem conformari; ſed iudicium probabile, ut pote incertum, & formidoloſum ex ſe non eſt magis conforme, quàm difforme legi æternę: ergo. Reſp. diſt. antec.: probabilitas ſecundū ſe ſubiectivè, & prout formaliter talis, àc pro priori ad regulationem prudentiæ, non eſt regula formalis, & proxima actionis humanæ, conc. antec.; probabilitas fundamentaliter, præſuppoſitivè, & quatenus regulata per prudentiam, non eſt regula remota, nego antec.; per quod patet ad probat. ad quam conceſ. mai., diſt. ſimiliter min.: iudicium probabile ſecundùm ſe directè conſideratum, & pro priori ad regulationem prudentiæ, non eſt magis conforme, quàm difforme, permit. min.; reflexè ſumptum, & quatenus per prudentiam regulatum., neg. min., & conſeq..

23 Ex dictis infertur, quòd ex duplici opinione æqualiter verè probabili, & verſante circa, honeſtatem actionis, licet voluntati eligere illam, quàm maluerit. Circa quod ſupponimus cum communi ſententia, quod duę opiniones poſſunt ſimul apparere æque probabiles eidem intellectui, quia non repugnat, quòd idem intellectus ſimùl iudicet, quod motiva, ſeù fundamenta duplicis opinionis contrariæ ſunt ita æqualis ponderis, & condignitatis ad aſſenſum prudentem, ut nulla efficaciùs quàm altera poſsit ad ſui aſſenſum movere, aùt determinare; atque adeò utraque poteſt iudicari æquè probabilis. Quo ſuppoſito, Prob. corollarium: intellectus iudicans, utrumque contradictorium eſſe æquallitèr probabile, neceſſariò iudicat, utrumque eſſe certò verè probabile: ergo licitè poterit voluntas eligere quodlibet ex illis. Prob. conſeq.: iuxta dicta, licèt ſequi opinionem certò verè probabilem, quæ iudicatur condigna, & ſufficiens ad aſſenſum, & electionem

nem prudentem: ergo ſi utraque opinio iudicatur talis, poterit voluntas eligere quamlibet ex illis. Hoc autèm licèt verum ſit de opinione æquè probabili verſante circa honeſtatem actionis dependentem à noſtra bona fide, & exiſtimatione prudenti; non tamèn eſt verùm de opinione verſante circa valorem actus independentem à noſtro iudicio; nàm de hoc alitèr eſt diſcurrendum, ut in ſect. ſeq. declarabitur.

SECTIO. III.

An ſit licitum ſèqui opinionem, & conſcientiam minùs probabilem, & minùs tutam, adhùc in conſpectu probabilioris, & tutioris, àc iſta relicta?

24 ADvertendum eſt primò, dificultatem procedere de opinione, quæ licèt ſit minùs probabilis, & minùs tuta ſpeculativè, & materialiter, quam altera ei opoſita, tamè ſit practicè certo vere probabilis, tàm intrinſecè, ſeù à ratione magni ponderis, cui poſsit inniti vir prudens, & quæ reddat ipſam certò probabilem; quàm extrinſecè, ſeu ab authoritate gravium D.D., qui illam operantur. Advert. eſt 2., quòd non loquimur de opinione minus probabili reſpectu unius, & magis probabili reſpectu aliorum, ut pluries contingit, quòd opinio, quæ apparet probabilior uni, videtur alteri minùs probabilis; ſed quæſtio procedit de opinione, quæ uni, & eidem apparet minus probabilis in conſpectu opinionis oppoſitæ, quæ videtur probabilior ipſi: àn ſcil. poſsit conformari licitè cum illa, relinquendo iſtam?

25 Advert. eſt 3. quęſtionem non eſſe: àn liceat ſequi opinionem tutiorem, relicta minus tuta, licèt probabiliori, vèl etiam probabiliſsima? Quia indubitatum eſt apud omnes, quòd non ſolùm licitè verùm etiam valdè laudabilitèr operatur, qui in tali caſu ſequitur opinionem magis tutam; ſiquidem ſequens illam ſententiam tutiorem cavet magis periculum tranſgreſionis etiam materialis; quod non ſolùm licitum, ſed & valde laudabile eſt. Nec etiàm quæſtio eſt: àn liceat ſequi probabiliorem, relicta magis tuta, & minùs probabili? Nam in hoc etiàm conveniunt A. A; nàm ſi eſſet aliqua ratio, cur in comparatione tutioris ſententię non liceret, & ſequi minùs tutam, & probabiliorem, maximè eſſet, quia videtur quod minus tuta ſit contra pręceptum, & quòd operans ſe exponat periculo peccandi; ſed eò ipſo quod opinio eſt probabilior, manifeſ-

feſtè oſtendit, quòd illa pars, quæ dicitur minùs tuta, non eſt contra præceptum, & quod operans non ſe exponit periculo peccandi; cùm non ſit minùs tuta formaliter, ſed tantùm materialitèr: ergo licet ſequi opinionem probabiliorem in conſpectu magis tutę, ſed minùs probabilis. Quarè difficultas ſolùm eſt de opinione minus probabili, & minus tuta per comparationem ad alteram probabiliorem, & magis tutam.

26 Advert. eſt 4.: alias eſſe quæſtiones, & ſententias verſantes circa ſolam licentiam, vèl honeſtatem actionis, quæ vocari ſolet *materia iuris*; alias verò verſari circa naturam, conditionem, ſeù validitatem actus, quæ ſolet dici *materia facti*. Quæſtiones, àc opiniones verſantes circa honeſtatem actionis dicuntur illæ, in quibus diſputatur, an aliqua actio ſit præcepta, vèl prohibita? licita, vèl illicita. v. g. an liceat in die feſto libros componere, vèl ſcribere? An vir ſexagenarius teneatur ieiunare? Et aliæ huiuſmodi. Quæſtiones, & opiniones verſantes circa naturam, conditionem, ſeù validitatem actus ſunt illæ, in quibus quæritur, utrùm à parte rei aliquis actus ſit efficax, & validus, àn vero ineffi-cax, & nullus? Utrùm ex tali opere ſequatur damnum, vèl non? v. g. an baptiſmus collatus in nomine Genitoris, Geniti, & ſpirati ſit validus? An talis medicina ſit infirmo profutura? An hæc pars litigantium in iudicio habeat iuſtam cauſam? Et alia ſimilia.

27 Advert. eſt 5., quòd eſt maxima differentia inter quæſtiones, àc ſententias relatas; nàm rectitudo, & honeſtas actionis non tàm deſumitur ab eo, quod eſt à parte rei, quàm ab eo quod inculpabilitèr, quamvis aliàs erroneè, apparet operanti. Ratio eſt; quia conſcientia eſt regula proxima, per quàm proponitur, & intimatur voluntati quid agendum, vèl omittendum ſit: unde ſi actus eſt conformis conſcientiæ practicè rectæ, licèt forſam invincibilitèr erranti, talis actus nedum non eſt formalitèr malus, ſed eſt moralitèr bonus, ut iàm ſupra diximus. E contrariò autèm actus non deſumit ſuam naturam, conditionem, aùt validitatem ex iudicio quantumvis prudenti intellectus noſtri; ſed vèl ex natura intrinſeca ipſius, uti eſt in medicina, àc in cauſa litigantis; vèl ex inſtitutione extrinſeca alterius, uti eſt in materijs, & formis ſacramentorum. Atque adeò ſi materia, vèl forma ſacramenti ſit nulla à parte rei, probabile iudicium Miniſtri ni-

hil proderit quantùm ad valorem ſacramenti. Similitèr medicina ſi non eſt proficua à parte rei, probabile iudicium Medici non faciet ipſam eſſe talem. Paritèr cauſa litigantis non eſt iuſta ex eo quod Iudex illam ſic cenſeat probabiliter, ſed quia ipſa à parte rei, & ſecundùm Legum ordinationem ſit talis. His animadverſis patet manifeſtè, difficultatem propoſitã in titulo ſectionis debere reſolvi per partes; atque adeò oportet illam ultrà dividere in ſubſectiones, quarum ſit.

SUBSECTIO I.

Adſtruitur Probabiliſmus in materia juris.

28 CONCLUS.: in materia juris, ſeù in quæſtionibus verſantibus circa rectitudinem, licentiam, vèl honeſtatem actionis, licitum eſt, per ſe loquendo, ſequi opinionem verè practicè probabilem, relicta probabiliori; & tutiori; id tamèn non ſemper eſt expediens. 1. pars. eſt communiſsima, & receptiſsima graviſſimorum in omni Schola D.D., qui ideò Probabiliſtæ dicuntur; contra alios, qui propterea Probabilioriſtæ nominantur. Prob. primò ex ſacra ſcrip.: Proverb. cap. 4. verſ. 11. dicitur: *ducam te per ſemitas æquitatis, quas cùm ingreſſus fueris, non arctabunt te greſſus tui* Math. 11. habetur: *iugum meum ſuave eſt, & onus meum leve.* Et in Epiſt. 1. D. Ioan cap. 5.: *mandata eius gravia non ſunt*; ſed nimis arctarentur greſſus noſtri; & iugum Chriſti non eſſet ſuave, nèc onus eius leve, ſed multùm gravè redderetur, ſi teneremur ſempèr eligere probabiliora, & tutiora; àc non eſſet unquàm licitum ſequi verè practicè, quamvis minùs, probabilia, & tuta: ergo. Prob. min. primò: tùnc caſus voluntas hominis ligaretur tot legibus, quòt ſunt opiniones magis probabiles, & tutiores, obligantes ad conformari cùm ipſis; ſed hoc eſt nimis arctum, & grave; ut ex terminis liquet: ergo. Prob. ſecundò eadem min.: nimis arctum, & grave eſt, hominem ligari lege incerta, & non ſufficienter promulgata; ſed incertum, ac non ſufficienter promulgatum eſt, hominem debere ſempèr eligere probabiliora, & tutiora; cùm adhùc ſit ſub controverſia: ergo.

29 Conf.: ex illa obligatione ſequeretur, quòd homo præmeretur gravibus anguſtijs; timoribus, & anxietatibus circa adimpletionem Divinæ legis, & conſecutionem ſalutis: ergo nimis arctarentur

greſ-

greſſus noſtri, ac valdè darum, & grave redderetur iugum Chriſti. Prob. ant.: vèl illa obligatio eſt ad ſequendam opinionem probabiliorem in ſe; vel probabiliorem reſpectu operantis? Si primum quis poterit ita perfectè penetrare pondus probabilitatis, ſivè intrinſecæ, ſivè extrinſecæ alicuius opinionis, ut revera ſequatur probabiliorem in ſe, & à parte rei? Si ſecundum: quomodò aliquis poterit certificari, aùt perſuaderi, ſe rectè, abſque paſſione, aut errore vincibili, iudicare illam ſententiam ut probabiliorem? Ergo quodcumque dicatur, ſemper homo præmeretur gravibus anguſtijs timoribus, & anxietatibus circa adimpletionem Divinæ legis, ac exponeretur periculo diffidentiæ de conſecutione ſalutis. Ita diſcurrit Apoſtolicus Vir, & venerab. P. Paulus Seneri in quodam tractatu pro reſponſione ad præſentem difficultatem.

30 Prob. ſecundò ex definitionibus Pontificijs, ac ex diſpoſitionibus Iuris. In primis, Innocentius XI. definit, in Sacramentis conferendis non eſſe licitum ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore; ac etiàm definit, non eſſe probabile, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minùs probabilē; definit quoque, quod ab infidelitate non excuſatur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili; ſed ex his exceptionibus manifeſtè probatur, quòd univerſaliter, & in alijs caſibus non exceptis, non eſt ilicitum, quin potiùs per ſe licitum ſequi opinionem minùs probabilem relicta probabiliori, & tutiori: ergo. Mai. conſtat ex propoſitionibus 1. 2. & 4. damnatis à prædicto Pontifice prout referentur in ſubſect. ſeq.. Prob. min. primò lex limitans, ſeù quæ certum & determinatum caſum excipit, profectò firmat legem generalem pro alijs caſibus non exceptis; nàm *caſus exceptus firmat regulam in contrarium*, ex cap. *Quoniam de coniug.* Leg. 1; unde in jure eſt validum argumentum à contrario ſenſu, ex cap. *Qualis hinc*, diſt. 25. ubi dicitur: *quod enim de uno negatur, conſequens intellectus patet, quia de quibuſdam conceditur*; ergo ex eo, quod Pontifex excipiat, & neget uſum licitum opinionis minus probabilis, & tutæ relicta probabiliori, & tutiori in aliquibus caſibus; manifeſtè probatur, illum in alijs caſibus non exceptis eſſe per ſe licitum. Prob. ſecundò illa min.: inutiles, & ſuperfluæ forent illæ definitiones limitantes, ſi nemini foret licitum pro aliquo caſu ſequi opinio-

nem minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori; ſeù ſi in omni materia, & pro quolibet caſu eſſet eadem ratio univerſalis, ita ut non daretur genus derogandum per ſpecies, aùt propoſitio univerſalis limitanda per particulares; ſed hoc non eſt dicendum: ergo quia ex illis limitationibus probatur, quod in alijs caſibus eſt per ſe univerſaliter licitum.

31 Deinde, Alexander VIII. damnat hanc propoſitionem: *non licet ſequi opinionem, vèl inter probabiles probabiliſsimam*; ſed huic propoſitioni accedere videntur tutioriſtæ aſſerentes, ſequendam ſemper eſſe opinionem certam, aùt ſaltem tutiorem, & magis ſecuram, id eſt, quę militat contra libertatem; ita ut videantur favere, & conſentire cum abſolutè Anti-probabiliſtis: ergo. Prob. min.: Sinniquius, afferens illam propoſitionem damnatam, eam intelligebat de opinione probabiliſsima in favorem libertatis; nam de opinione adhùc minùs probabili in faborem legis nemo poteſt dubitare, licitum, imo laudabile eſſe, illam ſequi; ſed nulla opinio favens libertati, quantumvis probabilis ſit, eſt ſecurior, ut eſt manifeſtum: ergo cùm Tutioriſtæ aſſerant, ſemper eſſe tenendam opinionem magis ſecuram, ſeù quæ militat contra libertatem, àc in favorem legis; videntur accedere ad ſenſum illius propoſitionis damnatæ, & ſentire cùm abſolutè Anti-probabiliſtis. Præterea, Iuriſtæ, & alij D.D. affirmant, quòd in rebus humanis ſunt præferendæ opiniones magis benignæ; & quod in legibus dubijs interpretatio benignior debet prævalere; uti docetur à Iuris cõſulto laudato à D. Thoma in 1. 2.: quæſt. 96. art. 6. in corp. per hæc verba: *nulla ratio juris, aut æquitatis benignitas partitur, ut quæ ſalubriter pro ſalute hominum introducuntur; ea nos duriori interpretatione contra ipſorum commodum perducamus ad ſeveritatem*: ergo cum non adſit lex certò, & expreſſe obligans ſempèr ad ſequelam opionionis probabilioris, & tutioris; talis ſententia non eſt tenenda, utpotè nimis ſevera, & parùm conformis diſpoſitionibus Iuris

32 Prob. tertiò concluſ. ex S. S. P. P: D. Ambroſius in Pſalm. 118. Serm. 5. ait: *ſunt etiam in nobis, qui habent timorem Dei, ſed non ſecundum, ſcientiam, ſtatuentes duriora præcepta, quæ non poſsit humana conditio ſuſtinere. Timor in eo eſt, quia videntur ſibi conſulere diſciplina, opus virtutis exigere; ſed inſcitia in eo eſt, quia non compatiuntur naturæ,*

non

non æſtimant poſsibilitatem. Sed ita ſe habent Probabilioriſtæ, & Tutioriſtæ, ut conſtat ex dictis, & amplius conſtabit ex dicendis: ergo. D. Antonius 1. part. tit. 3. cap. 10. §. 10. inquit: *eligere viam tutiorem, conſilij eſt non præcepti.* Et ibidem: *inter duram, & benignam circa præcepta ſententiam, benigna eſt potiùs cæteris paribus interpretatio facienda.* Et part. 2. tit. 1. cap. 16. §. 2. *ſemper tutior via conſulenda eſt, ſed non imperanda* D. Bonaventuta in Compendio Theologiæ lib. 2. cap. 52. ait: *cavenda eſt conſcientia nimis larga, & nimis ſtricta; nam prima generat præſumptionem, ſecunda deſperationem.* Et in 4. diſt. 21. art. 2. quæſt. 3. inquirens: an Confeſſor teneatur celare id, quod aliundè quàm per confeſsionem ſcit? Affert triplicem modum dicendi, quorum primum, ait, eſſe probabilorem ſecundo; ſecundum eſſe magis ſobrium primo; & tertium eſſe ſecuriorem ambobus; àc licet teneat, & conſulat tertium, adhùc admittit duos priores ut probabiles, & eligibiles. Ita ſimiliter ſe gerit Seraph. Doct. alibi pluries, & ita paritèr procedunt alij S.S. P.P. circa opiniones verè, eſtò minùs probabiles, & minùs tutas: ergo iuxta ipſos licitum eſt aliquandò eligere illas.

33 Prob. 4. ex N. Sub. Doct., qui in Prologo quæſt. 2. in fine ait: *multæ veritates neceſſariæ* (an ſcil. aliquid ſit peccatum mortale, nec ne? *Non exprimuntur in Scriptura, etſi ibi virtualitèr contineantur, ſicut concluſiones in principijs, circa quarum inveſtigationem utilis fuit labor Expoſitorum, & Doctorum:* ergo quãdo D.D. docent, aliquã opinionem eſſe verè probabilem, eſtò ſit minus tuta, licitum eſt ſequi illam. Prob. conſeq.: ſi ſempèr eſſet eligenda pars tutior, inutilis eſſet labor D.D. circa inveſtigationem veritatum, àc ſupervacaneus eſſet recurſſus ad conſilium, & ſententiam ipſorum; nàm facillimè à quocumque dignoſcitur, quęnam ſit pars tutior, nempè illa, in qua nullum timetur peccandi periculum: ergo. Nec valet dicere, ſemper eſſe utilem laborem D. D., & recurſum ad illorum conſilium; quia ſolùm tenemur ſequi opinionem tutiorem, quæ etiam eſt probabilior; non autem illam, quæ eſt minùs probabilis. Nam contra eſt: ideò iuxta Adverſ. poſſumus licitè ſequi opinionem minùs tutam, quandò eſt probabilior; quia talis maior probabilitas aufert omnem dubitationem practicam ab operante, & timorem peccati formalis; ſed etiàm opi-

pinio verè, eſtò minùs, probabilis, excludit talem dubitationem, & timorem: ergo ſi in electione probabilioris eſt licitum ſe conformare conſilio D.D., etiàm in electione minùs probabilis. Præterea ipſe Doct. in 4. d. 15. q. 2. docet, quod accipiens rem proximi in extrema neceſsitate, & illam conſumens pro illius ſubventione, etſi deveniat ad pinguiorem fortunam, non tenetur reddere æquivalens pro illa; licèt contraria opinio ſit tutior, & iuxta aliquos probabilior: ergo iuxta Subt. Doct. eſt licitum ſequi ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam.

34 Prob. 5. à ratione: qui ſequitur opinionem verè practicè, eſtò minùs probabilem, & minùs tutam; etiàm in conſpectu probabilioris, & tutioris; non temerè, ſed prudenter operatur: ergo licitè. Conſeq. patet, quoniam qui peccat, non operatur prudenter, & prudentia eſt regula bonitatis. Prob. antec. iuxtà Adverſ. qui ſequitur opinionem verè probabilem abſolutè, & ſimpliciter, aùt ſine oppoſitione opinionis contrariæ, operatur non temerè, ſed prudenter: ergo etiam qui ſequitur opinionem verè in ſe probabilem, adhùc in conſpectu probabilioris, & tutioris. Prob. conſeq.: ideò prudenter operatur ille, qui ſequitur opinionem verè probabilem abſolutè, & ſimplicitèr, quia in tali opinione reperitur obiectum conforme rectæ rationi, ſeù motivum grave, & dignum aſſenſu prudenti ſed hoc idem reperitur in opinione verè probabili, adhùc in conſpectu probabilioris, & tutioris: ergo ſi prudenter operatur qui ſequitur illam etiam qui ſequitur iſtam. Prob. min.: ideò in opinione probabili abſolutè, & ſimpliciter, reperitur obiectum conforme rectæ rationi, ſeù motivum grave, & dignum aſſenſu prudenti, quia talis opinio eſt abſolutè, & ſimpliciter probabilis; ſed huiuſmodi eſt opinio verè practicè, eſtò minus probabilis, etiam in conſpectu probabilioris: ergo. Mai. patet, quia probabilitas opinionis conſiſtit in eo, quod appareat conformis rectæ rationi ex motivo gravi, & ſufficienti ad aſſenſum prudentem. Prob. min.: comparatio opinionis minùs probabilis, aut maioritas probabilioris non deſtruit, nèc tollit probabilitatem poſitivam, & abſolutam alterius minùs probabilis, ſicut nèc maior bonitas unius actus deſtruit minorem bonitatem poſitivam, & abſolutam alterius; nec album intenſius to-

lit,

lit, quòd album remiſius ſit poſitivè, abſolutè, & ſimpliciter album: ergo.

35 Prob. 6.: non peccat ille, qui operatur ex conſcientia practicè, & moralitèr certa; quamvis aliàs operetur ex errore invincibili, ſeù inculpabili ignorantia; ſed operans ex opinione verè, eſtò minùs probabili, operatur ex conſcientia moralitèr certa bonitatis actionis, & cùm invincibili ignorantia inhoneſtatis, ſeù malitiæ: ergo non peccat. Prob. min. quoad 1. part.: ille operatur cum conſcientia moralitèr certa bonitatis ſui actus, qui movetur gravi, & ſufficienti fundamento ad talem iudicium; ſed hoc habet opinio verè, eſtò minùs probabilis; quia aliàs non eſſet vere talis, àc proindè ceſſaret ſuppoſitum quæſtionis: ergo operans ex illa operatur cùm conſcientia moralitèr certa. Prob. 2. pars min. primò: ille ignorat invincibiliter, qui poſt adhibitam diligentiam, quam poteſt, & tenetur adhibere, non aſſequitur veritatem; ſed operanti iuxta ſententiam minus probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori, poſt adhibitam diligentiam, quam debuit adhibere, non innoteſcit veritas malitię ſui actus, ut ſupponimus; quia opinio probabilior non affert certitudinem, ſed formidinem de oppoſito; & adhuc poteſt ſubeſſe falſo; ac eius maior probabilitas diſputatur à Doctoribus: ergo. Prob. ſecundò eadem pars, & ſimùl impugnatur reſpons. Gonet: ideò, iuxta ipſum, eligens ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam in concurſu probabilioris, & tutioris, non laboraret ignorantia invincibili; quia illi tunc affulget ſententia, quæ ſibi ob orationum pondus apparet probabilior, & ob periculi remotionem eſt tutior, atque ſecurior; ſed hoc ſecundum eſt contra ipſum Gonet, qui fatetur, diverſam eſſe rationem de ſententia probabiliori, àc de tutiori; & primum non ſufficit, quia licèt affulgeat ſententia probabilior, tamèn non apparet veritas ſub certitudine, ſed unicè cum formidine paulo minori, quàm per opinionem minùs probabilem: ergo iſtam eligens laborat ignorantia invincibili.

36 Prob. 7: ideò eſſet obligatio ſequendi ſempèr opinionem probabiliorem, & tutiorem; vèl quia eſt tutior; vèl quia eſt probabilior; & tutior ſimùl; ſed ex nullo capite eſt talis obligatio: ergo. Prob. min. primò de tutioritate: tum, quia Apoſt. ad Theſalon. cap. 5. ait: *omnia probate, quod bonum eſt,*

eſt, tenete. Non vero quod *melius*, vel *tutius* eſt. Tùm, quia iuxta D.Antoninum ſuprà allegatũ, *eligere viam tutiorem conſilij eſt, non præcepti*; tùm, quia tutius eſt, in diebus feſtis dolere de peccatis, iſta ſtatim confiteri; nihil ex mutuo recipere ratione lucri ceſſantis, aùt damni emergentis; & alia huiuſmodi; ſed ea non tenemur amplecti: ergo. Prob. ſecundò illa min. de probabilioritate: tùm, quia iuxta Adverſ. licitum eſt ſequi tutum, relicto tutiori, ſaltèm minus probabili; eò quia tutum, & tutius parùm diſtant; ſed etiàm parùm diſtant verè probabile, & probabilius, ſiquidem nèc maior probabilitas attingit phyſicam certitudinem, aùt naturalem veritatem, nèc minor probabilitas uſque ad dubium deſcendit, aùt certitudinem moralem excludit: ergo. Tum, quia iuxta Ariſt. in Ethicis: *probabile eſt, quòd vituperabile non eſt*: ergo licitè poſſumus eligere verè, etſi minus probabile, quin teneamur ſequi probabilius quà tale. Tum, quia ideò, iuxtà Adverſ., teneremur ſequi probabiliùs quà tale, quia magis accedit ad veritatem; ſed hoc eſt falſum à parte rei, ſiquidem iuxta Ariſt.: *multa falſa ſunt probabiliora veris*; & licet ſit verum in exiſtimatione, tamèn magis probabile non ita accedit ad veritatem, ut excludat acceſſum ſententiæ minus probabilis: ergo. Tum, quia ita, imò præcipuè tenemur accedere ad bonum, & ſecurum, quàm ad verum; ſed non tenemur ſequi melius, aut ſecurius quà tale: ergo nec magis probabile quà tale, tum, quia nimis ardua, & expoſita ſcrupulis eſſet obligatio inquirendi, & ponderandi fundamenta cuiuſvis ſententiæ ad eligendam probabiliorem, maximè cum illa, quæ quibusdam videtur probabilior, alijs minùs probabilis videatur: ergo. Prob. denique illa min. quoàd tutioritatem, & probabilioritatem, ſimul: iuxta dicta, non tenemur ſequi opinionem tutiorem, aùt probabiliorem diſiunctim: ergo neque coniunctim, ſeù propter utramque rationem.

37 Prob. 8. ex abſurdis, quę ſequerentur ex contraria opinione, ſequeretur primò, quòd ad vitandum periculum probabile peccati materialis, quod non tenemur vitare; tribueretur certa moraliter occaſio frequentium peccatorum formalium, quę vitare tenemur: ergo talis ſententia eſt potiùs pernicioſa, quàm proficua. Prob. antec. quoàd 1. part.: ſi teneremur vitare periculum probabile peccati ma-

terialis, non liceret ſequi opinionem magis probabilem, quandò eſt minùs tuta, imò nec probabiliſsimam; ſiquidem earum uſus exponeret operantem periculo probabili peccati materialis, cùm nulla earum afferat certitudinem, nèc omninò excludat periculum probabile erroris, & falſitatis; nàm ſæpè falſa apparent probabiliora veris; ſed hoc non admitirur à contrarijs: ergo non tenemur vitare periculum probabile peccati materialis. Prob. illud antec. quoàd 2. part.: homines plerumque, vel non inveſtigarent opinionem probabiliorem; vèl non ſequerentur ipſam proptèr eius duritiem; vèl redderentur perplexi, & impedirentur ab operationibus valdè neceſſarijs, aùt oportunis; eò quod non haberent unde diſcernerent probabiliora à minùs probabilibus: ergo illa opinio eſſet certa moraliter occaſio frequentiſsimorum peccatorum formalium.

38 Sequer. 2., quòd talis opinio potius induceret, quàm removeret relaxationem morum: ergo. Prob. antec.: tùm, quia eius rigor, àc difficultas inveſtigandi, & ſequendi probabilius, & tutius, induceret homines in anguſtias, & maximam diffidentiam bene operandi, atque minueret, vèl tolleret ſpem ſalutis conſequendæ, quò laberentur in relaxationem; nàm ut inquit D. Thomas in ſecunda ſecundæ q. 20. art. 3. in corp.: *ſublata ſpe irrefrenati homines labuntur in vitia, & à boni laboribus ratrahuntur.* Tùm quia appoſita obligatione ſequendi ſententiam magis probabilem, conarentur homines oſtendere, opinionem faventem libertati nedùm eſſe probabilem, ſed etiam probabiliorem, & quiſque illam amplecteretur ut talem; nàm ut inquit etiam Ang. Doct. in eadem p. q. 60. art. 2. in corp.: *unuſquiſque facilitèr credit, quod appetit*; & ubi ſunt graves rationes pro utraque parte, non multum opus eſt, ut credatur plus ponderis eſſe in illis, quæ favent inclinationi ponderantis, iuxta illud: *amor meus, pondus meum*; ſed hoc afferret relaxationem, ſiquidem plures nùnc abſtinentes à praxi talium opinionum, eò quia minùs probabilium, illas tùnc propoſitas ut probabiliores amplecterentur: ergo.

39 Sequer. 3: improbandos eſſe omnes A. A. docentes ut licitas in praxi opiniones, quæ licèt ſint verè practicè probabiles, tamen ſunt minùs probabiles, & tutæ, quàm earum contrariæ; imò, & male agere dicendos, fore Pon-

tifi-

rifices, qui de facto permittunt in materia morum tales opiniones minùs probabiles; ſed hoc videtur abſurdum, & temerarium: ergo. Sequer. 4. arguendos eſſe Pontifices, qui quandoque ſecuti ſunt opinionem probabilem, relicta probabiliori, & tutiori; qualiter referuntur diſpenſaſſe vota ſolemnia Profeſsionis Religioſæ; in matrimonio rato, ac in primo gradu affinitatis lineæ rectæ; non obſtante quod opiniones contrariæ, aſſerentes non poſſe, nèc licere diſpenſari, eſſent probabiliores, & tutiores. Seq. 5. quod Subditus non teneretur obedire Prælato præcipienti aliquid probabiliter licitum, minùs tamen probabile, & tutum. Nec Confeſſarius poſſet abſolvere Pœnitentem iuxta iſtius opinionem verè, ſed minùs probabilem; ſed hæc ſunt contra praxim, & doctrinam communem: ergo. Alię probationes, ſicut, & impugnationes reſponſionum, quas adhibent Adverſ. ad fundamenta noſtræ ſententiæ, conſtabunt, & poterunt efformari ex argumentorum ſolutione.

40 Diximus in concluſ., licitum eſſe, *per ſe loquendo*, ſequi opinionem verè probabilem circa honeſtatem actionis relicta probabiliori, & tutiori; nam per accidens poteſt eſſe illicitum ſequi opinionem minùs imo æquè, & magis probabilem, atque minus tutam; nempè aùt ratione erroris, quo quis opinionem verè in ſe probabilem iudicet improbabilem; vèl ratione periculi peccati formalis, per accidens in hoc, aùt illo ſubiecto adiuncti opinioni aliàs per ſe probabili, & tutæ. Ratio eſt; quia in utroque caſu ſententia, quæ de ſe eſt probabilis, & tuta, reſpectu talium ſubiectorum non manet practicè probabilis, ſed eſt formaliter periculoſa; proùt benè advertit N. Holzmann ex Marchantio.

41 Secunda pars concluſ., ſcil. non ſèper expedire ſequi opinionem minùs probabilem, & tutam, adhùc quoàd honeſtatem actionis, docetur à plurimis Probabiliſtis, præſertim à noſtris; Maſtrio, Reifenſtuel, & Kriſper. Prob. primò: non omnia, quæ licent, expediunt, iuxta illud Apoſtoli Epiſt. 1. ad Corinth. cap. 6. *omnia mihi licent, ſed non omnia, expediunt*; ſed hoc maximè verificatur de uſu opinionis minùs probabilis in conſpectu probabilioris, & tutioris, adhuc in materia juris, ſivè quoàd honeſtatem actionis: ergo quamvis talis uſus ſit per ſe licitus, non verò ſemper eſt expediens. Prob. min.: quamvis licitum, & permiſſum per ſe ſit non vi-

ta-

tare periculum tranſgreſsionis pure materialis; tamen id non ſemper expedit, quin potiùs conveniens eſt illud etiam cavere, quando non urgeat occaſio operandi; ſed uſus opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ affert periculum tranſgreſsionis etſi pure materialis: ergo. Conf.: uſus probabilitatis eò reſpicit ut tollantur ſcrupuli, non verò ut relaxentur conſcientiæ; ſed non ſemper tollantur, aùt præcabentur ſcrupuli, quin potius concedatur aliqua laxitas per uſum opinionis minus probabilis, & tutæ; quia vèl non urget occaſio operandi, vèl ſententia probabilior, & tutior poteſt tùnc ſine incommodo elici: ergo.

42 Prob. 2. ex Sub. Doct. in 3. d. 25. q. 1. num. 8 dicente: *in moralibus, quandò ſunt altercationes de aliquo peccato, ut ſi unus peritus in ſcientia dicat, quod non licet ſic mercari, & alius dicat, quòd licet; tutius eſt non proſedere ſic, nèc ſic ſed expectare quoùſque veritas pateat aliunde*: ergo iuxta ipſum, licèt non cadat ſub præcepto, ſeù vinculo obligationis; tamèn cadit ſub conſilio, tamquam expediens, convenientius, & tutius, eligere partem probabiliorem, & tutiorem. Cùm hac igitur limitatione debet intelligi uſus licitus probabilitatis adhùc in materia juris. Inſuper advertitur communiter à Probabiliſtis, neduin cautos debere eſſe Doctores in opinionibus tradendis, ut non aſſumant niſi opiniones certò, verè, & practicè probabiles; ſed etiàm debere eſſe ita cautos in conſultationibus, ut non ſolùm aperiant opinionem verè probabilem, quàm poſsint conſulentes licitè ſequi, verùm etiam ſignificent, conſulant, & exortentur opinionem probabiliorem, & magis tutam, tanquam meliorem, magis convenientem, & à periculo magis alienam; nam, ut ſuprà diximus, uſus probabilitatum inventus, & permiſsus eſt, non ad relaxandas conſcientias ſed ad tollendos ſcrupulos; & contrarium facere non tam eſſet probabilitatis uti, quam abuti.

43 Arg. 1: Sacra Scriptura videtur contraria noſtræ ſententiæ: ergo. Prob. antec. primo: Deuteron. cap. 4. dicitur: *cuſtodi animam tuam ſolicitè*, id eſt, acuratiſsima diligentia, qua vites periculum erroris, & peccati, qualis non adhibetur ſequendo ſententiam minus tutam, & minus probabilem. Secundò ex Prob. cap. 14: *eſt via, quæ videtur homini eſſe iuxta, noviſsima autem eius deducunt ad mortem; ſed hoc verificatur de probabilitate*: erg. 3. ex Eccleſiaſtico

cap.

cap. 37. *ante omnia opera verbum verax præcedat te, & ante omnem actum conſilium ſtabile*; ſed opinio minus probabilis non eſt verum, ſaltèm certò moralitèr verax, nec magis, ſed minus accedens ad veritatem; nec eſt conſilium ſtabile; & firmum, ſed labile, & infirmum: ergo. Quarto ex Iſaia cap. 5.: *Væ! qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, qui dicitis malum bonum, & bonum malum*; ſed hoc videtur quadrare ſectatoribus probabiliſmi: ergo. Quinto ex Matheo cap. 7: *quàm angusta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inveniant eam*; ſed via Probabiliſtarum eſt laxa, & latiſſima, à plurimis inventa: ergo potiùs ducit ad perditionem, quàm ad vitam. Sextò ex D. Paulo Epiſt. ad Epheſ. cap. 4: *ut non ſimus parvuli fluctuantes, & circunferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circunventionem erroris*; ſed Probabiliſtæ ita circunferuntur omni vento doctrinæ probabilis: ergo. Septimo ex eodem Apoſt. Epiſt. 1. ad Theſalon. cap. 5.: *omnia probate, quod bonum eſt tenete; ab omni ſpecie mala abſtinete vos*; ſed non ita ſe gerunt eligentes opinionem minùs probatam, aùt probabilem, & minùs tutam, quæ habet ſpeciem mali, & affert timorem periculi: ergo.

44 Ad arg. neg. antec.; ad cuius 1. prob. explico illud Deut.: *cuſtodi animam tuam ſolicitè* erga præcepta expreſſa in Scriptura, vèl certa lege ſtatuta, àc ſufficienter promulgata, conc. hunc eſſe ſenſum; erga alia etiàm dubia, ſubdiſt.: *cuſtodi animam tuam ſolicitè*, id eſt, ſincere, accuratè, prudenter, & diligentia moraliter potsibili, atque ſufficienti ad inveſtigationem veritatis probabilis, nè homo exponatur periculo peccati formalis; conc.; *ſolicitè*, id eſt, accuratiſsimè, àc ſumma, & exactiſsima diligentia ad inveſtigationem probabilioris, & tutioris, nè homo exponatur periculo peccati adhuc materialis, neg. hunc eſſe ſenſum; tùm, quia non dicitur *ſolicitiſſimè* ſed *ſolicitè*; tùm, quia etiam in Scriptura dicitur Sapientia Dei, *ſuaviter, fortiter que diſponens omnia*; *iugum Chriſti ſuave, ac onus eius leve*; & Eccleſiaſtès cap. 7. dicitur: *noli eſſe iuſtus multùm neque plus ſapias, quàm neceſſe eſt*; *nè obſtupeſcas*. Similiter dum Scriptura ait, Divina mandata eſſe cuſtodienda ex toto corde, & ex tota anima; non pretendit, hominem in qualibet materia debere adhibere diligentiam ſummam,

& exactiſsimam ad inveſtigandam partem probabiliorem, & magis tutam; ſed debere ità ſincerè obſervare, ac diligentèr inquirire veritatem modo ſufficiente, ut ſine errore, vèl dubio practico operetur, ut explicuit M. P. Aug. apud D. Bonav. in 3. d. 27. dub. 3.. Et dum in Pſalm: 118. dicitur *tu mandaſti, mandata tua cuſtodiri nimis*: *ly nimis* debet ſumi *extenſivè*, & de obſervatione omnium ſine aliquo defectu; non verò intenſive ac de ſumma, & exactiſsima diligentia circa inveſtigationem probabilioris, & tutioris; prout expreſsit M. P. Aug. conc. 4. in expoſitione illius verſiculi, dicens: *Cùm utique utile ſit in vita, & moribus, ut ampliùs quàm oportet nihil omninò faciamus, profectò veram eſſe ſententiam ne quid nimis fateri potiùs, quam negare debemus.*

45 Ad 2. probat. ex Proverb. dicimus, illud ſolùm quadrare opinioni non verè practicè probabili, & conſcientiarum relaxativæ, à Probabiliſtis etiam reiectæ. Ad 3. probat. conceſ. mai., neg. min.; quia opinio verè practicè probabilis eſt verbum prudenter verax, & iudicium moraliter ſtabile, utpote fundatum in ratione, & authoritate gravi, vi cuius poteſt intellectus determinari prudentèr ad aſſenſum unius partis cùm morali certitudine. Ad 4. probat. ex Iſaia reſp., illam comminationem unicè cadere ſuper aſſumentes oppiniones tenuiter, dubiè, aùt ſolum ſpeculativè probabiles, & malum formaliter cum bono confundentes; non autèm ſuper eligentes ſententias verè, certò, ſolidè, & practicè probabiles, & malum formaliter à bono ſegregantes; nàm aliàs etiàm caderet ſuper aſſumentes opiniones probabiliores, quæ etiam ſunt expoſitivæ vanitati, ſeù falſitati à parte rei. Ad 5. probat. ex Math. explic. mai.: auguſta eſt porta, & arcta via, quæ ducit ad vitam; quia præcipit plura naturæ per peccatum vitiatæ adverſantia, conc.; quia etiam circa incerta præcipiat probabiliora, & tutiora ſemper, & in omni materia, neg. hunc eſſe ſenſum; quia ex Scriptura conſtat, Deum nos ducere per ſemitas, quas cùm ingredimur, greſſus noſtri non arctantur, id eſt nimis, prout intendunt Probabilioriſtæ. Etiam diſt. min.: via Probabiliſtarum dicentium, ſemper, & in omni materia licere, ac expedire ſequi minùs probabilem, & minùs tutam, eſt laxa, & latiſsima; atque adeò; à nobis deſerta, conc. min. via, quam nos ſequimur, Pro-

babiliſtarum cùm limitatione aſſerentium, aliquando, & in determinata materia licere, an non ſemper expedire, nèc conſulendam eſſe ſequelam opinionis minùs probabilis, & tutæ, eſt laxa, neg. min.; quin potiùs eſt directa via, & media, qua neque ad dexteram per rigorem, neque ad ſiniſtram per laxitatem declinantes, & extrema fugientes, proſequimur medium virtutis, ſequentes ductum Scripturæ, & S. S. P. P., quibus conſonat illud Poëticum:

Eſt modus in rebus, ſunt certi denique fines,
Quos ultrà, citra que nequit conſiſtere rectum.

46 Ad 6. prob. ex D. Paulo reſp., Apoſt. non loqui de doctrinis verè, & Theologicè practicè probabilibus, ſed de falſis, pravis, & adverſantibus Sacræ Scripturæ dogmatibus, ut conſtat ex Patrum expoſitionibus; quare neg. min., ſi loquatur de Probabiliſtis, quos nos inſequimur, & Adverſarij impugnare conantur. Ad 7. denique ex eodem Apoſt. reſp., ità etiàm ſe gerere licitè ſequentes opinionem verè practicè, etſi minùs probabilem, & tutam, ut probent, ac diligenter examinent eius probabilitatem practicam, nè operentur temerè, eſcitantèr, & ſine prudentia; atque etiàm ita ut teneant quod bonum eſt, non quidem præcisè ſubiectivè à parte rei, ſed obiectivè, & prout proponitur à conſcientia prudenter dictante; nàm alias non liceret etiam ſequi opinionem probabiliorem, quæ poteſt eſſe falſa à parte rei; atque adeò cavent ab omni ſpecie mali formaliter; licèt non caveant à ſpecie mali materialiter, uti evenit etiàm in opinione probabiliori, ſtante pro libertate.

47 Arg. 2. ex Iure Canon.: in pluribus eius locis ſtatuitur, tutiorem partem eſſe eligendam in dubijs; atque etiam probabiliorem inter probabiles: ergo ſententia noſtra eſt contraria Iuri. Antec. quoad 1. part. eſt manifeſtum. Prob. quoad ſecundã in cap. *Inquiſitioni*, reſpondens Pontifex cuidam dubio de petendo, vèl redendo debito coniugali in caſu conſcientiæ probabilis, & diſcretæ de impedimento matrimonij, ſic ait: *Verum cum conſcientia pulſat animum ex credulitate probabili, & diſcreta, quamvis non evidenti, & manifeſta, debitum quidem reddere poteſt, ſed poſtulare non debet, nè alterum vel contra legem coniugij, vèl contra indi-*

dicium conſcientiæ commitat of-, fenſam. In cap. *Capellanus, de ſponſis*, agens de tempore nuptiarum decernit ſecundùm opinionem, *quæ meliori, & ſubtiliori nititur ratione.* Et ſic ſimiliter in alijs locis: ergo.

48 Reſp. diſt. antec. quoàd 1. part.: ſtatuitur, tutiorem partem eſſe eligendam in dubijs practicis, in quibus dictamen ultimatum manet anceps circa honeſtatem, vel inhoneſtatem actionis hic, & nunc., conc.; in dubijs ſpeculativis, non ultimatis, & opinabilibus, quæ poſſunt ultimatè reſolvi, & determinari certò moraliter in partem minùs tutàm, verè tamèn probabilem, ſubdiſt.; aliquandò, & in quibuſdam materijs, conc.; ſemper, & in omni materia, iterùm ſubdiſt.: ſtatuitur, tutiorem partem eſſe eligendam ex conſilio, conc.; ex præcepto, neg. antec. quoàd 1. part.. Diſt. ſimiliter idem antec. quoàd 2. part.; quia Summi Pontifices aliquandò uſi ſunt opinione verè, etſi minùs probabili. Ad 1. textum allegatum in probat. reſp. cùm Sanchez, Terillo, & alijs, illum debere intelligi ita, ut antequam adhibeatur debita diligentia, vèl ſi ea adhibita non inveniatur ratio verè probabilis pro validitate matrimonij, aùt etiàm inventa tali ratione ſi ex ea non formetur iudicium diſcretum, & moraliter certum, tàm de validitate, quàm de uſu licito matrimonij, ſed permaneat conſcientia formalitèr probabilis, opinativa, & formidoloſa de nullitate, tùnc utique non liceat poſtulatio debiti, nè commitatur offenſa contra iudicium conſcientiæ: ex quo nihil contra noſtram opinionem, ut patet ex prænotatis à principio quæſtionis. Ad 2. textum dicimus, quòd licet Ius, tàm in illo loco, quam in alijs, declaret, & decernat aliquid particulare, eò quia probabilius, & illud ſit ſequendum, quia eſt in Iure expreſsè determinatum; tamèn inde non probatur, quòd ſemper obligemur ad eligendum probabilius, cùm non reperiatur in Iure talis diſpoſitio, ſeù lex univerſalitèr præcipiens illud pro omni caſu; quin potiùs diſpoſitio particularis pro aliquibus caſibus determinatis firmat regulam in contrarium pro alijs non expreſsis.

49 Arg. 3. ex S.S. P.P.: M. P. Aug. lib. 3. *contra Academicos*, cap. 16. impugnans hoc illorum dogma: *cùm agit quiſque quod ei videtur probabile, nec peccat, nèc errat*, ait S. Doct.: *Hac maxima ſemèl probata, omnia poſſe honeſtari, & probari omnia*; ſed idem

videtur eſſe principium Probabiliſtarum ſic diſcurrentium: *probabile eſt, hoc non eſſe peccatum: ergo eſt licitum*: ergo ſententia noſtra eſt impugnata à M. P. Aug. Præterea D. Chriſoſt. hom. 44. ſuper Math. inquit: *ſi veſtimentum emptu-rus, unum giras negociatorem, & alterum, & ubi meliores veſtes inveneris, & precio vi-liori, ab illo comparat; an non oportet, populum circuire omnes Doctores, & inquirere ubi ve-ritas Chriſti venundatur, & ubi corrupta, & veriorem eligere pluſquam veſtimentum?* Ergo iuxta Chriſoſtomum, ſemper tenemur ſequi veriorem doctrinam in materia morum, cùm anima plus ſit, quàm veſtimentum. Item D. Bernardus lib. de præcept. & diſcipl. cap. 24. ait: *ut interior oculus* (nempe conſcientia) *ſimplex ſit, duo illi eſſe arbitror neceſſaria, charitatem in intentione, & in electione veritatem.*; ſed eligens opinionem minus probabilem, & tutam, non habet in electione veritatem; ſiquidem non eligit id, quod ſibi videtur probabilius, & veroſimilius: ergo.

50 Ad arg. ex Aug. reſp. neg. min.; nam probabilitas Academicorum conſiſtebat in opinione utcumque probabili, ſive prudenti, ſivè imprudenti, prout indicat ipſe M. P. lib. 2. *contra Academicos*, cap. 11. dicens: *id probabile vèl veroſimile Academici vocant, quod ad agendum ſine aſſenſione poteſt invitare*; id eſt, quod non meretur aſſenſum prudentem: è diverſo autem Probabilitas Theologorum non reperitur niſi in opinione rationabili, quæ nititur fundamento gravi, & meretur aſſenſum prudentem. Ad illud ex D. Chriſoſt. reſp., 5. Doct. loqui in materia fidei, in qua concedimus, non poſſe eligi opinionem minùs probabilem, ut conſtabit ſubſect. ſequenti; imò etſi loquatur in materia morum, vèl juris, ſeù circa honeſtatem actionis, acipit ly *veriorem*, non comparativè ad veram, ſed ad corruptam, ſeù falſam; opinio autem probabilior, & minùs probabilis, ſemèl ac certò in praxi probabilis ſit, non comparantur ſicut verum, & falſum, ſed ſicut verè probabile, & verè probabile penes magis, & minùs. Nec paritas de veſtimento convincit oppoſitum; tùm, quia in veſtibus facilè deprehenditur vilitas, mediocritas, & præcioſitas; ſed in opinionibus vere probabilibus non niſi valdè difficulter deprehenditur veritas; nàm multa probabiliora contingit eſſe falſa tùm, quia bonitas veſtium fal-

non dependet à prudenti exiſtimatione, & iudicio, ſicuti dependet bonitas moralis actionum.

51 Deinde immeritò confunditur ly *veriorem* cum ly *probabiliorem*; quia in bonis Summulis una propoſitio eſt probabilior, non tamen verior altera; quia veritas conſiſtit in indiviſibili conformitate intellectus cùm re, & ſic non ſuſcipit magis, & minùs, nec propriè dicitur una propoſitio verior altera; probabilitas autèm conſiſtit in apparientia veri, àc deſumitur ex mediis, quibus probatur propoſitio, & poſſunt eſſe plura, aùt efficaciora pro una propoſitione, quàm pro altera, & ſic probabilitas ſuſcipit magis, & minùs, àc una opinio propriè dicitur probabilior, quàm alia; quin ex eo, quod aliqua ſit minus probabilis, deſinat eſſe verè talis; ſicut homo non deſinit eſſe ſanus per hoc, quòd ſit minùs ſanus, cùm iuxta Ariſt. in Epiſt. Eth. 13. *ſanatis non eſt eadem commenſuratio in omnibus.* Ad aliud ex D. Bern. explic. mai.: & in electione veritatem, ſaltèm obiectivè, verè probabiliter, & exiſtimativè prudenter, , conc.; veritatem ſubiectivè, & certò preciſè, neg. hunc eſſe ſenſum S. Doct.; & neg. min. in hoc ſenſu, quia ſequens opinionem minùs, ſed verè probabilem, licet non eligat probabilius, & veroſimilius, tamèn eligit verè probabile, & veroſimile; ſicut intendens minùs bonum, relicto maiori, adhùc intendit bonum, poſitivè, & ſimpliciter tale.

52 Arg. 4. ex Sub. Doct. qui quæſt. 2. Prologi, in fine ait: *Et ſi obijcias, multa in actibus humanis ſunt dubia, utrùm ſint peccata mortalia, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis Doctorum, & Expoſitorum. Reſpondeo, non eſt dubia via ſalutis ſimpliciter, quia à talibus, tanquam à periculoſis debet homo, ſibi cavere, & abſtinere ſe, nè homo, dum ſe exponit periculo, incidat in peccatum*; ſed de obiecto opinionis minus probabilis, ſtantis pro libertate, etiam ſuppoſitis omnibus doctrinis, eſt dubium, àn ſit peccatum mortale: ergo eligens ipſam, non ſequitur certam viam ſalutis, iuxta Sub. Doct.. Deinde in 3. d. 25. q. 1. num. 8. inquit: *ſicut in moralibus, quandò ſunt altercationes de aliquo peccato, quando primò eſt mortale, ut ſi unus peritus in ſcientia dicat, quòd non licet ſic mercari, & alius dicat, quòd licet; tutius eſt non procedere ſic, nèc ſic, ſed expectare quouſque veritas pateat aliundè. Si enim ita eſſet, quod unus Doctor diceret, aliquem peccare mortali-*

ter, niſi ſic faceret, & alius quod peccaret ſi ſic faceret, tunc ſimplex foret perplexus : ideò benè videndum eſt in moralibus, antequam aliquid aſſeratur; ſed Probabiliſtæ dicunt, poſſe unumquemque eligere quod voluerit : ergo ſequendo ipſos, deſſerimus N.Subt. Magiſtrum. Præterea in 4. d. 11. q. 6. num. 2. ait: *cùm pars negativa multis ſit probabilis, non ſine peccato aliquis ſe exponit tali dubio*, nempe ſequendo affirmativam minùs probabilem, & minùs tutam: ergo iuxta Scotùm eſt illicitum ſequi iſtam, relicta illa.

53 Reſp., Doct. in primo loco potiùs nobis favere, ut patet ex num. 33., àc nullo modo eſſe contrarium noſtrę ſententiæ ; quarè explic. eius authoritatem poſitam pro maiori : *à talibus dubijs*, nempè non attingentibus veram, & Theologicam probabilitatem, nec potentibus certificare moraliter hominem de honeſtate operationis, *tamquàm à periculoſis debet homo ſibi cabere*, conc.,; *à talibus dubijs*, ſcil. attingentibus veram probabilitatem, & ſufficientibus ad cauſandam certitudinem moralem de honeſtate operationis, *tanquam à periculoſis debet homo ſibi cavere*, neg. hunc eſſe ſenſum Doctoris; & diſt min.: de obiecto opinionis utcumque minùs probabilis eſt dubiũ, conc. min.; de obiecto opinionis verè certò practicè eſtò minùs, probabilis, ſubdiſ.: eſt dubium practicũ, & proximum, àn ſit peccatũ, neg. min.: eſt dubium remotum, & ſpeculativum, iterum ſubdiſt.: potens determinari, & reſolvi in certitudinem moralem, conc.; impotens ita reſolvi, neg. min., & conſeq.

54 Ad 2. locum reſp. Doct. ſolùm dicere illud eſſe tutius, non verò obligatorium: imo licèt id aſſereret, deberet intelligi de opinione non attingente gradum vere probabilis, quia loquitur de altercatione duorum Doctorum, quorum neuter ſua authoritate facit ſententiam verè probabilem, generaliter loquendo, ut iàm manet dictum. Deindè non loquitur Doct. univerſaliter, ſed de homine imperito, & rudi, qui rationum momenta penetrare neſcit, atque adeò reſpectu illius nulla illarum ſententiarum eſſet verè probabilis. Quare ſic conceſ. mai. diſt. min.: Probabiliſtę dicunt, poſſe unumquemque eligere quod voluerit, & benè viderit, eſſe certò practicè probabile, conc. min.; quod voluerit, licet non ita benè viderit, neg. min., & conſeq., Ad 3. locum explic. Subt. Doct.: *non ſine peccato aliquis ſe exponit*

nit tali dubio in materia facti, & quoàd valorem Sacramentorum, de quo ibi loquitur, conc.; in materia juris, vel quo àd honeſtatem actionis, de quo non agit ibi, ſubdiſt.: non ſine peccato ſe exponit tali dubio practico, & proximo, conc.; purè ſpeculativo, & remoto, neg. hanc eſſe mentem Doct..

55 Arg. 5. à ratione: ſicut in difficultatibus moralibus tenemur inquirere veritatem, dùm latet, & eam ſequi, dùm perſpecta eſt; ita dùm eam attingere non poſſumus, debemus eligere id, quod nobis apparet propinquius veritati; nàm alias Chriſtianiſmus non eſſet ſchola veritatis, ſed ſpelunca erroris, ſi non teneremur veritatem inquirere, & quantum poſſumus ad eam accedere; ſed eligens ſententiam minùs probabilem relicta probabiliori, ſponte recedit ab eo, quod iudicat propriùs ad veritatem accedere, ut adhæreat oppoſitæ parti, quàm iudicat à vero remotiorem: ergo perversè agit, & peccat. Conf.: qui culpabiliter, & vincibiliter ſe exponit periculo erroris, peccat; ſed ita ſe gerit eligens ſententiam minus probabilem relicta probabiliori: ergo. Prob. min.. Qui non facit totum quod in ſe eſt ut attingat veritatem, quin potiùs videtur ab ea recedere, culpabiliter ſe exponit periculo erroris; ſed eligens opinionem minus probabilem, & deſſerens probabiliorem, non facit totum quod poteſt ut attingat veritatem, quin potiùs videtur ab ea fugere, ſiquidem recedit à probabiliori, quæ magis ad veritatem accedit: ergo.

56 Ad arg. neg. mai.; tùm, quia dùm certò, & evidenter perſpicitur veritas, etiam ex parte oppoſita perſpicitur falſitas, atque ad ò debet vitari iſta, & eligi illa; at dùm una pars apparet probabilior, veroſimilior, aut propinquior vero, adhùc de ipſa formidamus, quod poteſt ſubeſſe falſo, imò ſæpe contingit iuxa Philoſoph. 1. Eth. cap. 3. *falſa eſſe probabiliora veris*; & pars oppoſita, licèt appareat minùs probabilis, veroſimilis, aut accedens ad verum, minimè tamen apparet remotior, imò nèc remota, ſed poſitivè, verè, & propriè accedens ad ipſum verum ex fundamento gravi, quod poteſt movere, & determinare ad aſſenſum prudentem ipſius, non ut minùs probabilis, aùt minùs verę reduplicativè, ſed ut verè probabilis, ſeu probabilitèr veræ. Tùm, quia ſicut non tenemur eligere id, quod eſt, aùt apparet magis bonum, ſed quod eſt abſolutè, & ſimpliciter tale; ita non tenemur

eligere id, quod eſt, aut appa-ret veroſimilius, aùt propin-quius vero, ſed unicè quod eſt, aut apparet prudentèr ab-ſolutè verum. Nec inde ſequi-tur, quod Chriſtianiſmus ſit aliquomodo ſpelunca erroris, quin potiùs eſt ſchola verita-tis, à qua non recedit, nèc po-teſt exterminari uſus veræ pro-babilitatis, abſolutè, & ſim-pliciter talis; àc proindè nèc uſus minoris probabilitatis, quæ ſuponitur abſolutè, ſim-pliciter, & verè talis.

57 Ad conſ. conceſ. mai., neg. min.; ad cuius pro-bat. diſt. mai. quoàd 1. part.: qui non facit totum, quod in ſe eſt, ſed poteſt modo humano, ordinario, & ſufficienti, ut certò moraliter attingat veritatem, culpabiliter ſe exponit pe-riculo erroris, conc.; qui non facit totum abſolutè poſsibile, & extraordinarium, quod in ſe eſt, ut certò metaphyſicè, vel phyſicè attingat veritatem, neg. mai. quoàd 1. part., & conc. ipſam quoàd 2., nàm ſi cum fundamento videatur, ali-quem recedere à veritate, vi-detur etiam ipſum culpabili-ter ſe exponere periculo erro-ris. Diſt. ſimiliter min. quoàd 1. part.: eligens opinionem minus, aliàs verè practicè pro-babilem, & deſlerens proba-biliorem, non facit totum ab-ſolutè poſsibile, & extraordi-narium; quod poteſt, & ad quod non tenetur, ut certò Phyſicè attingat veritatem, conc. min.; non facit totum humano, & ordinario modo poſsibile, àc ſufficiens, ad quod tenetur, ut certò mora-liter attingat veritatem, neg. min. quoàd 1. part., & abſolu-tè quoàd 2.; ſiquidèm opinio, quantumvis probabilis, ad ve-ritatem non accedit certò, & evidentèr, nèc excludit omnem formidinem, aùt periculum fal-ſitatis, & erroris; ſicùt nèc opinio minùs probabilis; dum-modò ſit verè talis, recedit, quin potiùs accedit ad verita-tem quantùm ſufficit ad aſſen-ſum prudentem; atque adeò ſequens ipſam non videtur fu-gere à veritate.

58 Replic.: licèt opinio minùs probabilis, ſecundum ſe, & abſolutè conſiderata, poſsit apparere, & iudicari vera; tamen comparativè, & in conſpectu alterius probabi-lioris, nequit ita apparere, aut iudicari: ergo eligens ipſam ſequeretur errorem, & falſita-tem; àc proindè ageret illici-tè. Prob. antec.: intellectus non eſt potentia electiva, ſed naturaliter agens, & non po-teſt iudicare ſimùl vera duo contradictoria: ergo debet ne-ceſſariò exiſtimare verum, quod eſt probabilius, & minùs pro-babile iudicare falſum. Prob.

conſ-

conſeq. : potentia neceſſaria, & cognitiva determinatur ab obiecto ita, ut non poſsit iudicare de illo, niſi quatenus ſe ei repręſentat; ſed obiectum, quod apparet probabilius, ſe repręſentat ut verum prę illo, quod apparet minus probabile; nàm veritas conſiſtit in indiviſibili, & non ſuſcipit magis, & minus : ergo quod apparet probabilius debet iudicari, ut verum, & minùs probabile ut falſum. Conf.: ideò opinio minùs probabilis appareret, & iudicaretur vera in conſpectu probabilioris, quia adhùc in eius comparatione retineret ſuam probabilitatem, & poſſet movere ad aſſenſum prudentẽ; ſed hoc eſt falſum : ergo nequit apparere vera in illius conſpectu. Prob. min. primò : apparente luce ſententiæ probabilioris, à qua neceſſario trahitur intellectus ſicut bilanx à maiori pondere, ſtatim evaneſcit lux opinionis minùs probabilis, (quæ in conſpectu illius nequit trahere ad ſui aſſenſum ſicut lux ſtellarum apparente Sole diſparet, & occultatur: ergo. Prob. ſecundò ex D. Thoma 1. part. q. 50. art. 1. in reſp. ad 1. arg. ubi ait : *medium comparatum ad unum extremum videtur alterum extremum ſicut tepidum comparatum calido, videtur frigidum*; ſed opinio minus probabilis mediat inter improbabilem, & probabiliorem : ergo licèt comparata ad improbabilem, appareat probabilis, non tamèn in conſpectu, & comparativè ad probabiliorem. Prob. 3. illa min.: motiva opinionis minùs probabilis, utpotè minora, eliduntur à motivis alterius probabilioris; ſicut teſtimonium unius eliditur à teſtimonio plurium, qui teſtificantur oppoſitum : ergo illa in conſpectu iſtius non manet verè probabilis.

59 Ad replic. neg. antec., ad cuius probat. diſt. antec. quoàd 1. part.: intellectus non eſt potentia elective, attamèn quoad aliquos actus ſubiacet imperio, & electioni voluntatis, conc.; non eſt potentia elective, nèc ſubiacens electivę, neg. antec. quoad 1., & conc. quoàd 2., àc neg. conſeq.; ad cuius probat., diſt. mai.: potentia cognitiva determinatur ab obiecto, certò, & evidenter cognito, conc. mai.; ab obiecto tantùm obſcurè, aut opinativè attacto, neg. mai.; quia tale obiectũ non convincit, nèc determinat intellectum ad illius aſſenſum, ſeù ad illud acceptandum; prout docet D. Thomas quæſt. 14. *de veritate*, art. 1.; & in prima 2. in quæſt. 17. art. 4. in corp.. Diſt. etiàm min.;

ob-

obiectum, quod apparet probabilius, ſe repræſentat ut verum opinativè, ſeù probabiliter, vèl ut veroſimile, conc. min.; ſe repræſentat ut verum certitudinaliter, aut evidenter, neg. min.; & conſeq.; quia utraque ſententia apparet, & iudicatur probabiliter, & practicè vera, in quo nulla eſt contradictio, aut repugnantia; nàm, quando propoſitiones ſunt modales, & negatio poſita in una non afficit modum, ſed dictum, tùnc intellectus poterit ambas iudicare ſimùl veras, aut ſimùl falſas, utpote affirmativas, & non contradictorias, v. g. iſtæ duæ poſſunt ſimul iudicari veræ: *probabile eſt, ſilentium circunſtantiarum purè aggravantium eſſe licitum pœnitenti; probabile eſt, illarum ſilentium non eſſe licitum pœnitenti*; quia non ſunt contradictoriæ, utpote ambæ affirmativæ; nàm ad contradictionem modalium debet negatio afficere modum, & non dictum unius, dicendo: *ſilentium circunſtantiarum pure aggravantium eſſe licitum, eſt probabile: tale ſilentium eſſe licitum, non eſt probabile.*

6o Hinc etiam patet diſcrimen inter veritatem ſpeculativam, in re talem, atque apparentiam veritatis, veroſimilitudinem, aut vetitatem probabilem, & practicam; nam veritas ſpeculativa, cùm importet veritatem abſolutè ſumptam prout eſt in re, conſiſtit in indiviſibili, & explicatur per contradictoria immediatè; veroſimilitudo autem, & veritas practica non conſiſtit in indiviſibili, ſed habet latitudinem, eò quia non ſpectatur ex eo, quod res ita ſe habet à parte rei, ſed ex diverſis medijs, aùt motivis probabilibus, quæ poſſunt eſſe plura, vel pauciora, & inducere maiorem, vèl minorem probabilitatem, & veroſimilitudinem. Ad conf. replicæ conceſ. mai., neg. min.; ad cuius 1. probat. neg. antec.; quia ſolum apparente luce clara certitudinis, & evidentię, ac eius pondere neceſsitante, & convincente intellectum ad aſſenſum illius, evaneſcit lux ſuboſcura, incerta, & formidoloſa opinionis in contrarium, atque deprimitur eius aliquale pondus; attamen apparente unicè luce minus obſcura, & formidoloſa opinionis probabilioris, ac eius pondere aliquantulum plus inclinante, minime verò convincente ad eius aſſenſum, non evaneſcit lux, nèc deprimitur pondus opinionis minùs probabilis; ſicut apparente luce alicuius ſtellæ clarioris non diſparet lux alterius minùs claræ; nèc inclinante, aùt ponderante tantiſper una bilance,

alte-

altera omninò deprimitur, vèl deſinit gravitare.

61 Ad 2. probat. illius min. conceſ. mai., neg. min.; quia opinio verè, etſi minùs probabilis non ſe habet propriè ut medium reſpectu ſententiæ improbabilis, quin potius ut extremum illi oppoſitum, ſicut & opinio probabilior, cùm qua ſubſtantialiter convenit, àc ſolum accidentaliter differt intra lineam veræ probabilitatis; atque adeò adhùc in conſpectu, & comparativè ad probabiliorem videtur, & eſt verè probabilis. Ad 3. probat. eiuſdem min. reſp. neg. mai., & paritatem probat. imbibitæ; nàm ideò in quæſtionibus facti teſtimonium unius elidítur à teſtimonio plurium, qui teſtantur oppoſitum, quia talia teſtimonia ſunt ſimilia, homogenea, ſeù eiuſdem rationis, & habentia virtutes movendi ſimiles, & directè oppoſitas, atque adeò virtus minor vincitur, & enervatur à maiori; ſicut etiam pondera eiuſdem rationis poſita in duplici lance ſe invicem elidunt, vèl impediunt propter homogeneitatem, & directam oppoſitionem. Attamen motiva, & fundamenta in quæſtionibus juris ſunt heterogenea, diſſimilia, & habentia virtutes movendi diſſimiles, quarum una non opponitur directè alteri, atque adeò non eliduntur adinvicem, ſed quælibet, veluti diſparatè, poteſt etiàm inconflictu alterius movere intellectum ad aſſenſum prudentem propter veram illius probabilitatem.

62 Arg. 6.: non licet ſequi opinionem tantùm ſpeculativè probabilem, practicè verò improbabilem; ſed huiuſmodi eſt opinio minùs probabilis in favorem libertatis, in conſpectu probabilioris in favorem præcepti: ergo non licet ſequi illam minùs probabilem, relicta iſta probabiliori. Prob. min.: ut aliqua opinio ſit practicè probabilis, debet eſſe iuxta regulas rectæ rationis, & prudentię; ſed talis non eſt opinio minus probabilis ſtans pro libertate in concurſu probabilioris ſtantis pro præcepto: ergo non eſt practicè probabilis. Prob. min. primò: ut iuxta dictamen prudentiæ opinio minus probabilis præferretur probabiliori, deberet intereſſe aliquod motivum, ſeù bonum preponderans ad talem prudentem præferentiam; ſed non intereſt tale motivum, ſeù bonum præponderans: ergo illa præferentia non eſt prudens, nec conformis rectæ rationi. Prob. min.: præponderans illud bonum non eſſet honeſtum, ſed utile, aut delectabile; ſed præferre bonum utile, aùt delectabile bono honeſ-

neſto, eſt contra dictamen rectæ rationis, & prudentiæ: ergo. Prob. mai.: bonum honeſtum præponderat potiùs ad electionem opinionis probabilioris faventis præcepto: ergo ad electionem ſententiæ minùs probabilis faventis libertati nequit præponderare tale bonum, ſed utile, aut delectabile.

63 Prob. ſecundò illa min.: contra regulas rectæ rationis, & prudentiæ eſt, eligere viam periculoſam, relicta alia omninò ſecura, quandò commodè poteſt iſta eligi, & illa declinari; ſed periculoſa eſt via ſententiæ minùs probabilis faventis libertati; ſententia autèm probabilior favens præcepto caret omni prorſus periculo: ergo. Mai. conſtat; quia verum dictamen prudentiæ eſt, nè quis ſe exponat periculo, dum commodè poſsit illud declinare; iuxta illud Eccleſ. 3. *qui amat periculum, peribit in illo*; & Gloſſa cap. 1. de *ſent. excom.* in 6. ait: *ſtultus, & fatuus eſt, qui ſe diſcrimini committit.* Min. etiam patet; quia ſententia minùs probabilis in favorem libertatis ſubiacet periculo erroris, & tranſgreſſionis legis, quo omninò caret opinio probabilior in favorem præcepti. Prob. tertiò eadem min.: iuxta regulas prudentiæ debet homo non minùs, imò magis eſſe cautus in his, quæ pertinent ad ſalutem animæ, quàm in alijs, quę pertinent ad ſalutem corporis, vèl ad res temporales; ſed in iſtis ageret imprudenter, qui ſequeretur opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori: ergo multò magis imprudens erit ille, qui quoàd ſalutem animæ ſequatur opinionem minùs probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, Prob. quartò. illa min.: prudentia, utpote virtus intellectualis practica requirit certitudinem ſaltem moralem de ſuo obiecto; ſed eligens opinionem minùs probabilem, faventem libertati, in concurſu probabilioris, ſtantis pro præcepto, non habet certitudinem moralem de bonitate ſuæ operationis: ergo non operatur prudenter. Prob. min.: qui dubitat, vel formidat de honeſtate ſuæ operationis, imò illam iudicat potius malam, quàm bonam, non habet iudicium determinatum, nèc certitudinem moralem de illius bonitate; ſed qui ſequitur opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, in concurſu probabilioris, & tutioris, dubitat, vel formidat imò iudicat ſuam actionem potiùs eſſe illicitam, quàm licitam: ergo.

64 Reſp. ad arg. con-

ce-

ceſsis duabus mai., neg. primam, & ſecundam min., ad cuius 1. probat. poterat negari mai.; quia ex duobus bonis æqualibus, vel inæqualibus, abſolutè tamèn conducentibus ad finem intentum, poterit voluntas prudentèr eligere quod maluerit; ſiquidem non tenetur eligere melius. Cœterùm conceſ. mai.; neg. min., & diſt. mai. probat.: pręponderans illud bonum non eſſet honeſtum comparativè, ſeù melius; ſed utile, aùt delectabile, licitum tamen, & honeſtum abſolute, conc. mai. (ſiquidem tale bonum eſſet maior convenientia, quam inveniret voluntas in tali electione, vel uſus ſuæ libertatis, aut ſui juris in his, quę ſibi licent); illud bonum non eſſet honeſtum poſitive; ſed utile, aut delectabile, precisè tale, neg. mai.: & diſt. min.: prętterre bonum utile, aut delectabile, purè tale, bono honeſto poſitivè, eſt contra dictamen prudentiæ, conc. min.; prætterre bonum utile, aut delectabile, àc timul honeſtum, altero bono honeſto comparativè, ſeù meliori, eſt contra dictamen prudentiæ, neg. min.; & ad probat mai. diſt. antec.: bonum comparativè honeſtum, ſeù melius, pręponderat ad electionem ſententiæ probabilioris, faventis præcepto conc. antec.; bonum præcisè poſitivè honeſtum, neg. antec.; & diſt. ſimiliter conſq.: ad electionem ſententiæ minùs probabilis, faventis libertati, nequit præponderare tale bonum, nempè comparativè honeſtum ſeu meliùs; ſed utile, aut delectabile, licitum tamèn, & honeſtum abſolute, conc. conſeq.; nequit præponderare tale bonum, ſcil. poſitive honeſtum; ſed utile, aut delectabile, illicitum, aut inhoneſtum, neg. conſeq..

65 Ad 2. prob. illius min. reſp. diſt. mai.: contra regulas rectę rationis eſt, eligere viam proximè, & formaliter periculoſam, relicta alia omninò ſecura, conc. mai.; contra regulas prudentiæ eſt, eligere viam tantùm remote, & materialiter periculoſam, aliunde proximè, & formaliter tutam, relicta alia omnino ſecura, nego mai.; quia alias eſſet contra regulas prudentiæ ſequi opinionem probabiliſsimam, faventem libertati, relicta alia omnino ſecura in favorem præcepti; atque etiam obedire ſuperiori præcipienti aliquid certo probabiliter honeſtum, ſi timul ſit probabiliter, imò probabiliùs in honeſtum id, quod præcipitur; & miles non poſſet militare in bello tãtùm probabiliter iuſto, ex quo multa peccata mate-

ria-

rialia ſequuntur; cùm tamèn M. P. Aug. cap. *Quid culpatur in bello* 23. q. 1. doceat, illud eſſe licitum. Diſt. etiàm min.: via ſententiæ minus probabilis, faventis libertati, eſt periculoſa remote, & materialitèr, conc. min.; proximè, & formalitèr, neg. min., & conſeq.. Ad 3. probat. eiuſdem min. reſp. primò, illam æquè urgere contra uſum ſententiæ probabilioris, imò & probabiliſsimæ, faventis libertati, in concurſu tutioris, ſeù in favorem præcepti. Reſpondeo ſecundo diſt. mai.: non minùs, imò magis cautus debet eſſe homò in his, quæ formalitèr pertinent ad ſalutem animæ, quàm in illis, quę pertinent ad ſalutem corporis, vèl ad res temporales, conc. mai.; in his, quæ formalitèr non pertinent ad ſalutem animę, neg. mai.; & conceſſa min., neg. conſeq.; quia ad ſalutem corporis, & ad aſſecutionem rei temporalis pertinet formaliter efficacia medij prout eſt à parte rei, ita ut in illis æque noceat error materialis, ac formalis, atque eſſet imprudens, qui eligeret partem minus probabilem, & minùs ſecuram, relicta probabiliori, & ſecuriori; attamèn ad negotium ſalutis animæ formaliter ſolum pertinet exiſtimatio prudens, quamvis interdum res non ita ſe habeat à parte rei, ita ut ſolùm noceat error formalis, non verò materialis; atque adeo prudenter agit qui eligit ſententiam certò practicè, etſi minus probabilem; & minus tutam relicta probabiliori, & tutiori.

66 Ad 4. denique probat. illius min. diſt. mai.: prudentia requirit certitudinem, ſaltem moralem, in ultimo iudicio practicè practico de ſuo obiecto, ut hic, & nùnc eligibili, & operabili ſecundùm prudẽtem exiſtimationẽ, conc. mai.; requirit certitudinem in iudicio non ultimo, & ſpeculativo, aut ſpeculativè practico, de ſuo obiecto ſecundùm ſe, & proùt eſt à parte rei, neg. mai.; quia alias nèc etiàm eſſet prudens electio opinionis probabiliſsimæ, quæ cum retineat formidinem, & ſit expoſita errori materiali, non habet talem certitudinẽ de ſuo obiecto prout eſt à parte rei. Diſt. ſimiliter min.: eligens ſententiã minùs probabilẽ non habet certitudinem, adhùc moralem, in iudicio non ultimò, & ſpeculativo de honeſtate materiali operationis ſecundùm ſe, & à parte rei conſideratæ, permit. min. (quæ etiàm in hoc ſenſu poteſt negari, quia certitudo probabilitatis ſpeculativæ, & practicę, utpote nixa graviſsimis fundamẽtis, & teſtimo-

monijs, fundat certitudinem moralem de bonitate operationis adhuc à parte rei, quamvis relinquat formidinem aptitudinalem, & phyſicam de veritate talis opinionis); eligens ſententiam minus probabilem non habet certitudinem moralem in iudicio ultimo, & practice practico de honeſtate formali operationis, ut hic, & nùnc eliciţ ſecundum prudentem exiſtimationem, neg. min.; ad cuius probat. diſt. mai.: qui dubitat, vèl formidat actu, & ultimò practice de honeſtate formali operationis, ut hic, & nùnc elicitæ ſecundum eius prudentē exiſtimationem, imò prout ſic iudicat illam potiùs eſſe malam, quàm bonam, non habet iudicium certum, nèc determinatum de illius bonitate conc. mai.; qui dubitat, vel formidat aptitudinaliter, aut non ultimò practice ſed ſpeculativè de honeſtate materiali operationis ſecundùm ſe, & à parte rei, imò prout ſic opinativè iudicat illam potiùs eſſe prędicto modo malam, quàm bonam, non habet iudicium determinatum, nèc certum moraliter de illius bonitate, ſubdiſt.: non habet determinatum, nec moraliter certum iudicium ſpeculativum, & non ultimum, quod nec eſt proximè regulativum operationum moralium permit. min.; non habet determinatum, nèc moraliter certum iudicium practicum, & ultimum, quod eſt proximè regulativum actionum humanarum, neg. min., & conſeq..

67 Inſurges: ut iudicium reflexum: practicum, & ultimum ſit verum, certum: & rectum, debet fundari in iudicio directo, ſpeculativo, & non ultimo, quod ſit verum, certum, & rectum; ſed iudicium directum, ſpeculativum, & non ultimum eligentis opinionem minus probabilem, faventem libertati, in concurſu probabilioris in favorem prę-cepti, non eſt verum, certum; nèc rectū; ſiquidem potius inclinat in falſum, formidoloſum, & illicitum: ergo. Ad replic. diſt. mai.: ut iudicium reflexum, & practicum ſit verum &c., debet fundari in iudicio directo, & ſpeculativo, quod ſit probabiliter practicè, verùm, moraliter certum, & formaliter rectum, conc. mai.; quod ſit evidenter, aut certitudinaliter ſpeculativè verum, phyſicè certum, & materialiter rectū, neg. mai., & min. ſub eadem diſtinctione; quia iudicium directum, in quo proximè fundatur dictamen ultimum conſcientiæ eligentis illam opinionem, eſt aſſenſus huius duplicis propoſitionis nempe: *qui agit prudenter, operatur licitè &*

qui

qui ſequitur ſententiam certò practicè, etſi minus probabilis, in concurſu probabilioris, agit prudenter: quarum aſſenſus: utpote nixus authoritati, conſenſui, & praxi fere univerſali graviſsimorum Doctorum, eſt probabilitèr practicè verus, moralitèr certus, àc formalitèr rectus.

68 Arg. 7. ex noſtra ſententia ſequeretur primò, nullã fere inveniri certam regulam agendorum in moralibus; quia vix occurrit aliquid agendum, aut vitandum, de quo non adſint rationes probabiles pro utroque extremo; ſed hoc eſt maximum abſurdum: ergo non eſt ſuſtinendum. Sequeretur 2., poſſe Theologos ſuis doctrinis dilatare viam vitæ, laxare mores; at minimè poſſe homines ad arctam viam adſtringere, laxitatẽ conpeſcere, nec conſcientias ad veritatis normam regulare; nàm ad hoc inutiles eſſent omnes doctrinæ; ſed hoc eſt maximum inconveniens: ergo. Prob. ſequela: ſemèl conceſſa licentia ſequendi quamlibet opinionem probabilem, & veroſimilem, etiàm in concurſu probabilioris, & tutioris poſſent Theologi per latam illam ſemitam ducere homines, qui illos ſequerentur, & eis crederent, ita ut illi prævalerent, & adverſantes nihil proficerent: ergo. Sequer. 3., quod quæcumque opinio probabilis, ſivè magis, ſivè minùs, eſſet tantæ authoritatis ad regendos mores, quantæ eſt Summus Pontifex, vèl Concilium generale; ſed hoc eſt abſurdum intolerabile: ergo. Prob. ſequela: tota illorum authoritas conſiſtit in eo, quod ita ſit infallibilis regula morum, ut qui illam ſequitur, nedùm excuſetur à culpa, ſed etiam infallibilitèr rectè operetur; ſed hæc eadem authoritas tribuitur cuilibet opinioni probabili: ergo. Seq. 4. quod omnes opiniones probabiles eſſent æquè tutæ, cùm etiàm minùs probabilis, & favens libertati, ſit tutiſsima, & ſecuriſsima, ut contendunt Probabiliſtæ; ſed hoc abſurdum, utpote deſtruens illam famoſiſsimam diſtinctionem de opinione probabili magis, & minus tuta: ergo.

69 Reſp. neg. 1. ſequelam; quia ſempèr ac datur certa lex præſcribens agenda, vèl vitanda, tùnc etiam adeſt in moralibus regula certa; quandò autem lex eſt dubia, tùnc poteſt pro certa regula deſervire opinio probabilis; non quæcumque, nempè tenuis, aut probabilitèr talis, qualis ferè pro omnibus ſolet inveniri; ſed opinio gravitèr, & certo practicè probabilis, ni-

xa gravi rationum pondere, & D.D. authoritate, prout definitur ab Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. 4.: *illa, quam aſſerunt viri ſapientes; & confirmant optima argumenta.* Quam quidem ſequi pro regula agendorum, tàm longè abeſt quòd ſit abſurdum, quod quin potius docetur ab Eccleſiaſtico cap. 6. num. 35.: *in multitudine Presbyterorum prudentium ſta, & ſapientiæ illorum ex corde contangere.* Ad ſequelam reſp. neg. ipſam, & eius probat.; quia iuxta ſententiam noſtram non conceditur licentia ſequendi opinionem qualitercumque probabilem, & veroſimilem, ſed unice verè, certo, practicè, & prudenter talem, quam aſſerunt viri timorati, & ſapientes, eam que confirmat optimis argumentis; & licet ea non adſtringat nimis, aùt plùs quam oportet ut iugum Chriſti remaneat ſuave, & onus eius leve, nèc etiam dilatat nimis viam vitæ, vèl relaxat mores; ſed ad normam veritatis conſcientias dirigit, & mediam, ac ſecuram prudentiæ viam oſtendit, qua tutò procedamus, & neque ad dexteram per exceſum rigoris, neque ad ſiniſtram per defectum, aut laxitatem declinemus. Quin etiam ex noſtra ſententia ſequatur, quod improbabiles practicè, aùt inutiles redderentur ſententiæ probabiliores, & tutiores. Tùm; quia ſemper eſt utilis labor D.D. illas utrinque diſputantium, ut monſtretur quid bonum, quid que ſit melius, ac tandèm veritas attingatur, vèl inveſtigetur. Tùm, quia cum opinio minùs probabilis, favens libertati, ad ſui ſequelam per ſe non obliget; ſemper opinio probabilior in favorem præcepti manet probabilis, & eligibilis, imò per ſe eligibilior practicè, ita ut meliùs, & conſultius ſit, illam ſequi.

70 Ad 3. neg. ſequelam, & diſt. mai. probat.: tota authoritas doctrinæ Pontificis, vèl Concilij Generalis, conſiſtit in eo, quòd ita ſit infallibilis, tàm formaliter, quàm materialiter, tàm practicè, quàm ſpeculativè, & obligatoria regula morum, ut qui illam ſequitur, nedùm excuſetur, à culpa, ſed etiam infallibiliter rectè, tàm formaliter, quam materialiter operetur, & illam ſequi teneatur, conc. mai.; conſiſtit tantùm in eo, quòd ita ſit infallibilis, purè formaliter, & practicè, ac non obligatoria regula morũ neg. mai., & min. abſolute; quia opinio probabilis eſt regula fallibilis, ſaltèm materialiter, & ſpeculativè, & nedùm non obligat per ſe ad eius ſequelam, ſed

etiàm pluriès expedit agere contra illam adhùc in materia juris, ſeù quando agitur de honeſtate operationis, & non licet illam ſequi ſemper, & in omnibus materijs. Imò poteſt argumentum retorqueri contra uſum opinionis probabilioris, & probabiliſsimæ, quem tenentur concedere Adverſari. Ad 4. neg. ſequelam, & ſuppoſitum, nempè à nobis prætendi, quòd opinio minùs probabilis, favens libertati, ſit tutiſsima, & ſecuriſsima; ſiquidem dicimus, quòd licèt talis opinio ſit abſolutè, & poſitivè tuta, & ſecurè eligenda, tamèn tutior, ſecurior, & eligibilior eſt ſententia oppoſita, favens præcepto. Ex quibus patet ſolutio ad alia inconvenientia aducta ab Ill. Palanco.

70 Notare oportet, iuxta monitum N. Felicis Poteſtatis, quòd qui operatur iuxta noſtram opinionem ſequitur ſententiam in actu ſignato probabiliorem, & tutiorem; nàm ſententia concedens, licitè poſſe eligi ſententiam certò practicè, etſi minùs probabilem, quando agitur de ſola honeſtate actionis, eſt quidem probabilior: & probabiliſsima, ſoliditsimè fundata, atque frequentiſsimè à D. D. recepta; imo & poteſt dici moraliter certa ut inquit P. Viva ſup. 3. propoſit. damnatam ab Alex. VIII.. Eſt etiàm tutior; quia minuit conſcientiarum ſcrupulos, nimias anxietates, & timores àc innumera pericula peccati formalis; tutius autem eſt vitare pericula peccati formalis, quo Deus certo offenditur, quàm pericula alicuius peccati materialis, quo Deus non offenditur; cum ignorantia invincibilis, aùt verè probabilis, & ſufficiens ad aſſenſum prudentem, excuſſet à culpa formali.

SUBSECTIO II.

Impugnatur Probabiliſmus in alijs materijs.

71 Asser. 1: in materia fidei non licet ſequi opinionem minùs probabilem, relicta probabiliori. Eſt communiſsima, & conſtat ex prop. 4. damnata ab Innoc. XI., nempè: *ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minùs probabili.* Prob. primò: ideo in materia morum eſt licitum ſequi opinionem minus probabilē, quia in moralibus, adhibita qualibet diligentia, ſæpè non poteſt certitudo, & ipſa veritas attingi; ſed hoc facile poteſt attingi in materia fidei, iuxta illud Pſalm.: *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; nàm

Doc-

Doctus facile poterit penetrare ſigna evidentia credibilitatis, & Indoctus facile poterit inquirere, àc ex ſpeciali Dei illuſtratione certificari de vera fide: ergo. Prob. ſecundò: ideò in materia morum licet ſequi opinionem minùs probabilem, quia ipſa adhùc in conſpectu probabilioris, eſt verè certò practicè probabilis, tàm poſitivè ex eius ſolidis argumentis, quàm comparativè ad fundamenta opinionis contrariæ, per quæ non enervatur, quin potiùs illa verè probabiliter diſſolvit; ſed nulla opinio eſt verè probabilis contra veram fidem, nèc poteſt ut talis apparere citra omnem paſsionem, & adhibita diligentia ſufficienti, ad conſpectum ſententiæ probabilioris in favorem fidei, quæ illius apparientia motiva elideret, & illa argumenta iſtius non diſſolveret: ergo.

72 Argues: ſi damnatur in materia fidei ſequela opinionis minùs probabilis, etiàm damnabitur neceſsitas evidentię credibilitatis ad credendum; ſed hæc non damnatur quin potiùs requiritur: ergo nèc illa abſolutè damnari videtur. Prob. ſequela mai.: ex illa propoſitione damnata habetur, quod habens, maiorem probabilitatem de vera fide, peccabit peccato infidelitatis, ſi non credat illi, & relinquat opinionē minùs probabilē in favorē ſectæ cōtrariæ; ſed pro tùnc non habet evidentiam credibilitatis; ſed ſolam maiorem probabilitatem, quæ adhùc retinet aliquam formidinem: ergo. Reſp. neg. ſequelam, & antec. probat.; quia non eò peccat, quia pro illo tùnc, & cum ſola maiori probabilitate non credit, ſed quia ſic conſtitutus non inquirit ulteriùs veritatem, & evidentem credibilitatem veræ fidei, quā facile poſſet habere; atque adeò defectus inquiſitionis facit eius ignorantiam culpabilem, & non excuſat ipſum à peccato infidelitatis, quando non credit ductus opinione minùs probabili.

73 Aſſer. 2.: in materia facti, ſeù quandò agitur de valore, & efficacia actus, non licet, per ſe loquendo, ſequi opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori. Eſt receptiſsima in omni Schola, contra paucos. Prob. primò: ideò in materia juris, ſeù quoàd honeſtatem actionis, licet ſequi opinionē minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori, quia ubi non eſt lex certa, & ſufficienter intimata, non eſt homo certò obligandus ad ipſam; ſed in materia facti, ſeù quan-

do agitur de valore actus, eſt lex certa, & ſufficientèr intimata, obligans ad eligendam opinionem probabiliorem, & tutiorem, ſtantem pro ipſa lege: ergo tùm caſus non licet eligere opinionem minùs probabilem, & minùs, tutam, ſtantem pro libertatè. Prob. min.: eſt certa, àc ſufficienter promulgata lex Religionis, Iuſtitiæ, & charitatis obligans ad vitandam irreverentiam ſeù nullitatem ſacramenti, damnum ſpirituale, vèl temporale proprium, vèl alienum, quæ emminent ex ſequela opinionis minùs probabilis, & minùs tutæ, relicta probabiliori, & tutiori, in materia facti: ergo eſt certa lex obligans ad ſequelam probabilioris, & tutioris. Conf.: præceptum Religionis, Iuſtitiæ, & charitatis ad valorem actus, ſeu ad vitandam nullitatem, & illationem damni, eſt certum, & in certa poſſeſione obligationis; dubium autem eſt, an ſequens ſententiàm unicè probabilem, & minùs tutam ſatisfaciat tali obligationi? Ergo melior eſt conditio præcepti, quàm libertatis; àc proinde tenemur eligere probabiliorem, & tutiorem.

74 Prob. 2.: in tali materia, ſeù in huiuſmodi caſibus ſententia minùs tuta non eſt practicè probabilis: ergo tenemur ſequi tutiorem. Conſeq. patet. Prob. antec.: illa ſententia non eſt practicè probabilis, ex qua non poteſt deponi formido practica de inhoneſtate, & formari ultimum iudicium prudens, ſeù dictamen conſcientię moraliter certum de honeſtate operationis; ſed in præſenti materia non poteſt illud fieri ex ſententia minùs tuta: ergo. Mai. conſtat ex dict.s. Prob. min. formido practica in tali materia oritur ex periculo proximo invalidandi actum, vèl inferendi damnum: ergo quandiù operans non eſt certus de eo, quod ſua actione non ſe exponit periculo proximo nullitatis, vel illationis damni, tandiù nequit deponere formidinem practicam de inhoneſtate, nec formare ultimum dictamen practicè certum de honeſtate ſuæ operationis. Nunc ſic: ſed operans ex ſententia minùs tuta non poteſt ita certificari in tali materia: ergo in ea non poteſt deponi formido practica, nec formari conſcientia practicè certa ex opinione minus tuta. Prob. min. ſubſumpta: eventus nullitatis, aùt illationis damni non pendet à iudicio, ſivè directo, ſivé reflexo operantis, vèl ab eius exiſtimatione, ſed à poſitione, vèl non poſitione cauſarum, & requiſitorum à parte rei: ergo

ope-

operans ex ſententia minùs tuta nequit eſſe certus prædicto modo in præſenti materia.

75 Conf.: imprudenter operatur eligens ſententiam minùs probabilem, & minùs tutam, relicta probabiliori, & tutiori, in materia facti: ergo peccat. Prob. antec. primò: imprudenter operatur eligens ſententiam practicè improbabilem; ſed talis eſt ſententia minùs probabilis, & minùs tuta, in concurſu probabilioris, & tutioris, in materia facti ut patet ex §. antec.: ergo. Prob. ſecundò illud antec.: imprudenter operatur qui ſe exponit periculo proximo, & formali nullitatis actus, vèl illationis damni, quod nequit evitari, nèc dependet ab eius iudicio, quantumvis alioquin prudenti, quin potiùs timetur futurum re ipſa ex aliqua actione, quando illud periculum commodè poſſet vitare; ſed ita ſegerit eligens ſententiam minus probabilem, & minus tutam, relicta probabiliori, & tutiori, in materia facti: ergo operatur imprudenter; ſiquidem prudentia dictat, quòd in tali materia eſt adhibenda in praxi ea diligentia, & actio, qua tollatur periculum mali, quod timetur futurum à parte rei, quandò illa commodè poteſt adhiberi. Unde ſi quis videns inter arbores aliquod ſe movens, probabilitèr iudicaret eſſe feram, probabilius tamèn, aut probabiliter putaret eſſe hominem, deberet à iuculando interim abſtinere ob periculum gravis damni, quod re ipſa ſequeretur ex iaculatione, quouſque maiori, & ſufficienti diligentia adhibita, certò cognoſceret eſſe feram. Diximus in aſſert., *per ſe loquendo*; nàm per accidens, & in caſu extremæ neceſsitatis, quandò nequit illi ſuccurri alitèr quàm per ſequelam ſententiæ probabilis minus tutæ, eò quia tutior nequit practicari; tunc nedùm licitum, ſed etiàm debitum eſt ſequi ſententiam probabilem minùs tutam; ut patebit infra. Ex doctrina tradita inferuntur veluti corollaria aſſertiones ſequentes.

76 Aſſert. 3. per ſe loquendo, tàm in adminiſtrandis, quàm recipiendis ſacramentis, non licet ſequi opinionem probabilem, relicta tutiori, quoàd requiſita ad valorem ſacramenti, etiàm quoad iuriſdictionem. Prima pars, nempè Miniſtrum in conferendis ſacramentis non poſſe uti opinione probabili, relicta tutiore, quoàd illa ſaltèm requiſita ad valorem ſacramenti, quæ ſunt ex inſtitutione Chriſti; patet ex propoſ. 1. damnata ab Innoc. XI., ſcil.:

non eſt illicitum in ſacramentis conferendis ſequi opinionem probabilem de valore ſacramenti, relicta tutiore, niſi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni, iucurrendi. Ex qua ſic prob.: nunquam licet ſequi ſententiam practicè improbabilem; ſed talis eſt opinio minùs tuta Miniſtri quoàd valorem ſacramenti quantùm ad materiam, & formam eiuſdem: ergo. Prob. min.: practicè improbabilis eſt ſententia oppoſita decreto Pontificio, aût certo præcepto; ſed ſequela opinionis probabilis de valore Sacramenti, relicta tutiori, adverſatur expreſsè relatæ determinationi Pontificiæ; àc etiàm repugnat certo præcepto, tùm Religionis quo Miniſter tenetur non exponere ſacramentum periculo nullitatis, & irreverentiæ; tùm Charitatis, quo debet vitare damnum ſpirituale proximi; tùm iuſtitiæ (ſaltem ſi ſit Miniſter ex officio, v.g. Parrocus,) quo obligatur non defraudare ſuſcipientem ſuo jure, quod habet ut ſacramentum ipſi adminiſtretur abſque periculo fruſtrationis: ergo.

77 Diximus *per ſe loquendo*; quia per accidens, & in caſu neceſsitatis, ſaltem extremæ, licitum, imò debitum erit ſequi opinionem probabilem, imò, & dubiam, quando tutior, vel probabilis nequeat practicari; tùm, quia cum ſacramenta fuerint à Chriſto inſtituta ad ſalutem fidelium, ideò in caſu extremæ neceſsitatis, de mente Legiſlatoris videntur cedere ſuo juri, ſcil. *nè exponantur periculo nullitatis*, ut fideles non exponantur periculo damnationis. Tum, quia reverentię ſacramento debitæ ſufficienter conſulitur per appoſitionem conditionis prudenter conceptæ, ſcil. *ſi eſt vera materia, ſi es capax*, &c. Tum, quia Decretum Pontificium non comprehendit caſum extremæ neceſsitatis, ſiquidèm tunc opiniones aliàs minus tutæ evadunt tutiores comparativè ad ipſarum omiſſiones; & aliàs tunc non relinquitur ſententia tutior, ſiquidem non habetur, ſeu non poteſt practicari, ut ſupponitur. Quare oportet hic advertere tres regulas, quas adducit N. Sub. Doct. in 4. d. 3, q. 2. num. 10., & ait, obſervandas eſſe univerſaliter in omnibus quantum ad materiam, & formam ſacramentorum. Prima eſt: *ſi poſsibilitas adeſt, via tutiſsima eſt eligenda*, ſecunda: *ſi non adeſt poſsibilitas viæ tutiſsimæ, proxima eſt tenenda*, Tertia; *ceſſante impoſsibilitate, caute eſt ſupplendum, quod impoſsibilitas prohibebat.* Prima, & ſecunda con-

confirmant doctrinam traditam ; tertia verò docet , quod ceſſante caſu neceſsitatis , debet ſacramentum reiterari , etiam ſub conditione , ſeù confici iuxta ſententiam certam, vèl tutiorem.

78 Secunda pars aſſert., ſcil. Recipientem etiam teneri ſequi ſententiam tutiorem, vèl certam , relicta probabili minus tuta ; eſt plurium , & gravium D.D., quos citat , & ſequitur N. Holzmann, contra N. Sporet., & quoſdam alios. Prob. : ideò Miniſtrans tenetur ſequi ſententiam certam , vèl tutiorem , quia ſequendo probabilem minùs tutam , exponeret ſacramentum periculo nullitatis, & proximum periculo damni ſpiritualis ; ſed etiam Recipiens ſe exponeret ſimili periculo , ſi ſequeretur ſententiam minus tutam , relicta tutiore , vèl certa , quoàd requiſita ex parte ipſius Recipientis ad valorem ſacramenti: ergo. Tertia denique pars, nempe etiam quoàd juriſdictionem, non licere ſequi ſententiam probabilem minùs tutam , relicta tutiori , niſi opinioni probabili addatur circunſtantia, quæ reddat juriſdictionem moraliter certam ; eſt N. Felicis Poteſtatis cùm Cardenas, quos ſequitur etiàm Holzmann, contra alios. Prob.. juriſdictio ſpectat ad valorem ſacramenti, reſpectu cuius eſt requiſitum ad validam adminiſtrationem, ita ut ſine illa non minus fruſtraretur ſacramentum , quam ſine materia , forma , aut intentione requiſitis ad ipſum : ergo illicitum eſt ſequi opinionem probabilem quoàd juriſdictionem , relicta tutiori. Diximus , *niſi opinioni probabili accedat circunſtantia , quæ reddat juriſdictionem moraliter certam* , nempe ſi ſententiæ minus tutæ accedat determinatio Eccleſiæ , decisio Sacrorum Cannonū , communis ſenſus Theologorum , & Patrum; aut ſi opinio tutior ſit improbabilis , ſeù tenuis probabilitatis, aùt ſcrupuloſa; quia tùnc non ſumus in caſu opinionis purè probabilis , ſed in linea doctrinæ certæ.

79 Aſſert. 4 : Medicus (pariter chirurgus) tenetur; dùm poteſt, in ægrorit curād s ſequi ſententias , & applicare medicinas certas , vèl tutiores , relictis probabilibus minùs tutis. Eſt communis. Prob.: Medicus , tùm generali lege charitatis , tùm particulari Iuſtitiæ vi taciti pacti cum ægro initi , obligatur ad ferendam opem proximo indigenti , & procurandam ſalutem infirmi, meliori, & ſecuriori modo quo poſsit ; ſed hoc non præſtat, niſi ſequendo ſententias , & applicando medicinas proba-

biliores, & tutiores, relictis, minùs probabilibus, & minùs tutis: ergo illas tenetur præferre, & applicare. Si verò ſententiæ, & medicinæ, quæ poſſunt practicari; ſint æqualitèr probabiles, poterit Medicus adhibere quamlibet ex illis; quia tunc proſpicit ſaluti meliori modo, quo hic, & nunc poteſt.

80 Aſſert. 5.: Iudex tenetur iudicare ſecundum ſententiam, quæ inſpectis allegationibus, & probationibus, eſt probabilior, & Iuri conformior; ſi autèm proutraque parte ſtet æqualis probabilitas, neutri poteſt magis favere nèc uni pro libito cauſam adiudicare; ſaltèm cæteris paribus. Prob. 1. pars primò authoritate Innoc.XI. damnantis hanc propoſitionem, quę eſt 2. in ordine: *probabilitèr exiſtimo, Iudicem poſſe iudicare iuxta opinionem etiam minus probabilem*: ergo. Prob. ſecundò ratione: officium Iudicis à Republica inſtituti, & pactum tacitè cùm ea initum, inducit obligationem ferendi ſententiam iuxta merita cauſæ ad rectam rationem, & æquitatem; ſed recta ratio, & æquitas dictat, quod ea pars, quę in iudicio oſtendit ſuam cauſam probabiliorem, potiùs mereatur ſententiam pro ſe, quam contra ſe: ergo. Prob. 3.: Iudex, utpote perſona publica, debet ut talis, & non ut perſona privata iudicare, ita ut eius munus ſit, iudicium ferre ſecundum allegata, & probata, ſeù ſecundum cognitionem publicè in actis deductam, non verò ſecundum cognitionem, ſeù iudicium proprium ex ſe formatum, ſed ſi iudicaret ſecundum ſententiam minùs probabilem, vèl cauſam adiudicaret illi, qui minùs jus probatur habere, potiùs ſe gereret ut perſona privata, quàm publica, & magis iudicaret ſecundum cognitionem propriã, quàm publicè in actis deductã: ergo. Prob 4. *pro Iudice ſemper jura præſumunt*. prout eſt in Iure expreſum; ſed non eſſet iuſta talis præſumptio, ſi Iudex non eſſet obligatus ſequi ſententiam probabiliorem: ergo.

81 Secunda pars aſſert. Prob. primò: Iudex ſolùm poteſt, & tenetur adiudicare cauſam illi parti, cui competit maius, & probabilius jus ad ipſam: ergo ſi penſatis meritis cauſæ, deprehenditur non eſſe maius jus pro aliqua parte, nequit Iudex magis favere illi, nèc alicui totam rem adiudicare, ſine iniuſta perſonarum acceptione. Conf. primò: æquitas exigit, quòd Iudex nullam inducat inæqualitatem, dùm Iura ſunt æqualia pro utraque par-

parte; ſed inæqualitatem induceret, ſi ſtante pro illis æquali Iure, totam rem adiudicaret uni: ergo. Conf. 2. ſi Iudex in caſu æqualitatis poſſet adiudicare cauſam parti, cui maluerit, poſſet pecuniam accipere pro illo favore; ſed hoc eſt illicitum, & damnatum ab Alexandro VII. qui proſcripſit hãc propoſ. 26.: *Quandò litigantes habent pro ſe opiniones æquè probabiles, poteſt Iudex pecuniam accipere pro ferenda ſententia in favorem unius præ alio*: ergo. Prob. ſequela mai.: licet Iudex ex iuſtitia teneatur ferre ſententiam debitam, & iuſtam, atque pro ea ferenda, utpote re aliàs debita, non poſsit aliquid accipere, tamèn in caſu præſenti non teneretur ferre ſententiam pro uno potius, quàm altero litigannte: ergo relinqueretur locus favori indebito, àc proindè poſſet Iudex pecuniam accipere pro illo. Diximus, *ſaltèm cæteris paribus*; nam ſi aliqua pars eſſet in legetima poſſeſione, vèl haberet cauſam favorabilem de Iure, uti eſt cauſa dotis, matrimonij, & quotiès agitur de valore actus, pro quo de jure ſtat præſumptio, tunc iudicandum foret pro poſsidente, vèl habente cauſam favorabilem; cùm hoc reddat jus maius aliquomodo pro illa parte.

82 Aſſert. 6.: Advocatus licitè patrocinatur cauſæ minus, verè tamèn probabili, relicta probabiliori, dummodò adſit prudens ſpes victoriæ, & Clientem moneat de minori probabilitate ſuæ cauſæ. Eſt communis. Prob. tùm ex Authent. *Hodie jurant.* §. *Patroni.* Cod. *de Iudicijs*, ubi Advocatos ſolùm prohibetur patrocinium præſtare in cauſa *improba*, vèl *penitùs deſperata*, & *ex mendacibus allegationibus compoſita*; ſed cauſa verè, eſtò minus probabilis, non eſt huiusmodi: ergo. Tùm, quia ſæpè cauſa, quæ uni minus probabilis, alteri probabilior apparet. Tum, quia Advocatus gerit munus ſui Clientis: ergo ſicut iſte poteſt licite per ſe ipſum tueri ſuam cauſam minùs probabilem, etiàm per ſuum Advocatum; nàm iuxta regulam Iuris: *poteſt quis per alium, quod poteſt per ſe ipſum facere.* Tùm, quia nulla exinde iniuriam infertur parti contrariæ, cùm Advocatus non definiat cauſam, ſed decidendam relinquat Iudici, omnibus auditis: ergo. Dicitur, *dummodò adſit prudens ſpes victoriæ, & Clientem moneat de minori probabilitate ſuæ cauſæ*, quia ut licitè ſe gerat Advocatus neceſſarium eſt, quòd diligenter conſiderata, & comperta æquitate cauſæ ſibi propoſitæ, aperiat Clienti quantum

tam probabilitatem, & ſpem victoriæ habeat, nè ipſum invitum fruſtrà in ſumptibus involvat; & quod ſit paratus quàm primum à patrocinio abſtinere, in progreſſu litis iniquitatem manifeſtè deprehenderit; nàm aliàs eſſet cauſa expenſarum, & damnorum Clientis, & ſic obligatus ad reſtitutionem.

83 Argues 1. contra 2. aſſert.: qui prudenter operatur, rectè, licitè, & iuxta rectæ rationis dictamen operatur; ſed qui operatur iuxta opinionem verè, eſtò minùs, probabilem, prudenter operatur in omni materia: ergo. Prob. min. primò: eadem eſt natura, & ratio opinionis probabilis in omni materia: ergo ſi fundat dictamen prudens in una, etiam in altera, & in omni. Prob. ſecundò eadem min.: opinio verè probabilis, proùt talis, movet ad ſenſũ prudentem: ergo. Conf.: lex charitatis ſtrictius nos obligat ad vitandum periculum offenſæ Dei, & damni ſpiritualis proprij, quàm ad vitandum periculum offenſæ, vèl damni temporalis proximi, ſed non obſtante illa maiori obligatione, poſſumus in materia Iuris, ſeù quoad honeſtatem actionis, ſequi opinionem minus probabilem: ergo etiam in materia facti, ſeù quoad valorem actus. Urge.: ſi pro implenda obligatione Religionis, Iuſtitiæ, aut charitatis, deberet eligi opinio probabilior, & tutior, ſequeretur, nunquàm non eſſe tutos in moralibus; quia ſemper dubitaremus, an talis electa opinio eſſet probabilior, & tutior; ſed hoc eſt inconveniens: ergo.

84 Ad arg. conceſ. mai., neg., vèl diſt. min.: qui operatur iuxta opinionẽ vere practicè, probabilem, prudenter operatur, conc. min.; tantùm ſpeculativè probabilem, neg. min., & conſeq.; quia in materia facti opiniones minùs probabiles, & minùs tutæ, ſunt improbabiles practicè, quia ex ipſis non poſſumus formare iudicium moraliter, & practicè certum, dictans hic, & nùnc eſſe licitum omittere abſque illa cauſa rationabili modum certum aùt ſaltèm probabiliorem, & tutiorem, quo vitetur periculum realis damni, & formalis culpæ. Ad 1. probat. min. neg. antec.; quia in materia Iuris, ubi honeſtas actionis totaliter pendet à prudenti exiſtimatione, hæc ſufficienter fundatur in ſententia probabili; attamen in alijs materijs, in quibus valor, & efficacia actus non pendet ex iudicio noſtro, ſed ex natura rei, vèl ex inſtitutione alterius, opinio probabilis non eſt fundamentum ſufficiens dictaminis, nèc elec-

tio-

tionis prudentis. Ad 2. probat. diſt. antec. : opinio practicè probabilis, prout talis, movet ad aſſenſum prudentem, conc. antec.; opinio tantum ſpeculative probabilis; ſubdiſt.: movet ad aſſenſum ſpeculativum veritatis opinionis, conc.; ad aſſenſum practicum bonitatis operationis elicitæ ex ſententia probabili, neg. antec., & conſeq.

85 Ad conf. diſt. mai.: lex charitatis ſtrictius nos obligat ad vitandum periculum proximum, & formale offenſæ Dei, & damni ſpiritualis proprij, quam. &c. conc. mai.; ſtrictius nos obligat ad vitandum periculum remotum, & materiale offenſę Dei, & damni ſpiritualis proprij, quàm ad vitandum periculum proximũ, & formale offenſæ, vèl damni temporalis proximi, neg. mai. & conceſ. min. ſub diſtinctione data, neg. conſeq.; quia non adeò rigide Deus nos obligavit ad honeſtatem actuum, ut iſti ſemper conformari debeant obiecto virtutis ſecundum eſſe ſubiectivum, quod habet à parte rei, vèl in mente Divina; cum ſit moraliter impoſſibile quòd pro hoc ſtatu aſſequamur exploratam veritatem rerum; ſed obligavit nos ad agendum ex dictamine, quos probabiliter habere poſſumus de rerum veritate; unde operando cum tali confirmitate ad prudentem exiſtimationem, per quam proximè nobis proponitur lex præcipiens, non exponimur periculo violationis formalis, ſed tantum materialis, dùm agitur de honeſtate actionis. At dùm agitur de valore actus, cùm iſte non dependeat ex iudicio noſtro, ſed ex natura rei, vèl ex voluntate, & ex inſtitutione alterius; ideò contra legem, & prudentiam eſt, operari ex opinione tantum probabili, relicta probabiliori, & tutiori; nam lex, & prudentia dictat, quòd in tali materia adhrbeatur, dùm commodè poteſt, ea actio, qua vitetur periculum mali, quod re ipſa futurum timetur. Ad urgent. neg. ſequelam mai. quoad materiam facti, de qua loquimur; quia quando agitur de natura, conditione, aùt valore facti, non poteſt negari, quod ſunt regulæ certiores, & notiores, quàm in materia juris, ſeù quoad honeſtatem actionis; atque adeò imitando illas regulas tollitur omnis perplexitas, & anxietas, etiamſi obligemur ad probabiliorem, & tutiorem in tali materia.

86 Argues 2. contra 2. part, tertiæ aſſert.: pœnitens licitè recitet in confeſſione circunſtantias aggravantes peccatum intra eandem ſpeciem;

ſpeciem; ſed tutius eſt, illas confiteri: ergo Recipiens ſacramentum poteſt licitè ſequi ſententiam minùs tutam, relicta tutiori, etiàm ſi agatur de valore ſacramenti, uti eſt integritas confeſsionis. Reſp. conceſ. mai. (iuxta ſententiam valdè probabilem de non obligatione confitendi tales circunſtantias notabiliter aggravantes,) diſt. min.: tutius comparativè eſt illas confiteri, conc. min.; tutius adverſativè, ita ut illas reticere bona fide (nempe ob probabilitatem ſententiæ aſſerentis, non eſſe obligationem illas confitendi) non ſit tutum abſolutè, neg. min.; & conſeq., imò ſuppoſitum, ſcil. quòd quæſtio an teneamur confiteri tales circunſtantias? Vertatur de aliquo requiſito ad valorem ſacramenti, quod eſt falſum; nàm talibus circunſtantijs tacitis bona fide, & cùm prudenti dictamine formato ex illa ſententia probabili, adhùc ſit confeſio formaliter, & moraliter integra, imò etiam materialiter, & phyſicè, ſaltèm ex prudenti exiſtimatione quàtum requiritur ad debitam integritatem confeſionis; paritèr àc dùm quis inculpabilitèr obliviſceretur illas confiteri; vèl quandò non confitetur operationem, quàm prudentèr exiſtimavit eſſe licitam ex opinione probabili: quod non eſſet verum, ſi expreſsio talium circunſtantiarum eſſet unum ex requiſitis ad valorem Sacramenti. Quarè illa quæſtio ſolùm verſatur circa præceptum, & obligationem illas confitendi; ubi poteſt eſſe locus uſui oponionis probabilis minùs tutæ, iuxta dicta in ſubſect. antecedenti.

87 Argues 3. contra eandem part.: Miniſtrans obligatur ſtrictius ad procurandum valorem ſacramenti, quàm Recipiens: ergo non eſt eadem ratio de utroque. Conf.: Miniſtrans non habet difficultatem, ſaltèm tantam, ad ponenda ex parte ſui requiſita ad valorem ſacramenti, quantam habet Recipiens, v. g. in eliciendo dolorem, & propoſitum, aùt ſe explicando &c.: ergo licet Miniſtrans adſtringatur ad ſequelam ſententiæ tutioris, tamèn Recipiens non debet ad illud adſtringi. Ad arg. admiſſo antec., diſt. conſeq.: non eſt par ratio quoàd obligationem comparativè inſpectam, ita ut Miniſtrans magis obligetur, quàm Recipiens, tranſeat; quoàd obligationem abſolutè ſumptam, ita ut Miniſtrans, non autèm Recipiens ſit obligatus ad ſequelam tutioris, neg. conſeq.. Ad conf. permit. antec., quod poteſt negari, quia etiam Miniſter pluriès habet tantam difficultatem ad

po-

ponenda requiſita ex parte ſui, quantam poteſt habere Recipiens. Neg. conſeq.; quia difficultas, quam ſupponimus habere Recipientem Sacramentum, non eſt tanta, ut eum excuſet à praxi ſententiæ tutioris; ſicut nec maior difficultas, quam aliquis ſentit in ſervanda caſtitate, ieiunando, &c. eum excuſat à continentia, ieiunio, &c.

88 Argues 4. contra 3. part. eiuſdem aſſert.: Sacerdos, probabiliter exiſtimans ſe habere iuriſdictionem abſolvendi, licitè abſolvit: ergo quoàd iuriſdictionem licet ſequi ſententiam probabilem, relicta tutiore. Diſt. antec.: Sacerdos, purè probabiliter exiſtimans ſe habere iuriſdictionem, ſeù non concurrente aliqua cauſa, quæ reddat iuriſdictionem practice certam, licitè abſolvit, neg. antec.; ſimùl certò practicè iudicans, ſe habere iuriſdictionem ex cauſa concurrente, quæ illam reddit practice certam, conc. antec.; & diſt. ſimiliter conſeq.. Cauſa igitur reddens iuriſdictionem, aliunde probabilem, certam practice, eſt ſupplerio Eccleſiæ, quæ in caſu quo Sacerdos habet titulum putativum, vèl coloratum à legitimo ſuperiore collatum, ob quem errore communi creditur illum Sacerdotem habere iuriſdictionem, tunc ſupplet defectum iuriſdictionis, quam Sacerdos putat probabiliter habere, & re ipſa non habet, atque adeò eam reddit practice certam.

89 Argues 5. contra aſſert. 4.: Medicus ſpiritualis poteſt adhibere remedium probabile, & abſolvere pœnitentem ſecundum iſtius opinionem minùs probabilem, & minùs tutam, contra probabiliorem, & tutiorem ipſius confeſarij: ergo ſimiliter Medicus corporalis in curatione infirmi poterit adhibere medicinam probabilem, relicta tutiore. Conceſ. antec., neg. conſeq.; diſparitas ſufficienter patet ex diſtinctione inter materiam juris, & materiam facti. Quam diſparitatem optime declarat Henriquez in *Proœmio ſummæ* his verbis: *Errare cum Platone, aut inſigni Theologo, dùm latet ignota veritas ſpeculativa, non nocet in praxi: in quo Theologus differt à Medico, qui, ſi morbi vim, quamvis ſine culpa, ignoret, necis occaſio eſſe ſolet: ſed qui ſapientum, & prudentum ſententiæ acquieſcit, nullum patitur periculum conſcientiæ; Deus enim ita nobis ignorantibus indulget ut eam ſententiam confirmet ad ſalutem, ut per Medicum ſpiritualem ſanet etiam vulnera, quæ inculpabili ignorantia ignota ſunt.*

90 Ar-

90 Argues 6. contra 5. aſſert. : in cauſis criminalibus Iudex poteſt, & debet amplecti opinionem minùs probabilem, quandò hæc eſt Reo favorabilis : ergo non ſemper tenetur ſequi probabiliorem. Prob. antec. : tùm, quia ad pœnam, ſaltem ordinariam, Reo infligendam, requiruntur *probationes luce meridiana clariores; cùm ſatius ſit impunitum relinquere facinus nocentis, quàm innocentiam damnare* : leg. 5. ff. *de pœnis*; ſed non adſunt huiuſmodi probationes, quàndò cauſa Rei adhùc exiſtit probabilis : ergo. Tùm, quia ex Reg. 11. Iuris in 6. : *quando jura partium ſunt obſcura, Reo favendum eſt potiùs, quàm Actori* : ergo. Reſp. diſt. antec.: in criminalibus Iudex poteſt, & debet ſequi opinionem directam minùs probabilem, ſi iudicium ultimum, ſeù opinio reflexa ſit practicè probabilior, conc. antec.; alitèr neg. antec., & conſeq.; quia ſemper verificatur, Iudicem teneri amplecti ſententiam probabiliorem, vèl directam in Civilibus, vèl reflexam in Criminalibus; ſiquidem in his, & in favorem Rei licèt opinio directa ſit minùs probabilis, tamèn probilior eſt opinio reflexa, ſeù iudicium ultimum, iuxta quod eſt decidendum; quare ait Cardenas, quòd licèt hæc propoſitio directa : *Iudex non tenetur admittere appellationem in cauſa capitali* : eſſet ſpeculativè probabilior; tamèn Iudex ſic reflexè diſcurrit *Hæc opinio, quòd Iudex tenetur admittere appellationem in cauſa capitali, eſt Reo favorabilis: igitur eſt deducenda ad praxim*; & tunc ſequitur opinionem reflexam probabiliorem practicè.

91 Argues 7. contra 6. aſſert. : Iudex non poteſt ferre ſententiam pro parte minus probabili: ergo nec Advocatus poteſt illam defendere. Prob. conſeq. : nemo poteſt ſuadere, aùt inducere alterum ad id, quod eſt ipſi illicitum; ſed Advocatus patrocinans cauſæ minùs probabili, ſuadet, & inducit Iudicem ad ferendam ſententiam, quam non licet: ergo. Conf. : Princeps non poteſt bellum inferre alteri, pro quo ſtat maior probabilitas: ergo nèc Advocatus poteſt patrocinari illi, qui movet litem judicialem contra alterum habentem maiorem probabilitatem. Ad arg. conceſ. antec., neg. conſeq.; ad cuius probat. conceſ. mai., neg. min.; quia Advocatus non intendit ſuadere; aùt inducere Iudicem, ut ferat ſententiam pro parte cognita minus probabili; ſed ſolùm intendit repræſentare jura, & rationes ſuæ par-

partis, ut inde Iudex ferat iuſtam ſententiam, omnibus examinatis. Ad conf. Conceſ. antec., neg. conſeq.. Diſparitas eſt; quia per litem iudicialem unice fit inquiſitio veritatis,& Advocatus tuetur, àc proponit jura ſui Clientis, ut Iudex decidat expenſis fundamentis utriuſque partis. E contra illatio belli eſt ipſamet executio ſententiæ, & Princeps illud movens eſt ſimùl litigans,& Iudex, qui fert ſententiam in ſui favorem; atque adeò nequit bellum inferre contra alterum, qui habet maiorem probabilitatem. Hæc pro hoc tractatu ſatis ſint, & in Dei laudem cedant. Amen.

TRA-

TRACTATUS XIII.

DE

EXTERNA ACTUUM HUMANORUM REGULA,

SEU DE

LEGIBUS.

UM, ſicùt Conſcientia eſt regula interna, & proxima humanorum actuum, ita Lex ſit regula externa, & remota illorum; & cum iuxta Apoſtolum, peccatum non niſi per legem cognoſcatur; ideò recta doctrinæ methodus exigit, quod poſt tractatum de Conſcientia, & per priùs ad tractatum de Peccatis, tractemus de Legibus; de quibus pertranctant Iuriſconſulti in ordine ad Forum externum, ad regimen, pacem, iuſtitiam que politicam Reipublicæ; Theologi verò in ordine ad

Fo-

Forum internum, ad regimen, & directionem humanarum actionum ad finem ultimum aſſequendum. Et quia prius eſt agere de univerſali, quàm ad particularia deſcēdere, ideò ſit.

DISPUTATIO I.

De Lege in communi.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Lex?

1 LEX, iuxta nominis etymologiam, dicitur primo à *legendo*; quia leges olim ſolebant in publicis tabulis ſcribi, & populo legendę proponi; vèl quia illas frequenter legendo ſunt in corde tenendæ, & meditandæ. Secundò ab *eligendo*; quia eſt regula eligendorum. Tertio, & magis propriè (iuxta Sub. Doct. in 4. d. 15. q. 2. num. 6.) dicitur à *ligando*; quatenùs homines ligat, ſeù obligat ad aliquid præſtandum, vèl omittendum. Lex ſolet latiſsimè ſumi pro quacumq; agendorū norma, ſivè regula; ſic regulæ cuiuſlibet artis, v. g. Grammaticæ, dicuntur leges grammaticales; ſic etiam propenſio rei naturalis ſolet vocari lex, qualiter D. Paulus agnoſcit legem membrorū repugnantem legi mentis ipſius. Minùs latè ſumitur lex pro quacumque regula, vèl norma, etiam iniuſta, quam homo ſibi proponit, aut alijs præſcribit, iuxtà illud Iſaiæ cap. 10: *væ qui condunt leges iniquas.* Propriè autèm ſumitur lex pro regula recta, qua actiones humanæ diriguntur in ſuum bonum, & prout ſic de illa loquimur. Solet autèm Lex nuncupari *Ius*, quia iubet, decernit, ac præſcribit quod iuſtum eſt: ſic dicimus Ius Naturale, Ius Divinum, Ius Eccleſiaſticum, aùt Civile. Nominatur etiam *ſtatutum*, eò quia eſt ſtabilis, & firma; vèl quia ſtatuit, & decernit ſolida, & ſtabilia. Dicitur quoque *Conſtitutio*, quatenùs eſt quaſi communis *ſtatutio*. His de Lege quoàd quid nominis præmiſsis; de illa quoàd quid rei ſit.

2 Aſſertio 1. pro prima part, quæſt.: Lex eſt: *ordinatio rationis ad bonum commune, ab eo qui curam habet, Communitatis promulgata. Vel eſt regula conſtans, & vera honeſtæ operationis, indita, vèl preſcripta à legitimo Superiore Communitati, ſibi ſubiectæ, in bonum commune, & cùm voluntate illam perpetuo obligandi ad aliquid agendum, vèl omittendum.* Ita in re D. D. communiter, licèt quoàd verba formalia vix unus alteri con-

ſonet. Prob.; quia ſic ſufficienter explicatur natura Legis in communi ſecundùm eius genus, & differentiam, ut patebit diſcurrendo per ſingulas particulas. Dicitur primò *regula*; & hoc ponitur loco generis, per quod convenit cùm ſyndereſi, & conſcientia, quæ ſunt etiàm regulæ, etſi internæ, & proximæ, dictantes, & intimantes legem. Secundò dicitur *conſtans*, quia perpetuitas eſt de ratione legis, quę per hoc differt à quibuſdam mandatis, quæ ſunt ad tempus determinatum præcipientis. Dicitur *vera*, ſeù recta, quia debet tendere, àc dirigere in bonum, & provenire à recta ratione, & ideò additur *honeſtę operationis*; per quod etiam exprimitur, quod ut operatio ſit honeſta, & laudabilis, debet dirigi per legem & conformari ipſi. Dicitur *indicta, vèl præſcripta*, ut comprehendatur tàm lex naturalis, quæ eſt indita, quàm lex poſitiva, quæ eſt præſcripta à Deo, vèl hominibus. Dicitur *à legitimo Superiore*; quia requirit poteſtatem juriſdictionalem, & ſublimem, ſeù independentem in ſuo ordine. Quare non ſufficit poteſtas ſubordinata, & dependens, quàm habent Iudices tàm ordinarij, quàm delegati; & multò minùs ſufficit poteſtas dominatiba, aut œconomica, quam habet pater erga filium, maritus erga uxorem, dominus in ſervum &c.

3 Dicitur *Communitati ſibi ſubiectæ*; quia debet eſſe lata communitati, ſeù hominum multitudini ſub uno capite, ad differentiam ſimplicis præcepti, quod poteſt imponi perſonæ particulari. Ubi per communitatem non intelligitur quælibet hominum multitudo, v. g. aliqua familia domeſtica, conſtituens unicè communitatem imperfectam, quæ regitur poteſtate dominativa, & œconomica Patriſfamilias; ſed intelligitur multitudo moralitèr unita ſub uno Capite, eam gubernante cum poteſtate politica juriſdictionis, & bonorum communium participatione; nàm hæc ſola eſt Communitas perfecta, & habet rationem Reipublicæ. dicitur *in bonum commune*; quia finis primarius Legis eſt commune, & publicum, non vero particulare, aut privatum. Dicitur *cùm volantate perpetuò*; non quidem perpetuò poſitivè, ita ut mutatis circunſtantijs lex non poſsit mutari, aùt abrogari; ſed tantùm negativè; & indefinitè, quatenus à Legiſlatore non limitatur ad certum tempus, vèl terminum in ipſa definitum. Dicitur *obligandi* &c. quia lex dicitur *à li-*

ligandi, & per hoc diſtinguitur ab exortatione, monitione, & conſilio, quæ non habent rationē propriā legis, quia non inducunt ſtrictā obligationem. De ſingulis iſtis conditionibus infrà patebit amplius.

4 Aſſertio 2. pro ſecunda part. quæſt.: Lex ut ſic immediate dividitur in *naturalem, & poſitivam*. Lex naturalis eſt ordinatio Authoris naturæ, non ex libera voluntate, ſed ex intrinſeca exigentia obiecti, permanentèr, & fixè ordinantis de licitis, & illicitis, de agendis, & non agendis; quæ cum ipſa natura eſt congenita nobis, & ab ipſa profluens, àc dictamine naturali intellectus velut promulgatore intimatur. Hanc Legem dari in nobis, eſt certum de fide, iuxta illud Apoſtoli in Epiſt. ad Rom. cap. 2: *Gentes, quæ legem non habent* (ſcriptam ſcil.) *naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt*. Et infra: *Qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*. Et ſimiliter in alijs locis. *Lex poſitiva* eſt, & dicitur illa, quæ pendet ex libera Dei voluntate, vèl hominis; & dicitur *poſitiva*, quia à Superiore non quaſi ex neceſsitate, àc intrinſeca exigentia obiecti, ſed liberè, & contingentèr ponitur. Undè patet, quod Lex poſitiva differt à naturali; tùm, quia iſta eſt invariabilis, illa verò variabilis, ſaltèm per accidens, extrinſecè, & ex circunſtantijs; tùm, quia Lex poſitiva procedit ex libera voluntate Legiſlatoris, naturalis verò provenit ex intrinſeca exigentia obiecti; tùm, quia quę ſunt prohibita jure naturæ, ſeù lege naturali, ideo prohibita ſunt, quia mala; quę verò prohibentur jure poſitivo, ideò ſunt mala, quia prohibita.

5 Lex poſitiva ſubdividitur in Divinam, & Humanam. *Lex poſitiva Divina* eſt, quam Deus in tempore hominibus notificavit, poſuit, & præſcripſit. Hæc ſubdividitur in veterem, ſeù Moyſaicam, & novam, ſeu Evangelicam. *Lex vetus* eſt, quam Deus dedit Moyſi in monte Sinaì, & per Moyſen populo Iſraelitico; atque adeò à Moyſe ipſius Promulgatore Moſaica denominatur. *Nova*, ſeu *Evangelica*, quam tulit Chriſtus D. novi teſtamenti Author, eam que promulgavit per ſe ipſum, àc per Apoſtolos. *Lex humana* eſt, quæ immediate fertur ab homine. Hęc ſubdividitur in Eccleſiaſticam, Civilem, & in Ius Gentium. *Lex Eccleſiaſtica*, quæ etiam dicitur *Ius Canonicum*, eſt quæ fertur à Legiſlatore Eccleſiaſtico, nempe à Summo Pontifice, Concilio, &c. in bonum, & regimen ſpirituale Subditorum.

rum. *Lex Civilis* eſt, quæ à Legiſlatore ſæculari, ſcil. Imperatore, Rege, &c. fertur, & ordinatur ad politicam Subdictorum gubernationem; ad temporalia jura tuenda, ipſamque Rempublicam in iuſtitia, & pace conſervandam. *Ius Gentium* eſt lex humana, quam omnes populi, & variæ gentes inter ſe mutuò ſervare debent; ſeù eſt Ius ab hominibus pro commodo humani commercij inventum, & cum mutua obligatione obſervandum; quale eſt *Ius Legationum*, vi cuius admittuntur Legati ſub lege immunitatis, & ſecuritatis; & *Ius belli*, priùs debitè denunciati, fundatum in poteſtate illa, quam quælibet Reſpublica, vèl Monarchia ſuprema habet ad puniendam, vindicandam, & reparandam iniuriam ſibi ab altera illatam. Similiter Fœdera pacis, & iudiciarium, dum rationabiliter petuntur; nam hæc, & alia huiuſmodi, utpotè plurimum conſonata, & fundata in Lege naturali, ſunt recepta, & conſtituta conſenſu omnium populorum, ac proinde dicuntur eſſe de iure Gentium.

6 Præterea Lex generalitèr dividitur in *affirmativam*, quæ directè (nempè ex fine, quem immediatè reſpicit) præcipit poſitionem actus, ſeu bonum faciendum; & in *negativam*, quæ directè intendit omiſſionem alicuius actus, ſeù prohibet poſitionem illius. Affirmativa obligat *ſemper*, ſeù ſempèr eſt cum virtute obligandi; non tamen obligat *pro ſemper*, ſeù non ſempèr tenemur pro quolibet inſtanti elicere actum, quem præcipit, ſed pro certo, ac determinato tempore. Negativa autèm obligat *ſemper*, & *pro ſemper*; quia nedum ſemper eſt cum virtute obligandi, ſed etiàm ſemper, & pro quolibet inſtanti obligamur abſtinere ab actu, quem prohibet. Advertimus tamèn, harum Legum diſtinctionem in praxi non benè colligi ex vocabulis, quibus proferuntur; ſed ex fine, ſeù obiecto, in quod directè feruntur. Quare lex iſta, vèl præceptum: *non omites Sacrum in die feſto*: licèt videatur negativum, eſt tamèn affirmativum, quia finis, quem directè intendit, eſt poſitio actus, nempè auditio Sacri. E contra verò iſtud: *in die feſto abſtinebis ab operibus ſervilibus*: eſtò proferatur affirmativè, eſt negativum, quia eius finis eſt omiſsio operum ſervilium. Deniquè dividitur Lex in *favorabilem*, & *odioſam*. Faborabilis eſt, quæ principalitèr fertur in alicuius favorem (diſtinctum à bono Communitatis, nàm iſtud quælibet lex debet reſpicere,) licèt etiam

in

in alterius odium redundet. Odioſa eſt, quæ principaliter fertur in alicuius odium, vel onus (diſtinctum ab obligatione ſervandi legem, nam alioquin omnis lex deberet dici odioſa,) quamvis etiam cedat in alterius favorem. De his legibus eſt illa Regula 15. Iuris in 6.: *leges favorabiles amplam, odioſæ verò ſtrictam patiantur interpretationem.*

7 Arguës contra 2. aſſert. primò: inter membra dividentia Legis non numeravimus legem Dei æternam; ſed hæc eſt unum ex membris dividentibus illam; ut patet ex M. P. Aug. lib. 22. *contra Fauſtum*, cap. 27. ubi definit peccatum: *eſſe dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei æternam*: ergo noſtra diviſio non eſt adæquata. Secundo: datur lex permiſsiva; cum actus, ſeu effectus Legis nedùm ſint præcipere actus bonos, prohibere, ac punire malos, ſed etiam permittere actus indifferentes; prout ex D. Thoma diximus tom. 4. tract. 11. diſp. ult. quæſt. un. num. 10.; ſed non numeravimus legem permiſsivam, quin potiùs illam excluſimus à ratione legis per illam particulam *cum voluntate obligandi*: ergo non benè diviſsimus, imò malè definivimus Legem.

8 Ad 1. arg. diſt. mai.: non numeravimus expreſsè legem Dei æternam, ut con diſtinctam à lege naturali, & poſitiva, conc. mai.; non numeravimus implicitè illam, ut indiſtinctam à lege naturali, & Divina poſitiva, neg. mai.; & diſt. min.: lex æterna, ſumpta pro ipſa Dei ſapientia, & providentia, quatenùs dirigente actus, & motiones quarumcumque creaturarum, etiàm inanimatarum, in ſuos fines, eſt membrum dividens legem propriè ſumptam, neg. min.; lex æterna, ſumpta pro actu Divinæ voluntatis, quo agentibus liberis præcipiuntur bona, & prohibentur mala, ſubdiſt.: eſt membrum in re indiſtinctum à lege naturali, & poſitiva Divina, àc ſolo vocabulo diverſum; quatenùs ſignificatur prout ab æterno concepta eſt, & non ut actu impreſſa intellectui humano, quēadmodum lex naturalis; neque ut liberè intimata per externam promulgationem, quēadmodum lex Divina poſitiva, conc. min.; eſt membrum in re diverſum ab illis, neg. min., & conſeq. Ad 2. arg. conceſ. mai., diſt. min. quoàd 1. part.: non numeravimus expreſsè, & in particulari legem permiſsivam, conc.; implicitè, & in genere, neg.; quia comprehenditur in membris aſsignatis. Et neg. abſolute min.

quoàd 2. part.; quia lex permiſsiva, ſaltèm ſecundario eſt obligativa; ut dicemus poſtea.

9 Quæres: in quo differat Lex à ſimplici præcepto? Reſp. differre in pluribus. Primò, quia ſimplex præceptum poteſt imponi à quolibet Superiore habente poteſtatem privatam; & ſubordinatam erga particulares perſonas, vèl communitatem imperfectam; Lex autèm debet ferri à Superiori habente poteſtatem publicam, independentem, ſublimem, & in ſuo ordine ſupremam erga perfectam communitatem, quæ gaudet ratione Reipublicæ. Secundò, quia ſimplex præceptum proximè, ac immediatè fertur in perſonas ſingulares, quibus adhæret, & quas inſequitur quocumque diſceſſerit, atque cum eis extinguitur, quin tranſeat ad ſucceſſores; Lex verò cenſetur afficere immediatè locum, ſeù territorium Legiſlatoris, atque hinc tranſire in Subditos ibi exiſtentes; & imponitur toti Communitati, ac loquitur non tantùm ad præſentes, ſed etiam ad futuros. Tertiò, quia Præceptum abſque nova revocatione ſpirat, ceſſante vita, aut officio præcipientis; Lex autem durat etiam poſt mortem Legiſlatoris, & ſemper habet vim, donec revocetur, aùt per contrariam conſuetudinem legitimè abrogetur; nàm leges ſunt perpetuæ ex natura ſua, non autèm præcepta ſimplicia, ſeù quę non feruntur per modum ſtatuti, aut conſtitutionis generalis.

QUÆSTIO II.

Utrùm Lex pertineat eſſentialiter ad intellectum, vèl ad voluntatem?

1 SUponimus primò, quod Lex, præſertim poſitiva, de qua ſpecialitèr procedit hæc controverſia, poteſt conſiderari triplicitèr. Primò ſecundùm ſe, ſeù prout eſt regula dirigens, & obligans agens intellectuale, & liberum in ſuis operationibus, quam ſuprà deſcripſimus. Secundò prout eſt in Legiſlatore, à quo habet eſſe, & vim obligandi. Tertio quatenùs eſt in Subdito, quem dirigit, & obligat ad aliquid faciendum, vel vitandum. In primo ſenſu certum eſt, Legem potiùs eſſe objectum, quam actum intellectus, & voluntatis; ſiquidem eſt illa regula, quę poſita eſt à Legiſlatore, & ad quam reſpiciens Subditus conformat illi ſuos actus. In 2. ſenſu eſt actus ille, quo Princeps judicat aliquid conducere ad bonum Reipublicæ, & ideò vult illud obſervari. Denique in 3. ſenſu

ſu eſt actus iudicij practici, quo Subditus iudicat talem regulam ſibi hic, & nunc eſſe obſervandam, & actus voluntatis, quo vult ſervare illam. Difficultas non procedit de Lege conſiderata in 1. nec in 3. ſenſu, ſed in 2. quatenùs ſcil. eſt in Legiſlatore. Supp. 2., quòd in Legiſlatore interveniunt plures actus. Primus cognitio boni communis, & intentio procurandi illud ſuis Subditis. Secundus cognitio mediorum congruentium ad illud bonum procurandum; & iudicium practicum de illis hic, & nùnc amplectendis, & ſtatuendis. Tertius volitio conformis tali iudicio, qua vult ut fiant bona, & vitentur mala, quæ iudicavit. Quartus actus eiuſdem voluntatis, quo hęc vult, & imperat ſuis Subditis cùm intentione eos obligandi. Quæritur ergo: àn lex conſiſtat formaliter in illo actu iudicij, in aliquo alio intellectus; an verò in iſto actu voluntatis, vèl in utroque?

2 Concluſ.: Lex adequatè eſſentialiter conſiſtit in ſolo actu voluntatis, præſupponente actum intellectus tanquàm puram conditionem. Ita Sub. Doct. in 1. d. 44. q. un. num. 2., & omnes Scotiſtæ, àc plures alij; contra Thomiſtas dicentes, conſiſtere adæquatè eſſentialiter in actu intellectus & contra alios aſſerentes, conſiſtere eſſentialiter in utroque. Prob. primò authoritate: Sacra Scriptura ordinariè explicat legem per actum voluntatis; nam Pſalm. 39. dicitur: *In capite libri ſcriptum eſt de me ut facerem voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Pſal. 102. *Notas fecit vias ſuas Moyſi, filijs Iſraël voluntates ſuas*; id eſt, leges, & præcepta. Et lib 2. Machab. cap. 1.: *det vobis cor unum, ut colatis eum, & faciatis eius voluntatem*; id eſt legem ſervetis. Ac ita frequenter in alijs locis. Sic etiam leges civiles dicuntur: Principum placita, ſeù voluntates; nàm leg. 1. ff. *de Conſt. Princ.* habetur: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*: ergo. Nec valet reſp. cum Thomiſtis, illas authoritates ſolùm convincere, Legem eſſe actum voluntatis, non quidèm elicitivè, & formaliter, ſed purè connotativè, quia præſupponit, vèl eſt ſignum voluntatis. Nam contra eſt; tùm, quia potiùs actus intellectus præſupponitur ad actum voluntatis; nèc Legiſlator cognoſcit aliquid eſſe bonum, quia iubet fieri illud, ſed è contra ideo iubet, quia illud ut bonum cognovit: ergo iuſsio, & volitio non eſt præſuppoſitum, aùt connotatum, ſed conſtitu-

tivum Legis. Tùm, quia quod eſt purum ſignum, aùt connotatum, non exprimitur abſolutè, ſimplicitèr, principalitèr, & formali enunciatione; ſed in allegatis textibus actus voluntatis abſolutè, ſimplicitèr, principalitèr, & enunciatione formali dicitur lex: ergo.

3 Prob. 2. ratione: condere leges ſpectat eſſentialitèr ad eam potentiam, ſeù facultatem, ad quam pertinet ordinare in finem; ſed hoc ſpectat ad voluntatem: ergo. Mai. conſtat; quia lex eò tendit ut ordinet creaturas rationales in ſuum finem, ſeu in earum bonum, & felicitatem. Prob. min.: finis, ut comparandus, eſt obiectum voluntatis; ſiquidem finis, & bonum convertuntur, bonum autèm ſpectat ad voluntatem: ergo ad ipſam pertinent, quę ordinant ad finem. Prob. 3.: eſſentialis, & adæquatus conceptus Legis, præſertim poſitivæ ſtat in iuſsione, ſeù imperio activo, & obligatorio, ut etiàm Adverſ. concedunt; ſed iuſsio, ſeù imperium activum eſt actus proprius voluntatis, & non intellectus, ut ſæpe probavimus; ſiquidem voluntas imperat intellectui, non intellectus voluntati, quę ſola in regno hominis dicit: *ſic volo: ſic iubeo*: ergo. Conf.: Lex habet vim authoritativè, & imperativè dirigendi, & obligandi; ſed Lex poſitiva, ſivè Divina, ſivè humana, habet talem vim, non ab intellectu, ſed à ſola voluntate: ergo. Mai. conſtat; quia per illud diſtinguitur Lex à Conſilio, quod ſolùm dirigit oſtenſivè, & unicè ſuadet, quod melius apparet. Min. etiam patet; ſiquidem ſola voluntas, ſuppoſita Iuriſdictione, poteſt Subditos authoritativè, & imperativè dirigere, àc obligare. Urg.: Lex conſiſtit eſſentialitèr adæquatè in eo, quo poſito ponitur formalitèr Lex ut ligans, ſeù obligans, & quo ablato, non eſt formalitèr Lex obligans; ſed poſita iuſsione voluntatis, ponitur formalitèr; & illa ſola ablata, aufertur Lex obligans: ergo. Prob. min.: non ideo teneor abſtinere à ſervilibus, & audire ſacrum in die feſto, quia hæc bona ſunt, & Deus ita videt; ſed quia ita iubet, & imperat, àc vult me ad illa obligare: ergo Lex ponitur formaliter, poſita iuſsione ſola voluntatis; & hæc præcisè ſublata, tolitur formalitèr Lex.

4 Prob. 4.: ad illam potentiam pertinet eſſentialitèr ferre leges, ad quam ſpectat eſſe regulam actionum humanarum; ſed hoc ſpectat ad voluntatem; ergo. Mai. conſtat; quia cùm lex ſit regula obiectiva, & imperativa humana-

ſtarum actionum, erit actus illius potentiæ, cui competat ita regulare. Prob. min.: ſicut voluntas Divina eſt prima regula, & menſura actionum humanarum, quæ debent conformari cum illa iuxta illud D. Anſelmi lib. 1. *de volunt. Dei* cap. 4.: *voluntas Dei eſt magiſtra humanæ voluntatis*; ita voluntas Prælatorum, & Principum, utpote participatio Divinę voluntatis, eſt ſecunda regula rectitudinis earumdem actionum: ergo. Prob. denique: Lex poſitiva, tàm Divina, quam humana, eſt libera ex parte Legiſlatoris: ergo non eſt actus intellectus, qui non eſt liber, ſed ſolius voluntatis. Antec. patet ex deſcriptione legis poſitivæ. Diximus in concluſ., legem eſſentialiter conſiſtere in actu voluntatis, præſupponente actum intellectus, tanquam conditionem; quia cùm voluntas ſit potentia cœca, indiget prævio actu intellectus, quo illuminetur, & proponatur obiectum; quæ quidem illuſtratio ſe habet ut pura conditio.

5 Obijc. 1.: de conceptu Legis eſt regulare, dirigere, & illuminare, iuxta illud Pſalm. 18.: *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*: Et Pſalm. 118.: *lucerna pedibus meis verbũ tuum, & lumen ſemitis meis*. Et ex Proverb. cap. 6.: *Mandatum lucerna eſt, & lex lux*; ſed regulare, dirigere, & illuminare eſt propriũ intellectus, non voluntatis: ergo. Conf.: lex eſt actus ſapientiæ, & prudentiæ politicæ, aùt regalis; unde Divina Sapientia cap. 8. Proverb. ità de ſe loquitur: *Per me Reges regnant, per me Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiam*: ergo. Urg.: Legis eſt ordinare ſubditum in debitum finem intentum à Legiſlatore; ſed ordinatio eſt actus prudentiæ intellectualis: ergo.

6 Ad obiect. diſt. mai.: de conceptu legis eſt regulare, dirigere, & illuminare imperativè, & obiectivè, quatenus cognita à Subdito dirigit, illuminat, & regulat authoritativè, & obligatoriè ipſum, conc. mai.; de conceptu legis eſt regulare, dirigire, & illuminare purè oſtenſivè, ſeu indicativè, & formaliter, qualiter actus intellectus illuminat intelligentem, neg. mai.; & ſic explicantur illi textus, qui loquuntur de illuminatione obiectiva, & imperativa; non autèm de formali, & purè oſtenſiva: ſimiliter diſt. min.: regulare, &c. formaliter, & pure oſtenſivè, eſt proprium intellectus, conc. min.; regulare obiectivè, & imperativè, ſeù obligatoriè, neg. min.; quia hoc potius pertinet ad voluntatem.

Ad

Ad conf. diſt. antec.: lex eſt præſuppoſitivè, ſeù præſupponit actum ſapientiæ, & prudentiæ, conc. antec., lex eſt formaliter actus ſapientiæ, & prudentiæ, neg. antec.; quia ſapientia, & prudentia unicè oſtendit, & proponit quid expediat præcipere, non autèm præcipit. Sic etiam explicatur illud Proverb., ita quòd per Sapientiam Divinam identice, & præſuppoſitivè, non verò formaliter, Reges regnant, Principes imperant, & Potentes decernunt, juſtitiam; nàm formaliter hoc habent participativè à Divina voluntate. Ad urgent, diſt. mai.: Legis eſt ordinare objectivè, & per modum imperij, in debitum finem, conc. mai.: ordinare formaliter, & per modum judicij, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: ordinare formaliter, & per modum judicij, eſt actus prudentiæ, conc. min.; ordinare objectivè, per modum exemplaris, ac imperij, eſt actus prudentiæ neg. min.: & conſeq..

7 Objc. 2.: Deus intimavit Abraham præceptum immolandi filium ejus Iſaac; ſed hoc non fecit per voluntatem obligandi, quin potiùs noluit immolationem: ergo præceptum, aût lex non conſiſtit in voluntate. Conf.: quando Legiſlator vult obligare Communitatem, mox eidem impoſiturus legem, Communitas nondum obligatur, nèc eò ipſo lex imponitur: ergo lex ſubſequitur ad actum voluntatis; & conſequentèr nequit in eo eſſentialiter conſiſtere. Ad object. tenentur etiam reſpondere Adverſarij, cùm aſſerunt, actum voluntatis concurrere, ſaltim præſuppoſitivè, vèl connotativè ad rationem legis. Reſp. igitur ad object. conceſ. mai., diſt. min.: Deus illud non fecit per voluntatem obligandi, quin potiùs noluit immolationem in effectu poſitum, conc. min.; illud non fecit per voluntatem obligandi, quin potiùs noluit immolationem in affectu intentivo Abrahę, & executivo eorum, quæ requirebantur uſque ad immolationem excluſivè, neg. min., & conſeq.. Ad conf. diſt. antec.: quando Legislator vult intentivè, & ſignatè obligare, mox impoſiturus legem, Communitas nondum obligatur, conc. antec.; quando vult executivè, & exercitè obligare, neg. antec.; imò implicat in terminis, quod ita velit obligare, & non ſit actu imponens, vèl potiùs condens legem, ac ex parte ſui inducens obligationem. Diſt. ſimiliter conſeq.: lex ſubſequitur ad actum voluntatis, quo Legislator intentivè, & ſignatè proponit ſibi,

aût

aùt ſtatuit condere legē, conc. conſeq.; ſubſequitur ad actum voluntatis, quo executive, exercitè, reipſa, & actualitèr imperat aliquid fieri, vel omitti, ac vult Subditos obligare, neg. conſeq.

8 Obijc. 3: Lex eſt formalitèr imperium; ſed hoc eſſentialitèr pertinet ad intellectum: ergo Prob. min.: imperans ordinat illum, cui imperat, ad aliquid agendum, intimando, vèl denunciando; ſed ſic ordinare per modum intimationis, pertinet ad intellectum: ergo. Conf.: imperium conſiſtit formaliter in intimatione voluntatis Superioris; ſed illa intimatio eſt actus intellectus: ergo etiàm imperium, quod eſt legis conſtitutivum. Prob. mai.: ad Legiſlationem interveniunt hæc in Legiſlatore: primo *iudicium*: ſeù *conſilium* intellectus de utilitate rei agendę: ſecundò *electio* voluntatis circa rem agendam: tertio *imperium* ſequens electionem, quo iubetur, proponitur, & explicatur voluntas Superioris per modum intimationis factæ inferiori: ergo imperium conſiſtit formalitèr in hac intimatione. Urg.: eſtò aliquis ſciat, voluntatem Principis eſſe ut faciat aliquid, non tenetur facere, donec intimetur illi.: ergo lex obligans non ſtat formalitèr in actu voluntatis, ſed in eius intimatione.

9 Reſp. ad obiect. conceſ. mai., neg. min.; pro quo videantur dicta in tract. *de actibus humanis*, diſp. 5. quæſt 3. à num. 9.; ad min. probat. diſt. mai.: imperans ordinat &c, intimando, & denunciando ità ut intimatio ſe habeat ut conditio requiſita ad hoc ut Subditus obligetur ab imperio, conc. mai.; ita ut intimatio ſit ratio formalis conſtitutiva imperij ex parte imperantis, neg. mai., ac etiam min.; quia intimare, aut denunciare non competit intellectui, ſed alteri potentię exteriùs manifeſtanti, & notificanti imperium, ſeù legem internam Legiſlatoris. Ad conf. ſimiliter neg. mai.; quia intimatio eſt pura conditio ad obligationem paſſivam, & actualem imperij ex parte inferioris; non autem ratio formalis imperij active in actu primo obligantis ex parte Superioris; ad probat. mai. neg. ant. in ſenſu, in quo ponitur à Contrarijs; quia poſito iudicio ex parte intellectus, & poſita iuſſione, ſeù imperio ex parte voluntatis, iam intelligitur tota ratio legis, quin requiratur ille tertius actus intimationis, qui, cum non ſit actus intellectus, tantùm pertinet ad promulgationem, quæ eſt conditio requiſita ad actualem obligationem legis. Ad urgent.

ſi-

ſimiliter conceſ. antec., neg. conſeq.; quia ex eo quod intimatio, & promulgatio ſit conditio requiſita ad hoc ut lex actù obliget, malè infertur, quod ſit ratio formalis conſtitutiva legis, habentis in actu primo, & abſolutè vim obligandi.

10 Objc. 4.: Lex eſt quædam regula, & menſura humanorum actuum; ſed regulare, & menſurare actus humanos, pertinet ad rationem, ſeù intellectum: ergo. Prob. min.: id, quod eſt principium in unoquoque genere, eſt menſura, & regula illius generis; ſed ratio eſt primum principium actuum humanorum: ergo. Reſp. primò retorquendo arg.: quod eſt primum principium in unoquoque genere, eſt regula, & menſura illius generis; ſed primum principium actuum humanorum eſt iudicium practicum, imò potiùs conſilium, præſupoſitum ad imperium practicum intellectus, iuxta ipſos: ergo iudicium practicum, imo conſilium, & non imperium erit menſura, & regula actuum humanorum, ita ut lex conſiſtat eſſentialiter in illo iudicio, & non in imperio, vèl potiùs in aliquo conſtituto per ipſum: quod eſt contra ſententiam communen ipſorum. Reſp. 2. directè diſt mai.: Lex eſt quædam regula obiectiva, exemplaris, & obligatoria, conc. mai.; eſt regula formalis, oſtenſiva, & purè conſiliativa, neg. mai., & diſtincta ſimiliter min.; ad eius probat. neg. mai. in ſenſu diſtinctionis datæ; quia licèt id, quod eſt primum principium in unoquoque genere, ſit regula, & menſura formalis, & purè oſtenſiva illius generis; tamèn nequit eſſe regula obiectiva, exemplaris, quaſi idealis, & præceptiva; ſiquidem ob hanc rationem dicunt Adverſarij, legem eſſentialiter non conſiſtere in actu conſilij, nec iudicij practici, imò nec imperij intellectualis, ſed in aliquo diſtincto, originato, aut conſtituto per illud; ut videri poteſt apud Gonet. in corollario huius articuli.

11 Objc. 5.: Lex importat eſſentialiter duo, ſcil. dirigere, & obligare; ſed vim directivam habet ab intellectu, cuius eſt regulare, & dirigere medio dictamine, & poſitione obiecti; ac vim obligativam habet à voluntate, cuius eſt movere, & obligare medio imperio: ergo Lex conſiſtit eſſentialiter adæquate in actu utriuſque potentiæ. Conf. ex Subt. Doct. in 4. d. 15. q. 1. num. 6. ubi ait: *Lex poſitiva iuſtè requirit in Legiſlatore prudentiam, & authoritatem.*

Pru-

Prudentiam, ut ſecundùm rectam rationem dictet quid faciendum pro communitate. Authoritatem, quia dicitur lex à ligando; ſed prudentia eſt in intellectu, & authoritas ligandi eſt in voluntate: ergo iuxtà Subt. Mag. lex conſiſtit eſſentialiter adæquate in actu utriuſque. Ad obiect. diſt. mai.: de eſſentia legis eſt dirigere obiectivè per modum regulæ cognitæ ut imperantis, & obligantis, conc. mai.; habet dirigere formaliter, ſicuti actus prudentiæ, per modum dictaminis oſtendentis, & conſiliantis, neg. mai., & min.; quia ſicut vim obligandi habet formaliter à voluntate Legiſlatoris, ita etiàm ab ipſa habet vim dirigendi per modum obiecti, & regulæ cognitę ut obligantis; quamvis aliàs in Subdito lex ſit obiectivè in intellectu, & requirat eius cognitionem, ut habeat vim proximam obligandi.

12 Ad confirmat. reſp. explic. Subt. Doct.: *lex poſitiva requirit in Legiſlatore prudentiam*, veluti conditionem præſuppoſitam ad ferendam legem iuſtam, conc.; tanquam actum formaliter legiſlativum, neg. hunc eſſe ſenſum Doct.; & conc. min. neg. conſeq.; tùm, quia ex ipſa authoritate conſtat, quod formale ſignificatum Legis eſt vis obligandi, quæ eſt ab authoritate, & voluntate iubentis; tùm, quia ipſe Doct. in loco cit. pro noſtra conclus. loquens de Divina Lege, cuius participationes ſunt omnes aliæ, expreſsè ait: *leges aliquæ generales rectæ de operabilibus dictantes, prefixę ſunt à voluntate Divina, & non quidem ab intellectu Divino, ut præcedit actum voluntatis Divinæ, ut dictum eſt diſtinct. 39.*. Quare non poſſumus acquieſcere dicto Maſtrij, qui poſtquam in 3. Sent. diſp. 7. quæſt. 8. artic. 1. defendit abſolute noſtram ſententiam, tanquàm de mente Sub. Mag.; in Theologia Mor. diſp. 2. quæſt. 1. art. 1. aſſerit, quod licèt illa opinio ſit probabilior, & magis de mente Doctoris, tamèn ſententia conſtituens adæquatè eſſentialiter legem in actu, tàm intellectus, quàm voluntatis, eſt ſatis probabilis, & poteſt ſuſtineri de mente Doct ob eius authoritatem ſupra poſitam in confirm. argumenti.

QUÆS.

QUÆSTIO III.

Quænam ſint de ratione Legis; & quæ conditiones requirantur ad condendam Legem, atque ad eius obligationem?

SECTIO I.

An de ratione Legis ; ſit quòd ſit iuſta ; quod ſit Communitati præſcripta ; & ad commune bonum ordinata?

1 PRO reſolut. primæ difficultatis : Dicimus de natura Legis eſt, quod ſit iuſta. Prob. primò authoritate : M. P. Aug. lib. 1. de lib. arbit. cap. 5. ait: *mihi lex eſſe non videtur , quæ iuſta non fuerit.* & lib. 10. de Civ. Dei , cap. 2. inquit: *quod iure fit , iuſtè ; non enim jura ſputanda ſunt , vel dicenda iniqua hominum inſtituta.* Præterea D. Iſidorus cit. in Cannon. 2. diſt. 4. ait : *erit autem lex honeſta , iuſta , poſſibilis:* ergo. Prob. 2. ratione : tùm , quia finis legis eſt homines bonos facere , ſeù eorum mores componere : ergo debet iuſta , & honeſta præcipere. Tùm quia omnis poteſtas ferendi leges , vel eſt Divina, & hæc non poteſt præcipere niſi iuſta ; vèl eſt humana , & hæc cum ſit participatio Divinæ , iuxta illud : *Per me Reges regnant , & legum Conditores iuſta decernunt* : neceſſario debet iuſta ordinare. Tùm, quia nullus inferior poteſt obligare contra legem , & voluntatem Superioris ; ſed lex præcipiens quid iniuſtum , & pravum , eſſet contra legem Dei prohibentis illud : ergo. Tùm , quia Deus non poteſt licitè offendi; ſed ſi eſſet lex precipiens , & obligans ad aliquid iniuſtum, poſſet licitè offendi Deus; nàm offenderetur quia fieret aliquid ab ipſo prohibitum ; & aliunde licitè , quia fieret quid obligatorium ex lege : ergo. Tùm denique , quia lex dicitur , & eſſe debet ordinatio rationis : ergo debet eſſe rationabilis , & iuſta ; alioquin non erit lex , ſed potiùs iniquitas.

2 Argues : poteſt Superior condere legem ex ſe honeſtam , cum prava tamen intentione , ſeù perverſo fine , nempè ex odio , & in perniciem alicuius privati ; ſed tùnc caſus eſſet iniuſta , ſeù iniuſtè lata , & adhùc eſſet lex obligatoria : ergo iniuſtitia non tollit rationem legis. Conf.: plures leges humanæ permittunt mala : ergo lex adhùc ex parte obiecti poteſt eſſe iniuſta. Ad arg. conceſ. mai., diſt. min. quoàd 1. part.: tùm lex eſſet iniuſta per accidens, & ex parte, extrinſecè

ſecè, & ex parte ferentis, cuius iuſtitia non ſpectat ad eſſentiã, & valorem legis, conc. min.; eſſet iniuſta per ſe, intrinſecè, & ex parte obiecti, aùt finis intrinſeci, cuius iuſtitia eſt de eſſentia, & valore legis, neg. min.; quia ſupponitur, quod quamvis illa lex ex animo Legiſlatoris ferretur ex odio, & in perniciem alicuius particularis, tamèn ex obiecto reſpiceret bonum communitatis; & ideò conc. min. quoàd 2. part., ſcil. quòd illa haberet veram rationem legis; & diſt. conſeq.: ergo iniuſtitia extrinſeca, per accidens, ſeù ex parte Legiſlatoris, non tollit rationem legis, conc. conſeq.; iniuſtitia intrinſeca, per ſe, & ex parte obiecti, ſeù finis intrinſeci, neg. conſeq.. Ad conf. diſt. antec.: permittunt mala, poſitivè ſtatuendo, quod illa patrare ſit licitum, neg. antec.; permittunt purè negativè non arguendo, nèc vindicando, propter maius bonum inde ſecuturum, vèl maius malum declinandum, conc. antec., & neg. conſeq.; quia talis permiſsio non eſt mala, nec iniuſta, ſed rationabilis, & honeſta; aliud enim eſt ipſum malum, & aliud eſt mali permiſsio per ſimplicem tolerantiam, quæ poteſt quandoquè à ſuperioribus fieri, ne ſeveritas in illo puniendo ſit cauſa maioris mali; cùm ſit rectæ rationi congruum, è duobus malis ſimùl inevitabilibus cavere, & declinare quod eſt maius.

3 Ad 2. diffic. Dicimus: de eſſentia Legis eſt, quòd præſcribatur Communitati perfectę, quæ ſibi ipſi ſufficiat in ordine Reipublicæ, & in qua ſit Iurisdictio ad politicam gubernationem. Eſt ſententia communis. Prob. primò ex Iure Civ. leg. 1. ff. de legibus, ubi dicitur: *Lex eſt commune præceptum, & comunis Reipublicæ ſponſio.* Et leg. *Iura.* ff. *Eodem.* aſſeritur: *Iura non in ſingulas perſonas, ſed generaliter conſtituuntur*: ergo. Prob. 2. ex N. Subt. Doct. in 1. d. 44. q. un. num. 3. ubi. ait: *aliquid eſſe ordinatum, & ordinatè fieri, eſt dupliciter. Uno modo, ordine univerſali, quod pertinet ad legem communem:: ut ſi Rex ſtatuat, quòd omnis homicida moriatur. Secundò modo, ordine particulari circa hoc iudicium, ad quod non pertinet lex, quia lex eſt de univerſalibus caſibus; de caſu autem particulari non eſt lex, ſed iudicium ſecundum legem.* & in 4. d. 15. q. 2. num. 6., ubi ait, quod lex requirit in Legislatore *Prudentiam, ut ſecundum rectam rationem practicam dictet quid faciendum pro Communitate*: ergo pro iſta debet lex præſcribi. Prob. 3. ra-

ratione: tùm, quia, iuxta omnes, in eo differt lex à ſimplici præcepto, quòd iſtud poteſt imponi perſonæ particulari, aùt Communitati imperfectę, v. g. familię domeſticę; lex autèm debet ferri pro perfecta Communitate. Tum, quia de ratione legis eſt, quod ſit perpetua, & ſtabilis; ſed nulla perſona particularis, vel Communitas imperfecta, eſt perpetua; ſed ſola Communitas perfecta, quatenùs per continuatam ſucceſſionem perſeverat: ergo.

4 Prob. 4. inductione: lex naturalis indita eſt univerſę hominum multitudini; lex Divina poſitiva, tàm vetus, quàm nova, Communitatibus præſcriptę ſunt; illa quidem populo Israelis; hæc autèm Eccleſiæ univerſali; Leges humanę tàm Canonicæ, quàm civiles, ſunt publicæ, & univerſales, pro Communitatibus perfectis: ergo. Advertite tamèn cũ noſtris Herinx, & Hozlmann, quòd Communitas, ut ſit capax recipiendæ legis, non debet eſſe ita perfecta, ut complectatur totam collectionem omnium individuorum, ſed ſufficit, quòd Comprehendat certum genus illius collectionis; quare in Regno, Provincia, aùt civitate poteſt ferri lex pro Eccleſiaſticis, pro Militibus, vèl Mercatoribus &c. imò, & pro Prętore, vèl altero Officiali, àc omnibus eius ſucceſſoribus.

5 Argues.: in Iure Can. diſtinguitur lex in privatam, & publicam; & in Iure Civ. dividuntur leges in generales, & perſonales: ergo de ratione legis non eſt quod feratur pro Communitate. Conf. Decalogus eſt vera lex; ſed fertur in ſingulari, dicens: *Diliges Dominum Deum tuum: Non periurabis: Non occides*, &c.: ergo. Urg.: Lex eſt regula operationum moralium; ſed non communitas, imò potiùs ſinguli homines in particulari indigent tali regula; ſiquidem hæc non à collectione, ſed ab unoquoque particulari eſt ſervanda: ergo. Ad arg. reſp., quod in Iure Can. per legem privatam intelligitur particulare votum, quod tantùm impropriè, & metaphoricè dicitur lex; quia inducit obligationem per modum legis in Iure Civ. per leges perſonales intelliguntur privilegia, quæ potiùs ſunt exemptiones à lege; imò licet illa proximè, & immediatè intendant utilitatem talium Perſonarum, tamèn aliquandò ſempèr reſpiciunt Communitatem; tùm, quia hæc obligatur ad illa ſervanda talibus perſonis; tùm, quia illa privilegia, & favores cedunt etiàm in bonum Communitatis quale eſt præmiũ pro laboribus ei exhibitis ut alij

ac-

accendantur ad promovendum bonum Commune Reipublicæ,

6 Ad confirm. conceſ. mai., diſt. min.: Decalogus fertur in ſingulari vago, & prout contento ſub univerſali diſtributivè ſumpto, conc. min.; in ſingulari determinato, & pro ſe abſolutè, aut particularitèr præcisè accepto, neg. min., & conſeq.. Ad urgent. conceſ. mai., diſt. min.: non Communitas, prout Communitas abſtractivè, aùt collectivè ſumpta, imò potiùs ſinguli homines in particulari vago, & diſtributivè contento ſub illo communi, indigent tali regula conc. min.; non Comunitas diſtributivè accepta pro omnibus, & ſingulis particularibus ſub ea contentis, ſed ſinguli homines in particulari determinato, abſoluto, & præciſo à relatione ad ipſorum commune, indigent tali regula, neg. min.; ad cuius imbibitam probat. dicimus, quòd licèt illa lex ſervanda ſit ab unoquoque particulari, & non à tota collectione; tamèn quia ſervanda eſt à quolibet particulari ſub reſpectu ad commune; ideo quamvis ſecundùm executionem lex feratur directe ad ſingula membra Communitatis, nihilominùs ſecundùm præſcriptum, & deſignationem ſpectat immediatè ad Communitatem. Imò aliquandò poteſt ferri lex in Communitatem collectivè ſumptam, & prout Cõmunitas eſt, quia actus imperatus ab ipſa ſola, prout ita accepta, exercendus ſit.

7 Ad 3. diffic. Dicimus: de ratione Legis eſt, quòd feratur propter bonum commune, ſeù quòd ordinetur ad publicam utilitatem. Ita communiter D. D. Prob. 1. authoritate: in Decret. cap. 2. diſt. 4. ex D. Iſidoro dicitur: *erit autèm lex honeſta, nullo privato commodo, ſed pro communi Civium utilitate conſcripta.* Conc. Tolet. 8. cap. 10. præcipitur, *ut qui eligitur in Regem, iuret, non proſpicere proprij Iura commodi, ſed proſpicere Patriæ Genti que ſuæ.* D. Baſilius. hom. 12. in Proverb. ait: *in hoc tyranum à Rege differre, quòd ille ſua ipſius quomodocumque reſpicit, ac tuetur; hic ſubditis conſulere tantùm quærit.* Ariſt. lib. 4. Polit. cap. 1. inquit: *Leges ad communem populi ſalutem ſunt accommodandæ.* Plato Dial. 1. de Legibus aſſerit: *Legiſlatores communis pacis gratia leges condere debere.* Cicero lib. 1. de Legibus docet: *Conſtat, leges pro ſalute Reipublicę tuendæ eſſe inſtituendas:* ergo.

8 Prob. 2 ratione: tum quia lex eſt directiva Communitatis: ergo debet reſpicere bonum commune; alioquin

aberraret à ſuo fine: tum quia poteſtas publica eſt de ſe in bonum publicum ordinata, ſed omnis lex debet emanare à poteſtate publica; ut dicimus infra: ergo. Tùm, quia omnis lex; vèl eſt immediatè à Deo, vèl ab homine; ſi à Deo, ordinatur ad bonum commune, ut patet in lege poſitiva, & naturali; ſi ab homine, debet etiam dirigi ad bonum commune; quia ex Apoſtolo Epiſt. 2. ad Cor. cap. 10.: *non enim data eſt poteſtas in deſtrutionem, ſed in ædificationem*; & in Epiſt. ad Roman. cap. 13.: *Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes*: ergo. Tùm, quia omnis humana poteſtas vèl eſt immediatè à Deo, vèl à Populo; ſi à Deo, conſtat eam conferri propter bonum commune, quod Deus præcipuè intendit: ſi à Populo, idem patet; quia non niſi propter bonum commune, Populus tradidit Principi talem poteſtatem: ergo.

9 Argues 1.: lib. 1. Regum cap. 8. Populo Iudaico Regem petenti Samuel ex parte Dei reſpondit: *Hoc erit Ius Regis, qui imperaturus eſt vobis: filios veſtros tollet* &c. *Agros quoque veſtros, & bineas & oliveta optima tollet, & dabit ſervis ſuis* &c.: ergo Princeps habet Ius per leges, & edicta, convertendi in eius commodum privatum bona ſubditorum. Item, cap. 22. Lucæ dicitur: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur*; ſed Dominus poteſt bona ſervorum convertere in proprium commodum: ergo. Conf.: Reges ſunt revera domini ſubditorum, ſiquidem eis dominantur; ſed Dominus poteſt de bonis ſervi diſponere in commodum particulare: ergo. Urg.: Leges, & edicta, quibus Principes exigunt tributa, & vectigalia, ſunt verè leges, & quidèm iuſtę iuxta illud Chriſt. D. Math. cap. 22.: *reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari*; ſed illæ non reſpiciunt bonum commune ſubditorum, ſed ſolùm privatam utilitatem Principum: ergo de ratione legis non eſt, quòd ordinetur ad commune bonum.

10 Ad arg. reſp. cum Clemente Alexandrino lib. 3. Pedagogi cap. 4., & cùm D. Greg. Magno ſuper verba allegata ex lib. Reg., explic. textum: *hoc erit Ius* tyranicum *Regis, qui* violentèr *imperaturus eſt vobis*, in pœnam veſtri delicti, conc.; *hoc erit Ius* legitimum *Regis, qui* iuſtè *imperaturus eſt vobis*, & quem electi debent imitari, neg. hunc eſſe ſenſum. Ad aliud ex Evang. reſp. primo explic. textum: illud dicitur improbando regi-

men

men illorum Principum, conc.; approbando illud, neg.; nam ſubiungit Chriſt. D. *vos autèm non ſic.* Reſp. 2. explic. aliter: *Reges Gentium dominantur eorum* cibilitèr, & politicè, conc.: deſpoticè, & herilitèr, ſubdiſt.: iniuſtè, violenter, & tyranicè, conc.; iuſtè, & legitimè, neg. hunc eſſe ſenſum illius textus; & diſt. min.: Dominus herilis, & deſpoticus poteſt bona ſervi empticij convertere in commodum particulare, conc. min.; Dominus civilis & politicus poteſt bona ſervi, non empticij, ſed civis, & liberi, convertere in commodum particulare, neg. min., & conſeq. Ex quibus habetur ſolut. ad confirmat., cuius mai., & min. diſt. ſimilitèr. Ad urgent. conceſ. mai., diſt. min.: leges illæ tributorum, & vectigalium non reſpiciunt immediatè, & tanquàm materiam proximam, circa quam verſantur, bonum cummune ſubditorum, ſed utilitatem Principum, conc. min.; non reſpiciunt ultimatè, finaliter, & per ſe primò tanquàm motivum propter quod ſunt impoſitæ, bonum commune, neg. min.; nàm ordinantur ad ipſius Reipublicæ adminiſtrationem, ſecuritatem, & defenſionem, imò, & ad debitam authoritatem Principis, ac decorem, quę omnia ſunt bonum commune.

11 Argues 2.: plures ſunt leges, quæ reſpiciunt bonum privatum, & particulare alicuius perſonæ; ut lex naturalis de tuenda propria vita; ſimilitèr lex de correctione fraterna; de eleemoſina pauperibus erogan-da; & denique leges Eccleſiaſticæ de præcipiendis ſacramentis: ergo. Conf.: exiſteme tantùm uno homine, vigeret in eo lex nature; ſed iſta tunc non poterat ordinari ad bonum commune; quia tunc nulla eſſet hominum ſocietas, nullaque Reſpublica: ergo Urg.: ſi omnis lex eſſentialiter exigeret ordinari ad bonum commune, ſequæretur quòd, ceſſante illo, & publica utilitate, ceſſaret pariter vigor, & obligatio legis; ſed hoc eſt falſum: ergo. Mai. conſtat; quia ceſſante motivo legis, etiàm lex deſinit. Prob. min.: licet qui certò cognoſcat, quòd Eccleſia nullum contrahat detrimentum ex eo, quòd ipſe commoretur, & converſetur cùm aliquo publicè, & nominatim excomunicato, tamèn debet non communicare cùm ipſo: ergo ceſſante bono communi, adhùc perſeverat vigor, & obligatio legis.

12 Reſp. ad arg. diſt. antec.: plures ſunt leges, quæ immediatè reſpiciunt bonum particulare tanquàm materiam proximam, circa quam verſantur, ſeu in qua exercentur; ta-

mèn finalitèr, & ultimatè reſpiciunt bonum commune, tanquàm motivum formale, propter quod in tali materia verſantur, & quod per ſe primo à lege reſpicitur, conc. antec.; ſunt leges, quæ ultimatè, finalitèr, & per ſe primò reſpiciunt bonũ particulare, tanquam motivum formale, propter quod ſunt inſtitutæ, neg. antec.; nàm bonum particulare illarum perſonarum cedit in bonum Communitatis, quod ultimatè, & finalitèr intenditur per illas leges; ſiquidem tuitio vitæ cuiuſlibet civium, ſubventio pauperum, & correctio fraterna delinquentium, ordinatur ad conſervationem, ſuſtentationem, pacem, & honeſtam ſocietatem totius Communitatis humanæ in ſingulis membris; & perceptio ſacramentorum ordinatur ad Dei cultum, qui eſt omnium hominum finis ultimus, & commune bonum, ad quod poſsidendum, & in ipſo, tanquam fine, communicandum, perducuntur per obſervantiam illarum legum.

13 Ad confirmat. conceſ. mai., neg. min.; quia licèt exiſtente uno tantum homine, non eſſet actu Communitas, aut Reſpublica, tamen eſſet poſsibilis hominum ſocietas; & cùm homo ſit animal ſociabile, lex naturalis ita reſpiceret illum unicum hominem, ut eum etiam reſpiceret, quatenùs ad aptus natus ad ſocietatem, & communicationem; atque adeo licet illa lex ſpectaret immediatè ad illum particularem hominem, tanquàm ſubiectum, in quo ſit; tamen eo fine illi ineſt, ut eum ordinet ad recte inſtituendam ſocietatem, & communicationem cum aliis, qui exiſtant, vèl poſsint exiſtere. Ad urgent. diſt. ſequelam mai.: ceſſante omninò illo bono communi, & reſpectu maioris ſaltèm partis Communitatis, àc ſimùl declarato publica authoritate, vèl aliquo æquivalente, quòd motivum legis ceſſaret; tùnc caſus etiam ceſſaret vigor, & obligatio legis, conc. mai.; aliter, neg. mai.; nàm ſicùt publica authoritate declaratur, quod lex obligat, ita pariter neceſſum eſt, quòd aliqua publica declaratio interveniat ad hoc ex lex obligare deſinat; & aliundè ut omninò deſinat eſſe motivum legis non ſufficit, quòd ceſſet reſpectu alicuius particularis, imò nèc aliquorum de Communitate, ſed deberet ceſſare reſpectu maioris ſaltèm partis Communitatis; nèc lex reſpicit hunc, vèl illum caſum particularem, ſed quòd per ſe regulariter evenit.

SEC-

SECTIO II.

Utrum de eſſentia Legis ſit, quòd feratur à poteſtate publica; quòd ſit obligatoria; & perpetua?

14 AD 1. quæſitum: Reſp.: de ratione eſſentiali legis eſt, quòd feratur à poteſtate publica, & politica, ſeù juriſdictionis. Eſt commune, & deducitur ex Sub. Doct. in 4. d. 15. Prob. 1.: ex dictis, de ratione legis eſt, quòd tendat in bonum commune, & homines in illud ordinet efficacitèr; ſed hoc eſt proprium poteſtatis publicæ, ad quam ſpectat reſpicere bonum commune, & ſubditos ad illud ſectandum cogere: ergo de ratione legis eſt, quod feratur à publica poteſtate, quæ reſideat vèl in ipſa Communitate, ſeu Republica, vèl in aliquibus, aut aliqua unica Perſona, ab ipſa Communitate electis, vèl electa; in quas, vèl in quam jus, ſeù poteſtatem legiſlativam tranſtulerit; ſivè immediatè eligendo aliquem in ſupremum Principem; ſivè mediatè eligendo remote eius Succeſores. Prob. 2: ad ferendas leges, ſtricte tales, & contradiſtinctas à puris præceptis, non ſufficit poteſtas privata, dominativa, ſeù æconomica, qualis eſt poteſtas Patris familias in domũ, ſeù Communitatẽ imperfectam: ergo neceſſaria eſt poteſtas publica, politica, ſeu juriſdictionalis in communitatem perfectam, ſeu Rempublicam. Antec. cõceditur communiter à Theologis, & Canoniſtis. Prob. tamèn: tùm, quia Legislatio eſt actus potiſsimus, quo Reſpublica gubernatur, & ideò debet ferri propter ipſius commune commodum: ergo per ſe non ſpectat ad poteſtatem privatam, dominativam, ſeù æconomicam domus, vèl communitatis imperfectę; ſed ad poteſtatem publicam, politicam, ſeù juriſdictionalem, gubernativam Reipublicæ, reſpicientis, & procurantis bonum commune. Tum; quia poteſtas dominativa per ſe eſt particularis, & privata, quæ poteſt eſſe in unam tantùm Perſonam; poteſtas verò juriſdictionis eſt per ſe publica, & ad communitatem ordinata: ergo ſola hęc, & non illa, eſt principium proporcionatum ad leges ferendas.

15 Dices 1. uniuſcuiuſque ratio habet vim legis, ſaltèm quoad dictamina legis naturalis: ergo ſaltèm in iſta non eſt neceſſaria poteſtas publica. Prob. antec.: Apoſt. Epiſt. ad Rom. cap. 2. ait: *Cùm Gentes,*

quæ legem non habent, naturaliter ea, quę legis ſunt, faciunt, eiuſmodi legem non habentes ipſi ſibi ſunt lex: ergo. Conf.: ſecluſa omni ſuperiori poteſtate præcipiente, lex honorandi parentes, non mentiendi, non furandi, &c. obligant ſemper: ergo de ratione legis ut ſic non eſt, quòd feratur à publica poteſtate. Patet conſeq.; quia quod non eſt de ratione alicuius ſpeciei, nec etiàm eſt de ratione generis. Ad arg. diſt. antec.: uniuſcuiuſque ratio habet miniſterialiter vim legis, per modum intimantis illam, conc.; habet formaliter, aut principaliter vim legis, per modum condentis ipſam neg., antec., & conſeq.; nàm etiam lex naturalis eſt lata, impoſita, vèl indita à ſuprema poteſtate Dei, ut Authoris, & Gubernatoris naturę rationalis. Ad illud ex Apoſt. dicimus, quod unuſquiſque eſt ſibi ipſi lex, quatenus quilibet habet eam ſibi inditam, & cordi ſuo inſcriptam; ſicut Codex legis ſolet appellari lex. Ad conf. ſimiliter neg. antec.; quia lex omnis, etiàm naturalis, eſt à ſuperiori poteſtate, à qua habet vim obligandi.

16 Dices 2.: omnes leges humanæ nihil aliud ſunt, quàm *prudentum virorum conſulta*, ex Leg. 1. ff. *de legibus*; ſed prudentum conſulta non requirunt poteſtatem publicam, ſed unice ſcientiam, & prudentiam: ergo lex pendet ex ratione, & non ex publica poteſtate. Conf.: D. Iſidorus lib. 25. *Etymol.* cap. 10. ait: *ſi ratione lex conſiſtat, lex erit omne iàm, quod de ratione conſtiterit.* Et Cicero lib. 1. de *Legibus* inquit: *Lex eſt natura vis, mens, & ratio prudentis*: ergo. Ad arg. explic. mai.: leges humanæ nihil aliud ſunt præſuppoſitivè, & directivè, quàm prudentem conſulta, quę maximè requiruntur, ut iuſtè leges condantur; conc.; nihil aliud ſunt formaliter, vèl cauſaliter, quàm prudentum conſulta, ita ut hæc ſint legiſlativa, neg.; quia leges pendent à voluntate habentis poteſtatem, à qua accipiunt vim, & eſſe legis. Ad confirm. ſimiliter explic. utramque authoritatem: ratio prudentis eſt miniſterialiter lex, quatenùs dirigit ad eam condendam, vèl proponit, aùt intimat ipſam iàm conditam, conc.; eſt formaliter, vèl cauſaliter lex, ita ut ratio ſit lativa, aùt inſtitutiva legis, neg.

17 Dices 3. Apoſt. Epiſt. 1. ad Cor. ait: *Mulier alligata eſt legi, quantò tempore vir eius vivit.* Ubi etiam addit, quòd *eſt ſub lege viri.* Item Proverb. cap. 1. dicitur: *Audi fili mi diſciplinam patris tui, & nè dimittas legem matris tuæ.* Et Scotus in 4. d. 15. q. 2. num. 7. inquit:

Quo-

Quomodo autem auctoritas iuſta habetur, quæ cùm hoc requiritur ad legem iuſtam: ſequitur quinta concluſio, quòd eſt duplex principatus, vèl auctoritas, ſcilicet paterna, & politica :: Prima, ſcil. paterna, iuſta eſt ex lege naturæ, qua omnes filij tenentur parentibus obedire: ergo poteſtas dominativa, & æconomica eſt poteſtas legiſlativa. Reſp., ex locis allegatis ſolùm haberi, quòd cohabitatio uxoris ſub poteſtate, & obedientia viri, àc etiam obedientia filiorum erga parentes, ſicut poteſtas dominativa, & præceptiva viri erga uxorem, àc parentum in filios, eſſe ex vera, & rigoroſa lege: àttamèn ex illis locis non probatur, quòd poteſtas viri, aùt parentis ſit propriè, & ſtrictè legiſlativa, ſeu quòd eorum præcepta ſint leges rigoroſè tales; ſed ad ſummum quòd habeant vim legis, & ſint analogicè tales, quia inducunt rigoroſam obligationem. Ex quibus poſſunt explicari illa loca, & ſic diſtingui conſeq.: poteſtas dominativa, & æconomica eſt legiſlativa latè, & ſimilitudinariè, id eſt, iuſtè, & legitimè præceptiva; & obligatoria, conc. conſeq.; eſt legiſlativa ſtrictè, & rigoroſè, ſeù lativa legis proùt contradiſtinctę à præcepto ſimplici, neg. conſeq.

18 Ad 2. quęſitum: Reſp.: omnis lex, propriè, & ſtrictè talis, debet eſſe præceptiva, & obligativa; àttamèn primaria ratio ipſius non conſiſtit eſſentialiter in eo, quod præcipiat. Prima pars eſt communis. Prob. primò: ideò de ratione legis eſt, quòd feratur à legitimo Superiore habente poteſtatem juriſdictionis, quia ſolus ipſe poteſt præcipere, & Subditos obligare: ergo omnis lex debet eſſe præceptiva, & obligativa. Patet conſeq.; quia aliàs poſſet ferri lex à non potente præcipere, nèc obligare; ſeù lex non requireret talem poteſtatem in Legiſlatore. Prob. ſecundò *inductione*: nulla ſpecies legis poteſt aſsignari, quæ non ſit præceptiva, & obligativa: ergo. Prob. antec.: de lege directè præcipiente, vèl prohibente conſtat eſſe præceptivam affirmativè, vèl negativè; ſiquidem importat iuſsionem, vèl prohibitionem. Lex permiſsiva, qua aliquid permittitur, v. g. dimittere uxorem quoad horum, & cohabitationem, propter adulterium; præcipit conſequentèr, nè impediatur illud eo modo; & ordine, quo permittitur. Lex irritans præcipit conſequentèr, nè fiant actus irritati. Lex declarativa continet præceptum intelligendi rem ſicut declaratur. Lex ſtatuens præmium, vèl pœnam, infert præceptum illis, ad quos

ſpectat, ut præmium, vèl pœnam tetribuant: ergo. Secunda pars reſolut. traditur à N. Fraſsèn. Prob.: lex permiſsiva non præcipit per ſe primò, ſed unicè permittit aliquid fieri; & tantùm conſequentèr ptohibet, nè impediatur illud, quod permittitur. Lex irritans unicè per ſe primò ſtatuit, quod ſint invalidi,& nulli actus,quos irritat, ſeù irritos declarat. Et ſic ſimilitèr de alijs legibus, quæ directè præceptivæ, aut prohibitivæ non ſunt: ergo primaria ratio legis non ſtat univerſaliter in eo,quòd præcipiat.

19 Dices contra 1.part.: Conſilium eſt lex,ut dicunt Canoniſtæ affirmantes,legem conſulentem bono Civili, quam *Conſultoriam* appellant, eſſe legem; ſed non inducit præceptum, aùt obligationem: ergo id nullatenùs eſt de ratione omnis legis. Conf. primò.Conſilia Evangelica referuntur inter partes Legis gratiæ; unde in cap. *Licet* de Regularibus, conſilium ſequendi ſtatum Religioſum vocatur lex privata, ſed non eſt obligativa: ergo. Conf. 2.: Privilegium eſt lex privata, ut docet D. Iſid. lib.5. *Ethymol.* cap. 18.; ſed privilegium non eſt obligativum: ergo. Ad argum. diſt. mai.: Conſilium eſt lex late, & ſimiliturdinariè, quatenùs adinſtar legis illuminat, dirigit, regulat, & movet voluntatem ad aliquid faciendum, vèl omittendum, conc. mai.; eſt lex propriè, & ſtrictè, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſeq.. Ad 1.conf.diſt. mai.quoad 1.part.: conſilia referuntur inter partes Legis Evangelicæ, quia ſecundùm ſe ſint ſtrictè leges, neg. mai.;quia continentur in Evangelio, ſeù teſtamento novo quod totum comprehenditur nomine legis Evangelicę,conc. mai. quoad 1. part.; & diſt. ipſam quoàd 2.conſilium ſequendi ſtatutum Religioſum vocatur lex privata, lege latè ſumpta, conc.; ſtrictè accepta., neg. mai.. Ad 2.conf. poteſt ſimilitèr diſtingui mai,; vèl illa admis., diſt. min.: Privilegium non eſt per ſe primariò obligativum, conc.; conſequenter,& ſecundariò, neg. min.; quia ita obligat nè, vèl alij impediant uſum privilegij,vel nè ipſe privilegiatus interdum renuncier privilegio; maximè quando illud conceditur intuitu alicuius boni communis.

20 Pro reſponſ. ad 3. quęſitum ſupponimus,quòd hic non loquimur de perpetuitate ſimpliciter, & ut dicit æternam ſtrictè durationem ſine principio, & fine, ſeù tàm à parte antè, quàm à parte poſt; quia ſic certum eſt, plures leges non eſſe æternas; ſed quærimus de perpetuitate ſecundum quid,

pro-

pront dicit diuturnam, & indefinitam durationem, quę etiàm ſolet in Sacra Scriptura appellari æternitas. Quare ſenſus quæſiti eſt: an de ratione legis ſit, habere eſſe ita firmum, ſtabile, & permanens, quantum eſt ex vi ſuæ originis, & conſtitutionis, unde ſemper perſeveret cùm eius efficacia, & valore, aut ſaltèm per diuturnum, & indefinitum tempus? Huic igitur quæſito.

21 Reſp.: Lex ex ſua ratione debet eſſe ſtabilis, permanens, & aliquomodo perpetua. Eſt commune Iuriſtarum & Theologorum, contra aliquos. Prob. primò: hoc diſcrimen reperitur inter purum præceptum, & legem propriè talem, quod ſimplex præceptum ad præſentes tantùm dirigitur, lex verò etiam ad futuros, item purum præceptum ſpirat morte præcipientis, & eò ipſo ceſſat ſine nova revocatione, lex autèm durat etiàm poſt mortem Legiſlatoris, & quandiù non revocatur, manet in ſuo vigore; ſed hæc diſtinctio nequit aliunde provenire, quam ex natura ipſius legis, quæ de ſe exigit talem perpetuitatem: ergo. Prob. 2: lex ex propria ratione directè præſcribitur Communitati, quæ perpetua eſt, & per ſe primò ordinatur ad eius perpetuam ſtabilitatem, ac bonum comune fixum, & permanens; ſed hoc ipſo de ratione eſſentiali legis eſt, quòd ex ſe ſit perpetua, & ſtabilis; nam alias fruſtraretur eius finis, vèl ipſa eſſet inutilis ad talem finem: ergo. Prob. 3. inductione: nedùm perpetua eſt, & ſtabilis lex æterna, tàm naturalis, quę immutabilis eſt, quàm Divina poſitiva, ſive Uetus, quæ diuturna fuit uſque ad adventum Chriſti D. ſive Nova, quæ duratura eſt uſque ad finem mundi; ſed etiam leges humanæ, utpotè participationes legis eternæ, quoad fieri poteſt, imitantur illius perpetuitatem, ut conſtat ex praxi omnium Nationum, apud quas ſempèr vigent leges, niſi ex cauſa rationabili tollantur, & revocentur ab habente legitimam poteſtatem: ergo ex ſua ratione ſunt perpetuæ, & ſtabiles.

22 Conf. hoc, & declaratur ex Eximio Suarez lib. 1. de Legibus cap. 10. num. 7.: ex triplici capite attenditur, & habetur perpetuitas legis humanæ. Primò ex parte ferentis, ſiquidem illo amoto, vèl defunto, lex adhùc perſeverat; ut conſtat ex cap. ult. *de oficio Legati*, ubi dicitur, ſtatum Legati habere vim legis, & perpetuo durare; alioquin in Republica fieret maxima legum mutatio, non ſine magno illius detrimento, & contra finem ipſarum

rum legum, quæ ad inconcuſſum, & ſtabile Reipublicæ bonum ordinantur. Secundò attenditur perpetuitas legis ex parte illorum, ad quos fertur; quia non ſolum obligat præſentes, ſed etiam ſucceſores, in quibus Communitas perpetuatur ſucceſivè; & quia lex non ſolùm præſentia, ſed etiàm futura proſpicit. Tertio attenditur ex parte ipſius legis; quia ſemèl lata, ſempèr durat donèc abrogetur, & deſinat eſſe iuſta, vèl ex parte cauſæ, vèl ex parte materiæ, quæ mutetur ex occurrentibus circunſtantijs: ergo omnis lex, etiàm humana, eſt de ſe perpetua, & ſtabilis.

23 Dices 1: Lex Uetus duravit ſolùm ad adventum Chriſti, & multæ leges humanæ mutantur ſucceſu temporis: ergo perpetuitas non eſt de ratione legis. Conf. 1: Lex ipſa, ſeù præceptum naturale obligat in una occaſione, & non in alia; ut patet maximè in affirmativis: ergo perpetua non eſt adhùc lex naturalis. Conf. 2: Legiſlatores humani, utpote morales, non poſſunt obligare in perpetuum: ergo perpetuitas non eſt de ratione legum, ſaltèm humanarum. Conf. 3.: unus Legiſlator non habet juriſdictionem in alium ſibi ſuccedentem: ergo iſte poterit mutare leges ſui Anteceſoris; & conſequentèr perpetuitas non eſt de ratione legis.

24 Ad arg. conceſ. antec. diſt. conſeq.: perpetuitas poſitiva non eſt de ratione legis, ità ut ſemel lata non poſsit amplius abrogari, conc.; perpetuitas negativa non eſt de ratione legis, ità ut ex natura ſua habeat perpetuam ſubſiſtentiam, ſi non revocetur, neg. conſeq.. Ad 1. Conf. conces. etiam antec. neg. conſeq.; quia lex, ſeù præceptum ipſius ſempèr eſt idem, & quantum eſt ex ſe, ſemper obligat, quamvis non pro ſemper; & hoc ſufficit ad eius perpetuitatem. Ad 2. conf. neg. antec.; quia licet homines legem ferentes ſint mortales; tamen leges Eccleſiaſticæ feruntur nomine Chriſti; qui talem poteſtatem contulit Eccleſiæ; Civiles verò feruntur authoritate Reipublicæ, quæ perpetua eſt, & ſuum jus tranſtulit in eos, quos conſtituit Gubernatores, & Legiſlatores. Ad 3. conf. conceſ. antec., & 1. conſeq., diſt. alteram ſubillatam: perpetuitas poſitiva non eſt de ratione legis, conc., negativa, neg..

25 Dices 2.: perpetuitas in præſenti idem eſt, ac duratio; ſed hæc non eſt de eſſentia alicuius rei creatę: ergo nèc perpetuitas eſt de ratione legis, ſaltim humanæ. Diſt. mai.: perpetuitas hic idem eſt, ac

dura-

duratio aptitudinalis; ſeù exigentia durationis, conc. mai.: idem eſt, àc duratio actualis, neg. mai.;& ſimilitèr diſt.min.: hæc, nempè duratio actualis non eſt de eſſentia alicuius creaturæ,conc.min.; hæc,nempè duratio aptitudinalis, ſeù exigentia durationis,neg.min., & conſeq. in ſenſu diſtinctionis datæ, in quo loquimur in præſenti.

SECTIO III.

An, eſt quomodò Lex requirat promulgationem?

26 DICIMUS: promulgatio non eſt de eſſentia legis;ſed eſt conditio neceſſaria ut actu obliger. Hanc ſententiam, præter alios plures,tenent communitèr Scotiſtæ cum Sub. Doct. in 4. d. 3. q. 4. §. *quantum ad primum dico.* Prob. 1.pars primò ex Doct. cit.: promulgatio, ſeu intimatio legis preſuponit eius determinationem, ſeu inſtitutionem à Legiſlatore; *non enim promulgatur lex* (inquit Sub. Doct.) *niſi primò ſit determinata à Legiſlatore, à quo habet firmitatem; & ita determinatio poteſt dici inſtitutio*; Sed eſſentia legis conſiſtit in determinatione, ſeù inſtitutione à Legiſlatore: ergo intimatio, vel promulgatio non eſt de eſſentia legis, ſed illam præſupponit. Prob. min.: eſſentia legis conſiſtit formalitèr in vi obligativa;ſed hæc habetur formalitèr per determinationem, ſeù inſtitutionem à Legiſlatore: ergo. Conf.:ſolum illud eſt de ratione eſſentiali legis, quod eſt neceſſarium ut habeat vim obligativam Subditorum; ſed ad hoc non requiritur promulgatio, ſed ſola legis inſtitutio, & determinatio facta per voluntatem Legiſlatoris: ergo. Prob. min.: illa vis obligativa præſupponitur ad promulgationem,ſiquidem hæc eſt actualis applicatio illius ad ſubditos; nàm priùs quam Princeps, promulget legem, habet in ſe illos actus intellectus, & voluntatis requiſitos ad inſtitutionem legis, quos aſſignavimus in quæſt. præcedenti, & poſtea per promulgationem applicat legem Subditis: ergo. Urget.: lex non conſtituitur eſſentialitèr per actualem obligationem, ſed per vim obligativam; quia actus ſecundus, vèl effectus, uti eſt actualis obligatio reſpectu legis, non pertinet ad eſſentiam rei; ſed promulgatio unicè tribuit obligationem actualem,non verò vim obligativam;ſiquidem eam ſupponit, & eam applicat: ergo.

27 Prob. ſecundò eadem pars:promulgatio legis poſitivæ conſiſtit in manifeſtatione externa,in voce,aut ſcriptis;

lex

lex verò conſiſtit eſſentialitèr, vèl in actu intellectus, ut aſſerunt Thomiſtæ, vèl in actu voluntatis, ut dicimus Scotiſtę, vèl in utroque, ut volunt alij; ſed ea, quæ ſunt in voce, aut ſcripto, non ſunt niſi *ſigna externa eorum, quæ ſunt in mente*, ut ait Ariſtoteles: ergo promulgatio non eſt de eſſentia, ſed unicè ſignum manifeſtativum legis. Secunda pars aſſert. prob. etiàm ex Sub. Doct. cit.: lex non obligat, niſi ut cognita; ſed non poteſt cognoſci, nèc ſciri ſufficienter ſine promulgatione, nemo enim poteſt ſcire, quid lateat in mente Dei, vèl Principis, niſi ipſe revelet; quare dicebat Chriſtus D.: *Si non veniſſem, & loquutus fuiſſem eis, peccatum non haberent*: ergo promulgatio eſt conditio neceſſaria ut lex actu obliget. Conf.: ita ſe habet promulgatio legis, ſicut applicatio menſurę ad menſurabile, vèl quaſi applicatio ignis, ad combuſtibile; ſed applicatio menſuræ eſt conditio omninò neceſſaria ad actualem menſurationem, & applicatio ignis ad combuſtionem: ergo etiàm promulgatio ad obligationem legis. Alia, quę ſolent hìc diſputari de qualitate, & modo promulgationis legis naturalis, Divinæ poſitivæ, & humanæ, pertinent ad quæſtiones ſpeciales infra diſcutiendas de illis.

28 Argues contra 1. part. aſſert.: Gratianus, Decreti collector, & ordinator, cap. *In iſtis*, diſt. 4. ſic ait. *leges inſtituuntur, cùm promulgantur*: ergo promulgatio eſt de eſſentia legum. Conf. 1.: promulgatio ingreditur definitionem communem legis: ergo eſt de eius ratione formali. Conf. 2.: lex importat eſſentialiter imperium Superioris factum Subdito, & potens movere ipſum ad obediendum; ſed tale imperium dicit eſſentialitèr intimationem, ſeù promulgationem; quia niſi exteriùs manifeſtetur, nequit movere: ergo. Conf. 3. de ratione legis eſt, quòd ſit directiva operationum; ſed non poteſt eſſe directiva ſine aliqua promulgatione; quia ipſa ſeclusa, manet in mente Legiſlatoris, & non conſtat Subditis: ergo.

29 Ad arg. explic. antec.: *leges inſtituuntur*, id eſt, complentur, ſeù redduntur obligantes in actu ſecundo, *cùm promulgantur*, conc.; inſtituuntur, id eſt, determinantur, ſeù fiunt obligativæ in actu primo, dùm promulgantur, neg. antec., & conſeq.. Ad 1. conf. diſt. antec.: promulgatio ingreditur, tanquàm conditio, in definitionem connotativam legis, prout in actu ſecundo obligantis, conc.; ingreditur, tanquam [illegible] gatio formalis, in definitionem

purè

purè quidditativam legis, prout dicentis ſolam vim obligandi, neg. antec., & conſeq.; quia etiam ratio, ſeù intellectus ingreditur in definitionem voluntatis, nempè: *appetitus cum ratione liber*, & tamen ratio non eſt de eſſentia illius. Ad 2.: conf. diſt. mai.: lex importat eſſentialitèr imperium factum Subdito, id eſt à Superiore formatum, & potens in actu primo, ſaltèm remoto, movere Subditum, conc. mai.; eſt eſſentialitèr imperium, factum, id eſt, oſtenſum, & applicatum Subdito, àc potens in actu ſecundo, vèl primo proximo, movere ipſum ad obediendum, neg. mai.; quia hoc eſt officium, vèl effectus legis, & imperij; & ſimilitèr diſtincta min., neg. conſeq.. Ad 3. conf. ſimiliter diſt., mai.: de ratione eſſentiali legis eſt, quòd ſit directiva in actu primo, ſaltim remoto, conc.; in actu ſecundo, vèl primo proximo, neg. mai., & min. ſub eadem diſtinctione; & conſeq. abſolutè.

30 Argues contra 2. part. aſſert.: tum, quia leges quandoque extenduntur ad negotia præterita; ut patet ex jure Can. cap. ult. *de Conſtit.*, ubi dicitur: *Cùm leges, & conſtitutiones futuris certum ſit dare formam negotijs, non ad præterita facta trahi, niſi nominatim in eis de præteritis caveatur.* Et ex Sixto V: in conſt. *Cùm frequenter*, in qua damnavit conjugia per Eunuchos, & Spadones non ſolum contrahenda, ſed etiàm iàm contracta, ea que declaravit invalida, & nulla: ergo tales leges obligant antè promulgationem; & conſequenter hæc non requiritur ad obligationem legis. Tùm quia lex naturalis eſt propriè lex; ſed à principio mundi obligat abſque promulgatione; cùm non poſsit dici, quandò, aut quomodò promulgata fuerit: ergo. Tùm, quia promulgatio dicitur neceſſaria, nè lex ignoretur à Subditis, & ut cognita obliget illos; ſed hæc ratio non valet: ergo. Prob. min.: ad multa obligamur, etiamſi ignorentur, v. g. ad legem naturæ, ad baptiſmum, ad reſtitutionem rei alienæ, quamvis poſſeſſę bona fide; ad nullitatem, & irritationem, contractus invalidi, quamvis defectus ignoretur, dùm initur talis contractus: ergo. Tùm quia ad revocationem, nec ceſſationem obligationis legis, non requiritur promulgatio: ergo nèc ad eius obligationem.

31 Ad 1. in arg. allegatum reſp. diſt. antec.: leges quandoque extenduntur ad negotia materialitèr, & pyſicè præterita, tamèn prout formaliter, & moralitèr præſentia, conc. antec.; ad negotia omni-

nè præterita,& prout talia,neg. antec.; quia tales leges non obligant, nec poſſunt obligare, nè talia negotia fuerint facta, vèl præterita; ſed nè in poſterùm fiant; & illa, quæ iam fuerunt facta,vel ſunt phyſicè præterita, ſed moralitèr durantia in obligatione, ſaltim exiſtimata contrahentium, declarant illæ leges,ut irrita, & invalida, àc obligant ut diſolvantur, & nè amplius habeatur ulla ratio illorum; ad talem autem obligationem prærequiritur promulgatio illarum legum. Ad 2. conceſ. mai.,neg. min.;quia lex naturalis (de qua intelligitur illud Pſalm. 4. *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*; & de qua inquit Subt. Doct. ſuprà cit., quod *eſt nota interius in corde*) intimatur, & promulgatur per lumen naturale, vèl uſum rationis,dùm quiſque incipit diſcernere intèr bonum, & malum; & ex tunc incipit obligatio legis naturalis poſt talem ipſius manifeſtationem, & intimationem; ut docent D. Baſil. in Ptalm. 1., & D. Hieron. Epiſt. ad Aglaſiam, q. 8. ubi ait: *Cùm mandatum venerit, hoc eſt, tempus intelligentiæ appetentis bona, & vitantis mala, tùnc peccatum reviviſcere incipit, & homo reus eſſe peccati.*

32 Ad 3. conceſ. mai., neg. min.,ad cuius probat.dist. antec.: ad multa per ſe,in communi, & quaſi in actu primo obligamur ex publica promulgatione facta Communitati; etiàmſi per accidens, & in particulari igorentur ex defectu notificationis privatę, vèl particularis notitiæ, conc. antec.; ad multa obligamur etiàm per accidens, in particulari, actualitèr, & exercitè, quamvis invincibiliter ignorentur, neg. ant.; ad cujus prob. adiunctam dicimus, quod lex naturalis, ſaltèm quoad primi principia, non poteſt invincibiliter ignari ab habente uſum rationis, ut conſtabit ex diſp. ſequenti. Ad baptiſmum autem non obligaretur ſub culpa ille, qui ignoraret invincibilitèr,ſeu cui non fuiſſet ſufficientèr intimata lex Baptiſmi; nam, ut inquit Subt. Doct. cit., *nullus tenetur ad aliquod præceptum Divinum, niſi per aliquem idoneum,& authenticum ſibi promulgetur, vèl fama veridica, & teſtimonio bonorum, cui debet quilibet rationabilitèr credere.* Ad reſtitutionem verò rei alienæ, licèt teneatur ille, qui comperit, rem eſſe alienam, eſtò priùs poſſeſſam bona fide; tamèn non tenetur illam reſtituere, quamdiù permanet bona fides, ſeù invincibilitèr ignorat, rem eſſe alienam. Ad illud de contractibus dicimus, quòd licet ipſi à parte rei ſint ſecundùm ſe invali-

di,

di, & irriti, tamèn non obligatur habere ipſos ut tales, nèc ab eis ſe abſtinere ille, qui invincibiliter ignoret legem illos irritantem. Ad 4. denique obiectum in argum. neg. antec.; quia dùm revocatio legis non conſtat ex ſufficienti promulgatione, cenſetur moraliter permanere in ſua vi, & in actu ſecundo obligare.

SECTIO IV.

Utrùm acceptatio populi requiratur ad rationem Legis?

33 PRÆNOTANDUM eſt primò, quòd acceptatio populi poteſt ſumi triplicitèr. Primò pro conſenſu Subditorum ad condendam legem. Secundò pro conſenſu eorundem in obſervationem legis iàm conditæ, ſeù pro voluntate recipiendi legem iàm conditàm. Tertiò pro actuali obſervatione legis in caſu occurrente. Prænotand. eſt 2. nullam ex prædictis acceptationibus requiri, nèc ad valorem, nèc ad obligationem legis Divinæ, ſivè naturalis, ſivè poſitivæ; quia cùm Deus habeat abſolutum, ſupremum, & illimatum dominium ſupra creaturas rationales, conſiſtens in abſoluta poteſtate iubendi, & diſponendi ad placitum de illis; ideo nulla hominum acceptatio eſt neceſſaria, ut iuſta Dei valeant, & firma, ac obligatoria conſiſtat.

34 Prænot. eſt 3. quòd ſtatus, ſivè gubernium politicum Cōmunitatis perfectæ poteſt eſſe triplex. Primum Monarchicum, id eſt, per unum caput habens in ſe poteſtatem legiſlativam, & gubernativam ſupremam Reipublicæ in ſuo ordine. Secundum eſt Ariſtocraticum, id eſt, per paucos, & optimos, apud quos reſidet poteſtas regendi populum. Tertium eſt Democraticum, id eſt, per plures, vèl omnes integrantes populum. Ex quibus poſſunt confici varij modi gubernationis mixtæ, ſeù compoſitæ ex illis ſimplicibus, per participationem omnium, vèl duorum ex aſsignatis. Attento igitur jure naturali, poteſtas legiſlativa, ſeù gubernativa civilis reſidet in tota Communitate perfecta, quę illam habet à Deo ut Authore naturæ, & poteſt eligere illum modum gubernationis, quem ſibi magis utilem, & accommodatum iudicaverit; nēpè vèl illam poteſtatem in ſe immediatè retinendo, vèl illam transferendo in plures aut in unum. Poteſtas vero legiſlativa, ſeù gubernativa Eccleſiaſtica jure Divino reſidet primario, principaliter, & immediatè in ſupremo Capite, nempe Summo Pontifice, & deindè etiam

rel-

reſpectivè in alijs Prælatis Eccleſiæ, quæ ſpecialiter inſtituta eſt à Chriſto D. ut Monarchia perfecta. Prænot. eſt 4. quòd in ſtatu Democratico conſenſus populi ad condendam legem eſt neceſſarius, ut lex in ſuo eſſe conſtituatur; quia poteſtas legiſlativa reſidet apud ipſum populum. In ſtatu autèm Ariſtocratico requiritur acceptatio, ſeù conſenſus Optimatum, ad quos regimen, & conſequenter poteſtas legiſlativa tranſlata eſt à populo. His prænotatis.

35 Dicimus primo: acceptatio, ſeù conſenſus populi non requiritur ad conſtitutionem legis, nedùm Eccleſiaſticę, verùm nec Civilis. Sic communiter Theologi. Prob. prima pars: Lex Eccleſiaſtica ſancitur, vèl à Summo Pontifice, vèl ab alio Prælato Eccleſiaſtico, ſubordinato ipſi Pontifici; ſed nullus ex illis in exercitio poteſtatis legiſlativæ dependet ab acceptatione, aut conſenſu populi: ergo talis conſenſus non requiritur ad conſtitutionem legis Eccleſiaſticæ. Prob. min.: Summus Pontifex habet plenariam, & abſolutiſsimam poteſtatem gubernativam, quam accepit immediatè à Chriſto D. dicente: *Quodcumque ligaveris*:: & *Paſce oves meas*; àc cæteri Prælati etiam illam hebent immediatè ab ipſo Chriſto vèl ſaltèm mediatè, quatenus eam accipiunt à Summo Pontifice, cùm omnimoda independetia à ſubditis, ſeù membris Eccleſiæ: ergo. Conf.: Chriſtus D. inſtituit in Eccleſia regimen perfectè Monarchicum; ſed hoc tolleretur, ſi exercitium poteſtatis legiſlativæ Summi Pontificis, & aliorum Prælatorum ſubordinatorum ipſi, dependeret ab acceptatione, ſeù conſenſu populi Chriſtiani; ſiquidem regimen perfectè Monarchicum ſtat in plena ſubordinatione Subditorum ad unicum, & ſupremum caput, ac in abſoluta ſubiectione ad illud: ergo.

36 Prob. 2. pars primò: licèt Princeps ſæcularis acceperit, ſivè immediatè, ſivè mediatè, poteſtatem à populo, tamèn iſte illam à ſe abdicavit, & in eum tranſtulit omne imperium, & poteſtatem, ut conſtat ex Leg. 1. ff. de *Conſtit. Princip.* ubi dicitur: *Cum populus ei, & in eum omne ſuum imperium, & poteſtatem conferat*: ergo conſenſus, ſeù acceptatio populi non requiritur ad conſtitutionem legis Civilis. Prob. ſecundò: ſi conſtitutio legis dependeret ab acceptatione, vèl conſenſu populi, lex non haberet vim obligandi ex ſe, nèc à Legiſlatore, quin potiùs à Subditis; ſed hoc eſt abſurdum; nàm alias Subditi non eſſent verè tales, nèc Princeps haberet

ret imperium, & poteſtatem: ergo. Prob. mai.: tùnc caſus voluntas, & iuſsio Principis non daret vim legi, quin potiùs eam haberet à voluntate, & acceptatione populi: ergo. Conf. hæc ratio: ſi conſtitutio legum dependeret à conſenſu populi iàm Princeps non eſſet dominus, nèc haberet imperium, ſeù poteſtatem gubernandi, ſed penes populum ſtaret præcipuè, vèl pro parte, regimen, & poteſtas condendi leges: ergo cùm tale dominium, & imperium ſupponatur in Principe, non requiritur talis conſenſus, ſeù acceptatio populi, ad conſtitutionem legis.

37 Dicimus 2.: acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi in ſe obligationem, & obſervationem actualem legis, à legitimo Superiori iam conditæ, & promulgatæ, non eſt neceſſaria per modum conditionis, ut lex, ſivè Eccleſiaſtica, ſivè Civilis, proximè obliget. Ita etiàm Communitèr Theologi contra N. Graſſen, & alios. Prob. primo ſimùl quoàd utramque part.: Apoſt. ad Roman. cap. 13. ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit:: Itaque qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit:: Ideo neceſsitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram ſed etiam propter conſcientiam*: ergo. Prob. 2.: ſi lex, iàm condita, & promulgata, non obligaret proximè antè acceptationem, populus non recipiens, vèl tranſgrediens illam, non incurreret culpam; ſed hoc eſt falſum: ergo. Mai. conſtat; quia omnis culpa eſt contra legem proximè obligantem, ut negari nequit. Prob. min.: inter propoſitiones damnatas ab Alex. VII. hæc eſt 28.: *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſa non recipiat legem à Principe promulgatam* ergo. Prob. tertio: Principes ſupremi cogunt pœnis ad recipiendam, & obſervandam legem ſufficienter conſtitutam, & promulgatam, & iuſtè puniunt tranſgredientes ipſam: ergo ſupponitur obligatio proveniens ex ipſa lege independentèr ab acceptatione populi.

38 Prob. 4.: acceptatio eſt effectus legis: ergo eius obligatio nequit dependere ab acceptatione. Prob. antec.: ideo lex eſt acceptanda à Subditis, quia eos obligat ad illius acceptationem: ergo obligatio præcedit acceptationem, ſicut cauſa ſuum effectum; & per conſequens non poteſt eſſe conditio neceſſaria ad obligationem legis. Prob. quintò: ſi obligatio legis penderet ab acceptatione populi, redderetur inefficax, & fruſtraretur eius finis: ergo. Prob. antec.: finis legis eſt bo-

num Commune. mores componere, virtutes ſtabilire ac vitia extirpare; ſed hoc rariſsime teneret, cùm populus ex naturæ, ac morum corruptela, & ex amore libertatis, ac utilitatis proprię, propendat potiùs in vitia, quam in virtutes, & plures præferant propria commoda bono communitatis: ergo.

39 Argues 1. contra utramque conclus.: Gratianus Can. 3. diſt. 4. ait: *Leges firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Et in Iure Civili, L. *de quibus*, ff. *de legibus* habetur: *Leges nulla alia ex cauſa nos tenent, niſi quia iudicio populi receptæ ſunt.* Et Ariſt. lib. 2. Politic. cap. 6. inquit: *Lex nullam vim obligandi habet niſi ex more*: ergo vis, & obligatio legis pendet ab acceptatione populi. Conf. primò ex can. cit. ubi Gratianus apponens exemplum de Teleſphoro Papa, qui decrevit, quòd Clerici in Quinquageſima à carnibus generaliter ieiunent, inquit: *quod quia moribus utentium approbatum non eſt, aliter agentes tranſgreſſionis reos non arguit*: ergo. Cõf. 2. ex L. cit. *De quibus*, ubi habetur, quod populus habet poteſtatem abrogandi legem acceptam: ergo etiàm non acceptandi promulgatam.

40 Ad arg. reſp., ſenſum illorum textuum eſſe, non quod acceptatio populi requiratur ad hoc ut lex ab initio habeat vim obligandi, ſed ut firmetur, perſeveret, & duret; atque adeò licèt à voluntate Legiſlatoris habeat vim obligandi, & firmitatem Iuris, tamen à receptione, & obſervatione populi accipit durationem, & firmitatem facti, ſeù de facto. Ex quo poſſunt explicari in forma illi textus, & conſeq. inde illatum. Ad 1. confirmat. explic. antec.: *quia moribus Utentium approbatum non eſt*, ſuppoſita, voluntate, ſaltim tacita Pontificis, qui noluit cogere, nèc urgere ad executionem, ſeù ſtrictè, & abſolute obligare, ideò *aliter agentes trangreſſionis reos non arguit*, conc.; præcisè *quia moribus utentium aprobatum non eſt*, ſuppoſita, & urgente voluntate Pontificis ad executionem talis decreti, neg. antec., & conſeq.; quia ſolùm loquimur de lege, qua Legiſlator vult obligare, cogere, & urgere Subditos ad illius adimpletionem; non autem de illa diſpoſitione, qua unicè intendit tentare admiſsionem populi vèl conſentit, aùt indulget eius voluntati; quę diſpoſitio in tali caſu non tenet propriam, & ſtrictam rationem legis. Ad 2. Conf. explic. antec.: populus, ſupoſito conſenſu expreſſo, vèl tacito Legiſlatoris, & ſuppoſita cauſa præponderante rationi legis, habet poteſtatem ab-

abrogandi legem conc.; populus, contra iſtantiam, & urgentiam Legiſlatoris, & ſine cauſa iuſta, ac rationabili, habet poteſtatem pro ſuo libito abrogandi legem, neg. antec., ut vidimus dum loquamur de abrogatione legis; & diſt. ſimiliter conſeq.: etiam habet poteſtatem non acceptandi legem ſi habeat iuſtam cauſam non acceptandi, ſeù ex rationabili interpretatione voluntatis Legislatoris, vèl ex conſenſu expreſſo, aut tacito eiusdem, non volentis ſubditos obligare; qualiter non verificatur ratione propriæ, & ſtrictæ legis, conc. conſeq.; ex ſolo populi arbitrio, ſeù ſine conſenſu interpretativo, tacito, nec expreſſo Legiſlatoris, quin potiùs contra imperiù eiuſdem; qualiter loquimur in præſenti, neg. conſeq.

41 Argues 2.: poteſtas legiſlativa eſt ordinata ad utilitatem, & bonum commune; ſed ferre leges contra ſenſum, & conſenſum populi, potius cederet in perniciē quàm in utilitatem; aùt ſaltèm utilitate careret: ergo. Conf. primò: Principes ſæculares acceperunt à populo poteſtatem; ſed non poteſt præſumi, quòd eam in ipſos tranſtulerit ita abſolutam, ut poſſet obligare populum etiam contra eius voluntatem: ergo præſumi debet, talem poteſtatem eis dediſſe cùm illa conditione, & limitatione, *ſi populus conſenſerit, vèl acceptaverit.* Conf. 2: ad ſuave regimen populorum pertinet, & eſt magis conforme voluntati Legislatorum, condere, & promulgare leges; ſub conditione ſaltem tacita, *ſi populus acceptaverit*: ergo præſumendum eſt, ita fieri.

42 Ad arg. conceſ. mai. diſt. min.: ferre leges, aliqualiter iniuſtas, contra ſenſum rationabilem populi, potiùs cederet in perniciem, conc.; ferre leges, iuſtas ex omni parte, contra ſenſum irrationabilem populi, cederet in perniciem, ſubdiſt.: ex pervicacia, & proterbia populi, quàm Legiſlator debet potiùs reprimere, quàm tolerare, conc.; cederet in perniciem ortam ab ipſa lege, vèl cauſatam à Legiſlatore, neg. min., & conſeq. Ad 1. confirm. conceſ. mai., neg. min., nàm in regimine Monarchico, & ubi non fuerit expreſſa talis limitatio, potiùs præſumendum, imò certo iudicandum eſt, populum à ſe abdicaſſe poteſtatem, & illam tranſtuliſſe in Principem abſolute, & ſine illa limitatione; quia aliàs potius eſſet conſultor, quàm legiſlator; & poteſtas potiùs eſſet apud populum, quàm apud Principem. Ad 2. conf. diſt. antec.: convenit leges ferre ſub ea conditione, regulariter, or-

dinariè, & per ſe ex ipſa ratione legis, neg. antec.; aliquandò, per accidens, & in caſu quo lex nimis gravis, & difficilis obſervationis eſt, aut quandò adverſatur conſuetudini receptæ, ut habetur cap. 2. *de Conſt.* in 6. & cap. *Certificati, de ſepult.*, conc. antec.; & diſt. ſimilitèr conſeq.: præſumendum eſt ita fieri aliquando, ex rationabili motivo, & ex voluntate tacita, vèl interpretativa Legiſlatoris, conc. conſeq.; ita præſumendum eſt regulariter, arbitrariè, ſine rationabili cauſa, & contra voluntatem Legiſlatoris, neg. conſeq..

43 Argues 3.: Chriſtus D. aſſignat diſcrimen inter poteſtatem Eccleſiaſticam, & Civilem, quòd ita non dominetur abſolutè, ut cogat populos, ſed ut ſuavitèr dirigat illos: ergo non debet, nec poteſt ferre leges, niſi gratas, & acceptas populis. Prob. antec.: Lucæ cap. 22. dicitur: *Reges Gentium dominantur eorum, & qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur. Vos autem non ſic; ſed qui maior eſt in vobis, fiat ſicut minor; & qui præceſſor eſt, ſicut miniſtrator*: ergo. Conf.: de facto multæ leges Eccleſiaſticæ non ſunt receptæ in aliquibus Regnis, Provincijs, ac Diœcelibus; & defectu talis receptionis non obligant; ergo requiritur acceptatio populi, ut lex etiam Eccleſiaſtica, habeat vim obligandi. Urg.: licitum eſt Subditis ſupplicare à lege ad Legiſlatorem, etiàm Eccleſiaſticum, & ſupremum; ac interim ſuſpendere adimpletionem legis; ut tenent plurimi A. A. noſtræ ſententiæ: ergo quia lex non habet ex ſe vim obligandi, aùt ſaltèm non inducit actu obligationem, independentèr ab acceptatione populi.

44 Reſp. ad arg. neg. an. tec. in ſenſu, quem prætendit, & exprimit; nàm poteſtas Eccleſiaſtica non habet minorem virtutem, & efficatiam ligandi ſubditos, & ſuavitèr, fortitèr que regendi illos, quàm poteſtas Civilis Principum Sæcularum; nèc illa eſt minùs abſoluta, & independès à conſenſu, & beneplacito Subditorum; quamvis aliàs Principes Eccleſiaſtici debeant potiùs præeſſe, ſeù primi eſſe in humilitate, labore, miniſterio ſubditorum, utilitate, & ſalute, præferentes illam utilitati propriæ. Et hoc unicè prob. ex illo texto; non autem vetat, quin aliquando utantur virgis ſpiritualibus; unde Apoſt. 1. ad Corinth. cap. 4. ait: *in virga veniam ad vos, an in charitate, & ſpiritu manſuetudinis.* Ad conf. diſt. antec.: multæ leges Eccleſiaſticæ, ex cauſa rationabili, & voluntate tacita, aut interpretativa Legiſlatoris, non ſunt receptæ, &

ex

ex defectu talis receptionis, ſupoſita illa voluntate Legiſlatoris nolentis obligare, vèl potiùs ex iſta non obligant, conc. antec.; præcisè ex defectu talis receptionis, ſubdiſt.: ex defectu talis receptionis protractæ, & permiſſæ non obligant poſtquã per contrariam conſuetudinem exiſtimatur lex abrogata, conc. antec.; ex defectu talis receptionis inceptæ, vèl contradictę à Legiſlatore, non obligant, neg. antec.; & diſt. conſeq.: acceptatio populi requiritur, ut lex habeat vim obligandi permanentem, & de facto ſtabilem, conc. conſeq.; ut habeat talem vim abſolutè, & ſimpliciter, àc ſtabilem de jure, neg. conſeq.. Ad 2. confirm. diſt. ſimilitèr antec.: licet Subditis, ex cauſa iuſta, & rationabili, ſupplicare à lege, conc. antec.; ſine tali cauſa, & pro ſola eius voluntate, neg. antec. & conſeq.; quia ex illo antec. potiùs ſequitur obligatio populi â lege, independenter ab ipſius acceptatione; nàm aliàs non indigeret tali ſupplicatione.

*** *** ***

*** ***

***

DISPUTATIO II.

De Lege Naturali.

QUÆSTIO I.

Quid ſit Lex Naturalis?

1 QUANTO nota, & indubitata eſt legis naturalis exiſtentia, tantò incerta, & dubitata eſt eius quidditas, & eſſentia; ut patet ex tanta diverſitate opinionum circa ipſam. Supponimus autèm primò, quod licèt lex naturalis, & lex naturæ ſoleant diſtingui per hoc, quod lex naturalis ſit regula, & menſura obligans, imperans, ac præcipiens actiones morales ab intrinſeco bonas, & vetans, ſeù prohibens actiones ab intrinſeco malas; lex autèm naturæ ſit regula purè indicans, ſeù manifeſtãs talia opera; tamèn ſumpta lege naturæ prout eſt propriè lex, de cuius ratione eſſentiali eſt imperium, & obligatio, proùt ſic coincidit cum lege naturali, atque adeò accipiuntur indiſcriminatim pro eodẽ. Supp. 2, quòd licèt ſumpto *jure* proùt derivatur à *juſtitia*, & ſignificat *juſtum*, & *æquum*; vèl prout denotat actionem, ſeù moralem facultatem, quam unuſquiſque habet ad rem ſuam;

prout ſic non ſit ipſa lex, quia potius id, quod lege præſcribitur; atque adeò in hoc ſenſu diſtinguatur etiam jus naturale à naturali lege: tamen ſumpto *jure* prout derivatur à iubendo, & ſignificat iuſsionem, ſivè imperium, prout ſic eſt idem, ac lex, quæ in imperio, ſeù iuſsione conſiſtit; & ideò jus, & lex naturæ ſolent frequenter accipi pro eodem. Unde patet diverſitas, & confirmitas inter jus, & legem.

2 Supp. 3. iuxta dicta de lege ut ſic in diſp. præced., quòd lex naturalis poteſt ſumi tripliciter. Primò obiectivè, & ſecundum ſe, prout eſt regula naturaliter dirigens, & obligans agens intellectuale ad ſuas operationes. Secundò prout eſt in Legiſlatore, nempè Deo, à quo habet eſſe, & vim obligandi; & proùt ſic dicitur lex æterna, non ſolùm quia ibi eſt ab æterno, per quod conveuit cùm lege Divina poſitiva; ſed etiam, & præcipuè quia eſt de regulis veritatis neceſſariæ, & æternæ. Tertiò proùt eſt in nobis, quatenùs per naturale lumen rationis cognoſcimus, quod eam regulam ſervare tenemur; & hoc modo vocatur lex naturalis, quia nobis ineſt ex naturali lumine. Supp. 4, quòd natura rationalis poteſt conſiderari dupliciter. Primò ſecundùm ſe, & in ratione talis entis, cui aliqua ſunt convenientia, ſeù conſentanea, & alia diſſentanea, ſeù diſconvenientia. Secundò proùt de talibus convenientibus, vel diſconvenientibus poteſt iudicare per lumen naturale rationis, vel in actu primo, vel in actu ſecundo & hoc adhùc dupliciter; ſcil. vel purè oſtendendo quid ſit agendum, aut vitandum; vèl id oſtendendo cum obligatione conformandi ſe illi iudicio; & iſtud maximè eſt de ratione legis, quę eſſenti aliter habet vim obligandi. Quærimus igitur, in quo formaliter conſiſtat lex naturalis?

3 Dicimus primò: lex naturalis non conſiſtit formaliter in ipſa natura rationali ſecundùm ſe ſpectata, quatenùs aliquæ actiones ſunt ei moraliter convenientes, & honeſtæ, aliæ verò repugnantes, & inhoneſtæ; neque conſiſtit in cõvenientia, aut diſconvenientia, quam habēt aliquæ actiones ad ipſam naturam rationalem. Eſt communis contra Uazquez, & alios prob. 1. pars primò: lex naturalis eſt verè, & propriè lex; prout de illa loquuntur, & ſentiunt omnes Patres, Theologi, Iuriſtæ, & Philoſophi; ſed natura rationalis præcisè ſumpta, nequit eſſe proprie lex; cùm hæc ſit ordinatio, ſeù actus ſecundus intellectus, & voluntatis, natura autèm eſt actus pri-

primus : ergo lex naturalis nequit conſiſtere in ipſa natura rationali. Prob. ſecundò eadem pars : effectus legis ſunt *illuminare, dirigere, obligare, & eſſe regulam* actionum humanarum; ſed nullus ex his effectibus convenit naturę rationali præcisè ſecundùm ſe ; quin potius ipſa iluminatur, dirigitur, regulatur, àc ſubijcitur legi naturali : ergo. Prob. 3.: ex oppoſita ſententia ſequeretur primò, quòd Deus haberet ſuam legem naturalem , quę ipſum obliget, non minùs propriè quàm homines , ſed hoc eſt abſurdum, ab omnibus reiectum : ergo. Prob. ſequelam : Etiam aliqui actus ſunt convenientes naturę Dei , alij verò ſunt repugnantes : ergo ſi in hoc conſiſteret lex naturalis obligans homines, etiam Deus haberet propriè talem legem , ipſum obligantem. Sequeretur ſecundò quòd eſtò lex naturalis ſicuti & ipſa natura, in qua conſiſteret, eſſet effectivè à Deo tanquàm à prima cauſa omnis effectus creati, non tamen eſſet ordinativè ab ipſo veluti Legiſlatore ; quia natura ſecũdum ſe ſpectat, licèt ſit effecta à Deo veluti prima cauſa , non tamen eſt ab ipſo ut Legiſlatore inſtituente , & ordinante ipſam , veluti legem obligantem ad eius obſervantiam , ut ex terminis conſtat; ſed ſequela eſt falſa , & abſurda ; quia lex naturalis , eſt ordinativè à Deo tanquam Legiſlatore , ut aſſerunt S.S. P.P. Ex verbis Apoſtoli allegatis n. 4. diſp. antec. : ergo.

4 Prob. ſecunda pars, & ſimùl confirm. prima ideo iuxta Advers., lex naturalis conſiſtit in natura rationali, quatenùs ipſi ſunt convenientes aliqui actus , alij verò repugnantes; vel in ipſa convenientia, aùt diſconvenientia actuum ad naturam ; quia ipſa eſt menſura, & fundamentum honeſtatis, vèl turpitudinis actuum , qui à lege naturali præcipiuntur, aut prohibentur; ſed menſura, vèl fundamentum legis, aùt honeſtatis , vèl turpitudinis actuum præceptorum aùt prohibitorum à lege , non eſt ipſa lex : ergo. Prob. min. neceſſitas pauperis , & facultas dantis , eſt menſura , & fundamentũ honeſtatis eleemoſinæ; ſimiliter neceſsitas corporis eſt regula , àc fundamentum temperantiæ; ſed nullum ex his eſt formaliter lex, aùt præceptum talium virtutuum: ergo. Conf.: convenientia , aùt diſconvenientia actuum ad naturam rationalem , eſt materia ipſius legis naturalis, quæ præcipit id, quod eſt conſentaneum naturę rationali, & prohibet illud, quod eſt diſſentaneum ipſi; ſed nulla materia legis eſt ipſa lex, quæ verſatur circa talem meteriam: ergo.

5 Obiic. 1.: lex conſiſtit formaliter in illo, per cuius cõformitatem, aùt difformitatem conſtituuntur actus obiectivè boni, vèl mali; ſed actus præcepti, aùt prohibiti à lege naturali, conſtituuntur obiectivè boni, vèl mali per conformitatem, aùt diformitatem ad ipſam naturam rationalem, cui ſunt convenientes, vèl repugnantes: ergo in ea conſiſtit formalitèr lex naturalis. Mai. conſtat ex tract. *de Actibus humanis*, ubi diximus, bonitatem, & malitiam moralem obiectivam conſiſtere in conformitate, aùt difformitate ad legem. Prob. min.: actus pręcepti, aùt prohibiti à lege naturali, ſunt ita intrinſecè ex natura ſua obiectivè boni, vèl mali, ut nullo modo quoàd eorum bonitatẽ, vèl malitiã pendeant ab aliqua lege extrinſeca, & ipſi naturæ ſuperaddita; cùm non ideò ſint boni, vèl mali quia præcepti, vèl prohibiti; quin potiùs è converſò ideò ſunt præcepti, vèl prohibiti, quia boni, vèl mali: ergo conſtituuntur tales præcisè per conformitatem, aùt difformitatem ad naturam rationalem. Reſp. iuxta dicta in tract. *de Actibus humanis* diſp. 6. quæſt. 2. diſt. mai.: lex conſiſtit formalitèr in eo, per cuius conformitatem, vèl diformitatem conſtituuntur actus obiectivè boni vèl mali formalitèr in genere moris, conc. mai.; boni, vèl mali formaliter in linea naturæ, & fundamentalitèr tantùm in genere moris, neg. mai.; & applicata diſtinctione ad min. diſt. ſimilitèr antec. probat.. Pro quo videantur dicta in illo tract. præſertim. à num. 7. uſque ad 11.

6 Obiic. 2.: præcepta legis naturalis ſunt, vel principia per ſe nota ex terminis, vèl cõcluſiones ex illis elicitę evidẽti neceſsitate; ſed hæc ſunt propriori, & independenter nedùm ab omni actu voluntatis, ſed etiam intellectus Divini, qui habeat rationem legis: ergo reſpectu illorum nihil poteſt habere rationem legis naturalis, niſi ipſa natura rationalis. Prob. min.: illa principia, vèl concluſiones, utpotè neceſſariæ, & æternæ veritatis ex ſe, ſe habent ſicut eſſentiæ rerum quatenùs non implicantes contradictionem; ſed iſtæ ſunt tales, vèl tales in eſſe eſſentiæ ex ſe, & ante omnem actum voluntatis, & intellectus Divini: ergo. Conf.: in alijs naturis rerum inferiorum, ipſa natura uniuſcuiuſque rei eſt menſura boni, & mali, convenientis, & diſconvenientis, v. g. calor eſt diſconveniens, & frigus conveniens aquæ, quę hęc vi ſuę naturę poſtulat frigus, & non calorem, quin potius repugnat illi: ergo idem cùm proportione

ne eſt in natura rationali, & conſequenter, &c.

7 Ad obiect. diſt. mai.: præcepta legis naturalis ſunt, vèl principia per ſe nota, vèl cõcluſiones ex illis deductæ obligantia ad eorum adimpletionem, conc. mai.; purè cognoſcibilia quoad ipſorum veritatem, neg. mai.; & diſt. min.: hæc, in ratione veritatum cognoſcibilium, ſunt pro priori, & independenter ab omni actu, tàm volũtatis, quàm intellectus Divini, permit. min. (quia licèt illa ſint ex ſe ipſis formaliter poſsibilia, & fundamentaliter cognoſcibilia; tamèn ſunt principiativè, & effectivè diminutè ab intellectu Divino, ut conſtat ex dictis in ipſius tractatu;) hęc in ratione præceptorum obligantium, ſunt pro priori, & independenter ab actu, tàm voluntatis, quàm intellectus Divini, neg. min.; ad cuius probat. diſt. ſimiliter mai.: illa principia, vèl concluſiones, in ratione veritatum cognoſcibilium, ſe habent ſicut eſſentię rerum, conc. mai.; in ratione præceptorum obligantium, neg. mai., & permis. min.; neg. cõſeq. ſub. diſtinct. data. Ad cõf. cõces. antec.; diſt. conſeq.: ergo idem cùm proportione eſt in natura rationali, quoad bonitatem, vèl malitiam in linea naturæ, conc. conſeq., in linea moris, neg. conſeq.; nàm quoad hoc eſt omnimoda diſparitas.

8 Dicimus 2.: ratio formalis legis naturalis non conſiſtit in ipſa ratione, ſeù lumine naturali per modum actus primi, quatenus eſt vis diſcernendi conſentanea à diſſentaneis naturæ. Eſt etiàm ſatis cõmune, maxime inter Noſtrates, Prob. primò: lex, propriè dicta, eſt ordinatio, iuſsio, vel prohibitio alicuius ſuperioris; ſed huiuſmodi non eſt lumen naturale habituale, ſeù in actu primo ſed unice eſt vis intelligendi: ergo. Prob. 2: in tantùm intellectus, ſeù lumen habituale rationis eſſet lex naturalis in quantùm eſt promulgativum ſeù intimativum ipſius legis; ſed ex hoc probatur oppoſitum; cum lex non ſit illud à quo, vèl per quod intimatur, ſed id quod intimatur, & proponitur: ergo. Prob. 3.: Deus habet infinitum lumen ſibi connaturale, quo perfectiſsimè cognoſcit, & diſcernit licita ab illicitis intrinſecè, & naturaliter: ergo lex naturalis non conſiſtit formaliter in tali lumine.

9 Obijc.: Scriptura, Patres & Philoſophi aſſerunt legẽ naturalẽ eſſe participationẽ Divini luminis; eſſe ſcriptam in cordibus noſtris, naturaliter inſitam, innatam, & inſeparabilem à natura rationali; ſed nihil tale habemus præter intel-

lec-

lectum, ſeù habitualem rationem, ſivè naturale lumen: ergo Conf.: proprium legis eſt obligare, dirigere, & regulare; ſed hæc conveniunt naturali lumini, ſeù rationi: ergo. Ad obiect. reſp., quòd Scriptura, & Patres non loquuntur de lege naturali in rigore ſcholaſtico, & ſecundùm rationem formalem ipſius; ſed in ſenſu magis lato, quatenùs magis lex ſumitur pro notificativo, ſeù intimativo illius; & quia lumen rationis à primò ingreſſus in eius uſum incipit notificare legem naturalem, quæ ſemper eſt obiectivè præſens, quatenùs intellectus data occaſione, & propoſitis terminis eſt ſemper in actu primo diſpoſitus, & aptus illam proponere, & intimare; ideò dicitur ſcripta in cordibus noſtris, innata, & inſeparabilis; non autem quia ratio formalis quidditativa legis naturalis ſit huiuſmodi, ut magis conſtabit ex dicendis. Ad Conf. diſt. mai: proprium legis eſt obligare dirigere, & regulare obiectivè, & imperativè, conc. mai.; formaliter, & indicativè, neg. mai; & diſt. ſimiliter min.: hæc cõveniunt rationi naturali formaliter, & indicative, conc. min.; obiectivè, & imperativè, ſubdiſt.: per modum miniſtri, ſeù præconis intimantis legem, conc.; per modum legis per ſe obligantis, neg. min., & conſeq.

10 Dicimus 3.: lex naturalis non conſiſtit formaliter in actuali dictamine, ſeù iudicio ſolum oſtenſivo, & indicativo boni, & mali; nèc etiam in dictamine, præceptivo, imperativo, ac obligante ad ea, quæ ſunt præſcripta tali lege. Prima pars eſt communis, & deducitur ex Subt. Doct. in 4. d. 33. q. 1. num. 7. Prob. primò: lex naturalis eſt propriè, & ſtrictè lex; iuxta locutionem, & ſenſum communē Patrum, Theologorum, & Philoſophorum; ſed dictamem purè oſtenſivum nequit dici propriè lex, quæ eſſentialiter dicit imperium, & inducit obligationem, quam illud iudicium ſupponit, & oſtendit: ergo lex naturalis nequit conſiſtere in dictamine purè oſtenſivo boni, & mali. Conf. licèt ut homo peccet in actibus malis, quia prohibitis, neceſsè ſit, quòd præcedat dictamen, quo iudicet obiectum, & actum eſſe malum; tamen iudicium illud non habet rationem legis, quia ſolùm oſtendit, & manifeſtat id, quod eſt in obiecto, & in actu, undecumque ſit illud: ergo ſimiliter, quamvis in his, quæ pertinent ad legem naturalem, & ſunt prohibita quia mala; ad operandum benè vèl malè, neceſſario præcedat iudiciū oſtendēs bonitatē vèl malitiam obiecti, ſeù actus; tamèn illud dictamen non habet

bet rationem legis, ſed eſt mera notitia illius, quod iam ſupponitur eſſe tale, vèl tale. Urg.: ille actus, qui per tale iudicium cognoſcitur malus, vèl bonus, non ideò eſt talis quia cognoſcitur; quin potius quia eſt talis, ideo vere ita iudicatur: ergo illud iudicium non eſt regula bonitatis, vèl malitiæ; àc proinde non habet rationem legis.

11 Prob. ſecundò eadem pars: tranſgreſsiones legis naturalis ſunt verè peccata: ergo lex naturalis non conſiſtit in dictamine pure oſtenſivo boni, vel mali; Prob. conſeq.: peccatum eſt tranſgreſsio rigoroſi præcepti Superioris; ſed dictamen illud purè oſtenſivum non eſt præceptum Superioris; nàm alias Doctor oſtendens quid ſit bonum, vèl malum, imponeret præceptum: ergo ſi tranſgreſsiones legis naturalis ſunt peccata, non conſiſtunt in dictamine purè oſtendente malitiam. Mai. patet ex M. P. Aug. lib. 2. de peccat. merit. & remiſ. cap. 16. dicente: *Neque peccatum erit, ſi quid erit, ſi non divinitùs iubeatur, ut non ſit.* Et infra: *Quomodò dimittitur per Dei miſericordiam, ſi peccatum non eſt; aùt quomodò non vetatur per Dei iuſtitiam ſi peccatum eſt?* Et D. Ambroſ. lib. de Parad. cap. 8. ait: *Peccatum eſt legis divinæ prævaricatio, & cœleſtium inobedientia mandatorum.*

12 Secunda pars aſſert. eſt contra Fraſſem, Panger, & alios; tamen nobis videtur conformis doctrinę Scoticæ, traditæ in quæſt. 2. diſp. antec., ſiquidem illa æque prob. de omni lege etiàm, naturali. Prob. primò: vèl illud dictamen, in quo ponitur ratio legis naturæ, eſt actus Superioris præcipientis, & obligantis; vèl eſt actus Subditi obligati; ſed cuiuſcumque ſit, nequit in tali dictamine conſiſtere formalitèr lex naturæ: ergo non conſiſtit in tali iudicio præcipiente, àc obligante. Prob. min.: in primis iudicium, quo Superior videt quid præcipiendum, vèl præceptum, àc obligatorium ſit, non eſt formalitèr lex, ſeù præceptum inducens obligationem, ſed unicè ſpeculatur, & oſtendit præceptum, & obligationem impoſitam, vel imponendam; ſed aliundè dictamen, quo Subditus agnoſcit eius paſſivam obligationem, non habet rationem legis, ſeù præcepti, ſed illud ſupponit, oſtendit, & intimat: ergo. Conf.: imperium, ſeù dominium præceptivum, àc obligatorium, quòd eſt de formali ratione omnis legis, non ſtat in aliquo actu intellectus; ut manet probatum in tract. *de Actibus humanis*, cùm omnibus Scotiſtis: ergo falsò ſupponitur maximè ab iſtis,

dic-

dictamen, ſeù iudicium imperativum, & obligatorium, quod ſit legis naturalis conſtitutivum.

13 Prob. ſecundò: in tantùm lex naturalis conſiſteret formalitèr in dictamine præcipiente, & obligante, in quantum illa intimatur, & promulgatur per iſtud, vi cuius inducit obligationem; ſed hoc unicè probat, quod ſit applicatio legis, ſeù conditio ut actu obliget, non verò quòd ſit ipſa lex, cùm illam ſupponat, ſiquidem illam applicat, & intimat: ergo. Prob. 3.: lex, utpote actus imperij, iuriſdictionis, ſeù poteſtatis, & uſus dominij, eſt actus ſuperioris; ſed contrarij illud dictamen conſtituunt actum ipſius Subditi: ergo in eo nequit formalitèr conſiſtere lex naturalis.

14 Dicimus 4.: lex naturalis formalitèr non eſt tantùm ipſum verum practicum, ſeù jus quoddam ex ipſa rerum natura formalitèr exortum, & principiativè ab intellectu Divino eius inſtitutore, intimatum nobis per lumen naturale rationis, independenter ab omni iuſſione, ac præcepto eſt contra N. Maſtrium in Theol. Mor. diſp. de Legibus, quæſt. 2. n. 34., & contra Dupaſquier; & tamen aliorum Scotiſtarum ex Sub. Mag.. Prob. primo ex ipſo Doct. in 4. d. 17. q. un. num. 3. & diſt. 26. q. un. num. 7. & diſt. 33. q. 1. num. 7. materia, circa quam verſatur, ſeù quæ præcipitur, vèl prohibetur per legem, ſive obiectum materiale legis, non eſt formalitèr ipſa lex; ſed reſpectu legis naturæ ita ſe habet verum practicum, etiam notum ex terminis: ergo. Mai. conſtat, ſiquidèm nulla res præcepta eſt ipſa lex præcipiens ipſam, ſicut nec obiectum ſcibile eſt ipſa ſcientia. Min. patet ex Sub. Doct. dicente, quòd verum illud practicum eſt de lege naturæ, conſonum ipſi, ac præceptum, ſeù cadens ſub tali lege. Conf.: iuxta Sub. Doct. in primo loco cit., ità verum practicum notum ex terminis eſt de lege naturæ, ſicut ſimile verum ſpeculativum eſt de ſcientia, aut demonſtratione naturali; ſed verum ſpeculativum non eſt formalitèr ſcientia: ergo nec verum practicum eſt formalitèr lex naturalis.

15 Prob. 2.: lex formalitèr quà talis conſiſtit in iuſſione, ſeù imperio Legiſlatoris, à quo habet vim obligandi, quæ eſt de eius ratione formali: ergo lex naturalis nequit formalitèr conſiſtere in ipſo vero practico, ſeù jure quodam ex ipſa rerum natura exorto, independenter ab omni iuſſione, vel præcepto. Prob. antec.: obligatio paſſiva Subditi à lege con-

conſiſtit in ſubiectione illius ad Superiorem imperantem, ſeù iubentem: ergo correlativè obligatio activa legis, ac proinde eius ratio formalis conſiſtit in iuſsione, ſeù imperio Superioris. Conf. primò: ſi in ipſo verò practico conſiſteret formaliter lex naturæ, hęc non eſſet à Deo ut Legiſlatore; cùm non eſſet ab ipſo ut imperante, & iubente; ſed hoc non videtur convenienter dici: ergo. Conf. 2.: verum practicum, ſeù jus illud ex ipſa rerum natura exortum eſt unicè fundamentum legis naturalis: ergo hęc in illo non conſiſtit formaliter. Prob. antec.: ipſum verùm, ſeù illud jus ſe habet erga legem naturæ, ad modum quo æquum, & utile ad bonum commune erga legem poſitivam; cùm differentia tamen quod illud neceſſariò, iſtud autem contingenter ſe habet erga legem reſpectivè; ſed æquum, & utile, ſecundum ſe, & præciſivè ab imperio Legiſlatoris, eſt unicè fundamentum legis poſitivę: ergo. Aliæ probationes iſtarum aſſertionum, & reſponſiones ad argumenta contrariorum, ex ſeq. aſſert. patebunt.

16 Dicimus 5.: lex naturalis conſiſtit formaliter in iuſsione, ſeù imperio procedente à voluntate Dei, ut authoris, & gubernatoris naturæ, & ſupponente bonitatem, vel malitiam naturalem, & fundamentalem rerum, quas præcipit, vel prohibet. Pro hac ſententia videtur ſtare. Eximius Suarez lib. 2. de Legibus, cap. 6. eamque ſuſtinet N. Monte-Fortino in Summa Scoti tom. 3. q. 94. art. 1. N. Halmazann in Theol. Moral. tract. 2. de Lege, cap. 1. num. 199.; & videtur Subt. Doct. in 4. d. 50. q. 1. num. 9.. Prob. primò: peccata contra legem naturalem ſunt tranſgreſsiones mandatorum Dei; & dicuntur in Scriptura eſſe contra eius voluntatem; unde D. Anſelmus in lib. de volunt. Dei, ait: *Quicumque legi naturali obviat, Dei voluntatem non ſervat*; & e contra obſervantia legis naturalis dicitur adimplectio præceptorum Dei, & executio voluntatis Domini: ergo lex naturalis conſiſtit formaliter in iuſsione, ſeù præcepto procedente à voluntate Dei. Conf.: Sub. Doct. cit. inquit: *Quodcumque peccatum eſt peccatum, quia eſt contra præceptum Divinum. ergo in quocumque peccato quis tranſgreditur præceptum Divinum.* Et infra: *præceptum Divinum eſt ſecundum regulam ſuperiorem, quia ſecundum voluntatem Divinam*: ergo iuxta ipſum, etiam peccatum contra legem naturæ eſt contra præceptum procedens à voluntate Dei.

17 Prob. 2.: & ſimùl impug-

pugnat. reſponſ. Adverſ. ad probat. antec.: omnia, quæ lex naturalis dictat eſſe bona, vel mala, præcipiuntur, aùt prohibentur a Deo præcepto ſpeciali, & voluntate, qua vult nos teneri, & obligari in vi authoritatis eius ad illa ſervanda: ergo talis lex conſiſtit in illa ſpeciali iuſsione, & præcepto procedente à Divina voluntate ſtrictè præcipiente. Conſeq. patet; quia lex conſiſtit formalitèr in eo, vi cuius ligat, & obligat. Prob. antec. primò: quia Deus habet perfectiſsimâ providentiam noſtri, ad ipſum ut ſupremum gubernatorem naturę ſpectat præcipere bona, & prohibere mala, ita ut non poſſit non velle nos obligare ad illa adimplenda; nàm ita providet ſubditis quantùm ſpectat ad munus iuſti gubernatoris, quòd aliàs non exerceretur perfectè: ergo. Prob. ſecundò illud antec.: iuxta dicta, tranſgreſsiones legis naturæ ſunt ſtrictè peccata; ſed de ratione iſtorum eſt, quod ſint contra legem, & voluntatem Superioris ſtrictè præcipientem; ut probabimus in tract. de peccatis: ergo. Conf.: nulla eſt repugnantia in eò, quod rei de ſe honeſtæ, vel turpi, addatur obligatio faciendi, vèl vitandi illam; imò exiſtente una obligatione poteſt addi alia, maximè alterius rationis; ergo poteſt lex naturalis, ut eſt vera lex Divina, addere propriam obligationem moralem ortam ex præcepto Dei, ultra naturalem bonitatem, vèl malitiam materiæ in quam cadit tale præceptum,

18 Prob. 3.: lex naturalis eſt vera, & propria lex, procedēs à Deo ut legiſlatore exercente dominium, & poteſtatem regendi, & obligandi homines; ſed legiſlatio, ſivè uſus dominij, & poteſtatis legiſlativæ conſiſtit in actu voluntatis Legiſlatoris volentis obligare, ſeu imponere Subditis ligamen legis; ut conſtat ex dictis in quæſt. 2. diſp. antec.: erg. Prob. 4.: Si lex naturalis non conſiſteret formalitèr, nec eius obligatio conſurgeret ex præcepto Dei, ſed oriretur formaliter ex ipſa rerum natura; tùnc conſiſteret formalitèr in ipſa convenientia, aùt diſconvenientia actuum ad naturam rationalem, ut patet; ſed hoc manet impugnatum, & negatur à pluribus contrariorum: ergo. Prob. 5.: lex naturalis obiectivè ſumpta, eſt ipſa lex ęterna reſpiciens regulas practicas neceſſariæ, & æternæ veritatis, & nobis intimata per lumen naturale rationis; ſed lex æterna conſiſtit formalitèr in iuſsione, ſeù imperio voluntatis Divinæ: ergo etiàm lex naturalis. Mai. aſſeritur communiter. Min. ultra quòd docetur à Scotiſtis con-

ſta-

trarijs, patet ex M. P. Aug. lib. 22. contra Faustam. cap. 27. ubi ait: *Lex æterna est ratio, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conseruari iubens, & perturbari vetans.* Et lib. 2. de Civit. Dei, cap. 19. inquit: *in cœlesti, & Angelica curia voluntas Dei est lex*: Conseq. patet; quia lex formaliter consistit in eo, quod obiectivè dirigit, & regulat inferiorem subditum legi; non autem in eo, quod eum regulat formaliter, & subiectivè; nàm hoc potiùs est notitia, vèl cognitio, aùt intimatio interna legis, quàm ipsa lex: unde si naturalis obiectivè sumpta consistit in iussione, seù imperio voluntatis Divinæ, in hoc consistit eius ratio formalis.

19 Obijc. 1.: nequit esse constitutivum formale legis naturę illud, quo secluso, adhùc aliqui actus essent debiti, honesti, & boni, iuxta dictamen rationis rectæ; alij autèm essent indebiti, & mali, iuxta idem dictamen; sed secluso actu voluntatis Divinæ præcipiẽtis, adhùc amare Deum, colere parentes, & alia hujusmodi essent quid debitum, & bonum; atque odire Deum, mentiri, & insurgere in parentes, esset quid malum, àc rectę rationi oppositum: ergo lex naturalis non consistit in tali actu voluntatis Divinæ. Conf.: si lex naturalis consisteret in tali actu; inter ipsam, & legem positivam nulla esset distinctio; sed hoc est absurdum, & ab omnibus negatum: ergo. Prob. mai.: lex positiva ideo dicitur talis, quia non exoritur formaliter ex ipsa rerum natura, sed ex actu positivo, seù ordinatione superaddita Legislatoris: ergo si lex naturalis non consurgeret formaliter ex ipsa natura rerum, sed consisteret in actu positivo, seù ordinatione voluntatis Divinæ, nulla esset distinctio inter utramque legem. Urget.: si lex naturalis consisteret in actu Divinæ voluntatis præcipientis, aùt prohibentis, a qua oriretur obligatio; actus contra ipsam non essent intrinsecè, sed tantùm extrinsecè mali; nèc essent prohibiti, quia mali; quin potiùs è contra essent mali, quia prohibiti; sed hoc est falsum, & contra omnes: ergo. Prob. mai.: ideò actus contra legem positivam, sunt mali tantùm extrinsecè, & mali, quia prohibiti; quia lex positiva, & eius obligatio oritur formaliter à voluntate, seù ordinatione Legislatoris, superaddita rerum naturis: ergo si, &c.

20 Ad object. resp. ex D. Thoma in 1. 2. q. 71. art. 6. in respons. ad 5. argum. admis. mai., dist. min.: secluso præcepto Dei, adhuc aliqui actus essent quid debitum.: &

bo-

bonum, alij autem quid indebitum; & malum, quaſi philoſophycè, & in linea naturæ, conc. min.: in genere moris, àc ſtrictè Theologicè in ordine ad Deum, ut Legiſlatorem, neg. min.; & conſeq.. Ad conſ. neg. mai., ad cuius probat: diſt. antec:: lex poſitiva ideò dicitur talis, quia non exoritur formaliter, nèc etiàm fundamentaliter exigitivè, & neceſſariò ex ipſa natura rerum, ſed ex actu poſitivo libero, ſeù ordinatione contingentèr ſuperaddita Legiſlatoris, conc. antec.; quia non exoritùr formaliter præcisè ex natura rerum, ſed ex actu poſitivo neceſſario Legiſlatoris, & exigito à rerũ naturis neg. antec., & conſeq.; quia licèt lex naturalis non conſurgat formaliter, benè verò fundamẽtaliter exigitivè, & neceſſariò ex ipſa natura rerum; & licèt conſiſtat in actu poſitivo, tamèn hic eſt neceſſarius, & ex intrinſeca exigentia obiectorum; àc per hoc differt lex naturalis à poſitiva, ut conſtat ex num. 4. diſp. antec..

21 Ad urgent. reſp. ex D. Thoma ubi ſupra, & in reſponſ. ad 4. arg., diſt. mai.: actus contra legem naturę non eſſent intrinſecè mali formaliter in genere moris; nèc eſſent prohibiti, quia mali formaliter, quin potiùs eſsẽt ita mali, quia prohibiti jure naturali, ſeù lege æterna, & neceſſaria Dei, conc. mai.; non eſſent intrinſecè mali fundamentaliter; nèc eſſent prohibiti, quia mali in linea naturæ, ſed eſſent mali, quia prohibiti jure poſitivo, ſeù lege libera, & contingenti, neg. mai.; & ſic diſtincta min. diſt. antec. probat.: ideò actus contra legem poſitivam ſunt tantùm, & prorſus extrinſecè mali, & ſunt tales quia prohibiti jure poſitivo; quia lex poſitiva oritur à voluntate libera, ſeu ordinatione contingenter ſuperaddita rerum naturis, conc. antec.; ideo tales actus ſunt tantum formaliter extrinſecè mali, & ſunt tales quia prohibiti utcumque; quia lex poſitiva oritur à qualicumque voluntate, ſeù ordinatione Legiſlatoris, neg. antec.; quia omne peccatum, etiam contra legem naturæ, eſt malum, quia prohibitum jure naturali, & contra præceptum neceſſarium Legiſlatoris.

22 Obijc. 2.: & eſt replica contra dicta: lex naturalis, àc eius obligatio eſt neceſſaria, ita ut non poſsit non præcipi, aut prohiberi quidquid eſt iuxta, vèl contra ipſam; ſed voluntas Dei eſt libera contingenter in ordine ad extra: ergo lex naturalis, quæ eſt huiuſmodi, nequit conſiſtere in aliquo actu voluntatis Divinæ. Conf.: ad legem non ſufficit

voluntas Legiſlatoris, niſi adſit intimatio talis voluntatis; ſed nihil eſt, quòd neceſsitet Deum ad intimandam ſuam voluntatem: ergo lex naturalis, cuius obligatio eſt de neceſsitate naturæ, nequit conſiſtere in actu voluntatis Divinæ præcipientis, ac prohibentis. Reſp. ad obiect. diſt. mai.: lex naturalis eſt neceſſaria conſequenter ſecundum quid, & ex ſuppoſitione liberæ productionis creaturæ rationalis, prout utentis ratione, & ordinatæ ac directæ in ſuum finem, conc. mai.; eſt neceſſaria antecedenter, ſimpliciter, & abſolutè, ſubdiſt.: eſt ita neceſſaria ſignatè, & quoad eſſentiam, conc.; etiam exercitè, & quoad exiſtentiam, neg. mai.; & diſt. min.: voluntas Dei ad extra eſt libera antecedentèr ſimpliciter, & abſolute, conc. min.; etiàm conſequentèr, ſecundum quid, & ex ſuppoſitione cuiuſvis alterius actus liberi, neg. min.; quia ſicut ex ſuppoſitione voluntatis dicendi, ſeù revelandi obiectum aliquod, neceſsitatur Deus dicere, vèl revelare verum, eò quia ipſi repugnat mendacium; ita ex ſuppoſitione voluntatis habendi ſubditos ratione utentes, neceſsitatur Deus eſſe legiſlator eorum, ipſoſque iuſte, ac ſapienter gubernare, & in ſuum finem per legem dirigere, præcipiendo, ac prohibendo ea, quæ debita, aùt indebita ſunt ex exigentia intrinſeca naturę; eò quia Deo repugnat, inſipienter, aùt iniuſtè gubernare, uti eſſet, talia non præcipere, vèl prohibere ſuis Subditis.

23 Ad conf. conceſ. mai. in ſenſu explicato in diſp. antec., nempè quòd intimatio non eſt de ratione eſſentiali legis ut habeat vim obligandi; ſed tantum conditio, vel applicatio, ut obliget in actu ſecund. Diſt. min.: nihil eſt quòd antecedentèr, ſimpliciter, & abſolutè neceſsiter Deũ ad intimandam ſuam voluntatem, conc. min.; nihil eſt quòd adhùc conſequenter, ſecundum quid, & ex qualibet ſuppoſitione, ipſum neceſsiter, neg. min.; quia ſicut ex ſuppoſitione voluntatis producendi creaturam compotem rationis, neceſsitatur Deus ad voluntatem neceſſariam pro illius cõvenienti providentia, & gubernatione; ità ex vi eiuſdem providentiæ neceſsitatur ad ipſius voluntatis denunciationem, & intimationem, quæ non fit per alium, quàm per ipſum lumen rationis, ſivè per uſum rationis naturalis, vi cuius innoteſcit lex naturalis, eius obligatio, ac præceptum ſeù voluntas Dei, ut ſupremi domini, legiſlatoris, ac gubernatoris; eò quia ſine tali intimatione non dare-

tur ſapiens, ac iuſta gubernatio talis creaturæ.

QUÆSTIO II.

Quænam ſit materia Legis Naturalis?

1 SUpponimus primò, materiam Legis Naturalis cenſeri omne illud, quod lumèn naturale iudicat, & indicat, eſſe ex ſe neceſſarium, vèl conſentaneum naturæ rationali ad eius moralem rectitudinem; nàm lex naturæ in eo potiſsimùm diſcernitur à lege poſitiva, quòd illa ſit de neceſſarijs ex natura rei ad honeſtatem creaturę rationalis, iſta verò unicè ſit de neceſſarijs ex voluntate liberaLegiſlatoris; atque adeò, univerſim loquendo, materia legis naturalis eſt bonum de ſe honeſtum,& malum illi contrarium; illud quidem, ut proſequendum; iſtud autem, ut vitandum. Difficultas autem eſt: an bonum de ſe honeſtum,& malum illi contrarium, quod eſt materia legis naturæ, comprehendat ſolùm illa, quæ continentur, & contrariantur primis principijs generalibus; an etiam comprehendat illa, quæ includuntur in concluſionibus deductis ex illis principijs? Pro quo.

2 Supp. 2., quòd in practicis,& moralibus dantur quædam principia generalia,& per ſe nota, ut: *bonum eſt faciendum, malum vitandum. Quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*: quorùm cognitio pertinet ad habitum intellectualem dictum *Syntheresis*; ſicut cognitio primorum principiorum in ſpeculabilibus pertinet ad habitum intellectualem, qui dicitur *intellectus*. Dantur etiam concluſiones ex illis principijs deductę. Ex quibus,iuxta Sub. Doct. in 3. d. 37. q. un., aliæ ſunt, quę omninò neceſſariò, & evidēter, ſequuntur ex principijs per ſe notis, ut: *Non habebis deos alienos. Et: Non aſſumet nomen Dei tui in vanum*, ſèu non facies irreverentiam Deo tuo. Aliæ ſunt, quæ non ità neceſſario, & evidenter ſequuntur ex primis principijs; cæterùm evidenter ſunt multùm conſona ipſis, & veluti legis naturæ explicationes; ut: *Parentes honorabis. Non occides*, &c. Et ex iſtis aliquæ ſunt, quę immediatè, & facillimè deducuntur ex primis principijs practicis, uti ſunt omnia præcepta Decalogi; aliæ verò, quæ mediatè tantum, & non ità facile deducuntur, ut quòd tales,vèl quales contractus ſint injuſti, illiciti, uſurarij, vèl ſimoniaci; & alia hujuſmodi. Aliæ denique ſunt, quæ nullatenùs neceſſario, ſed contin-

gen-

gentèr ex natura rei, deducuntur ex primis principijs, nèc evidentèr apparerent multum, ſed ſolùm aliquatenus conſona ipſis; uti ſunt omnia illa, quæ non neceſſaria, ſed unicè utilia, & convenientia ſunt ad moralem rectitudinem naturæ rationalis, utpotè conformia legi naturę.

3 Supp. 3.: ex Subt. Doct. cit. duplicitèr poſſe dici aliqua eſſe de lege naturæ. Primo ſtrictiſsime, ſeu propriſſime; qualitèr ſola illa dicuntur de lege naturæ, quę ſunt ita ſimpliciter neceſſaria, ut ſine ipſis nequeat abſolute haberi rectitudo creaturæ rationalis, nèc converſio ad ultimum finem, nèc eorum obligatio poſſit ceſſare, poſitis quibuſlibet circunſtantijs. Secundo minùs ſtrictè, (imo *largè* comparativè ad alia, quæ primo modo ſunt de lege naturæ) tamen verè, & propriè; qualia ſunt omnia illa, quę licèt non ſint ita ſimpliciter neceſſaria, ſicut alia, ad moralem rectitudinem creaturæ rationalis, & converſionem eius ad ultimum finem, ac eorum obligatio ex aliqua circunſtantia poſsit aliquando ceſſare; tamen ſunt aliquatenùs neceſſaria, multùm conſona, & valdè affinia alijs ſimpliciter neceſſarijs, & neceſſario notis; atque adeò dicuntur propriè de lege naturæ, & ſunt nota lumine naturali, tanquàm ex natura rei conſentanea illi, & inducentia obligationem. Quibus poteſt addi tertius modus dicendi, aliqua eſſe de lege naturæ nempè largè, & extenſivè; qualiter omnia illa, quæ fundantur, & reducuntur aliquomodo ad jus naturale, poſſunt dici eſſe de lege naturæ; quamvis aliàs ex ſola ipſa non neceſſario inducant obligationem, nèc nota ſint ſolo naturali lumine. His ſuppoſitis.

4 Dicimus primò: nedùm prima principia practica, per ſe nota ex terminis, ſed etiam concluſiones ſequentes neceſſariò, ſimpliciter, evidenter, & immediate ex illis, ſunt materia legis naturalis ſtrictiſsimè ſumptæ; imò & aliæ, quæ ſunt multùm conſonæ primis principijs practicis, & aliquatenùs neceſſariò, ac evidentèr ſequuntur ex illis, ſunt etiam materia legis naturæ, minùs ſtrictè, vere tamen, & propriè acceptæ. Prima pars eſt expreſſa Subt. Doct. ſuprà cit.; ſecunda etiam deducitur ex ipſo, prout exponitur à Licheto, & Pontio; & in re docetur communiter à Theologis. Prob. 1. pars: illud eſt de lege naturæ ſumpta ſtrictiſsimè, quod eſt ſimpliciter neceſſarium ad honeſtatem, & rectum ordinem creaturæ rationalis, ac habet omnino neceſſa-

tiam, & immutabilem veritatem, & obligationem, intimatam vi naturalis luminis; ſed huiuſmodi ſunt, non ſolum prima principia practica nota ex terminis, ſed etiàm concluſiones, ſimpliciter neceſſario, evidenter, & immediatè deductæ ex talibus principijs: ergo. Prob. min. quoad 1. part.: creatura rationalis nequit regulari, aùt dirigi erga ſuas operationes per ſola principia generalia, ſeù quin iſta applicentur, & contrahantur per principia particularia ad talem directionem; ſed hæc maximè ſunt concluſiones, prædicto modo iliatæ ex illis generalibus principijs: ergo tales concluſiones ſunt ſimpliciter neceſſariæ, ad honeſtatem, & rectitudinẽ creaturæ rationalis. Prob. eadem min. quoad 2. part.: concluſiones neceſſariò, & immediate ſequentes ex aliquibus principijs, ſunt eiuſdem generis, & indolis, & manifeſtantur eodem lumine, ut patet in ſpeculabilibus: ergo concluſiones practicę, neceſſariò, & immediate ſequentes ex primis principijs immutabiliter veris, obligatoris, & intimatis lumine rationis naturalis, habent eaſdem conditiones. Conſ. in ſpeculativis nedum principia, ſed etiàm concluſiones neceſſario, & evidenter deductæ ex illis, ſpectant ad eandem ſcientiam, ſeù facultatem, ſtrictiſſimè ſumptam: ergo etiàm in practicis, prima principia, & concluſiones neceſſario deductę ex illis, pertinent ad eandem legem ſtrictiſsimè acceptam; & conſequenter, &c.

5 Prob. 2.: pars, & ſimùl conſ. prima: Ius naturale verè, & propriè eſt illud, quod intimatur, & obligat vi ſolius luminis naturę, independenter à qualibet poſitiva, & libera inſtitutione; ſed huiuſmodi ſunt, nedùm prima principia practica, & concluſiones ſimpliciter neceſſario deductæ ex illis, ſed etiam alię, quæ evidenter apparent multum conſonę talibus principijs per ſe notis, & aliquomodo neceſſariò inferuntur ex illis: ergo etiam iſtæ ſunt de lege naturæ verè, & propriè. Prob. min.: præciſſa qualibet poſitiva, & libera inſtitutione, conſtat ſola ratione naturali, nos teneri, nedùm ad ſequendum bonum, & vitandum malum, ad non faciendum alteri quod nolumus nobis fieri; atque ad non odiendum, ſed amandum, & colendum Deum, utpotè ſummum bonum; ſed etiàm ad honorare Parentes, ad non occidere, non furari, &c.; ſed primæ ſunt concluſiones ſimpliciter neceſſario, & indiſpenſabiliter deductæ ex illis principijs per ſe notis, & ſecundæ ſunt evidenter

tèr multùm conſonæ,& aliquatenus neceſſario illatæ ex talibus principijs ; ut conſtabit ex dicendis : ergo. Conf.: lex naturalis verè , & propriè debet comprehendere omnia illa,quę neceſſariò, adhùc regulariter, & cõmunitèr , debent dirigere moraliter hominem in ſuum finem naturalem ; ſed talia ſunt, nedùm prima principia,& concluſiones neceſſario ſimplicitèr illatę ex illis ; ſed etiam aliæ , quæ evidentèr ſunt multum conſonæ , & aliquatenùs neceſſario illatæ ex talibus principijs; uti ſunt actus virtutum moralium in communi, ſine quibus homo nequit ſufficienter moraliter dirigi : ergo.

6 Arg. primò contra 1. part.: quę ſunt ſtrictè de lege naturę non poſſunt ignorari ab homine rationis compote;cùm ea intimentur ratione naturali; ſed ſola prima principia ſunt omnibus nota;concluſiones verò inde , etiam ſimplicitèr neceſſario deductæ , ignorantur à pluribus ; ut eſt manifeſtum: ergo. Conf.: ſi concluſiones ſequentes ex primis principijs practicis, eſſent ſtrictè de lege naturæ ; etiam leges humanæ eſſent huiuſmodi ; ſed hoc nequit dici : ergo. Prob. mai.: etiàm leges humanæ ſunt concluſiones deductæ ex illis principijs ; aùt ſaltèm ſunt conſonæ ipſis : ergo.

7 Ad arg.reſp.diſt.mai.: quę ſunt ſtrictè de lege naturæ non poſſunt, per longum tempus , ignorari per ſe ab homine rationis compote, benè diſpoſito, & ratione utente,conc. mai.; non poſſunt per breve tempus , imò ex longo tempore, ignorari per accidẽs ab homine pravè diſpoſito , ſeu ex prava diſpoſitione ipſius,vi cuius habeat intellectũ obſcuratum,neg.mai.;& diſt.min.:tola prima principia ſunt ſtatim, & ex terminis nota ; concluſiones verò ignorantur per breve tẽpus , conc. min.; adhùc per longum tempus , ſubdiſt.: per ſe ignorantur à pluribus benè diſpoſitis, & ratione utentibus, neg. min.; per accidens ignorantur à pluribus , pravè diſpoſitis, & habentibus cor obſcuratum ex malitia ipſorum,ut inquit Apoſt. Epiſt. ad Rom. cap. 1., conc. min.; & neg. conſeq.. Ad conf. diſt. mai.: ſi concluſiones ſequentes, adhuc purè probabilitèr , & contingenter , ex primis principijs eſſent ſtrictè de lege naturę ; etiam leges humanæ eſſent huiuſmodi , conc. mai.; ſi concluſiones ſequentes , præcisè neceſſariò , & evidentèr , neg. mai.; & ſimilitèr diſt. antec. prob.: quia leges humanæ ſolum probabilitèr , & contingenter deducuntur , & conſonant

nant primis principijs practicis, atque adeò non ſunt verè; & propriè de lege naturę.

8 Arg. 2.: contra 2.part.: Subt. Doct. ſupra cit. aſſerit expreſsè, quod ſolę illæ concluſiones, quæ ſequuntur neceſſario ex primis principijs per ſe notis, ſunt ſtrictè de lege naturæ; de illis verò, quę non neceſſariò ſequuntur, ſed unicè ſunt conſonæ talibus principijs, docet quòd ſunt de lege naturę, large loquendo: ergo 2. pars noſtræ aſſert. eſt contra Subt. Mag. Conf.: ſola illa ſunt verè, & propriè de lege naturæ, quę habent bonitatem, vèl malitiam intrinſecam, & neceſſariam, ſeù quę ſunt neceſſario præcepta, vèl prohibita, quia in ſe bona, vèl mala; ſed Subt. Doct. ibi aſſerit, quod illa, quæ non neceſſariò ſequuntur, ſed unicè ſunt multùm conſona primis principijs, non habent bonitatem intrinſecam, & neceſſariam, ſeù quod non ſunt neceſſariò præcepta, vèl prohibita, quia in ſe ſint bona, vèl mala; quin potiùs è contra: ergo.

9 Reſp. cùm Licheto, & Poncio, quod Subt. Doct. ibi intendit, & aſſerit, ſolas concluſiones, quæ neceſſario ſimpliciter, abſolutè, & indiſpenſabilitèr ſequuntur ex primis principijs, eſſe de lege naturæ ſtrictè comparativè, imò *ſtrictiſſimè*, ut expreſsè dicit ipſe Doct.; de alijs autèm, quæ non ita neceſſariò, nec omninò indiſpenſabilitèr ſequuntur ex illis principijs, ſed unicè ſunt evidenter multùm conſonata, & aliquomodò neceſſaria, ac connexa cum talibus principijs, docet eſſe de lege naturæ, *large* comparativè, id eſt, minùs ſtrictè, quàm aliæ relatæ; ſtrictè tamèn poſitivè, & abſolutè, ſivè verè, & propriè; ut patebit amplius ex dicendis. Per quod poteſt in forma explicari mens Subt. Doct.. Ad conf. ſimilitèr diſt. mai.: ſola illa ſunt verè, & propriè de lege naturæ, quæ habent bonitatem, vel malitiam intrinſecam, & neceſſariam, ſaltèm regulariter, & ſub talibus determinatis circunſtantijs, conc. mai.; quæ habent præcisè bonitatem, vel malitiam intrinſecam, & neceſſariam ſimpliciter, abſolutè, indiſpenſabiliter, & ſub quibuſlibet circunſtantijs, neg. mai.; nàm hoc ſolùm requiritur in illis, quæ ſunt de jure naturæ ſtrictiſsimè ſumpto.; & applicata diſtinct. ad min., neg. conſeq.

10 Dicimus 2.: omnia præcepta Decalogi (excepto tertio de ſanctificatione Sabbati quoad determinationē temporis) ſunt verè, & propriè de lege naturæ; cæterùm diverſimode, nàm duo prima præcep-

cepta primæ tabulæ, nempe *non habebis Deos alienos*. Et *non assumes nomen Dei tui in vanum*; imò & tertium, scil. *memento, ut diem sabbati sanctifices*, quatenùs per illud absolutè præcipitur aliquis cultus Deo exhibendus; atque etiam quintum præceptum secundæ tabulę, quod est octavum Decalogi scil. *non falsum testimonium dices*: sunt strictissimè de lege naturę; reliqua verò præcepta secundæ tabulæ spectant ad talem legem minùs strictè. Ita quoàd substantiam sentiunt Theologi communitèr, & ferè ad litteram docetur à Subt. Doct. in 3. d. 37. & 38. Prob. 1. pars primò: D. Paulus in Ep. ad Rom. cap. 2. enumerans vitia Gentilium contra legem naturæ intimatam lumine naturali, refert plura facta contra præcepta secundę tabulæ; sed si hæc spectant verè, & propriè ad legem naturalem, multò melius præcepta primę tabulę: ergo omnia præcepta Decalogi sunt verè, & propriè de lege naturæ, Prob. secundò eadem pars: illud verè, & propriè est de jure naturæ, juxta Arist. li. 5. Ethic. cap. 7. *quod ubicumque vim habet, & non qua videtur, vèl non videtur*; id est, quod vim obligandi habet, ex natura rei, & non quia instituitur liberè, & arbitrariè; sed tale est jus, quo tenemur observare omnia præcepta Decalogi, excepta expeciali determinatione diei festi: ergo. Prob. min.: omnia præcepta Decalogi sunt ita ex natura rei evidentèr consona primis principijs practicis, & convenientia, imò necessaria ad moralem rectitudinem creaturę rationalis, ut lumine rationis statim appareret obligatio servandi ipsa, absolutè considerata: proùt patet discurrendo per singula: ergo jus, quo tenemur illa observare, obligat ubicumque ex natura rei; & non ex libera institutione.

11 Diximus per parenthesin: *excepto tertio de sanctificatione Sabbati quòad determinationem temporis*; quia licet hoc præceptum sit etiàm de jure naturæ, si consideretur quoàd substantiam, & quatenùs præcipit absolutè aliquem cultum Deo exhibendum; non tamèn quoad determinationem temporis, quę non est ex jure naturę; siquidem attento solo naturali lumine nulla ratio potest assignari, quæ urgeat ad exhibendum Deo cultum magis tali die determinato, quàm alio; unde sanctificatio Sabbati obligavit in lege veteri ex jure Divino positivo; at in lege Evangelica obligat sanctificatio diei Dominicæ ex jure etiam positivo.

12 Prob. 2.: pars assert., Scil. duo prima prȩcepta primæ tabulę esse strictissimè de

lege naturæ ; imò & fortè tertium , quatenùs præcipit abſolutè cultum Deo exhibendum; atque etiam ſeptimum ſecundę tabulæ. Prob. igitur primò ex Subt. Doct.de tribus primæ tabulæ : illud eſt ſtrictiſsimè de jure naturæ , quod vel eſt primum principium per ſe notum ex terminis , vèl eſt concluſio prorsùs neceſſario , & evidentèr illata ex tali principio , ut conſtat ex dictis; ſed hujuſmodi ſunt tria præcepta primæ tabulæ: ergo.Prob. min.: ex illis principijs per ſe notis: *omne bonum eſt amandum*: *Omne malum eſt fugiendum* ; neceſſariò, & evidentèr ſequitur , quòd *cùm Deus ſit ſummum bonum, eſt amandus ut Deus* ; quòd *nihil aliud eſt colendum tanquàm Deus*,qui eſt eſſentialitèr unus; quod *non eſt facienda irreverentia Deo*; & quod *ipſe eſt colendus,tanquam Deus*: ergo.Conf. ex eodem Doct.: illa ſunt ſtrictiſsimè de lege naturæ,quorum bonitas eſt ſimpliciter neceſſaria ex natura rei ad converſionem creaturæ rationalis in ultimum finem , & quorum malitia oppoſita avertit neceſſariò ſimpliciter à tali fine ; ſed talia ſunt tria præcepta primæ tabulæ ; cùm ſint circa ipſum ultimum finem , ut ex ſe patet: ergo. Prob. ſecundò eadem pars de ſeptimo præcepto ſecundæ tabulæ , & ſimùl conf. de alijs: illud eſt de jure naturæ ſtrictiſsimè , quòd ſimpliciter , & abſolutè eſt ita neceſſario , & indiſpenſabilitèr connexum cum primis principijs , ut ſub qualibet circunſtantia , vèl ſuppoſitione non poſsit eius obligatio ceſſare ; ſed huiuſmodi eſt præceptum non mentiendi,ſeù non dicendi falſum teſtimonium ; cùm ex nulla circunſtantia , vèl ſuppoſitione poſsit honeſtari mendacium , utpotè omninò neceſſariò,& indiſpenſabiliter malum ab intrinſeco: ergo. tale præceptum eſt de jure naturæ ſtrictiſsimè ſupto.

13 Tertia denique pars aſſert., nempè reliqua præcepta ſecundæ tabulæ eſſe de lege naturæ minùs ſtrictè , prob.: illa ſunt minùs ſtrictè de lege naturæ , quæ licet ſub aliquibus circunſtantijs ſint aliquomodò neceſſariò connexa cum primis principijs practicis , & evidenter multum conſona ipſis , atque regulatitèr ex natura rei neceſſaria ad moralem rectitudinem creaturę rationalis ; tamèn non ità neceſſariò, & abſolutè inferuntur ex talibus principijs , ut obligent indiſpenſabiliter , & ſub quibuſlibet circunſtantijs , nèc omninò ſimpliciter neceſſaria ſunt ad moralem rectitudinem creaturæ rationalis; ut patet ex ſu-

prà dictis; ſed hujuſmodi ſunt reliqua præcepta ſecundæ tabulæ, nempè honorare parentes, non occidere, non mœchari, non furari, non concupiſcere uxorem alienam, nèc aliena bona: ergo talia præcepta ſunt minùs ſtrictè de lege naturæ. Min. conſtat; quia talia præcepta ſub quibuſdam circunſtantijs non ſunt, vèl deſinunt eſſe obligatoria, & ſunt abſolutè diſpenſabilia; ut patebit ex dicendis de diſpenſabilitate legis naturæ.

14 Arg. cõtr. 3. part. aſſert.: tàm neceſſario ſequuntur ex primis principijs omnia præcepta ſecundæ tabulæ, quam tria primæ, & ſeptimum ſecundæ: ergo omnia ſunt æquè ſtrictè de lege naturæ. Prob. antec.: aliunde ſequeretur, quòd non eſſet ratio, cur ſic ſtricte obligarent ex ſe; & præciſa lege poſitiva, peccaretur tranſgrediendo talia præcepta, ſcil. non honorando parentes, non occidendo, &c.; ſed hoc eſt falſum, & abſurdum: ergo. Prob. mai.: non poteſt reddi alia ratio, cur talia præcepta ita obligent ex ſe, & præciſa lege poſitiva, ut peccet tranſgrediens illas, niſi quia talia præcepta ſequuntur neceſſariò ex primis principijs practicis, per ſe notis: ergo talis ratio non valeret, ſi huiuſmodi præcepta non ſequerentur tam neceſſario ex illis principijs, quàm alia præcepta primę tabulæ. Reſp. neg. antec., & mai. probat.; ad cuius prob. diſt. antec.: non poteſt reddi alia ratio, niſi quia talia præcepta aliquomodò neceſſariò, & ſub quibuſdàm circunſtantijs ſequuntur ex primis principiis, conc. antec.; quia omninò neceſſario, ſimpliciter, abſolutè, & ſub quibuſlibet circunſtantijs, ſequuntur ex illis principijs, ſeù habent indiſpenſabilem connexionem cum ipſis, neg. antec., & conſeq.; quia ſicut non omnia præcepta Decalogi ſunt in æquali gradu neceſsitatis, aut indiſpenſabilis obligationis, ſic nec ſunt æqualiter ſtrictè de jure naturæ; ut conſtat ex dictis, & amplius patebit ex dicendis.

15 Dicimus 3.: non omnes, & ſinguli actus virtutum in particulari ſunt de lege naturæ verè, & propriè; benè verò large, & extenſivè. Eſt commune. Prob. prima pars: ſola ſunt de lege naturæ verè, & proprie, quæ cadunt ſub præcepto eiuſdem, & important rectitudinem neceſſariam pro conſervando recto ordine morali naturæ rationalis; ſed non omnes, & ſinguli actus virtutum ſunt huiuſmodi: ergo. Mai. patet; quia lex naturæ proprie ſumpta eſt præceptiva, & obligativa. Prob. min.;

plu-

plures actus virtutum ſunt tantum de conſilio, & non neceſſarij ad rectum ordinem ſimpliciter ſervandum, ut paupertas religioſa, & alij ſimiles: ergo. Prob. 2. pars: illa ſunt de lege naturæ extenſivè, & largè, ad quæ inclinat, & quæ ſuadet tanquam convenientia, & conformia ipſi; ſed tales ſunt actus cuiuſlibet virtutis, utpotè honeſti, & convenientes rectitudini morali naturæ rationalis: ergo.

16 Dicimus 4.: univerſitas legis naturalis obligat ad talem modum operandi, ut ex nulla parte vitietur opus virtutis; attamen non ſingula quæque præcepta legis naturæ obligant per ſe intrinſecè, & directè ad modum virtutis, ſeù ad hoc ut actus eliciantur virtuoſè, ex amore honeſtatis, àc cùm omnibus circunſtantijs honeſtantibus ipſos actus pertinentes ad legem naturæ; iſta verò ſaltèm indirectè, & extrinſecè propter honeſtatem operis præcepti obligat ad modum virtutis, ſeù ad elicientiam actuum ex motivo honeſtatis, & cùm omnibus circunſtantijs honeſtis. Ita conciliantur variæ opiniones. Prob. 1. pars: non poteſt quis adimplere ullum præceptum legis naturalis per actum pravum, ſeù vitiatum ex aliqua circunſtantia, quin tranſgrediatur aliquam legem, vèl aliquod præceptum totius legis naturæ: ergo univerſitas iſtius obligat ad talem modum operandi, ut ex nulla parte vitietur opus virtutis præceptum à lege. Prob. antec: qui ex motivo vanæ gloriæ v. g. ſuccurreret proximo in extrema neceſsitate, licèt adimpleret, vèl non peccaret contra naturale præceptum miſericordiæ, tamèn peccaret contra præceptum humilitatis; & ſic de alijs: ergo. Conf.: univerſitas legis naturæ præcipit bonum, & prohibet malum; ſed elicere opus præceptum cum aliqua circũſtantia vitiante ipſum, eſt quid malum: ergo eſt à lege naturali prohibitum; ac proinde obligat ad talem modum operandi, ut opus præceptum non vitietur ex aliqua parte; & in hoc ſenſu dicitur in Deut. cap. 16 *iuſtè quod iuſtum eſt proſequeris.*

17 Prob. 2.: pars: in primis præcepta negativa non obligant per ſe, intrinſecè, & directè, ad modum virtutis, ſeù quod adimpleatur ex motivo honeſtatis; ſed aliundè nèc ſingula præcepta affirmativa legis naturæ: ergo ſingula eius præcepta non inducunt talem obligationem. Mai. patet; quia præcepta negativa ſervari poſſunt per ſolam negationem actus contrari, nec ipſa per ſe plùs obligant, Prob. min.: ſi

quis

quis ſuccurrat proximo conſtituto in extrema, vèl gravi neceſsitate, & non ex motivo miſericordiæ, ſed indifferenti, ſatisfaceret ſufficientèr præcepto legis naturæ, ita ut evaderet culpam, quam incurreret ſi non adimpleret: ergo. Prob. antec.: finis intrinſecus talis præcepti, quem requirit per ipſu lex naturalis, eſt ſubventio neceſsitatis proximi; ſed iſte æquè ſucurritur; ſivè eius ſubventio fiat ex motivo honeſto, ſivè indifferenti; & ſic ſimiliter in alijs præceptis: ergo.

18 Prob. denique 3. pars noſtræ aſſert.: quamvis lex naturæ per ſe intrinſecè, & directe ſolum obliget ut opera fiant ex ſuo genere bona, & honeſta; ſaltèm indirectè, & extrinſecè obligat ut ſint bona ſimpliciter, & undequaque; ſed ad hoc requiritur, quod eliciantur directè ex motivo honeſtatis, tanquàm fine operis, & cum omnibus circunſtantijs honeſtis; ut conſtat ex tract. de Actibus humanis: ergo lex naturæ, ſaltèm indirectè, & extrinſecè propter honeſtatem operis præcepti, obligat ad modum virtutis, ſeù quod actus eliciantur ex amore honeſtatis. Prob. mai.: lex naturæ ita præcipit bonum, ut eius finis, ſaltèm extrinſecus, & intentus à Deo ut conditore ipſius, ſit moralis perfectio hominis, ſeu facere ipſum moraliter bonum; ſed ad hoc requiritur actus virtuoſus, ſeù factus ex motivo honeſtatis, aùt cùm modo virtutis: ergo.

QUÆSTIO III.

Utrum Lex naturalis ſit una, vèl multiplex? An poſsit invincibiliter ignorari? Quomodò, & ad quid obliget?

1 PRO reſolut. primæ diffic. advertimus, quòd tripliciter eam exagitare poſſumus. Primò, àn lex naturæ ſit una ſecundumſe, & in unoquoque homine? Secundò, àn ſit una in omnibus hominibus, & ubique? Tertiò, àn ſit una in omnibus temporibus, & in omni ſtatu naturæ humanæ? Dicimus igitur primo: Lex naturalis ſecundumſe, & in unoquoque homine eſt una, non unitate ſimplicitatis, ſed collectionis, & ordinis. Eſt cõmune, & ſumitur ex Leg. 1. ff. de Iuſtitia, & Iure, ubi dicitur: *hoc ius collectum ex naturalibus præceptis.* Prob.: lex naturalis continet plurima præcepta, quæ omnia proveniunt ab eodem Authore, ſeu Legiſlatore; reducuntur ad unum primum principium, & ordinantur, ſeù reſpiciunt eundem

dem finem : ergo prædicta lex eſt una, non unitate ſimplicitatis, ſed collectionis, & ordinis. Antec. patet; quia talis lex complectitur quædam præcepta affirmativa, quędam negativa; aliqua circa Deum, alia circa proximum, & alia circa ipſum hominem conſervandum, vèl in individuo, vèl quoad ſpeciem: quę tamen omnia proveniunt à Deo, ut authore, & gubernatore naturæ rationalis; omnia illa reducuntur, aùt deribantur ab illo univerſaliſsimo principio: *Declina à malo, & fac bonum*; ſeù: *Bonum eſt ſectandum, & malum fugiendum*; & omnia ordinantur ad unicum finem, nempè ad rectum ordinem moralem naturæ rationalis. Conſeq. patet.; quia quod complectitur plura, coadunata in eodem principio, & ordinata ad eundem finem, eſt unum, non unitate ſimplicitatis, ſed collectionis, & ordinis, ut fatentur omnes.

2 Dicimus 2.: lex naturalis eſt omninò eadem in omnibus hominibus, & ubique, quantùm ad principia generalia; non tamèn quoàd concluſiones particulares deductas ex illis principijs. Eſt etiàm commune. Prob. 1. pars: hæc lex ſequitur lumen naturale rationis, & ſe habet veluti proprietas conſequens naturam rationalem; ſed hæc eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus individuis: ergo etiam lex naturalis, ſaltèm quoàd generalia principia, eſt eadem in omnibus ratione utentibus. Conſ.: ſicut ſe habent prima principia reſpectu cuiuſvis intellectus in ſpeculativis, ita etiam in practicis; ſed ſpeculativa ſunt ex terminis nota, àc proinde eadem apud omnes: ergo practica ſimilitèr. Prob. 2. pars: licet principia particularia legis naturę eadem ſint ut plurimum apud omnes, quatenus vera ſunt, & vera habentur ab omnibus illis; tamen poſſunt interdumin aliquibus deficere, tùm quoad rectitudinem, tùm quoad noticiam: ergo non ſunt eadem in omnibus, ſemper, & ubique. Prob. antec. *quoad rectitudinem*: quamvis lex naturalis generalitèr dictet, *depoſitum eſſe reddendum ſuo Domino*; tamèn hęc concluſio particularis, ſcil. *ergo hic, & nùnc debeo illud reddere Domino poſtulanti*, poteſt deficere in caſu, quo Dominus vellet illo uti in perniciem patrię vèl in damnum tertij; & ſic ſimilitèr in alijs caſibus ex aliquibus occurrentijs, aùt circunſtantijs: ergo talia principia particularia poſſunt aliquandò deficere quoàd rectitudinem.

3 Prob. illud. antec. *quoad noticiam*: poſſunt quædam

quædam concluſiones ignorari apud quoſdam; quia iudicium rectum de rebus agendis impeditur aliquando, vel per paſſionem, quæ pervertit uſum rationis, vel per pravam conſuetudinem, vel per depravatam naturæ habitudinem, aùt diſpoſitionem; iuxta illud D. Pauli in Ep. ad Rom. cap. 1: *obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Et ad Epheſ. cap. 4: *tenebris obſcuratum habentes intellectum alienati à vita Dei per ignorantiam*: ergo talia principia particularia poſſunt aliquandò deficere quoàd notitiam; & ideò apud quaſdam Gentes fuerunt approbata plura contraria legi naturali. Ex quibus patet reſol. tertij dubij contenti in 1. difficult., nempè quòd eſto lex naturalis quoad principia generalia ſit eadem in omni tempore, & pro omni ſtatu humanæ naturæ; tamen quoàd præcepta, vel concluſiones particulares, non ſemper, nec in omni ſtatu eſt eadem, ſaltèm quoàd actualem obligationem, quæ poteſt deficere ex diverſa circunſtantiarum conſtitutione.

4 Pro reſolut. 2. diffic. propoſitæ in titulo quæſt. ſupponendum eſt primò, iuxta dicta in tract. de Actibus humanis, quòd ignorantia dividitur in *invincibilem*, quæ non poteſt ſuperari, ac tolli, adhibita morali diligentia ad inquirendam veritatem; & in *vincibilem*, quæ poteſt ſuperari, ac tolli, adhibita diligentia morali. Hęc alia dicitur affectata, quæ directè eſt voluntaria, & quæſita, ut ſi quis exeat è templo, nè audiat promulgari ieiunium; alia eſt *ſimplex*, quam quis directè non quærit, ſed unicè negligit adhibere diligentiam ſufficientem, ut comperiat veritatem, & ideò eſt voluntaria tantùm indirectè; ac dicitur ſupina, & craſſa, quando negligentia eſt magna. Supponend. eſt 2. tanquàm certum, quòd lex poſitiva, Divina, & humana poteſt ignorari invincibiliter; quia neutra intimatur ſolo naturali lumine rationis, ſed indiget externa notitia, & denuntiatione, quam ignorans non tenetur, nec poteſt moraliter acquirere; undè experientia conſtat, à multis ignorari invincibiliter legem humanam ſaltèm quoàd aliqua præcepta, utpotè de quibus nihil audierunt, nec illis incidit obligatio inquirendi notitiam ipſorum; imò iuxta communem opinionem, dantur infideles *negativi*, id eſt tales, quibus infidelitas non imputatur ad culpam, ſed laborant ignorantia invincibili legis Divinæ, quia nati, & educati inter infideles, nihil unquàm audierunt de Lege Evangelica,

nec

nèc aliquid potuerunt percipere de miſterijs noſtræ fidei, ob defectum prędicationis. Quare de ſola lege naturali reſtat difficultas, pro cuius deciſione.

5 Supp. eſt 3.: ex dictis in quæſt. antec., quòd præcepta legis naturæ ſunt in triplici differentia. Quædam ſunt prima, & univerſaliſsima principia practica, ex terminis nota. Quædam ſunt principia particularia, vèl concluſiones ex illis principijs per ſe notis illatæ ita evidenter, & facilè, ut ſtatim cognoſcantur, tanquàm neceſſariò ſimpliciter deductę, vèl ſaltèm multùm conſonæ illis principijs; uti ſunt omnia præcepta Decalogi. Alia denique ſunt, quæ ex primis principijs, vèl ex prędictis Decalogi colliguntur mediatè, remotè, & difficultèr, ac per diligens examen. His ſuppoſitis.

6 Dicimus primo: prima principia legis naturæ non poſſunt invincibilitèr ignorari ab habente uſum rationis. Ita D.D. communitèr. Prob.: prima principia practica ſunt ita per ſe nota, & evidentia ex ſola apræhenſione terminorum, ſicut prima principia metaphyſica; ſed de his à nullo rationis compote poteſt haberi ignorantia: ergo. Unde paſim S.S. P.P. dicunt, legem naturalem ſcriptam eſſe in cordibus hominum, & à nullo ignorari poſſe, quod maximè procedit de illa, ut complectente prima principia practica. Dicimus 2.: præcepta naturalia ſecundi generis, qualia ſunt præcepta Decalogi abſolutè ſumpta, nequeunt invincibiliter ignorari, ſaltèm per longum tempus. Eſt etiam commune. Prob.: talia præcepta, licet non ſint prima, & immediata principia, tamen ſunt concluſiones ex illis adeò immediatè, evidenter, & facilitèr inferibiles, ut facillima diligentia poſsint colligi, tanquàm conſonæ, & connexæ cum illis, ac ipſa conſcientia ſtatim pulſet pro talium præceptorum adimplectione: ergo. Antec. patet; quia ex his lumine naturali notis: *ſummum bonum eſt amandum, & colendum: ſed Deus eſt ſummum bonum*; immediatè evidenter, & quaſi ſuaptè natura ſequuntur iſtæ concluſiones ſimpliciter neceſſariæ: *ergo Deus eſt amandus: ergo nulla irreverentia eſt offendendus: ergo eſt colendus ipſe ſolus.* Paritèr ex his præmiſsis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; ſed non vis, quod quis te occidat, furetur bona tua, &c;* ſtatim per evidenter illationem colliguntur iſtæ concluſiones, multùm conſonæ primis principijs: *ergo nec tu debes alterum occidere, eius bona furari*; & ſic de

alijs

alijs præceptis ſecundæ tabulę.

7 Diximus, talia præcepta, *abſolutè conſiderata*, non poſſe invincibiliter ignorari pro longo tempore; nam ſi illa ſpectentur ut affecta certis quibuſdam circunſtantijs, utique poſſunt invincibiliter ignorari; nàm licèt manifeſtum ſit, quòd mentiri eſt illicitum, tamèn non ita clarum eſt, illud eſſe illicitum, in neceſsitate ad conſervandam vitam propriam, vèl alienam; ſimilitèr quamvis clarum ſit, quòd furtum repugnat juſtitiæ, & rectæ rationi, nihilominus non ita liquidum eſt, eſſe prohibitum furari pravis divitibus ad largiendam eleęmoſinam bonis pauperibus; denique licèt ſit notum, eſſe rem peſsimam, occidere ſe ipſum, vèl proximum innocentem, tamèn non eſt ita omnibus evidens, eſſe facinus culpabile, ſibi, vèl alteri procurare mortem ad vitandam infamiam, vèl graviſsima tormenta; & ſic de alijs: ergo talia præcepta, ut affecta aliquibus circunſtantijs, poſſunt ignorari invincibilitèr.

8 Dicimus 3.: præcepta naturalia tertij generis poſſunt ignorari invincibilitèr. Eſt etiam ſentẽtia communis. Prob.: qui non ſtuduit, nèc inſtructus eſt, ille invincibilitèr ignorat, aùt ſaltem poteſt pruden-

ter præſumi ignorare aliquas legis naturalis concluſiones, quæ mediatè, & remotè tantùm, ac per longum diſcurſum, colliguntur ex primis principijs morum; ſed dantur multi, qui nèc ſtuduerunt, nèc inſtructi ſunt: ergo talia præcepta, ſeù cõcluſiones poſſunt ignorari invincibilitèr à pluribus. Prob. mai.: tales concluſiones debent ex primis principijs practicis deduci per diligens ſtudium, & (ut loquitur D. Bonav. in 2. d. 39. art. 1. q. 2.) *per inſtructionem ſuperaditam*: ergo qui non ſtuduit, nèc inſtructus eſt, illas ignorabit invincibilitèr. Conf.: qui non ſtuduit, nèc inſtructus eſt, imò, & qui ſtuduerunt, & inſtructi, ſæpè invincibilitèr errant in faciendis illationibus mediatis, & remotis, ex primis principijs metaphiſicis; quia tales concluſiones non ſunt ita vicinę ſuis principijs, ut ex eis ſtatim ſuaptè natura ſequantur, & inferantur per facilem diſcurſum: ergo etiam poſſunt invincibilitèr errare in faciendis illationibus difficilibus, mediatis, & remotis, ex primis principijs practicis.

9 Argues 1.: quilibet homo, habens uſum rationis, tenetur obſervare omnia proſus præcepta naturalia ad ipſum pertinentia: ergo poteſt, & tenetur habere noticiam omnium

nium illorum : ergo ſi ignoret aliquod, vincibilitèr ignorabit illud. Conf. : qui agit contra præceptum particulare legis naturæ, agit etiam contra univerſale ; in quo continetur illud particulare : ergo ſicut non poteſt invincibilitèr ignorare univerſale, ita nec aliquod particulare. Reſp. primò inſtando argum., & confirm. in lege poſitiva, quam quilibet ſubditus tali legi tenetur obſervare, & tamen poteſt illam ignorare invincibilitèr ; àc etiam qui agit contra præceptum particulare humanum v. g., agit contra hoc univerſale : parendum eſt præcepto legitimi Superioris ; & tamen poteſt invincibilitèr ignorari præceptum particulare humanum, quamvis ſciatur univerſale continens illud.

10 Reſp. 2.: directè ad arg. diſt. antec.: quilibet homo tenetur obſervare omnia præcepta legis naturæ, ſuppoſita eorum cognitione, vèl poteſtate morali, àc obligatione habendi illorum cognitionem, conc. antec.; aliter, ſubdiſt.: tenetur in actu primo illa obſervare, quatenùs talia præcepta dirigunturr ad omnes, conc. antec.; tenetur in actu ſecundo ad obſervationem illorũ, neg. antec.; & diſt. primum conſeq.: ergo quilibet, ſupperadita, & ſuppoſita inſtructione, poteſt, & tenetur habere notitiam ómnium illorum, conc. conſeq.; ſimplicitèr, & abſolutè, vèl præciſa inſtructione, neg. 1., & 2. conſeq. in hoc ſenſu, in quo procedit noſtra concluſio. Ad confirmat. diſt. antec.: qui agit contra præceptum particulare, agit etiam phyſicè, & materialiter contra univerſale, conc.; agit etiam moraliter, & formaliter, ſubdiſt.: ſi agat contra præceptũ particulare cognitum ut tale, ſive ut contentum in univerſali, conc.; ſi non ita cognoſcat, neg. antec., & conſeq.; quia licet quis ſciat præceptum univerſale, poteſt tamèn invincibilitèr errare in applicatione illius ad aliquod particulare operabile; v. g. miles, quem, aliquis commilito ob accepta in prælio lethalia vulneracum morte luctans, ſtrictè rogat, ut ipſum penitùs interficiat; quamvis ille probè noverit hoc principium univerſale : *quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris*, tamen in caſu poſito poteſt contigere, quod illud erroneè invincibilitèr applicèt, ſic diſcurrendo : *ſi ego in eo eſſem ſtatu, mallem mihi accelerari mortem, quàm diutius cùm tantis doloribus conflictari abſque ſpe vitæ : ergo ſi ego accelerem mortem meo commilitoni, benè facio; quia facio ipſi, quod mihi fieri vellem.*

11 Ad 3.: denique difficult. propoſitam in titulo quæſt. Dicimus primò: lex naturalis obligat in conſcientia ad ſua præcepta ſervãda. Prob. primò ex Apoſt. Ep. ad Rom. cap. 2. dicente: *quicumque ſine lege* (nempè ſcripta) *peccaverunt, ſine lege peribunt*; quia violarunt legem naturalem, de qua ſubiungit: *Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt:: teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum*: ergo iuxta Apoſt., lex naturalis, obligat in conſcientia ad ſua præcepta ſervãda. Prob. 2. ratione: lex naturalis propriè loquendo, prout ſcil. eſt præcipiens, vèl prohibens, eſt imperium Dei ut Authoris, & Legiſlatoris naturæ, eſt que propriè lex, ut conſtat ex dictis; ſed omnis Divina lex, omne que Divinum imperium obligat in conſcientia: ergo, & lex naturalis; & quidem vèl ſub peccato mortali, vèl veniali, juxta qualitatem, aut quantitatem materiæ, ac iuxta diſpoſitionem, & affectum peccantis.

12 Argues 1.: ſi lex naturalis obligaret in conſcientia, & ſub culpa mortali, obligaret etiam ad pænam ęternam, cuius reatum inducit culpa mortalis; ſed lex naturalis nequit obligare ad pænam, æternam: ergo. Prob. min.: lex non poteſt obligare ad pænam quã nequit manifeſtare, nèc inferre; ſed lex naturalis non poteſt inferre, nec manifeſtare pænam ęternam, quę non eſt lumine naturali nota: ergo. Reſp. conceſ. mai., neg. min., quia iuxta Apoſt. cit. tranſgreſſio legis naturalis ſufficit ad ęternam damnationem, quamvis ignoretur omnis lex ſupernaturalis. Ad probat. neg. mai.; nàm ad incurrendum reatum alicuius pœnę non eſt neceſſe, quòd talis pœna manifeſtetur per legem præceptivam, nèc quòd ſubditus, & trãſgreſſor legis cognoſcat pęnam debitam ſuæ tranſgreſsioni, ſed ſatis eſt quòd commitat actum dignum tali pęna, quæ à Deo, ut Authore, & Gubernatore naturę, cognoſcitur, & infertur tranſgrediendi ſuam legem.

13 Argues 2.: lex naturalis non inducit, ſed ſupponit obligationem: ergo hæc non eſt effectus talis legis. Prob. antec.: talis lex præcipit aliquid, vèl prohibet, quia illud in ſe bonum, vèl malum eſt: ergo pro priori ad illam eſt obligatio faciendi tale bonum, aut vitandi tale malum. Reſp. diſt. antec.: lex naturalis non inducit, ſed ſupponit obligationem inchoatam, & fundamentalem, ortam ex exigentia intrinſeca obiectorum ut præ-

cipiantur, vèl prohibeantur, conc. antec.; non inducit, ſed ſupponit obligationem completam, & formalem, neg. antec.; nàm hæc inducitur à lege, iuſsione, ſeù imperio Superioris, ut conſtat ex dictis. Ad prob. etiam diſt. antec.: talis lex præcipit, vel prohibet aliquid, quia illud in ſe phyſicè, in linea naturæ, & fundamentalitèr bonum, vel malum eſt, conc. antec.; quia in ſe formalitèr in genere moris bonum, vèl malum eſt, neg. antec., & conſeq.

14 Dicimus 2.: lex naturalis non obligat in conſcientia ad omnes, & ſingulos actus cuiuſlibet virtutis. Prob.: non datur obligatio in conſcientia ad illa, quæ non cadunt ſub præcepto, nèc inducunt debitum neceſsitatis ſimpliciter ad ſervandum rectum ordinem moralem naturæ rationalis; ſed huiuſmodi ſunt plures actus virtutis in particulari, qui unicè cadunt ſub conſilio, & inducunt ſolum debitum neceſsitatis ſecundùm quid, & ad melius eſſe; ut conſtat ex num. 15. quæſt. antec.: ergo. Dicimus 3.: tota lex naturæ, non verò quodlibet eius præceptum particulare, obligat in conſcientia ad talem modum operandi, ut ex nulla parte vitietur opus virtutis; & licèt per ſingula præcepta non obliget per ſe, directè, & intrinſecè, ad operandum virtuoſe, & honeſtè; tamèn indirectè ſaltem, & extrinſecè, propter honeſtatem ipſius actus, obligat ad ipſum virtuosè eliciendum. Totum hoc manet probatum num. 16. quæſt. præced.. Dicimus 4.: lex naturalis non obligat ut omnia faciamus ex dilectione naturali Dei. Hoc probatum manet in tract. de Beatitudine, diſp. 1. quæſt. 2. ſect. 2.; videatur ibi.

QUÆSTIO IV.

An lex naturalis ſit immutabilis, ſeù invariabilis?

AD intelligentiam, & reſolutionem plurium difficultatum, quæ continentur in titulo propoſito, prænotandum eſt primo, dupliciter poſſe aliquid dici de jure, ſivè lege naturæ, Primo *poſitivè*, & *propriè*; quatenùs lex naturalis directè illud præcipit, aùt vetat, atque ad illud agendum, vèl omittendum ſtrictè obligat, & hic eſt modus proprius legis naturę, de quo agimus in præſenti. Secundò dicitur aliquid eſſe de jure naturæ *permiſsivè*, *negativè*, & *impropriè*; quatenùs lex naturæ illud directè non præcipit, nèc prohibet, ſed hominum diſpoſitioni iuxta rationis exigentiam relinquit

quit; ſit communitas, & diviſio rerum, etiam ac libertas, & ſervitus hominum, poſſunt dici de jure naturæ. Ex his autèm, quæ ſunt de jure naturæ poſitivè; & propriè, ſunt quædam præcepta quæ verſantur circa pacta, conventiones, aut obligationes, quæ inducuntur per humanas voluntates; uti ſunt leges de ſervandis votis, & promiſsionibus humanis, aùt alijs contractibus, iuxta conditiones ſingulorum, & de juribus, vèl actionibus, quæ ex illis naſcuntur. Alię verò ſunt leges naturales, quæ immediatè obligant in ſuis materijs ex natura rei, & independenter ab omni prævio conſenſu voluntatis humanæ; uti ſunt præcepta affirmativa amoris, & religionis erga Deum, pietatis erga parentes, miſericordiæ erga proximum, & negativa non occidendi, non mœchandi, non furandi, &c.

2 Ulterius, iuxta dicta num. 3. quæſt. 2., aliqua ſunt de lege naturæ ſtrictiſsimè, nempè ea, quæ vèl ſunt prima principia practica nota ex terminis, vèl ſunt concluſiones neceſſariò abſolutè, & ſimplicitèr illatæ ex talibus principijs uti diximus, tria prima præcepta Decalogi eſſe de lege naturæ. Alia autèm ſunt de lege naturæ minùs ſtrictè, ſtrictè tamèn, & propriè, ſcil. illa quę licèt non ſint prima principia, nèc concluſiones ita neceſſariò, ſimpliciter, & abſolutè illatæ, ſunt tamèn evidenter multum conſonę, & aliquatenùs neceſſariò connexę cùm primis principijs; uti etiam ibi diximus, præcepta ſecundæ tabulę (excepto ſeptimo, quòd eſt etiàm de jure naturę ſtrictiſsimè ſumpto) eſſe de lege naturę; imò & alia, quę neceſſariò inferuntur ex præceptis Decalogi. Alia denique ſunt de lege naturæ largè ſolùm, & extenſivè nempè omnia illa, quæ aliquomodò fundantur, & ſaltèm contingenter colliguntur, ac aliquatenùs conſona ſunt primis principijs practicis, aùt concluſionibus illatis neceſſario ex illis, ſeù quæ non denunciantur ſolo lumine rationis naturalis, ſed ſupperaddita externa manifeſtatione; nèc ad illa proximè, immediatè, & per ſe obligat lex naturæ, ſed ad ſummum remotè, mediatè, per accidens, & media lege poſitiva, aliunde conſonata legi naturæ, quæ etiam univerſalitèr præcipit obedire legi Superioris legitimi.

3 Prænotand. eſt 2. quòd cùm Decalogus (ſic dictus quaſi *decem verba*, ſeù *decem mandata*) fuerit ſcriptus in duabus tabulis, continentibus decem præcepta legis, & ex Scrip-

tura non conſtat qualitèr illa ordinata fuerint; ideo non conveniunt Authores in aſsignanda talium præceptorum uniuſcuiuſque tabulæ ordinatione. Cæterum frequens diſtributionis modus, cùm M. P. Aug. & alijs P.P. eſt, tria tantùm eſſe præcepta primæ tabulæ quæ ad honorem, & amorem Dei pertinent: quorum *Primum* eſt: *ego ſum Dominus Deus tuus, non habebis Deos alienos coram me; non facies tibi ſculptile.* Secundum: *non aſſumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium: *memento, ut diem Sabbati ſanctifices.* Septem autem reliqua ſunt præcepta ſecundæ tabulæ, quæ reſpiciunt proximum. Omnia decem præcepta per ordinem continentur in his verſibus.

Sperne Deos; fugito periuria; Sabbata ſerva. 3
Sit tibi Patris honor, ſit tibi Matris amor;
Non ſis occiſor; mœchus; fur; teſtis iniquus;
Vicini que thorum; res que caveto ſuas.

4 Prænot. eſt 3, legem poſſe mutari dupliciter. Primò per additionem, ſi nimirum aliquid ad eius præcepta adijciatur, quo eius obligatio ad plura ſe extendat, quàm anteà. Secundò per ſubſtractionem, ſi ſcil. eius obligatio detrahatur in totum, vèl in partem. Hæc autèm mutatio per ſubſtractionem poteſt fieri multiplicitèr. Primo *per abrogationem*, cùm lex tollitur in totum, ſivè Legiſlatoris voluntate, ſive conſuetudine, ſivé authoritate illius qui ſuperior eſt ipſo Legiſlatore, ſivè quando expirat tempus, pro quo tantùm lex erat conſtituta, qualiter ceſſavit lex vetus adveniēte Meſſia. Secundò *per derogationem*, nempè quandò lex tollitur ex parte; undè Gloſſa ad cap. *In iſtis*, diſt. 4. ait *abrogare eſt in totum tollere legem; derogare autem eſt pro parte detrahere legi.* Tertiò *per irritationem* quandò lex conſtituta ab inferiori, authoritate Superioris reſcinditur, & nullius roboris eſſe declaratur. Quartò *per ſubſtractionem materiæ*, quæ ſubeſt diſpoſitioni legis; ut cùm ipſa deſinit eſſe materia legis, & ſubiacere eius obligationi; quæ mutatio maximè locum habet in illis, quæ pendent ab humano conſenſu, & voluntate, ut in votis, juramentis, contractibus, & ſimilibus.

5 Quintò poteſt variari lex *per interpretationem* ſeù *declarationem*, qua clarius explicantur verba obſcura, & ambi-

gua,

gua legis; vèl per *Epichejam*, qua declaratur, caſum aliquem particularem ob ſuas circunſtantias ſpeciales ſub lege univerſaliter lata non eſſe compræhenſum ex mente Legiſlatoris: Unde patet diſtinctio inter Epichejam, & interprætationem quia per hanc interprætamur verba legis, quando ſunt obſcura, & ambigua; per Epichejam verò interprætamur mentem Legiſlatoris, quando conſtat de univerſali ſenſu verborum legis, dubitatur autem de mente Legiſlatoris, àn talem caſum particularem ob certas circunſtantias voluerit, vèl potuerit compræhendere ſub genererali locutione legis. Sexto denique poteſt mutari lex *per diſpenſationem*, aut *privilegium*, quæ duo differunt; nam diſpenſatio eſt quædã particularis abrogatio legis, & eſt mutatio facta ex parte ipſius legis, cuius vinculum relaxatur reſpectu perſonæ particularis, remanentibus circunſtantijs, cùm quibus alioquin lex obligat generaliter omnes; privilegium autem eſt quaſi ſubtractio materiæ legis, & conceditur tanquam jus privatum, ſeù ſpeciale, quod competit certis perſonis ad agendum extra, vèl contra jus commune; unde in privilegio fit mutatio ex parte ſubditorum, aut materię legis. Quæſtio igitur eſt, an lex naturalis poſsit mutari omnibus, vèl aliquo ex his modis? Unde continet plures difficultates, ſeorſim ſolvendas per ſectiones ſequentes.

SECTIO I.

Utrùm lex naturæ poſsit mutari per additionem, abrogationem, derogationem, vèl irritationem, aùt ſaltèm per ſubtractionem materiæ?

6 DIcimus: lex naturalis mutari poteſt per additionem, & per ſubtractionem materiæ; non verò per abrogationem, derogationem; nèc per irritationẽ. Eſt commune. Prob. 1.: pars, nempè quoad *additionem*; omnia præcepta legis naturæ non ita ſunt explicata, & nobis nota, ut non ſit in poteſtate Dei manifeſtare aliquam concluſionem neceſſariò illatam ex illis præceptis nobis notis, & multùm conſonam primis principijs practicis; ſed tunc caſus mutaretur lex naturalis per additionem illius concluſionis, quæ haberet rationem legis naturæ propriè dictę: ergo. Conf.: tunc mutatur lex per additiõnem, quandò ipſi adijciuntur nova præcepta, ratione quorum amplior fit eius obligatio; ſed poſſunt aliqua præcepta ſuperaddi legi naturæ; ſiquidem multa utilia

ad humanam vitam ſuperaddita ſunt, tàm per legem Divinam poſitivam, quàm per leges humanas. Advertimus tamen cum N. Herincx, hoc modo legem naturalem reverà non mutari propriè, formaliter, & intrinſecè, utpote quæ in ſua integritate ſemper invariata manet; ſed unicè ab extrinſeco aliquid addi, vèl per manifeſtationem alicuius concluſionis contentę in ipſa lege naturæ, vèl per extenſionem ipſius ad aliquod præceptum legis poſitivæ, quod propriè non pertinet ad legem naturalem.

7 Prob. 2.: pars, ſcil. quoad *ſubtractionem materiæ*: tunc lex mutatur per ſubtractionem materiæ, quando materia, in quam cadebat obligatio legis, deſinit eſſe materia eiuſdem; ſed ita poteſt contingere reſpectu legis naturalis: ergo. Prob. min. tum lex naturalis obligat ad non retinendam rem alienam invito domino, ſed reſtituendam ipſi; ſed res alioqui aliena poteſt fieri propria per præſcriptionem, aut alium titulum: ergo. Tum, quia lex naturalis, ſtatuit quòd depoſitum reddatur domino petenti; ſed dùm res in depoſito conſtituta petitur in damnum alterius, deſinit eſſe materia legis præcipientis reddere depoſitum; & ſic in alijs caſibus: ergo. Cæterum advertendum eſt cùm N. Fraſſen, quòd nèc hoc modo mutatur formaliter lex naturæ, quia hæc formaliter ſumpta non fertur in materiam abſolutè, & ſine debitis circũſtantijs, ſed proùt ſubiacet ipſis; qualiter talis materia sępèr cadit per ſeſub obligatione legis, quę unicè ceſſat ex defectu alicuius circũſtantiæ, ſub qua talis materia reſpicitur ab ipſa lege.

8 Prob. 3.: pars nimirùm quoad *abrogationem*: abrogare legem eſt, eam in totum tollere; ſed hoc repugnat legi naturæ: ergo. Prob. min.: talis lex principaliter continet prima principia practica nota ex terminis, & concluſiones prorsùs neceſſario, & evidenter illatas ex ipſis, quæ omnia ſunt ſimpliciter neceſſaria, & eternę veritatis, àc neceſſariò inducentia obligationem ex vi iuſſionis neceſſariæ Dei, ut Authoris, & Gubernatoris naturæ rationalis: ergo repugnat tali legi, quòd tollatur totaliter. Prob. 4. pars, videlicèt quoad *derogationem*: derogare legem eſt, ipſam ex parte tollere abſolutè, ſimpliciter; & reſpectu totius Cõmunitatis, ità ut omninò ceſſet obligatio alicuius ſpecialis præcepti; ſed hoc nequit verificari de lege naturæ: ergo. Mai. patet, quia in eo diſtinguitur ſtricta derogatio à ſimplici diſpenſatione, quæ ſolùm eſt relaxatio obligationis le-

legis reſpectu determinatę perſonæ, & in aliquo caſu particulari. Prob. min.: quodlibet præceptum legis naturæ ut abſolutè impoſitum Communitati, ex natura rei inducit obligationem neceſſariam ad moralem rectitudinem, & iuſtam gubernationē naturæ rationalis: ergo nullum præceptum talis legis poteſt tolli abſolute, & ſimplicitèr; nam aliàs deficeret rectitudo, & iuſta gubernatio ipſius naturę.

9 Prob. ultima pars, ſcil. quoàd *irritationem*: tùnc irritatur lex, quando conſtituta ab interiori reſcinditur authoritate Superioris; ſed hoc repugnat legi naturæ, utpotè conſtitutæ à ſupremo Legiſlatore, ut authore, & Gubernatore naturæ rationalis: ergo talis lex nequit mutari per irritationem. Prob. ſimùl tres ultimæ partes aſſert. noſtræ. Iſaiæ cap. 24. lex naturæ dicitur *fœdus ſempiternum*. Et Gratianus diſt. 5.: cap. 1.: ait: *Natarale jus inter omnia primatum obtinet tempore, & dignitate; cœpit enim ab exordio rationalis creaturæ, nèc variatur tempore, ſed immutabilis ſemper permanens.* Et Cicero lib. 2. de Legib. Legem naturalem appellat *æternum quiddam, quod univerſum mundum regeret imperandi, prohibendi que ſapientia*: ergo lex naturę nequit mutari per abrogationem, derogationem, aut irritationem. Conf.: ſi lex naturæ poſſet abrogari, derogari, aùt irritari, vèl eſſet ex Divina voluntate, vèl ex humana conſuetudine; ſed non ex voluntate Deī, qui licèt aliquandò reſpectu particularis perſonę poſsit ratione ſupremi dominij diſpenſare in aliquo præcepto legis naturæ; tamèn nequit, nèc in totum, nèc in partem tollere abſolutè, & ſimpliciter talem legem, utpotè neceſſariam ad moralem rectitudinem, & rectam gubernationem naturæ rationalis. Aliundè nèc ex humana conſuetudine; nam in cap. *Quo jure*, diſt. 8. habetur: *Ius naturæ prævalet conſuetudini, & conſtitutioni; quæcumque enim moribus recepta ſunt, ſi naturali juri tuerint adverſa, vana, & irrita habenda ſunt.* Et cap. *Veritate* dicitur: *Nemo conſuetudinem rationi, & veritati præponat; quia conſuetudinem ratio, & veritas ſemper excludit*: ergo.

10 Objc. Gloſſa in cap. 17.: Eccleſiaſt. diſſertè docet, legem naturæ per legem poſitivam aliquando corrigi, & emendari; ſed hęc emendatio infert veram, & eſſentialem mutationem legis naturalis: ergo. Conf.: homines in plurimis mutaverunt jus naturale, & derogaverunt ipſi: ergo. Prob. antec.: jure naturæ erant om-

omnia bona communia, & omnes homines donabantur libertate; ſed voluntate hominum inducta eſt diviſio, & proprietas rerum, ac ſervitus ipſorum hominum: ergo. Urg.: ſicut ſe habet Princeps ad legem poſitivam, & civilem, ita ſe habet Deus ad legem naturalem; quia non minùs eſt Deus author legis naturę, quàm Princeps eſt conditor legis humanæ; ſed Princeps poteſt abrogare, & reſcindere legem civilem: ergo etiam Deus poteſt abrogare legem naturalem.

11 Ad obiect. diſt. mai.: legem naturæ per legem poſitivam corrigi, & emendari extrinſecè, & materialiter, ſuperaddendo aliquid ad illam extenſivè perficiendam, aùt clariùs explicandam conc. mai.; corrigi, & emẽdari intrinſecè, & formalitèr, condendo de novo aliquod præceptum legis naturalis, quæ in ſe eſſet imperfecta, & inſufficiens, neg. mai., & min. iuxtà diſtinctionem datam. Ad confirm. neg. antec., & diſt. mai. probat.: jure naturæ, permiſsivè, negativè, & impropriè ſumpto, erant bona communia, &c. conc. mai.; ſure naturæ, poſitivè, & propriè accepto, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſeq.; ſolutio patet ex num. 1. huius quæſt.. Ad urgent, neg. mai.; quia non eodem modo ſe habet Deus erga legem naturalem, ac Princeps erga legem poſitivã; ſiquidèm iſta liberè contingenter eſt conſtituta, & totam vim obligandi habet à voluntate, & authoritate Principis, qui ſicut liberè condidit legem, ita poteſt eam reſcindere; attamèn lex naturę, utpotè prę-cipiens, vèl prohibens ea, quæ ſunt bona, vèl mala fundamentalitèr ab intrinſeco, & neceſſaria ſunt ad moralem rectitudinem hominum; eſt neceſſario conſtituta à Deo, & fundamentalitèr, ac exigitivè habet vim obligandi ex ipſa rerum natura, quamvis formalitèr, & complete inducat talem obligationem ex voluntate Divina, quæ neceſſario condidit talem legem, atque adeo nequit illam abrogare, utpote neceſſariam ad rectam gubernationem rationalis creaturæ.

SECTIO II.

Utrùm præcepta legis naturæ poſsint à Deo diſpenſari?

12 ULtra prenotata in initio huius quæſt., ſupponimus primò ex ſubt. Doct. in 3. d. 37. q. un., quod diſpenſatio eſt duplex, quarum una dicitur *Iuris revocatio*, & altera *Iuris declaratio*. Revocatio Iuris, quæ eſt diſpenſatio

pro-

propriè, & ſtrictè, eſt relaxatio alicuius Iuris, ſeù exemptio alicuius Subditi ab obligatione legis in hoc, vèl illo caſu particulari, reliquis manentibus obligatis; nam ut inquit Doct. cit., *diſpenſare non eſt facere, quòd ſtante præcepto liceat facere contra præceptum, ſed eſt revocare præceptum* reſpectu illius, cum quo diſpenſatur. Ex quo patet, quòd diſpenſare ſpectat ad ſolum Superiorem; quia ad illum pertinet tollere, ſeù relaxare præceptum, ad quem attinet ponere illud; unde cùm hoc ſit munus ſolius Superioris, ideò ſolus ipſe poteſt diſpenſare. Supp. 2. ex eodem Doct., quòd diſpenſatio propriè dicta verificatur unicè; quandò ſtantibus omnibus eiſdem circunſtantijs in aliquo actu, v. g. in occiſione hominis, variatur ſola prohibitio, aùt voluntas Superioris circa talem actum, ita ut ille actus, qui ſtante prohibitione eſſet illicitus ſub talibus circunſtantijs, ſub eiſdem ſit licitus ceſſante ſola prohibitione; nàm ſi ſtet mutatio materiæ præceptę, vèl alterius circunſtantiæ, tùnc potiùs erit ceſſatio legis; quàm diſpenſatio propriè, & ſtrictè; attamèn dicitur diſpenſatio latè, vèl minus propriè, ſumpta pro declaratione Iuris non obligantis ſub talibus circunſtantijs, vèl ceſſatio legis per mutationem materię, aùt alterius circunſtantię. Ex quibus.

13 Supp. 3.: cum Maſtrio difficultatem iſtam, adeò acritèr exagitatam intèr Thomiſtas, & Scotiſtas, potiùs eſſe de nomine, àc modo loquendi, quàm de veritate rei in ſe; ſiquidem in re omnes conveniunt, & agnoſcunt hanc differentiam inter pręcepta legis naturæ, quod aliqua eorum ſimpliciter, & ſemper obligant, poſitis quibuſlibet circunſtantijs; ita ut nunquàm eorum obligatio poſsit ceſſare, ut infra patebit; alia verò ſunt præcepta, quę non obligant ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſub certis circunſtantijs, quibus manentibus, ſemper obligant; ſi verò mutentur tales circunſtantię, eorum obligatio ceſſat, ut patebit infra. In hoc igitur conveniunt Thomiſtæ, & Scotiſtæ, àc ſolùm differunt in eo, quòd illa deobligatio ceſſantibus circunſtantijs vocatur à Scotiſtis diſpenſatio legis, Thomiſtæ verò dicunt, in illo caſu nullam dari diſpenſationem, ſed potiùs debere dici ceſſationem legis per mutationem materiæ, aut alicuius circunſtantię, ratione cuius mutationis actus ille non continetur ſub præcepto, nèc ſub jure naturali. Quibus ſuppoſitis.

14 Aſſerimus primò: tria

tria præcepta primæ tabulæ, & octavum Decologi nequent aliquomodò à Deo diſpenſari. Ita Subt. Doct. in 3. d. 37. & 38. & cùm eo Scotiſtæ; ſic etiàm omnes Thomiſtæ, & Ieſuitæ, contra Nominales. Prob. primò de tribus præceptis primæ tabulæ, ex Doct. cit.: illa præcepta ſunt omninò indiſpenſabilia, quę ſunt ſtrictiſsimè de lege naturæ, ita ut ſint veritates practicè per ſe notæ, aût neceſſariò ſimpliciter, abſolutè, & evidenter illatę ex primis principijs per ſe notis; ſed huiuſmodi ſunt tria præcepta primæ tabulæ: ergo. Mai: patet; quia ſicut prima principia practica, per ſe nota, ſunt veritates ſimpliciter neceſſarię, invariabiles, ac inducentes obligationem abſolutè ex ipſis terminis, & ſub quibuſcumque circunſtantijs; ità ſimiliter concluſiones, quæ neceſſario ſimpliciter, abſolutè, immediatè, & evidenter ſunt illatæ, & connexæ cum talibus principijs. Prob. mia.: ex primo principio per ſe noto: *bonum eſt faciendum, & malum vitandum*: immediatè, ſimpliciter neceſſario, & evidenter infertur: *Deus, utpote ſummè bonus, eſt amandus, & colendus: nihil aliud eſt colendum tanquàm Deus: Deo non eſt facienda irreverentia, nec eſt blaſphemandus*: ergo.

15 Prob. 2.: de eiſdem præceptis ex eodem Doct.: in his, quę præcipiuntur per tria præcepta primæ tabulæ, eſt bonitas neceſſario convertens ad ultimum finem; atque in his, quæ prohibentur per talia præcepta, eſt malitia neceſſario avertens ab ultimo fine: ergo talia præcepta non poſſunt diſpenſari. Antec. patet; quia per illa præcipitur amor, & cultus Dei, in quibus eſt bonitas neceſſariò convertens ad ipſum ut ultimum finem; & per talia præcepta prohibetur idolatria, periurium, blaſphemia, àc irreverentia facta Deo, in quibus eſt malitia neceſſariò avertens à fine ultimo, ut eſt manifeſtum. Conſeq. eſt legitima; ſiquidem indiſpenſabile eſt, quod præcipiatur bonum neceſſarium ad attingentiam, & conſecutionem ultimi finis; ſicut, & quòd prohibeatur malum neceſſariò avertens à tali fine.

16 Conf., & ſimùl tertiò prob. aſſert. de octavo præcepto Decalogi, ex ipſo Doct.: illa præcepta ſunt omninò indiſpenſabilia, quorum materia eſt ita ſimpliciter, abſolutè, & neceſſario ab intrinſeco, ſaltèm exigitivè, & fundamentaliter, bona, vèl mala, licita vèl illicita, ut nullatenùs poſſit mutari ex qualibet circunſtantia, vèl voluntate extrinſe-

ca, ſed huiuſmodi ſunt tria præcepta primæ tabulæ, & octavum Decalogi: ergo. Min. quoàd præcepta primæ tabulæ patet ex probat. antec.; nàm quæ per ea præcipiuntur, habent bonitatem ſecundùm ſe ordinatam ad finem ultimum, & neceſſariam, ut homo ſe convertat in ipſum, àc illum conſequatur; ita ut nequeat reddi licita eorum omiſio; & quæ per talia præcepta prohibentur, habent malitiam ſecundum ſe avertentem à fine ultimo, ita ut nunquàm poſsit eſſe licita executio talium actuum. Prob. igitur illa min. quoàd octavum præceptum: illud eſt neceſſariò, ſimpliciter, & abſolutè malum ab intrinſeco, ita ut nunquàm poſsit reddi licitum, quòd intrinſecè, & ex propria ratione eſt oppoſitum propriæ conſcientiæ, ſeù dictamini, & includit pravam intentionem, ſed *mentiri* ex ratione ſua eſt oppoſitum proprio dictamini, ſiquidem *eſt prolatio contra mẽtem*, & ex ſe dicit pravam intentionem, ſcil. decipiendi, & fallendi, quæ prava eſt, & nequit eſſe ſine peccato: ergo materia prohibita per octavum præceptum eſt ita ab intrinſeco mala, ut nunquam poſsit reddi licita.

17 Arg. 1.: Legiſlator humanus poteſt diſpenſare legem ab ipſo conſtitutam: ergo multo melius Deùs, utpote ſupremus Dominus, & Gubernator, poteſt diſpenſare etiam legem naturalem, ab eo ut Authore naturæ ordinatam. Conf.: per nos obligatio legis naturalis, àc proinde cuiuſlibet eius præcepti, oritur, & dependet à voluntate Dei; ſed hæc eſt libera reſpectu rerum ad extra, ita ut potuerit, vèl poſsit velle, & ordinare alitèr ipſas: ergo potuit alitèr ordinare quælibet, præcepta legis naturæ, & poteſt ipſa revocare, vèl diſpenſare. Ad argum. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia cùm lex humana reſpiciat obiecta contingentèr, & purè ab extrinſeco bona, vèl mala, ideò ſicùt potuit liberè non conſtitui, ita etiàm poteſt diſpenſari; attamèn cùm lex naturalis verſetur erga obiecta neceſſariò, & ab intrinſeco bona, vèl mala, ideò ſicut fuit neceſſariò condita à Deo ut Legiſlatore, & Gubernatore ſummè iuſto, ita nequit diſpenſari ab ipſo, maximè quoad illa, quæ ſimpliciter neceſſariò connectuntur cùm tali bonitate, & malitia ſub qualibet circunſtantia, & pro omni eventu. Ad conf. diſt. mai.: obligatio legis naturæ pendet à voluntate Dei, ſupponente bonitatem, vèl malitiam fundamentalem, & intrinſecam rerum, quas præcipit, vèl prohibet conc. mai.;

præ-

præciſivè â tali bonitate, vel malitia naturali, neg. mai.; & diſt. min.: voluntas Dei reſpectu rerum ad extra eſt libera ſimplicitèr, abſolutè, & antecedentèr, conc. min.; etiàm ſecundùm quid, conſequentèr, & ex ſuppoſitione, neg. min.; & conſeq.; quia ex ſuppoſitione liberæ productionis creaturæ rationalis capacis regulari, dirigi, & ordinari in debitum finem, Deus, utpotè ſummè providus, & iuſtiſsimus Gubernator, fuit neceſsitatus præcipere bona, & conformia naturę, àc prohibere mala, difformia ipſi; ut iàm patet ex ſupra dictis.

18 Arg. 2.: hæc propoſitio: *Dilectio Dei eſt bona, & proſequenda*; & iſta: *odium Dei eſt malum, & fugiendum*; non ſunt notæ per ſe, & ex terminis: ergo bonitas unius, aùt malitia alterius non eſt tanta, ut non poſsit à Deo diſpenſari. Conſeq. patet; quia ideò prima principia practica non poſſunt diſpenſari, quia ſunt per ſe nota ex terminis; atque adeò ſi illæ propoſitiones non ſunt hujuſmodi, poterunt diſpenſari. Prob. antec.: illa propoſitio non eſt per ſe nota, quæ poteſt à priori probari per aliam; ſed tales ſunt illę duæ propoſitiones ergo. Prob. min.: hęc propoſitio: *dilectio Dei eſt bona*: probatur à priori per iſtam: *dilectio ſummi boni eſt bona*; & illa altera: *odium Dei eſt malum*: probatur à priori per iſtam: *odium ſummi boni eſt malum*: ergo tales propoſitiones ſunt probabiles à priori. Conf.: non implicat, odium Dei eſſe bonum, aùt ſaltèm non malum: ergo non repugnat, Deum diſpenſare præceptum prohibitivum illius. Prob. antec.: odium Dei, & bonitas non opponuntur contradictoriè: ergo non implicat, illa inter ſe coniungi. Prob. antec.: bonitas ſolùm opponitur defectui, vèl carentię conformitatis, ſeù rectitudinis debitæ actui; odium autèm Dei opponitur eius amori; ſed hujuſmodi oppoſitiones non ſunt contradictoriæ; cùm non ſint affirmationes, & negationes eiuſdem de eodem, & ſecundum idem: èrgo. Urg.: iuxta dicta in tract. *de Actibus humanis*, moralitas, àc proinde bonitas, vel malitia cuiuſlibet actus humani, eſt quid extrinſecum, & accidentale ſuperadditum entitati phyſicæ eiuſdem: ergo actus amoris Dei non eſt ita ab intrinſeco bonus, nec actus odij ipſius eſt ita malus, ut non poſsint mutari à Deo, àc eorum præcepta diſpenſari ab ipſo.

19 Ad arg. neg. antec.; ad cuius prob. diſt. mai.: illa propoſitio non eſt per ſe nota, quæ à priori ſtrictè, & rigoroſè

sè, seù verè arguitivè, potest probari per aliam adæquatè distinctam, conc. mai.; quæ à priori tantùm latè, seù potiùs declarativè probatur per aliam unicè distinctam penes implicitum, & explicitum, neg. mai.; & similitèr dist. min.; quia hæc propositio: *dilectio Dei est bona, & prosequenda*: est quædam particularis contenta in illa universali: *bonum est amandum, & prosequendum*; aut *dilectio summi boni est bona*; & è conversò altera: *odium Dei est malum*: est etiam particularis contenta in illa universali; *malum est fugiendum*; aut *odium summi boni est malum*; ac proindè tales propositiones solùm distinguuntur penes implicitum, & explicitum; & una immediatè, & ex terminis declaratur per aliam absque stricto, & rigoroso discursu; prout in tract. *de fide* declarabitur. Vel admit. antec., neg. conseq.; quia ut aliquod præceptum sit strictissimè de lege naturæ, & omninò indispensabile, non requiritur præcisè, quòd sit primum principium notum ex terminis; sed sufficit, quod sit conclusio necessario, & evidenter illata immediatè ex talibus principijs; cuiusmodi sunt illæ propositiones.

20 Ad confirm. neg. primum, & dist. secundum antec.: odium Dei, & bonitas non opponuntur contradictoriè directè, explicitè, & formaliter, conc. antec.; indirectè, implicitè, & illativè, neg. antec.; nàm cùm odium Dei sit fuga, seù nolitio summi boni, ideò dicit carentiam bonitatis, & contradicit ipsi, saltèm indirectè, implicitè, & illativè. Ad urgent. concess. antec., neg. conseq.; quia licèt actus amoris, vel odij Dei, purè physicè, & entitativè sumptus (qualiter hic de illo non loquimur,) possit esse nec bonus, nec malus moraliter cum possit elici sine libertate, & directione à ratione, nempè a subiecto eius incapaci; tamen tales actus moraliter considerati, seù eliciti cùm libertate, & dictamine rationis (qualiter accipiuntur in præsenti,) nequeunt separari à bonitate, vel malitia, seù conformitate, vel difformitate ad rectam rationem, quę sunt quid intrinsecum ipsis ex suppositione quod eliciantur cùm advertentia, & libertate; eò quia unus est conversio ad ultimum finem, quod est ita necessariò bonum, ut nequeat reddi malum; & alius est aversio ab ultimo fine, quod est ita necessariò malum, ut nequeat mutari in bonum, aut licitum.

21 Arg. 3.: ideo Deus nequit dispensare, seù reddere licitos actus contrarios præceptis primæ tabulæ, quia tales

ac-

actus ſunt ex ſe, & intrinſecè mali; ſed hæc ratio probat contra nos: ergo. Prob. min.: juxtà Scotiſtas cum Sub. Doct. in 3. d. 37., Deus poteſt diſpenſare in aliquibus præceptis ſecundæ tabulæ; ſed actus contrarij ipſis præceptis ſunt ex ſe, & intrinſecè mali: ergo. Prob. min.: Tùm, quia talia præcepta ſunt verè, & propriè de lege naturæ, ut probatum manet; ſed actus contrarij legi naturæ ſunt ex ſe, & intrinſecè mali, ut conſtat etiam ex dictis: ergo. Tum; quia præcepta ſecundæ tabulæ ſunt: *honora Patrem tuum, & Matrem tuam: non occides: non mœchaberis: non furaberis, &c*; ſed actus contrarij iſtis præceptis ſunt ex ſe, & intrinſecè mali; ſiquidem fundantur in illo principio practico per ſe noto: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*: ergo.

22 Reſp. diſt. mai.: ideò Deus nequit diſpenſare actus contrarios præceptis primæ tabulæ, quia tales actus ſunt ex ſe, & extrinſecè mali ſimpliciter, abſolutè, & ſub quibuſlibet circunſtantijs, ſeù malitia inſeparabili, & prorſus neceſſariò connexa cum propria ipſorum ratione, conc. mai.; quia ſunt ex ſe, & intrinſecè mali quomodolibet, neg. mai., & min. abſolutè; ad cuius prob. conceſ. mai. in ſenſu explicando in aſſert. ſequenti, diſt. min.: actus contrarij illis præceptis ſecundæ tabulæ ſunt ex ſe, & intrinſece mali ex ſuppoſitione quòd eliciantur ſub certis conditionibus, & circunſtantijs, ſine quibus poſſunt reperiri, ſeù malitia abſolutè ſeparabili ab eorum propria ratione, conc. min.; ſunt ex ſe, & intrinſecè mali abſolute, ſimpliciter, & ſub qualibet circunſtantia, ſeù malitia omninò inſeparabili ab eorum ratione propria, neg. min.. Per quod patet ſolut. ad reliquas prob.; nàm conſtat ex dictis, & patebit ex dicendis; quod quia præcepta primæ tabulæ ſunt ſtrictiſsimè de lege naturæ, neceſſariò ſimpliciter, & abſolutè obligantia ex propria ipſorum ratione, àc eorum materia non cadit ſub libero, & abſoluto dominio Dei ita ut poſsit mutari; ideò talia præcepta nullatenus poſſunt diſpenſari. Cæterùm quia præcepta ſecundæ tabulæ (præter octavum Decalogi) ſunt minùs ſtrictè de lege naturæ, & obligant ſolùm ſub certis circunſtantijs, ſine quibus poſſunt reperiri, àc eorum materia cadit ſub libero, & abſoluto dominio Dei, qui poteſt illam mutare, ideò poſſunt diſpenſari modo declarando in aſſert. ſequenti.

23 Aſſerimus 2.: præcep-

cepta ſecundæ tabulæ (exempto quinto præcepto eiuſdem, ſeù octavo Decalogi) poſſunt ſimpliciter à Deo diſpenſari; ſivè talis diſpenſatio ſit impropria, materialis, & indirecta, ſeù juris declaratio, aùt mutatio materiæ, vèl circunſtantiarum prout tenent communiter Extranei, & aliqui ex Noſtris, ut Maſtrius, Holzmann, & alij;) ſivè ea ſit diſpenſatio propria, formalis, & directa, ſeù relaxatio juris, àc revocatio præcepti (proùt aſſerunt frequenter Scotiſtæ.) Prima pars aſſer., ſcil. talia præcepta poſſe ſimpliciter àDeo diſpenſari, ſaltem impropriè materialiter,& indirectè. Prob. primò: illa præcepta ſunt ſimpliciter à Deo diſpenſabilia indirectè, materialiter, & impropriè, quorum materia, vèl circunſtantię, utpotè cadentes ſub abſoluto dominio Dei, poſſunt ab ipſo immutari,& conſtitui extra obiectum, & obligationem præcepti; ſed huiuſmodi ſunt præcepta (præter quintum) ſecundæ tabulę: ergo. Mai.conſtat ex dictis num. 12. Prob. min.: talia præcepta unicè ſub certis circunſtantijs, quæ ſunt ſeparabiles ab eorum actibus, & obiectis, obligant erga materiam, quæ non dicit abſolutam repugnantiam cum perfectionibus Divinis, nèc ex propria ratione habet malitiam omninò inſeparabilem: ergo materia, ac circunſtantiæ talium præceptorum cadunt ſub dominio Dei abſoluto, ita ut poſsint mutari ab ipſo, & conſtitui extra obiectum, & obligationem illorum. Antec. patet; quia *non occidere* v.g. unicè obligat ad non occiſionem innocētis factam propria, ſeù privata authoritate, à quibus circunſtantijs poteſt ſeparari talis occiſio, quæ ſecundùm ſe non eſt neceſſariò mala, quin potiùs poteſt reddi bona, ſi fiat authoritate, & imperio Dei, qui eſt Dominus vitæ, & mortis. Similiter *non accipere bona proximi* poteſt mutari, ſi Deus transferat dominium in accipientem; & ſic de alijs..

24 Prob. ſecundò eadem pars: Deus de facto in aliquibus præceptis ſecundæ tabulæ diſpenſavit, ſaltèm materialiter, indirectè, & impropriè: ergo ſimpliciter poteſt illa diſpenſare. Prob. antec.: Deus dedit authoritatem, & præcepit Abrahæ, ut occideret, & immolaret filiū ſuum Iſaac, ut conſtat ex cap. 22. Geneſ.; dedit etiam facultatem Hæbreis, & præcepit illis, ut ſpoliarent Egiptios, ut conſtat ex cap. 11. & 12. Exodi; ſimiliter præcepit Oſee Prophetæ, ut ſumeret ſibi uxorem fornicariam, ut conſtat ex cap. 1.

Oſee:

Oſee : ergo Deus diſpenſavit, ſaltèm materialitèr, & impropriè, in illis caſibus, ſcil. mutando materiam, vèl circunſtantias talium præceptorum. Et hoc modo (inquit Maſtrius) loquitur Sub. Doct. de diſpenſatione, cùm ait, Deum poſſe diſpenſare in aliquibus præceptis ſecundæ tabulæ; nàm accipit diſpenſationem, prout comprehendit non ſolùm relaxationem juris, ſeù revocationem præcepti, ſed etiàm prout extenditur ad declarationem juris, vèl ceſſationem obligationis legis ex mutatione materiæ.

25 Secunda pars aſſer., nempè illa præcepta ſecundæ tabulæ poſſe à Deo diſpenſari, etiàm directè, formalitèr, & propriè. Prob. primò ex D. Bernardo tract. *de præcepto, & diſpenſatione* (quem citat, & ſequitur D. Bonav. in 1. d. 47. quæſt. 4.) dicente: *Neceſſarium deinde, quod inviolabile nominavi, illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed divinitus promulgatum, niſi à Deo qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut exempli cauſa, non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & reliqua illius tabulæ legis ſcita, quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittunt, nec cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere, aùt licuit, aùt licebit; Dominus tamen, horum quod voluit, & quando voluit ſolvit: ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſivè quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit*: ergo juxta D. Bernardum, & Doct. Seraphicum, præcepta ſecundæ tabulæ poſſunt, etiàm directè formalitèr, & propriè, diſpenſari à Deo. Prob. conſeq. primò, & ſimul impugnatur reſponſ. Adverſ.: D. Bern. in toto illo tract., D. Bonav. in illa quæſt. agunt de propria, & formali diſpenſatione: ergo ita, & non alitèr debent intelligi. Prob. ſecundò eadem conſeq.: D. Bernard. talem diſpenſationem, ſeù modum diſpenſandi concedit Deo, qualem negat hominibus; ſed iſti, etiam juxtà plures ex Adverſ. poſſunt impropriè, & materialitèr diſpẽſare in aliquibus præceptis ſecundæ tabulæ, mutando eorum materiam, vèl circũſtantia, quę cadunt ſub eorum dominio, & poteſtate: ergo Deus poteſt, etiàm proprie, & directè, diſpenſarè in illis præceptis.

26 Prob. tertiò illa conſeq., & ſimul prob. ſecundò noſtra aſſert. ratione: Diſpenſatio propria, formalis, & directa conſiſtit in eo, quod Legiſlator per actum ſuæ voluntatis permitententis, vèl præcipientis faciat licitum aliquem actum

ſub

ſub omnibus illis circunſtantijs ſub quibus talis actus eſſet illicitus, ſi præcisè deficeret volũtas Legiſlatoris permittentis, aũt præcipientis illũ actum; ſed Deus poteſt facere, & aliquãdò fecit, quod per intimationem ſuę volũtatis redderetur licitus aliquis actus ſub omnibus illis circunſtantijs, ſub quibus idem actus eſſet illicitus, ſi præcisè deficeret declaratio voluntatis Dei permittentis, vèl præcipientis talem actum, àc relaxantis præceptum prohibitibum illius: ergo. Mai conſtat; quia aliàs nulla poſſet eſſe diſpenſatio propria, & formalis reſpectu alicuius legis poſitivę. Prob. min.: occiſio Iſaac, quam Deus præcepit Abrahæ, habuit omnes illas circunſtantias, in quibus eſſet prohibita, & pecaminoſa, ſi non adfuiſſet Divina voluntas tollens prohitionem, & præcipiens illam, ſeù tota mutatio in illa occiſione emanavit ab extrinſeco, ſeù à ſola voluntate Dei iubentis, ut pro tunc ceſſaret præceptum de non occiſione: ergo. Prob. antec.: tota illa mutatio ſtetit (adhuc iuxta Adverſ.) in eo, quod illa occiſio fuiſſet facta authoritate Dei iubentis, vi cuius ceſſavit pro tunc præceptum de non occiſione; ſed hoc intrantitivè eſt, totam illam mutationem provenire ab extrinſeco, & à ſola voluntate Dei iubentis: ergo.

27 Conf., & explicatur: ſi ſummus Pontifex, nulla habita cauſa intrinſeca ex parte hominis diſpenſandi, ſed unice propter manifeſtationem ſuæ authoritatis, aũt aliam cauſam extrinſecam, concederet alicui ſano licenciam comedendi carnes in die veneris; certùm eſt, quòd illa eſſet diſpenſatio directa, propria, & formalis, eò quia in illa comeſtione variaretur ſola circunſtantia *prohibitæ* ex authoritate Legiſlatoris tollentis prohibitionem, ſed hoc verificatur in caſu occiſionis Iſaac factæ authoritate Dei iubentis, ſine qua foret illicita talis occiſio cùm ijſdem omnibus alijs circunſtantijs: ergo fuit diſpenſatio directa, propria, & formalis. Et hoc videtur docere Subt. Mag. cit. dicens: *Quæro: an ſtantibus omnibus circunſtantijs eiſdem in iſto actu, qui eſt occidere hominem, variata ſola circunſtantia prohibiti, & non prohibiti, poſſet Deus facere, quòd ille actus, qui cum talibus circunſtantijs alijs eſt aliquando prohibitus, alias non eſſet prohibitus, ſed licitus? Si ſic: igitur ſimpliciter poteſt diſpenſare:: Si autem Deus non poteſt facere de iſto actu, qui cum talibus circũſtantijs erat prohibitus, quòd manentibus eiſdem circunſtantijs prioribus de prohibitione*

non ſit prohibitus : igitur non poteſt facere , quod occidere non ſit prohibitum : cuius oppoſitum manifeſtè patet de Abraham

28 Arg. 1. præcipuè contrà 2. part. aſſert. : obſervatio præceptorum ſecundæ tabulæ ſequitur neceſſario , vèl potius includitur in dilectione proximi ; ſed hoc præceptum nequit abſolutè , & ſimplicitèr à Deo diſpenſari : ergo. Mai. conſtat ex Apoſt. in Epiſt. ad Roman. cap. 13. dicente : *Qui enim diligit proximum , legem implevit ; nam non adulterabis, non occides , &c. in hoc verbo inſtauratur : diliges proximum tuum , ſicut te ipſum.* Prob. min.: dilectio proximi ſequitur neceſſario ex dilectione Dei; ſed præceptum dilectionis Dei, utpotè primæ tabulæ , & ſtrictiſsimè de lege naturæ , nequit aliquomodò à Deo diſpenſari: ergo.Prob. mai. : dilectio Dei, quæ eſt de jure , eſt perfecta, & non inordinata ; ſed amor Dei abſque amore proximi eſſet imperfectus , & inordinatus : ergo. Prob. min. : amor, quo quis vellet ſibi appropriatè bonum commune , & iſtud non diligi ab alijs , eſſet amor imperfectus , & inordinatus; ſed non habens amorem proximi ; prædicto modo ſe haberet ; ſi quidem volens Deum proximo , & iſtum diligere Deum , diligit ipſum proximum;& qui caret amore ipſius, vult bonum commune appropriatum ſibi ſoli : ergo.

29 Reſp. primo ex Subt. Doct. admiſſa mai., neg. min., ad cuius probat. diſt. mai.: amor proximi ſequitur neceſſariò aliqualitèr , ſeù maximè convenientèr , ex dilectione Dei , conc. mai. ; ſequitur neceſſario ſimplicitèr , abſolutè, & omninò indiſpenſabiliter, neg. mai. ; & conceſſa mai. probat. , neg. min. ; ad cuius probat. diſt. mai. : amor , quo quis poſitivè vellet ſibi ſoli appropiare bonum commune, ita ut poſitivè nollet , ipſum diligi ab alijs , eſſet imperfectus, & inordinatus, conc. mai., amor quo tantùm negativè vellet ſibi appropriare bonum commune , ſeù quo iſtud diligeret abſtrahendo ab eo quod eſt poſitivè velle , aùt nolle ipſum diligi ab alijs , ſubdiſt.: talis amor eſſet imperfectus , & inordinatus in præſenti providentia , in qua conſtat voluntas Dei , ſe communicandi omnibus,& obligatio noſtra diligendi proximum , id que conſtat eſſe Deo gratum, & acceptum, conc. mai. , talis amor eſſet imperfectus, & inordinatus in alia providentia , in qua non eſſet , vèl non conſtaret illa voluntas Dei , vèl in qua daretur diſpenſatio illius præcepti, neg. mai. ; & ſimiliter diſtincta

min.

min., neg. conſeq.

30 Reſp.2.ex eodem Doct. diſt. primam mai.: obſervatio præceptorum ſequitur neceſſario ex dilectione proximi neceſſitate maximæ congruentiæ,ſeù convenientiæ, àc proùt amor proximi eſt explicatus à Deo ut Legiſlatore, conc. mai.; ſequitur neceſſariò ſimplicitèr, abſolutè, & indiſpenſabilitèr ex dilectione proximi, proùt hæc ſequitur neceſſariò ex principijs legis naturæ, neg. mai., quia ſimplicitèr, & abſolutè poteſt ſtare, me velle, proximum diligere Deum, quod eſt diligere proximum proptèr Deum; & tamèn velle occidere ipſum, aùt ſumere bona illius, ex diſpenſatione, & authoritate Dei præcipientis, aùt permittentis facere illud, quod aliundè, & ſecluſſa tali diſpenſatione, prohibetur per præcepta ſecundę tabulæ. Quare admiſſa abſolutè min., ſcil. quòd præceptũ dilectionis proximi ſit ſtrictiſsimè de lege naturæ, àc proindè nequeat ſimplicitèr à Deo diſpenſari; diſt. conſeq.: præcepta ſecundæ tabulę nequeunt à Deo diſpenſari regularitèr, & de potentia ordinaria; conc. conſeq.; abſolutè ſimplicitèr, àc de potentia abſoluta (qualitèr procedit hęc controverſia), neg. conſeq. Per quod patet ad illud Apoſt., qui loquitur de præceptis ſecundę tabulæ; quæ ſequuntur neceſſario regularitèr, & maximè convenientèr, ex dilectione proximi, àc prout ipſa eſt declarata, & explicata à Deo ut Legiſlatore; ſivè quatenùs ipſe Legiſlator intendit, illud præceptum dilectionis proximi debere ſervari, prout explicatur in præceptis ſecũdę tabulæ.

31 Arg. 2.: hoc principium: *non facies alteri iniuriam*: eſt unum ex primis principijs practicis, lumine naturæ notis; ſed omnia præcepta ſecundæ tabulæ inferuntur neceſſariò ex illo principio: ergo. Mai. conſtat; quia illud principium eſt idem, àc iſtud: *quod tibi non vis fieri, alteri nè feceris.* Min. etiam patet; quia omnia præcepta ſecundæ tabulę prohibent fieri iniuriam proximo. Conſeq. legitimè infertur; nàm quæ ſequuntur neceſſario ex principijs practicis, cùm ſint ſtrictiſsimè de lege naturæ, nequeunt diſpenſari; ut conſtat ex dictis. Reſp. conceſ. mai., diſt. min.: præcepta ſecundæ tabulæ ſequuntur neceſſariò aliqualitèr, id eſt, maximè congruenter, ſeù convenienter, & ſub certis circunſtantijs, ex illo principio, conc. min.; ſequuntur neceſſariò ſimplicitèr, & abſolutè, àc ſub quibuſlibet circunſtantijs, neg. min.; quia cum talia præcepta verſentur circa res proximi, quæ ſubiacent ab-

ſolutè, ac ſub quibuſlibet circunſtantijs, neg. min.; quia cum talia præcepta verſentur circa res proximi, quæ ſubiacent abſoluto dominio Dei, ideò abſque iniuria proximi poſſunt ipſa non ſervari, ſi fiat ex imperio, vèl authoritate Dei, variante materiam, vèl circunſtantiam ſolam prohibitionis.

32 Arg. 3.: Deus nequit mutare eſſentias, ſeù naturas rerum; ſed quæ continentur in præceptis ſecundæ tabulæ, ex natura ſua ſunt bona, vèl mala: ergo nullatenùs poteſt Deus diſpenſare illa. Prob. min.: omnia illa non ideò ſunt bona, quia præcepta, nèc mala, quia prohibita; quin potiùs è contra ideo ſunt præcepta, quia intrinſecè, & in ſe bona, & ideò ſunt prohibita, quia intrinſecè mala: ergo. Conf.: præcepta ſecundæ tabulæ ſunt de lege naturæ verè, & propriè, ut conſtat ex dictis: ergo nullatenus poſſunt à Deo diſpenſari, ſaltèm formalitèr, directè, & propriè. Prob. conſeq.: ut poſſent ita diſpenſari, deberent pendere ex libera voluntate Dei; ſed quæ ſunt de lege naturæ, non pendent ex libera voluntate Dei, ſed neceſſaria, ſaltèm ex ſuppoſitione creationis naturæ rationalis; ut conſtat etiàm ex dictis: ergo.

33 Ad arg. conceſ. mai. diſt. min.: contenta in præceptis ſecundæ tabulæ ſunt bona, vèl mala ex natura ſua, ut affecta quibuſdam circunſtantijs, à quibus poteſt ſeparari, & cum ſubordinatione ad dominium, & imperium Dei, conc. min.; ſunt bona, vèl mala ſimpliciter, & abſolutè ex natura ſua præciſivè à qualibet circunſtantia extrinſeca, vèl ſub omni circunſtantia inſeparabili ab eorum natura, aùt ſine ſubordinatione ad dominium, & imperium abſolutum Dei, neg. min.; ad cuius probat. diſt. antec.: omnia illa non ideò ſunt bona, quia præcepta, nec mala quia prohibita omninò liberè, ſeù abſque maxima congruentia inducente aliquam neceſsitatem præcepti, vèl prohibitionis, conc. antec.; non ideò ſunt bona, quia præcepta, nèc mala, quia prohibita aliquatenùs neceſſariò, ſeù cum maxima convenientia inducente ordinariam, & regularem, neceſsitatem præcepti, vèl prohibitionis, neg. ant., & conſeq. ſub diſtinctione data. Ad confirm. conceſ. antec., neg. conſeq.; & diſt. mai. probat.: ut poſſent ita diſpenſari, deberent pendere ex voluntate Dei libera aliqualitèr, ſeù attenta eius ſuprema authoritate, conc. mai.; deberent pendere ex voluntate Dei omninò libera, ſeù nullatenùs neceſsitata ex maxima congruentia talium præcep-

to-

torum, ſub diſt.: ut poſſent diſpenſari de potentia ordinaria (quod negamus,) conc. mai.; de potentia abſoluta (quod unicè concedimus,) neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: quę ſunt de lege naturæ, non pendent ex voluntate Dei omnino libera, ſed aliquomodò neceſſaria, conc. min.; non pendent ex voluntate Dei aliquomodo libera, ſed omnino neceſſaria, ſubdiſt.: quę ſunt ſtrictiſsimè de lege naturæ, conc. min.; etiam quæ ſunt de lege naturæ minus ſtrictè, neg. min., ut ſatis conſtat ex tota diſputatione.

31 Arg. 4.: præcepta, quæ intrinſecè continent ipſum ordinem ad bonum commune, vel ordinem iuſtitiæ, & virtutis, ſunt indiſpenſabilia; ſed præcepta ſecundæ tabulæ continent intrinſecè ordinem ad bonum commune, & ipſum ordinem iuſtitiæ, & virtutis ergo. Mai. patet.; quia ſic in aliqua communitate ponerentur huiuſmodi præcepta, quod nullus deſtrueret Rempublicam, neque proderet hoſtibus civitatem, aut quod nulli faciat indebitum; illa eſſent omnino indiſpenſabilia, eò quia continerent ipſum ordinem ad bonum commune, ipſum què ordinum iuſtitiæ. Prob. min.: præcepta ſecundæ tabulæ prohibent omne indebitum, ſeu omne genus iniuſtitiæ erga proximum, ut patet numerando, & diſcurrendo per ſingula illorum: ergo.

35 Reſp. diſt. mai.: præcepta, quæ intrinſecè inſeparabiliter continent illum ordinem, ſunt indiſpenſabilia abſolutè, & ſimpliciter, conc. mai.; quę intrinſecè, id eſt, maximè congruenter, tamèn ſeparabiliter continent illum ordinem, neg. mai.; & diſt. min.: præccpta ſecundę tabulæ intrinſecè, id eſt maximè congruenter ſecundùm ſe, tamèn ſeparabiliter continent illum ordinem, & cùm ſubordinatione, ac dependentia ad voluntatem; & ſupremam authoritatem Dei, conc. min.; intrinſecè inſeparabiliter, & ſine tali ſubordinatione, continent illum ordinem neg. min.; ad cuius probat. diſt. antec.: præcepta ſecundę tabulæ prohibent omne indebitum, & omne genus iniuſtitiæ, quod ex tale ex ſuppoſitione, & in ſenſu compoſito prohibitionis, conc. antec.; quod eſt tale abſolutè, ſimpliciter ſecundum ſe, & in ſenſu diviſo, aut præciſivè à prohibitione, ſubdiſt.: eſt tale maximè congruenter, licèt cum ſubordinatione ad ſupremam authoritatem Dei, conc. antec.; eſt tale formaliter quidditativè, & ſine tali ſubordinatione, neg. antec.; eſt tale formaliter quid-

ditative, & ſine tali ſubordinatione, neg. antec.,& conſeq..

36 Arg. 5.: diſpenſare in lege nihil aliud eſt, quàm permittere alicui, ut agat contrà legem adhuc vigentem, ſeù ſtantem in eius vigore; ſed Deus per nullam potentiam poteſt facere illud; ſiquidem eſt intrinſecè malum: ergo. Reſp. primò, quod argum. nimis probat, ac proinde nihil; ſiquidem prob. adhùc legem poſitivam, etiam humanam non poſſe diſpenſari; quod negatur communitèr. Reſp. 2. diſt. mai.: diſpenſare eſt permittere alicui, ut faciat contrà legem adhuc vigentem pro alijs, ſeù pro illis, cum quibus non eſt diſpenſatum, conc. mai.; ut faciat contrà legem adhùc vigentem pro illo, & in illo caſu, pro quo, & in quo eſt diſpenſatum, neg. mai., ut conſtat ex notabilibus; & applicata diſtinctione ad min., neg. conſeq..

37 Arg. 6.: ſi Deus poſſet diſpenſare in præceptis ſecundæ tabulæ, nempe *non occides, vel non furaberis*; poſſet dari bellum utrinque iuſtum, ſine ignorantia; ſed hæc ſequela eſt falſa: ergo. Prob. mai.: ſi Deus diſpenſaret Petrum ad occidendum Paulum, vel ad ſpoliandum ipſum, poſſet Petrus iuſte aggredi Paulum, & ille poſſet iuſtè ſe defendere, etiam aggreſſione in Petrum: ergo. Reſp. primò admiſ. mai., neg. min.; quia, iuxta plures in aliquibus caſibus datur bellum iuſtum ex utraque parte ſaltem moraliter; ut dum milites iuſſu ſuorum Principum inter ſe pugnant, putantes bellum eſſe iuſtum ex parte ſua; aut ſaltem eorum pugnam eſſe iuſtam, eò quia exiſtimant, ſe teneri obedire Principi contra propriam ipſorum opinionem; item duo naufragantes poſſunt iuſtè pugnare ad obtinendam tabulam, quæ uni ſoli poteſt ſufficere ut naufragium evadat; & ſic in alijs ſimilibus. Reſp. 2. neg. mai.,& diſt. antec.: quoad 1. part. ſi Deus diſpenſaret præcipiendo, & obligando Petrum ad occidendum Paulum, tunc ille iuſtè aggrederetur iſtum, conc.; ſi diſpenſaret tantùm permittendo, ſubdiſt.: tunc Petrus iuſtè aggrederetur Paulum non reſiſtentem, & ſine periculo ipſius Petri, conc.; adhuc viſa reſiſtentia Pauli, & cum periculo ipſius Petri, neg. antec.; quia ex tunc evaderet iniuſta aggreſſio ex parte ſui. Diſt. etiã antec. quoad 2. part.: Paulus juſtè ſe defenderet, ſi ignoraret, Petrum habere præceptum Dei, ad eius occiſionem, conc. ſi ſciret, eſſe à Deo præceptam occiſionem illam, maximè ob eius demerita, neg. antec.. Ex

qui-

quibus patet, quod bellum eſſet injuſtum ex parte unius, vèl eſſet iuſtum cum ignorantia alterius.

SECTIO III.

Utrum præcepta legis naturæ poſſint diſpenſari poteſtate humana; aùt ſaltèm per interpretationem, & epicheiamè

38 ULtrà notata in initio quæſt. ſciendum eſt, quòd interpretatio legum eſt duplex. Una *neceſſaria, authentica, iudicialis*, ſeù *deciſiva*, cui neceſſariò eſt acquieſcendum, & talis eſt quæ fit à Superiore legitimo habente poteſtatem ad iuridicè declarandum. Alia eſt *doctrinalis, magiſtralis*; ſeù *Scholaſtica*, & talis eſt quam poſſunt, àc ſolent dare ſapientes, & Magiſtri, quæ ſolam probabilitatem affert, non verò neceſsitatem: unde ei neceſſariò adhærendum non eſt, niſi concurrat communis Doctorum conſenſus, aùt alia meliora Iuris fundamenta non ſupperant.

39 Dicimus primò: nulla poteſtas humana poteſt propriè, directè, & formaliter diſpenſare aliquod præceptum proprium legis naturæ; aliqua tamen præcepta eiuſdem legis poſſunt per homines diſpenſari indirectè, materialitèr, & impropriè. Utraque pars eſt ſatis communis, & ſic conciliantur contrariæ apparentèr opiniones. Prob. 1. pars primò ex D. Bernardo allegato in num. 25. ubi loquens de præceptis legis naturalis, & ſecundæ tabulæ Decalogi, inquit: *quæ & ſi nullam prorſùs humanam diſpenſationem admittunt, nèc cuiquam hominum ex his aliquo modo ſolvere, aùt licuit, aùt licebit*: ergo talia præcepta nequeunt propriè diſpenſari ab aliqua poteſtate humana. Prob. ſecundò ex Subt. Doct. in 4. d. 15. q. 3. num. 8.: nullus inferior poteſt diſpenſare in lege ſuperioris: ergo nulla poteſtas humana poteſt propriè diſpenſare aliquod præceptum legis naturæ. Antec. patet, quia *lex Superioris per inferiorem tolli non poteſt*; ut dicitur in Clem. *Ne Romani de Elect.*. Conſeq. infertur legitimè, quia quodlibet præceptum proprium legis naturę eſt ſtatutum à Deo ut ſupremo Legiſlatore.

40 Prob. tertiò eadem pars: ſi Principes ſæculares, vèl Summus Pontifex haberent poteſtatem propriè diſpenſandi in lege naturæ, maxime in præceptis ſecundæ tabulæ; ſed in his non poſſunt diſpenſare; ſiquidem nequeunt dare facultatem occidendi innocentem, for-

nicandi, accipiendi bona proximi, &c.: ergo. Prob. 4.: quilibet Principes, & ipſe Summus Pontifex ſubduntur, & obligantur vi coactiva ſervare præcepta juris naturæ; ergo nequeunt in eis diſpenſare. Antec. patet; quia talia præcepta obligant omnes prorſus homines rationis compotes. Conſeq. eſt legitima; nam qui ſubduntur præceptis, & tenentur ea ſervare, nequeunt relaxare ipſorum obligationem. Prob. 5. diſpenſatio propria, & formalis pendet à ſola voluntate ſuperioris eximentis aliquem ab obligatione legis, abſque mutatione materiæ, vel alicuius circunſtantiæ, & ſine cauſa iuſta, quæ non requiritur ad hoc ut talis diſpenſatio ſit valida; ſed nec ſummus Pontifex valet diſpenſare prædicto modo in lege naturæ, nec etiam in jure Divino poſitivo: ergo. Prob. min.: ille tantùm poteſt ſola ſua voluntate tollere obligationem legis, à cuius voluntate inducitur, & pendet obligatio ipſius legis; vel eius ſuperior, aut Succeſſor in jurisdictione æqualis; ſed obligatio legis naturę, & juris Divini poſitivi inducta fuit, & pendet ex ſola voluntate Dei ut ſupremi Legiſlatoris, minimè verò à voluntate ullius Pontificis: erg. Prob. 6. ideò apud aliquem hoc ineſſet poteſtas propriè diſpenſandi in jure naturæ, quia id eſſet neceſſarium ad convenientem gubernationem; ſed ad iſtam ſufficit poteſtas diſpenſandi tantùm indirectè, & impropriè; ut infrà conſtabit: ergo.

41 Prob. 2. pars primò: diſpenſario impropria, materialis, & indirecta eſt, qua vèl ex mutatione materiæ, aùt alicuius circunſtantiæ vel ex iuſta cauſa occurrente, declaratur præceptum non obligare, ſeù fit declaratio juris pro illo caſu non obligantis; ſed datur poteſtas humana, maximè in ſummo Pontifice, valens prædicto modo diſpenſare in jure naturæ: ergo eius præcepta poſſunt impropriè diſpenſari poteſtate humana. Prob. min.: datur in ſummo Pontifice poteſtas declarandi, iuramenta, & vota, quorum obligatio eſt de jure naturæ, non obligare ex aliquibus occurentibus circunſtantijs; aùt ea commutandi in melius, vèl æquivaleus; ac etiam remittendi, vel condonandi ex iuſta cauſa jus, eſt debitum ortum ex promiſsione voventis vèl iurentis; imo, & diſſolvendi vinculum matrimonij rati, ſeù nondum conſummati, quo diſſoluto ceſſat obligatio naturalis inter coniunges; & ita ſimiliter in alijs caſibus, qualiter refertur factum à ſummis Pontificibus: ergo.

42 Prob. ſecundò eadem pars

pars,& simùl conf. probat. præcedens:non debemus, nec possumus negare summo Pontifici, utpote Ecclesiæ capiti, illam potestatem, quam possumus absque ullo absurdo concedere, quæque sit valdè expediens ad Ecclesiæ gubernationem;sed ipsum posse dispensare impropriè, & indirectè in pluribus, quæ sunt de jure naturæ,nullum est absurdum, & est valdè expediens ad regimen Ecclesiæ: ergo. Mai. constat; quia in illis verbis Christi D. ad Petrum,& successores istius, scil. : *pasce oves meas. Et quodcumque solveris super terram, erit solutum, & in cœlis* : intelligitur tradita potestas, quæ cum nullum involvat absurdum, est necessaria, ac maximè expidiens ad regimen Ecclesiasticum. Prob. min. quoàd 1. part. : nullum est absurdum in eo, quod. absque mutatione intrinseca, seù revocatione, aùt relaxatione juris naturæ, declaret homo habens supremam potestatem in terris, tale jus in aliquibus casibus non obligare ex mutatione materiæ, vel alicuius circunstantiæ; nec etiam in eo quod ipse ex iusta causa mutet materiam, aliundè eius jurisdictioni subiectam; sed hoc est dispẽsare impropriè,& indirectè: ergo nullum est absurdum in eo, quod summus Pontifex ità dispenset in pluribus de jure naturę.

43 Prob. min. quoàd 2. part. : valde expediens ad convenientem gubernationem est, quòd detur inter homines suprema potestas declarandi, jus naturæ in his, aùt in illis casibus, vèl circunstantijs non obligare, vèl mutandi ex iusta causa aliquā circūstantiam unde cesset obligatio illius juris, nè sequatur gravissimum incommodū ex illius observatione,aùt nè daretur occasio interpretādi illud privata authoritate: ergo valdè expediens est, dari humanam potestatem dispensandi impropriè, & indirectè in aliquibus spectantibus ad jus naturæ. Sic igitur est intelligendum, dùm dicitur,summum Pontificem dispensare in illis, nempè dispensatione impropria, quæ est declaratio juris; è contra verò in his, quæ sunt solùm de jure Ecclesiastico, potest uti propria, & stricta dispensatione, quæ est revocatio, seù relaxatio juris. Per quod patet solutio ad argum., quæ solent fieri contra 1. part. nostræ resolutionis. Ex quibus.

44 Dicimus 2. : præcepta legis naturę possunt declarari & interpretationem accipere ab homine habente authoritatem ratione superioritatis, vel doctrinæ; eorum autem interpretatio nequit esse propriè epicheia, seù epijteia. Prima

pars

pars eſt communis. Prob. : non omnia præcepta naturalia ſunt æquè nota, nec æquè ad intelligendum facilia, quin potiùs circa multa poteſt dubitari, an ſub quibuſdam circunſtantijs obligent, an ab obligatione ceſſent, ac proinde egent interpretatione; ſed hæc debet ab hominibus præſtari, nàm recurſus ad ipſum Deum immediatè non eſt conſentaneus ordini naturalis: ergo. Declaratur mai.: actus humani quoad honeſtatem, vel malitiam multùm pendent ex circunſtantijs, & occaſionibus operandi, & aliqui illorum requirunt plures conditiones, quàm alij; quare oportet inquirere circunſtantias, & conditiones ſub quibus unuſquiſque actus eſt bonus, vèl malus, præceptus, vèl prohibitus à lege naturali, quæ proinde in multis præceptis indiget declaratione: v. g. in ſeptimo precepto Decalogi non quælibet occiſio hominis eſt homicidium prohibitum lege naturali, ſed illa quæ fit privata authoritate, & per ſe, ſeù ex inſtituto, aùt per modum aggreſionis; non verò illa quæ fit legitima authoritate, vèl per modũ cautæ defenſionis; & ſic de alijs. Talis igitur interpretatio aliquandò pertinet ad authoritatem Superioris, & eſt authentica, iudicialis, deciſiva, ac neceſſaria; aliquandò autèm fieri poteſt per ſolam doctrinam ſine poteſtate juriſdictionis, & eſt tantum doctrinalis.

45 Secunda pars reſolut. eſt contra aliquos, quos citat, & impugnat P. Suarez lib. 2. de Leg. cap. 16. num. 7.. Prob.: in eo differt epicheja à ſimplici legis interpretatione, quòd iſta eſt tantum inquiſitio, & explicatio veri ſenſus legis propter verborum obſcuritatem, vèl ambiguitatem, aùt aliam cauſam ſimilem; epicheja autèm, iuxta Ariſt. lib. 5. ethic. cap. 10., eſt *emendatio legis ex ea parte, qua deficit propter univerſale*; ſeù per quam interpretamur, legem deficere in aliquo particulari proptèr univerſale, id eſt, quia lex lata eſt in univerſali, & in aliquo particulari ita deficit, ut iuſtè in illo ſervari non poſsit; ſed lex naturæ nec eſt emendabilis, nèc deficere poteſt propter univerſale: ergo licet admittat ſimplicem interpretationem, minimè vero epichejam propriè, & ſtrictè talem. Prob. min. quoad 1. part.: lex naturalis conſiſtit in voluntate, ſeù ordinatione Divina intimata per rectam rationem circa iuſtum naturale, ab intrinſeco, & ex natura rei; ſed hoc ipſo nequit emendari, nàm recta ratio proùt talis, nequit a vero deficere, nec iuſtũ naturale poteſt

à

à iuſto deflectere, niſi propter mutationem materiæ, aùt alicuius circũſtantiæ, vi cuius deſinat eſſe idem iuſtum legale, & extrahatur ab obiecto legis: ergo lex naturæ non eſt emendabilis. Prob. illa min. quoad 2. part.: lex naturalis, & recta ratio ipſam proponens, non fertur in univerſale prout poteſt deficere, ſed prout particularitatum, & affectum his circunſtantijs, cùm quibus nunquam deficit, & ſub quibus actus præceptus eſt neceſſario bonus, àc actus prohibitus eſt neceſſariò malus; nàm alias non eſſet dictamen neceſſariò verum, nèc rectum, nec continens naturale præceptum: ergo lex naturæ non poteſt deficere propter univerſale.

46 Argues contra 2. part. huius 2. reſolut.: præceptum v. g. non furandi eſt de lege naturæ; ſed iſtud admittit interpretationem per epichejam, qua declaratur, illud non obligare in caſu, quo quis aliquid alterius accipit in extrema neceſsitate: ergo epicheja habet locum in lege naturæ. Reſp. neg. min.; quia dùm quis declarat, quod per illud præceptum: *non furaberis*: non eſt prohibitum accipere aliquid alterius, ad ſe ipſum in extrema neceſsitate ſuſtentandum; illa declaratio non eſt propriè epicheja, ſed pura intelligentia, àc ſimplex interpretatio ſenſus legis; nàm dum fit mutatio in obiecto, vèl circunſtantijs intrinſecis, propter quam actus deſinit eſſe malus, & in lege compræhenſus, atque ab ipſa prohibitus; tunc propriè non eſt epicheja, cùm non verſetur circa materiam a lege compræhenſam seu omni eius circunſtantia intrinſeca, ſed eſt declaratio materiæ legis, ſeù inquiſitio, & intelligentia veri ſenſus eiuſdem. Per quod patet ad alia argum.; quæ ſolent adducere Contrarij.

DISPUTATIO. III.

De lege Divina Poſitiva.

QUÆST. I.

An ſit ſufficiens, & adæquata diviſio Legis Divinæ poſitivæ in Veterem, & Novam?

1 EXplicata Lege Naturali, quæ ex ſuppoſitione liberæ conditionis creaturæ rationalis lata eſt neceſſariò à Deo Authore naturę, àc dirigit homines ad finem naturalem; venit agendum de Lege Divina poſitiva, quæ liberè condita, & lata eſt à Deo Authore ſupernaturali, atque conducit in ordine ad ſupernaturalem finem creaturæ rationalis. Et quia hęc Lex di-

vi-

viditur communitèr in Veterē, ſeu Moſaycam, & in Novam, ſeù Evangelicam, ideo nùnc inquirimus: an talis diviſio ſit ſufficiens, & adæquata? ſeu, àn ante Legem Moſaycam fuerit aliqua Lex Divina poſitiva? Pro cuius reſolut. ſuppo-nimus, legem poſſe ſumi dupliciter. Primò latè, ſcil. pro quolibet præcepto particulari impoſito, & intimato uni; vèl pluribus hominibus ſeorſim, & præciſivè à coadunatione ipſorum per modum integri cætus conſtituti ſub uno ſtatu. Secundo ſumitur lex collectivè, & ſtrictè, nempè pro agregatione plurium præceptorum, vèl legum partialium, prout ab uno Legiſlatore traduntur in ordine ad conſtituendum integrum cætum, rempublicam, vel congregationem humanam ſecundùm aliquem peculiarem ſtatum: Hoc ſuppoſito.

2 Dicimus: diviſio Legis Divinæ poſitivæ in Veterem, & Novam eſt ſufficiens, & adęquata. Seù, ante legem Moſaycam non fuit aliqua lex Divina poſitiva. Ita communitèr S.S. P.P., & Theologi. Prob. primò: in ſacra Scriptura tantùm fit mentio de Lege Veteri per Moyſem intimata, & de Lege Nova per Chriſtum conſtituta; ita ut nulla alia nominetur lex Divina poſitiva: ergo. Prob. 2.: lex poſitiva Divina, propriè ſumpta, ſignificat jus quoddam integrum, poſitum ab ipſo Deo, continens peculiarem ſtatum, in quo homines ſub ſpecialibus ſignis, ſeù ſacramentis congregentur in unum corpus myſticum in ordine ad Divinum cultum; ſed ante Moyſem non fuerunt homines ità ſpecialiter à Deo inſtituti, aùt congregati in unam rēpublicam, uſque dùm per legem Veterem fuerunt coadunati in Sinagogam, ac poſteà per Novam in Eccleſiam: ergo. Min. conſtat ex dictis num. antec., & patet ex diverſis Scripturæ locis, in quibus collectio pręceptorum Veteris Teſtamenti vocatur *Lex* data per Moyſem, & ſimilitèr collectio omnium contentorùm in Novo Teſtamento nominatur *Lex* lata per Chriſtum. Min. etiàm conſtat ex diſcurſu ſacræ Script., unde patet, quod licèt antè legem præſcriptam Moyſi fuerint plura præcepta data diverſis hominibus; ipſis tamèn non eſt impoſita aliqua lex, ſivè jus integrum; quod eos ad Divinum cultum, & perfectam invicèm concordiam adunaret; quarè totum illud primum tempus uſque ad legem datam Moyſi appellatur *tempus lęgis naturæ*; quia toto illo tempore vigebat ſola lex naturalis cum aliquibus peculiaribus præceptis poſitivis,

quę non conſtituebant legem poſitivam, propriè, & ſtrictè ſumptam.

3 Argues: ex cap. 2. Genes. conſtat, Deum dediſſe homini in ſtatu innocentię legem non comedendi de ligno ſcientiæ boni, & mali. Deindè, poſt peccatũ fuit datũ hominibus præceptum de uſu alicuius ſacramenti, quo non ſolùm adulti, ſed etiam infantes poſſent purgari ab originali peccato, ut aſſerit communis doctrina Theologorum. Præterea, antè diluvium fuerunt declarata ut munda quædam animalia, quędam verò ut inmunda; prout conſtat ex cap. 7. Genes.. Ulterius, poſt diluvium legimus in cap. 9. Genes., fuiſſe à Deo datũ illud præceptum non comedendi carnem cum ſanguine. Denique, lex Circunciſionis multò antè Moyſem data fuit Abrahæ, ut conſtat ex cap. 17. Genes.; ſed hæc omnia non ſunt de lege naturæ: ergo ex lege Divina poſitiva, quæ fuit data ante Moyſem. Conf.: lex Divina poſitiva non minùs fuit neceſſaria, vèl utilis antè Moyſem, àc poſt illum: ergo ante ipſum fuit talis lex data à Deo. Prob. antec.: neceſsitas, vèl utilitas legis promulgatæ per Moyſem fuit inſtruere homines, non ſolùm in his quæ ſpectant ad naturalem, & neceſſariam rectitudinem, ſed etiam in alijs, quæ pertinent ad Divinum cultum, & iuſtam politiam ipſorum hominum; ſed hoc tùm neceſſarium, vèl utile fuit ante Moyſem, àc poſt illum: ergo.

4 Ad arg. reſp. ex dictis num. 2., quod illa fuerunt quędam ſingularia præcepta opportuna pro illo tempore, & peculiari neceſsitate; non autem fuit jus integrum, ſivè lex data ad conandum populum ſecundùm peculiarem ſtatum. Præceptum autem Circunciſionis fuit quædam inchoatio Veteris legis, quę à Deo ſingulari ratione fuit anticipata per aliquod tempus ſufficiens ad multiplicationem populi, quem ſibi peculiariter congregabat, & cui poſtea lex danda erat. Ad confirm. neg. antec., & min. probat.; quia lex Divina poſitiva, prædicto modo ſumpta, non fuit neceſſaria ſimpliciter. ſed ad melius eſſe; quod beneficium noluit Deus conferre hominibus pro illo tempore ante Moyſem, quia non ita congruum erat pro illo tempore, atque adeò nec ita utile ad finem præordinatum iuxta conſilium voluntatis, & ſapientiæ Dei.

*** *** ***

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Examinantur præcipuæ difficultates circa legem Veterem.

1 DIfficultas 1.: utrùm lex Vetus fuerit immediatè à Deo data, ita ut fuerit Divina? Aſſert. prima: lex Vetus fuit verè Divina, & à Deo ut Authore, & Legiſlatore proximè, & principaliter lata. Ita de fide omnes Catholici cõtra aliquos Hæreticos, Prob. primò: exodi. cap. 20. in principio legis dicitur: *locutus que eſt Dominus cunctos ſermones hoc*; ſed certum eſt de fide, ipſum unicum verum Deum eſſe Dominum ibi loquentem, ut conſtat ex pluribus Script. locis, in quibus illa vocatur lex, & præceptum Dei: ergo. Conf.: Conc. Toletan. 1. in confeſsione fidei docet: *ſi quis dixerit, vèl crediderit, alterum Deum eſſe priſcę legis, alterum Evangeliorum, anathema ſit.* Et Conc. Trid. ſeſſ. 4. definit, unum eſſe authorem utriuſque teſtamenti: ergo. Prob. 2.: ideò, iuxta Hæreticos, lex Vetus non eſt verè Divina, & lata ab unico vero Deo, quia, iuxta illos, datur alter Deus crudelis, vindex, & author veteris teſtamenti; ſed hoc figmentum manet refutatum in 1. tom. tract. 1. diſp. 2. quęſt. 4.: ergo. Conf.: ideo, iuxta illos Hæreticos, lex vetus non eſt lata à vero, & bono Deo, quia materia talis legis, ſivè ipſa lex non eſt bona, & ſancta; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min.: tum, quia in Script. dicuntur *beati, & immaculati, qui ambulant in lege Domini*; & ipſa *lex* dicitur *ſancta, & mandatum iuſtum, ſanctum, & bonum.* Tùm, quia præcepta omnia, & tota materia legis erat ſancta, & ordinata ad finem ſanctum; ſiquidem eius finis ultimus fuit ſupernaturalis fælicitas illius populi, acquirenda per bonos mores, & veram ſanctitatem; atque etiam finis proprius veteris legis fuit maximè diſpoſitio, & præparatio hominum ad Chriſti Adventum; undè in Epiſt. ad Rom. cap. 10. dicitur *finis legis Chriſtus*: ergo illa lex fuit reverà bona, & ſancta.

2 Argues 1.: illa lex non eſt à Deo, quæ non concordat legi æternæ; ſed talis fuit lex vetus: ergo. Prob. min.: *lex æterna* (inquit M.P. Aug. de libero arbit.) *iubet amorem avertere à temporalibus, & emundatum ad æterna convertere*; ſed lex vetus convertebat animum ad temporalia, quæ eius obſervatoribus promittebat; ut conſtat ex pluribus eius locis: ergo. Reſp. conceſ. mai., neg. min.; ad cuius probat. explic. mai.:

mai.: lex æterna iubet amorem inordinatum avertere à temporalibus,& emundatum ad ęterna ultimatè, & præcipuè convertere, conc.; iubet amorem, etiam ordinatum, avertere omnimode à temporalibus, & ad æterna præcisè convertere, neg. mai.; & dist. min.: lex vetus convertebat ad temporalia ordinata ad æterna, conc. min.; convertebat ad temporalia inordinata, & propter se ipsa,neg.min.; & conseq.

3 Argues 2.: Deus impossibilia non præcipit; sed D. Petrus legem veterem vocat iugum importabile, ut constat ex cap. 15.Act. Apostolorum, ubi dicitur: *Nunc ergo quid tentatis Deum imponere iugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus*: ergo lex vetus non fuit à Deo. Resp. conces. mai., dist. min.: D. Petrus legem veterem vocat iugum importabile, id est, durum, & difficile, iuxta conditionem servilem, & ad duritiam Israelitarum, conc., vocat iugum importabile, id est, observatu impossibile, neg. min.; si quidem Deuteron. cap. 30. dicitur: *Mandatum, quod ego præcipio tibi hodie, non est supra te.*

4 Argues 3.: lex vetus continebat prȩcepta non bona, & præcipiebat sacrificia Deo ingrata, & invisa: ergo talis lex non fuit à Deo.Prob.antec.: Ezech. cap. 20. dicitur: *ego dedi eis præcepta non bona, & iudicia, in qnibus non vivent, & polui eos in muneribus suis.* Et Isaiæ cap. 1. dicitur: *Quid mihi multitudo victimarum vestrarum? Incensum abominatio mihi est. Calendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea*: ergo. Conf.: plura in lege veteri fuerunt inordinata, & ideò à Christo D.fuerunt correcta: ergo illa non fuit à Deo, cuius omnia perfecta sunt opera. Prob. antec.: in lege veteri locum habebit pęna talionis, libellam repudij, odium inimicorum, & alia huiusmodi, quæ improbat, & corrigit Christus D. cap. 5. Math.: ergo. Urgetur: in Epist. ad Rom. cap.5. dicitur: *Lex subintravit, ut abundaret delictum.* Et ad Galat. cap. 3. habetur: *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt*: ergo lex illa, utpote inductiva ad peccatum, & maledictionem, non fuit à Deo.

5 Ad argumentum. resp. 1. ex D. Ambros. dist. antec.: continebat præcepta non bona comparative, id est, non ita perfecta; & præcipiebat sacrificia Deo ingrata, id est, non ita grata, sicut in lege Evangelica, conc. antec.; continebat præcepta absolute non

bona,

bona, & ſacrificia ſimplicitèr Deo ingrata, neg. antec., & conſeq.. Reſp. 2. neg. antec.; ad cuius probat. ex illo Ezech. dicimus cum D. Hieronymo *ſermonem non inſtitui de lege veteri, ſed de legibus iniquis tyrannicis, & impijs Gentilium, quibus Iudæi diſperſi, ac vagabundi propter ſuas iniquitates iuſto Dei iudicio premebantur, & puniebantur*; ita ſcil. permittente Deo, ut inquit ipſe D. Hieron., & conſtat ex ipſo textu, ubi dicitur: *Eò quod iudicia mea non feciſſent, & præcepta mea reprobaſſent; & ſabbata mea violaſſent, & poſt idola patrum ſuorum fuiſſent oculi eorum. Ergo & ego dedi eis præcepta non bona &c.; propter delicta ſua.* Ad illud Iſaiæ dicimus, quod per illa verba, & alia ſimilia prædicitur, illa ſacrificia ceſſatura tempore legis Evangelicæ; minimè verò denotatur, quod illa fuerint mala tempore legis Veteris. Deinde, non probantur ſacrificia ipſa, ſed perverſitas offerentium, ut conſtat ex ipſo textu, ubi additur: *manus enim veſtræ ſanguine plenæ ſunt.*

6 Ad conf. diſt. antec.: plura in lege Veteri fuerunt inordinata, id eſt non plenè perfecta, & ideò à Chriſto fuerunt correcta, id eſt facta perfectiora, conc. antec.; fuerunt inordinata, id eſt, abſolutè prava, & imperfecta, ſubdiſt.: ex perverſa expoſitione aliquorum judęorum, quàm Chriſtus D. correxit explicando ipſam legem, conc.; ex inſtituto, ſeù præſcripto ipſius legis, neg. antec.; per quod patet ad eius probat.. Ad argent. explic. illud ex epiſt. ad Rom. ex eodē Apoſt. ibi cap. 4. & 7.: *lex ſubintravit, ut abundaret delictum*, ly *ut* conſecutivè, vèl occaſionaliter ſumpto, denotando quid evenerit data lege, & quid ipſa demonſtraverit, conc.; ly *ut* cauſalitèr accepto, ita ut ſignificet quid lex efficerit, ſeù legem eſſe cauſam peccati, neg. hunc eſſe ſenſum Apoſtoli. Ad aliud ex Epiſt. ad Gal. dicimus ex ipſo cōtextu, quod qui ex operibus legis erant ſine fide, ſub maledicto erant; non vero qui cùm fide erant ex operibus legis, ita ut hæc ex ſe induceret maledictionem. Vèl erant ſub maledicto pœnæ propter leges aggravantes, & punientes; non verò ſub maledicto culpę. vèl qui tempore legis Evangelicæ ſunt ex operibus legis Veteris, ſub maledicto ſunt; non autem pro tempore, quo lex illa viguit.

7 Aſſer. 2.: lex Vetus data eſt à Deo per miniſterium Angelorum. Eſt commune. Prob.: in Actis Apoſt. cap. 7. dicitur;

His

Hic eſt (nempè Moyſes), *qui fuit in Eccleſia in ſolitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte ſinay, & cum patribus noſtris; qui accepit verba vitæ dare nobis.* Et in Epiſt. ad Hebr. cap. 2.: loquens Apoſtolus de lege Veteri, ait: *ſi enim qui per Angelos dictus eſt ſermo.* Unde D. Dionys. lib. de cæleſti Hierarch. inquit: *Lex, ut Divina ſcriptura teſtatur, per Angelos nobis data eſt*: ergo. conf. ex Apoſtolo cit.: congruentiſſimum eſt, quod cùm lex Nova, utpote lex gratiæ, foret immediatè danda per ipſum Dominum, nempe Verbum caro factum; lex autèm Vetus, utpote ſervilis data fuerit per Angelos, tanquam miniſtros, & ſervos. ergo data eſt miniſterio Angelorum.

8 Argues: ille, qui loquebatur Moyſi, præſcribendo ipſi legem, ſe Deum, & Dominum nominavit, dicens: *ego ſum Dominus Deus tuus*: ergo lex Moyſi data eſt immediatè à ſolo Deo, & non per Angelos. Reſp. diſt. antec.: qui loquebatur Moyſi, ſe nominavit relativè, & repreſentativè Deum, in cuius nomine loquebatur, conc. antec.; ſe nominavit eſſentialitèr, & quiditative Deum, qui loqueretur immediatè per ſe ipſum, neg. antec.; & diſt. conſeq.: lex Moyſi data eſt immediate authoritativè, & principalitèr, à ſolo Deo, & non per Angelos; conc. conſeq.; etiàm miniſterialitèr, neg. conſeq.. Ait igitur D. Greg. Magnus in præfat. Lib. Iob. cap. 2.: *Angelus, qui Moyſi apparuiſſe ſcribitur, modò Angelus, modò Dominus memoratur; Angelus proptèr hoc quòd exteriùs loquendo ſerviebat; Dominus autèm dicitur, quia interiùs præſidens loquendi efficaciam miniſtrabat. Cùm ergo loquens ab interiori regitur, & per obſequium Angelus, & per inſpirationem Dominus appellatur.*

9 Aſſer. 3.: lex Vetus data eſt per Moyſem, tanquàm per proximũ promulgatorem reſpectu totius populi Iſrael; non verò tanquam per authorem legis, Utraque pars eſt communis. & de fide. Prob. 1. pars: Malachiæ cap. 4. dicitur: *Mementote legis Moyſi ſervi mei, quam mandavi ei in Horeb.* Lucæ cap, 2.: *ſecundum legem Moyſi* & Ioan cap. 1.: *lex per Moyſem data eſt.* Quæ verba ponderat clemens Alexandro. lib. 1.: Pedagogi cap. 7., & ait: non dixiſſe *factam* ſicut dixit de Chriſto reſpectu legis gratiæ ſed *datam*, quia Moyſes ab alio legem accepit, ut eam hominibus daret: ergo Moyſes fuit promulgator talis legis. Conf.: ad ſuavem Dei providentiam pertinet, homines per

homines gubernare, quamvis ſupremos Principes per Angelos alloquatur, & illuminet: ergo. Prob. 2. pars aſſert.: tum, quia quotieſcumque in Scriptura fit mentio de præceptis, nedùm moralibus, ſed etiam cæremonialibus, & iudicialibus veteris legis, ſemper dicitur: *Locutus eſt Dominus, ad Moyſem: hæc dices filijs Iſrael*: *Locutus eſt Moyſes ad filios Iſrael omnia, quę præceperat ei Dominus.* Tum, quia Deus fuit Author totius legis Veteris, ut conſtat ex 1. aſſert.: ergo non fuit Moyſes; quia unica lex unum tantùm habet authorem. Tùm, quia ſi Moyſes fuiſſet author illius legis; ab illius humana voluntate habuiſſet vim obligandi, ac proinde fuiſſet lex humana: ergo non Divina, quod eſt contra 1. aſſert.; vèl eſſet ſimul Divina, & humana, quod repugnat.

10 Argues. lex Vetus plerumquè vocatur lex Moyſi; unde à pluribus apellatur non ſolùm Promulgator, ſed etiam Legiſlator: ergo aliqua ſaltem illius præcepta fuerunt inſtituta à Moyſe authoritate propria. Conf.: præceptum, vèl permiſsio de libello repudij non à Deo, ſed à Moyſe datum eſt, iuxta illud Mathæi cap. 19. *Quoniam Moyſes ad duritiã cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras; ab initio autem non fuit ſic*: ergo Ad argum. diſt. antec.: vocatur lex Moyſi, tanquam promulgatoris, & ſimùl lex Domini, tanquam Authoris, conc. vocatur præcise lex Moyſi, tanquàm authoris neg. antec., & conſeq.. Ad conf. neg. antec., quod non probatur ex illo teſtimonio D. Math.; nàm ex verbis *Moyſes mandavit*, & *permiſit*, minimè infertur, illum fuiſſe authorem talis mandari, vel permiſsionis, quod non fecit propria ſed Divina authoritate; ſicut ex eo quod Marci cap. 11. dicitur: *Moyſes enim dixit, honora patrem tuum*: non infertur, tale præceptũ fuiſſe à Moyſe inſtituũ propria authoritate, ſiquidem dicitur etiam ibi: *irritum feciſtis præceptum Dei.* Nec aſſumptum argum. probatur ex illis verbis: *ab initio autem non fuit ſic*; nam licet Deus ab initio illud non conceſſerit, vèl permiſſerit; potuit tamèn poſteà ad duritiam cordis eorum, & ad maiora mala vitanda, illud permitere, & per Moyſen promulgare, vèl concedere.

11 Diffic. 2.: quot, & quę fuerint præcepta legis Veteris? Reſp.: omnia illa fuerunt triplicis generis, ſcil. *moralia, ceremonialia*, & *iudicialia.* Conſtat ex illo Deuteron. cap. 5.: *Loquar tibi omnia mandata mea*

mea, & ceremonias, atque iudicia. Et ibidem cap. 6.: *Hæc ſunt præcepta, ceremoniæ, atque iudicia, quæ mandavit Dominus Deus veſter, ut docerem vos.* Prob. ratione: finit legis Veteris erat dirigere Populum Iudicum, & ipſum convenienter ordinare, tùm in his quæ ſpectant ad rectitudinem naturalem rationis humanæ, tùm in his quæ pertinent ad Divinum cultum, tùm etiam in illis quæ concernunt iuſtam politiam, & gubernationem; ſed ad primum data fuerunt præcepta moralia, quæ omnia ſaltèm implicitè, & virtualiter continebantur in Dei alogo, quibus homo dirigitur ad faciendum per ſe bonum, & ad fugiendum per ſe malum, quatenus eſt privatus homo; ad ſecundum autem data fuerunt præcepta ceremonialia, quæ determinant modum, & opera exteriora quibus Deus ſit colendus; ad tertium denique collata fuerunt præcepta iudicialia, quibus dirigunturhomines ad ſocietatem fovendam, & iuſtitiam inter ſe ſervandam: ergo convenienter aſsignantur talia præcepta. Conf.: per talia præcepta ſimul ſumpta homo convenienter ordinabatur circa ſe ipſum, circa Deum, & circa proximum; ut eſt manifeſtum: ergo convenienter adſ[illegible] triplex genus relatum illorum præceptorum.

12 Dices 1.: lex vetus, utpotè poſitiva, diſtinguitur à lege naturæ; ſed præcepta moralia pertinent ad legem naturę: ergo non pertinent ad legem Veterem. Conf.: ibi lex Divina poſitiva debuit ſubvenire homini, ubi deficit, ſive non pervenit ratio naturalis; ut patet in his quæ ad fidem pertinent, quæ ſunt ſupra rationem; ſed humana ratio videtur ſufficere ad præcepta moralia: ergo iſta non ſunt de lege Veteri; quæ eſt Divina poſitiva. Ad arg. diſt. mai.: lex Vetus diſtinguitur à lege naturæ, tanquàm aliquid ei ſuperaddens, conc. mai.; lex Vetus diſtinguitur tanquam omninò aliena à lege naturæ, neg. mai.; & conceſſa min., neg. conſeq.; quia præcepta unius legis poſſunt etiam pertinere ad aliam, ſeù cadere ſub illa, ſivè ut inducente novam obligationem, ſivè ut declarante præcepta, & obligationem alterius legis. Ad confirmat. neg. mai.; quia conveniens erat, quòd lex Divina poſitiva provideret homini, non ſolùm in his, ad quæ non poteſt ratio naturalis, ſed etiam in illis, circa quæ poſſet ipſa ratio impediri, vèl errare, aut non ita clarè, & facilè pertingere: ut contingeret circa præcepta moralia, licet aliàs

ſint de lege naturæ. Sicut etiàm inter credenda proponuntur nobis, non ſolum ea, ad quæ non poteſt ratio naturalis attingere, ut Deum eſſe Trinum; ſed etiam illa, ad quæ recta ratio poteſt attingere, ut Deum eſſe Unum; ad excludendum humanæ rationis errorem, qui accidebat in multis, prout docent Angel., & ſubt. Mag.

13 Dices 2.: omnis lex, quæ datur hominibus, eſt directiva actuum humanorũ, ſivè moralium, & regulativa morum humanarum: ergo videtur, quòd in lege Veteri non niſi præcepta Moralia debeant aſsignari. Conf.: præcepta, quę dicuntur cæremonialia, pertinent ad Divinum cultum, & ad virtutem Religionis; atque præcepta, quę dicuntur iudicialia, pertinent ad virtutem iuſtitiæ; ſed actus Religionis, & iuſtitiæ, ſicut, & actus aliarum virtutum, pertinet ad præcepta Moralia: ergo præter iſta non bene aſsignantur alia diverſa. Urg.: cultus Deo debitus, & ordo iuſtitiæ ſervandus erga proximos, per legem naturalem, & præcepta moralia præſcribuntur: ergo præter talia præcepta non debuit lex Vetus continere cæremonialia ordinata ad exhibendum Deo cultum, nec iudicialia ad ſervandam iuſtitiam proximorum.

14 Reſp. ad arg. conceſs. antec., neg. conſeq.; quia licet omnia præcepta legis Veteris poſsint dici moralia ſub generali, & lata ſignificatione, quatenus omnia erant de moribus hominum; non tamen ſtrictè, & ſpecialitèr, quatenùs moralia dicuntur illa quæ dirigunt nominem ad exequendum actiones per ſe bonas, & neceſſarias ad rectitudinem moralem ipſius, atque abſtinendum à per ſe malis, & neceſſariò impedientibus honeſtatem moralem illius.; ſeù quæ dirigit hominem ad faciendas actiones, à quibus per ſe, & neceſſariò homo dicitur bonus, & abſtinendum ab illis, à quibus etiam per ſe, & neceſſariò denominatur malus; ſiquidem non omnia præcepta legis Veteris ſic dirigebant hominem, ut ex ipſis patet. Ad conf. diſt. mai.: præcepta cæremonialia pertinent ad Divinum cultum, & ad virtutem Religionis in particulari, & tãquam eius determinationes, nempè quòd tali modo, tali tempore, &c. colatur Deus; àc ſimilitèr præcepta iudicialia pertinent ad virtutem iuſtitiæ in particulari, & tanquàm determinationes præſcribentes modum, & circunſtantias adminiſtrandi iuſticiam, conc. mai.; pertinent ad tales virtutes abſolutè, ſimplicitèr, &

in

in generali, neg. mai.; & distincta similiter min., neg conseq.; quia sicut determinationes legis naturæ, quæ fiunt per legem humanam, distinguuntur à præceptis legis naturæ, & pertinent ad jus positivum humanum: ita determinationes legis naturę, quæ fiunt per legem Divinam positivam sunt diversæ à præceptis moralibus legis naturę, & Divinę positivæ illam declarantis. Per quod patet ad urgent.; quia licèt cultus Dei, & ordo iustitiæ, simpliciter, absolutè, & in generali, præscribantur per legem naturæ, & præcepta moralia; tamèn modi, & determinationes particulares tribuendi cultum Deo, & exercendi iustitiam, pertinent ad distincta, & peculiaria præcepta, scil. cæremonialia, & iudicialia.

15 Diffic. 3.: àn, quomodò, & quos obligaverit lex Vetus? Dicimus primò: quāvis in lege Veteri contenta fuerint quædam consilia; tamèn quoad plurima obligavit in conscientia, nedùm quoad præcepta moralia, & cæremonialia, sed etiam quoad iudicialia. Est commune. Prob. 1. pars: lex Vetus passim indicat, vota esse gratissima Deo, proindeque tacitè consulit illa; ac etiam meminit plurium oblationum, & sacrificiorum gratuitorum, rituſque ipsorum describit, atque adeò illa implicitè consulit: ergo aliqua consilia continebantur in Veteri lege. Prob. 2. pars: lex Vetus, etiam quoad iudicialia, lata est sub terminis præceptivis, & in materia capaci obligationis in conscientia, id que à Deo, cui maximè competit talem obligationem imponere: erg. dicendum est, ita de facto obligasse; cùm non adsit alia via colligendi talem obligationem, quàm ex modo ita præcipiendi; & aliàs neque Deus ipse, neque Moyses contrarium expresserit. Antec. constat; quia omnia præcepta, etiàm iudicialia, imposita sunt eodem tenore, ut patet ex cap. 8. Deuteron.; & illorum observatio exigitur æqualitèr, & sub ijsdem comminationibus; ut constat, ex cap. 4. & 28.: Deuteron.

16 Objc.: præcepta iudicialia imposita unicè fuerunt sub comminatione pœnæ temporalis: ergo ad solam istam ligabant, & non in conscientia, sivè ad culpam. Conf. finis præceptorum iudicialium erat politicus: ergo in conscientia non obligabat eorum adimpletio. Ad obiect. resp. ex Subt. Doct. in 3. d. 40. q. un. num. 2. neg. antec.; quia licèt præcepta iudicialia (paritèr ac cæremonialia, & moralia) im-

poſita fuerint ſub comminatione pœnę temporalis ; non tamèn ſub ſola illa, ſed etiàm ſub comminatione pœnæ æternæ, àc proinde ſub obligatione in conſcientia, & ad culpam. Imo ex gravitate pœnæ temporalis, ſtatutæ per legem, colligitur etiam interminatio pœnæ æternæ, & obligatio in conſcientia ; ut notat Herincx ex ſubt. Doct.. Ad conf. diſt. antec. : finis non ultimus præceptorum iudicialium erat politicus, conc. antec. ; finis ultimatus, neg. antec. ; nam talis finis erat beatitudo ſupernaturalis, quam Iudæi poterant mereri, & conſequi debita illorum obſervatione ; & cùm media ad finem politicum poſsint etiàm ab homine præcipi ſub peccato, multò magis à Deo.

17 Dicimus 2. : præcepta legis Veteris ex genere ſuo obligabant graviter, & ſub mortali. Ita ſubt. Doc. loco cit.. Prob. : in materia ex ſe gravi, & capaci gravis obligationis, cenſetur Legiſlator obligare graviter ; ſed materia legis Veteris, utpotè in ſe gravis, erat capax gravis obligationis: ergo. Conf. : gravitas pœnæ taxatæ tranſgreſſoribus legis denotat eius gravem obligationem ; ſed tranſgreſſoribus legis Veteris ſunt impoſitæ pœnę graviſsimæ : ergo. Diximus *ex genere ſuo* ; nàm aliundè ex parvitate materiæ, vel ex defectu plenæ deliberationis, aut libertatis, poſſet tranſgreſſor excuſari à mortali.

18 Dicimus 3. : lex Vetus, per ſe loquendo, obligabat ſolos Hæbreos. Eſt etiam commune, & aſſeritur à Subt. Doct. in Report. in 2. d. 28. q. un. num. 11. dicente : *Non enim tenebantur tunc ad legem Moiſi, niſi populus Iſraeliticus, & qui volebant eis adhærere.* Prob. : lex non obligat, niſi eos ad quos dirigitur, & quibus promulgatur, ut eſt manifeſtum ; ſed lex Vetus ad ſolos Iudæos fuit directa, & ſolis illis fuit promulgata, ut paſsim conſtat ex ſacra Script., præſertim Deuteron. cap. 4. : ubi dicitur: *Quæ eſt alia gens ſic inclyta, ut habeat ceremonias, iuſta que iudicia, & univerſam legem, quam ego proponam hodie ante oculos veſtros ?* ergo. Diximus *per ſe loquendo* ; quia cuilibet alteri liberum erat recipere legem Moyſis, & populo electo ſe ſe adiungere per circunciſionem, quæ erat ianua Veteris legis, & vi illius teneri ad eius obſervationem. Imò multi Gentiles convenerunt ad Hębreos, & ſe ſubiecerunt legibus eorum.

19 Obiic. : lex Vetus continebat præcepta moralia, quę etiàm erant Iuris naturalis : ergo

go ſaltèm quoàd illa non obligabat ſolos Hæbreos. Conf.: ſi lex Moyſis obligaſſet ſolos Iudæos, Gentes fuiſſent melioris conditionis; ſed hoc eſt falſum, ſiquidem Iudæi appellantur *Populus, & hæreditas Dei, populus electus* &c.: ergo. Prob. mai.: Gentiles ſalvarentur per obſervantiam ſolius legis naturæ, & non eſſent onerati illo intolerabili præceptorum pondere, quod in ſcript. vocatur *ſervitus*: ergò illi, utpote liberi, fuiſſent melioris conditionis, quam Hæbrei, utpote ſervi. Urg.: de omnibus, qui erant extra legem antiquam, ſeù illam non ſervabant, dicitur quòd erant maledicti, ut patet ex illo Deuteron. cap. 27.: *maledictus, qui non permanſerit in ſermonibus legis huius*: ergo omnes abſolute obligabat.

20 Reſp. ad obiect. conces. antec. diſt. conſeq.: ergo quoàd præcepta moralia, ut præcisè erant, & ſunt Iuris naturalis, non obligabat ſolos Iudæos, conc. conſeq.; prout erant Iuris Divini poſitivi Veteris, ſeù per poſitivam iuſsionem appropriata Iudæis, neg. conſeq.. Iudæi igitur duplici titulo adſtringebantur ad ſervanda præcepta moralia; uno quidem communi cum Gentilibus, quatenus illa præcepta erant de jure naturali; & alio ſpeciali, quatenus erant juris poſitivi Divini; ſiquidem erant præſcripta duplici lege, nempe naturali, impreſſa, & promulgata omnibus; & poſitiva Veteri, directa, & promulgata ſolis Hæbreis. Ad conf. neg. mai.; & conces. antec. probat., neg. conſeq.; quia melior conditio non attenditur ex libertate à lege, ſed ex maiori perfectione, & ſantitate ſtatus, licet illi annectantur ſtrictiores obſervantiæ, quibus magis homines coniungantur, & conſecrentur Deo; uti erat de Iudæis in comparatione Gentilium. Ad urgent. diſt. ant.: de omnibus viris Iſrael, ſeù Iudæis, qui erant extra legem, ſeù eam non ſervabant, dicitur quòd erant maledicti, conc. antec.: de omnibus extra viros Iſrael, ſeù Iudæos, neg. antec.; quia textus expreſſe loquitur de Iudeis, ſeu filijs Iſraël.

21 Diffic. 4.: an, quandò, & quomodo lex Vetus abrogata fuerit, & obligare deſierit? Aſſero primò: lex Vetus de facto abrogata eſt, & obligare deſijt. Eſt de fide definita ab Apoſtolis in Conc. Ieroſolymitano, ut conſtat ex Actis Apoſt. cap. 15.. Prob.: illa lex cenſetur abrogata, quæ tantùm duratura erat, & vigere debebat uſque ad inſtitutionem, & promulgationem alterius legis ſuccedentis; ſed lex Moſaica

tantùm vigere debebat uſque ad conſtitutionem legis novę, ſeù Evangelicæ : ergo hac inſtituta, & exiſtente (ut patet nedùm ex tota littera novi Teſtamenti, ſed etiam ex adimplctione prædictionum Teſtamenti antiqui), illa abrogata fuit, & obligare deſijt. Prob. min. omnibus illis teſtimonijs ſacrę Scripturæ, non ſolùm novi Teſtamenti ſed etiam Veteris, in quibus Deus prædixerat mutationem legis, & populi faciendam in adventu Meſsiæ ; maximè cap. 31. Ieremiæ, ubi dicitur : *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Iſrael, & domui Iudà fœdus novum :: Dabo legem meam in viſceribus eorum, & in corde eorum ſcribam eam.* Quem locum expendens D. Paulus in epiſt. ad Hebr. cap. 8. : in fine ait : *Dicendo autèm novum, veteravit priùs quod autèm veteratur, & ſeneſcit, propè interitum eſt.*

22 Obij. 1. : lex Vetus vocatur in ſcript. teſtamentum æternum, & dicitur duratura in perpetuum : ergo non potuit abrogari, nec obligare deſijt. Conf. primò Chriſtus D. cap. 5. Matth. ait : *non veni ſolvere, ſed adimplere* : ergo lex Vetus perſeverat, & eſt cum Evangelij s ſervanda.. Conf. 2. : D. Paulus in epiſt. ad Rom. cap. 3. ait. : *Nunquid legem deſtruimus per fidem? Abſit. ſed legem ſtatuimus* : ergo. Urg. : lex Vetus, utpote Divina, nihil aliud eſt, quàm Divina voluntas, ſeù actus Divinæ voluntatis ; ſed hæc eſt immutabilis : ergo, & illa lex.

23 Ad obiect. explic. antec. : lex Vetus vocatur teſtamentum æternum ſecundum quid, & latè, id eſt longè duraturum, & uſque ad terminum ipſi præfixum (qualiter pluries in ſcript. ſolet accipi *æternum*), conc. antec. ; vocatur teſtamentum æternum ſimpliciter, & ſtrictè, id eſt ſimplicèr, & abſolutè duraturum ſine fine, neg. antec. ; nam ex ipſa Script. conſtat, quod illa lex fuit pręſcripta tantum ad tempus, & *donec veniret ſemen*, nempe Chriſtus, ut inquit D. Paulus ad Galat. cap. 3.. Ad 1. confirm. neg. conſeq. ; quia *ſolvere* non eſt idem ac abrogare, ſed idem ac violare, ſeù tranſgredi legem, quandiu viget ; itaque Chriſtus D. legem Veterem implevit ; tùm quatenùs eam ſervavit quouſque fuit in vigore ; tùm, quatenùs contra verum eius ſenſum nihil docuit ; tùm quatenùs omnia in lege prædicta, & prefigurata, fuerut in ipſo completa ; tùm denique, quatenus explicando, perficiendo vete-

ta, nova que addendo, supplevit ea, quæ deerant perfectioni illius legis. Ad 2.: conf. explic. D. Paulum: *legem statuimus*, id est, implemus, & perficimus, eaquæ per legem antiquatam fuerũt præfigurata, & obumbrata, conc.; *legem statuimus*, id est, observamus præcepta legis adhuc vigentis, neg. hunc esse sensum D. Pauli, qui nostram assertionem expresse tradit pluribus in locis.

24 Ad urgent. dist. mai.: lex vetus nihil aliud est, quam actus Divinæ voluntatis præcisè entitative sumptus, vel ad extra necessariò terminatus, aùt liberè tendens pro semper, sine termino, & in perpetuum, neg. mai.; est actus Divinæ voluntatis liberè tendens, seu volens obligare, & talem legem existere usque ad certũ terminum, & pro tali tempore conc. mai.; & dist. min.: voluntas Divina entitative sumpta, vèl ad extra necessariò terminata, àc etiam libere tendens, seu volens aliquid pro semper, & sine termino, est immutabilis, conc. min.; voluntas Divina liberè tendens, seu volens aliquid pro tali tempore, subdist.: est immutabilis, & indefectibilis adhuc terminativè pro illo statuto tempore, conc.; etiam post illud tempus, neg. min.; & dist. similiter conseq.: ergo & illa lex est immutabilis, seù indefectibilis pro illo tempore, pro quo lata est, conc. conseq.; elapso tempore statuto, seu adimpleto termino à Divina voluntate imposito, neg. conseq.; quia tunc ex præcisa mutatione, vèl successione temporis, seù ex adventu termini præfixi, cessat ipsa lex, seù terminatio actus Divinæ voluntatis, quæ ultrà illum noluit obligare.

25 Objic. 2.: lex semèl lata non cessat, nisi vel per expressam revocationem, vèl per legem posteriorem incompossibilem priori; sed in lege nova, ut lata à Christo D. non invenitur expressa revocatio legis veteris; nèc illæ leges sunt incompossibiles, sed possunt simul observari: ergo posterior non revocavit priorem, saltèm respectu illius populi, quem Vetus obligavit; & consequenter, &c.. Conf.; lex bona, & sancta non debuit abrogari; sed lex Vetus erat bona, & sancta: ergo non debuit abrogari, ac proinde non est abrogata.

26 Ad obiect. resp. ex Exim. Suarez, in primis neg. mai.; quia præter illos duos modos cessationis legis invenitur tertius consistens in eo, quod lex cesset per mutationem, & successionem temporum, per quam completur terminus pro quo lata est, &

ita

ita ceſſavit lex Vetus, quia poſita eſt *donec veniret ſemen*, id eſt Chriſtus, qui eſt finis legis; atque adeo completo illo tempore, & obtento illo fine, debuit ceſſare illa lex abſque alia abrogatione, vel revocatione. Deinde reſp. neg. min.; quia licet Chriſtus D. in tradenda lege Evangelica non expreſſerit formalia verba revocatoria legis Veteris; nihilominùs ſatis indicavit, ſe revocare Vetus teſtamentum, dùm dixit ſe inſtituere novum; & D. Paulus in epiſt. ad Ephes. cap. 2. ait: *Legem mandatorum decretis evacuans.* Neque fuit neceſſaria expreſſa revocatio Veteris per Novam legem, cùm ipſę ſint inter ſe pugnantes; tùm, quia lex Nova traditur à Chriſto ut neceſſaria, & per ſe ſufficiens ad ſalutem, ac proinde ipſi repugnat obligatio, & neceſsitas prioris legis. Tùm, quia obſervantiæ antiquæ legis erant figuræ ſignificantes myſteria futura Meſsiæ; ſacramenta autem legis Novæ repræſentant myſteria illa iàm impleta. Tùm, quia lex antiqua tantùm uni populo data eſt, ut diſtingueretur ab illis Nationibus; lex autèm Evangelica data eſt cunctis Gentibus, ut Eccleſia habens perfectam unitatē congregaretur ex omnibus hominibus. Ad confirm. diſt. mai.: lex bona, non ordinata in aliam perfectiorē, cuius ſit figura, & præparatio, nèc impoſita pro certo termino, non debuit abrogari, conc. mai.; lex bona, ordinata tamèn in aliam perfectiorem, tanquam figura, & prępparatio eiuſdem, & impoſita pro certo tempore, non debuit abrogari, neg. mai.; & ſimiliter diſt. min.; neg. conſeq..

27 Aſſer. 2.: lex Vetus tota abrogata eſt, ſeù quoàd omnia eius præcepta, etiàm moralia, quatenùs iſta erant poſitiva, & veteri Teſtamento propria. Eſt Scotiſtarum cum Subr. Doct. in 4. d. 3. q. 4.; & aliorum. Prob.: textus ſacræ Script. loquentes de abrogatione legis Veteris, abſolutè, & univerſaliter docent, illam, & eius mandata evacuata fuiſſe, ſeù expiraſſe: ergo ita abſolutè, & univerſaliter intelligendi ſunt quoad totam legem, & quoad omnia eius præcepta; nàm ubi Scriptura non diſtinguit, non licet nobis diſtinguere, aùt exceptionem ponere. Conf.: lex Vetus fuit intimata ſolis Iudęis, & ideò per ſe loquendo ſolos illos obligabat; neutiquàm verò alios extra Synagogam: ergo nèc nùnc aliqua eius prępcepta obligant alios in lege Evangelica. Sed neque Iudæi nunc obli-

obligantur præ cæteris ; tùm, quia non eſt ampliùs diſtinctio Iudęi, & Græci; tùm, quia Synagoga, & ſtatus Reipublicæ Iudaicæ, cui lex vetus lata eſt, totalitèr perijt: ergo illa lex totalitèr ceſſavit. Urg.: adveniente termino præfixo legi Veteri, data fuit nova lex Divina, per quam illamet materia præceptorum moralium fuit novo modo, & novo ſpiritu præcepta, & inſtaurata ; ut conſtat ex novo Teſtamento, in quo inſtaurantur ; & ſtabiliuntur prȩcepta moralia pro lege Evangelica, ſicut in Veteri fuerunt conſtituta pro lege Moſaica : ergo adveniente illo termino legis Veteris, & impoſita nova obligatione legis Evangelicæ quoad prȩcepta moralia, ceſſavit lex antiqua ; & eius obligatio quoad illa. Ad modum quo ſi unus Pontifex prȩceptum aliquod imponat pro tempore vitæ ſuæ, & eius Succeſor eandem materiam de novo præcipiat ; licèt eadem materia maneat ſub prȩcepto Pontificio, tamèn veriſsimè dicitur, ceſſaſſe obligationem prioris præcepti, & novam introductam fuiſſe.

28 Obijc.: Apoſtoli, imò, & ipſe Chriſtus D., quandò docent præcepta moralia ſervanda eſſe ſemper allegant verba veteris Teſtamenti, & obligationem Decalogi in lege Nova confirmant, vèl probant ex lege Antiqua ; ut conſtat ex illo Lucæ cap. 10. ubi Legiſperito interroganti: *Quid faciendo vitam æternam poſsidebo?* Dixit Chriſtus D.: *In lege quid ſcriptum eſt* (Et illi reſpondenti : *Diliges Dominum Deum* :: *& proximum tuum, ſicut te ipſum.* Annuit Chriſtus, & ait : *Rectè reſpondiſti ; hoc fac, & vives* : ergo ſignum eſt, quod illa teſtimonia, & præcepta moralia vigent, & obligant in lege Evangelica. Conf. : S.S. Patres, & Theologi utuntur Veteri teſtamento ad probandam obligationem præceptorum moralium ; nàm ut probent v.g. uſuras eſſe illicitas, citant illud Pſalm. 14 : *Qui pecuniam ſuam non dedit ad uſuram* ; & ſic de alijs : ergo.

29 Reſp. ad obiect. diſt. antec.: Apoſtoli, imo,& Chriſtus D., quando docent ſervanda eſſe præcepta moralia, ſemper allegant verba Veteris Teſtamenti, ad ſignificandum quòd eadem materia, quæ erat præcepta in lege Veteri, eſt etiàm inſtaurata, & conſtituta in lege Evangalica, vi cuius poſitivè nunc obligant præcepta moralia, conc. antec. ; ad ſignificandum quod illa præcepta obligent modò ex vi veteris legis ; neg. antec.

tec.; & diſt. ſimiliter coſeq.: ergo ſignum eſt, quòd illa teſtimonia vigent à paritate, & per ſucceſſionem legis novæ loco antiquæ, & quod illa præcepta materialiter eadem obligant ex vi legis Evangelicæ conc. conſeq.; quòd illa teſtimonia vigent intranſitivè prout ſunt legis Antiquæ, & quod illa præcepta formaliter eadem obligant ex vi ipſius legis Veteris, neg. conſeq.. Ad conf. ſimiliter dicimus, quod S. S. Patres, & Theologi utuntur Veteri Teſtamento ad probandam à paritate obligationem poſitivam præceptorum moralium, quæ ſicut tunc mandabantur, & ex vi legis Veteris obligabant Hębreos; ita nunc inſtaurata ſunt, & obligant omnes ex vi legis Evangelicæ; nàm ut ait Subt. Doct. cit. §. *ad argumenta principalia*: *Licet Principibus nunc ſtatuere aliqua, quæ erant in lege Moyſi, & illa ligant authoritate Principis nunc ſtatuentis, non authoritate legis Veteris. Sicut licet uni Regi in regno ſuo ſtatuere legem, quæ eſt in alio regno, ſed illa non ligat ibi, quia lex eſt alterius regni, ſed quia inſtituta hic ab iſto Rege.* Ità igitùr factum eſt in extinctione legis Veteris, & inſtitutione Novæ.

30 Aſſer. 3.: lex Vetus mortua non fuit quoad obligationem, ſeù non deſijt obligare antè mortem Chriſti; nec in eius morte, aut reſurrectione, ſed in die Pentecoſtes, Prima pars eſt cummunis contra paucos. Prob.: Chriſtus D. uſque ad mortem ſervavit legem Moyſis in circunciſione, oblatione in templo, eſu Agni Paſcalis. Item, mundatos à lepra miſsi ad Sacerdotes, ut de ſanatione iudicarent, & præcepit quòd Sacrificium offerrent pro emundatione, iuxta præſcriptum legis. Præterea, docebat ſervare legem Moyſis, dicens: *Super Cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi:: quecumque dixerint vobis ſalite*: ergo. Conf. primò ex Apoſt in epiſt. ad Hæbr. cap. 7. & 8.: non fuit ſublatum Vetus teſtamentum uſque dùm fuit ſtatutum, & confirmatum novum; ſed iſtud non fuit ſtatutum, & confirmatum antè mortem Chriſti: ergo nec illud fuit ſublatum, aut expiravit ante ipſius mortem. Conf. 2.: ex eodem Apoſt. ibi: tranſlatio legis, & ſacerdotij ità ſe comitabantur, ut lex tranſlata non fuerit ante tranſlatum ſacerdotium; ſed iſtud non fuit tranſlatum ante mortem Chriſti, in qua ſe ipſum offerendo omnia conſummavit, & ſacerdotium tranſtulit; ergo

31

31 Secunda pars aſſert. eſt contra Thomiſtas, & alios; eam tamèn tenent Scotiſtæ cum Seraph. Doct. in 4. diſt. 3. art. 3. q. 2.; & Subt. in 4. d. 3. q. 4. Prob.: lex Vetus non mortua fuit quoad obligationem, ſeù non deſijt obligare ptiùs, quàm Evangelica obligare cæpit; ſed hęc non cæpit obligare in ipſa pręciſe morte, aut reſurrectione Chriſti, ſed in die Pentecoſtes; ergo nèc illa priùs deſijt. Mai conſtat ex Apoſt. in Epiſt. ad Ephes. cap. 2. dicente: *legem mandatorum decretis evacuans*, id eſt legem Moſaycam decretis Evangelicis excludens. Et ad Hæb. cap. 10.: *auffert primum, ut ſequens ſtatuat.* Prob. min.: lex poſitiva non incipit obligare uſque ad eius ſolemnem, & publicam promulgationem; ſed lex Evangelica non fuit ſolemnitèr, & publicè promulgata ante diem Pentecoſtes: ergo. Mai. patet; quia promulgatio, ſolemnis equidèm, publica, & autentica, vèl eſt de eſſentia legis, præſertim poſitivæ, vel ſaltèm eſt conditio exacta ut actu obliget. Min. conſtat ex facto Apoſtolorum, qui in die Pentecoſtes, & non antè prędicarunt publicè, iuxta illud Lucæ cap. 24.: *vos autèm ſedete in civitate illa, donèt induamini virtute ex alto.* Et ex illo Marci 16.: *euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ.*

32 Obijc. primò contra 1. part. aſſert.: Lucæ 16. dicitur: *Lex, & Prophetę uſque ad Ioannem*: ergo ſaltem in baptiſmate Ioannis mortua eſt lex vetus quoad obligationem. Conſ.: multa myſteria Chriſti D. ſucceſu vitæ ipſius, & ante mortem fuerunt impleta, quę per plures ceremonias legis figurabantur ut futura: ergo præcepta de talibus cæremonijs ceſſarunt ante mortem Chriſti nàm aliàs vigerent prędepta de ſignis falſis exhibendis. Urg. ex Subt. Doct. ſuprà cit.: iuxta ipſum, antè mortem Chriſti cæpit baptiſmus eſſe utilis ad iuſtitiam, & ſub conſilio: ergo ex tunc ceſſavit legis Veteris obligatio. Prob. conſeq.: incipiente baptiſmate eſſe ſub conſilio deſijt circunciſio eſſe ſub præcepto; ſed hoc ipſo ceſſavit totius legis veteris obligatio: ergo. Mai. eſt ipſius Doct. ibi num. 19. Prob. min.: lex illa non obligabat niſi circunciſos; atque adeò circunciſio erat illius legis ianua, & profeſio: ergo ceſſante præcepto circunciſionis, eò ipſo ceſſavit obligatio totius legis.

33 Ad obiect. explic. textum. *lex, & Prophetæ* prophe-

ta-

taverunt, & prænuntiarunt Meſsiam futurum, *uſque ad Ioannem* prædicantem eius adventum, & oſtendentem ipſum iam præſentem, conc. hunc eſſe ſenſum (ut conſtatæ ex illo Math. cap. 11.: *Omnes enim prophetæ, & lex uſque ad Ioannem prophetaverunt*); *lex, prophetæ uſque ad Ioannem præcisè* obligaverunt neg. hunc eſſe ſenſum, & conſeq. indè illatam; quia indè ſolum infertur, quòd à tempore Ioannis lex incæperit ægrotare, non autem quòd mortua fuerit, ſeù deſierit obligare. Ad conſ. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia licet illę cæremoniæ non potuerint ulteriùs ſervari ut ſigna myſteriorum futurorũ, poſt implectionem ipſorum; tamen potuerunt ſe vari ſimpliciter ut figura Meſsiæ, & myſteriorum legis gratiæ; quorum licet aliqua eſſent iam impleta, nihilominus quia lex nova non erat adhùc plenè inſtituta, nèc promulgata, ideò nèc etiam vetus erat extincta, vel abrogata quoad aliquod præceptum; cùm omnia ſimùl ceſſaverint quoàd obligationem ipſius legis veteris per intimationem legis Evangelicæ. Ad urgent. reſp. ex ipſo Doct., conceſ. antec., neg. conſeq.; ad cuius probat. d. f., mai. incipiente baptiſmo eſſe ſub conſilio, deſijt circunciſio eſſe ſub præcepto in ratione remedij ad remiſsionem peccati originalis; conc. mai.; (& ita aſſeritur à Subt. Mag.) deſijt circunciſio eſſe ſub præcepto abſolutè, & ſimpliciter, adhùc in ratione ſigni diſtinctivi populi Iudaici, & fœderis a Deo cum illo iviti, neg. mai.; (nèc in hoc ſenſu loquitur Subt. Doct.); & diſt. ſimiliter min.: eo ipſo quod circunciſio deſierit eſſe ſub præcepto abſolutè, & ſimpliciter, ceſſavit obligatio legis veteris, conc. min.; eò ipſo quòd deſierit tantum eſſe ſub præcepto in ratione remedij ad remiſsionem originalis, remanente adhùc ſub præcepto in ratione ſigni diſtinctivi populi Iudaici, & poteſtativi legis veteris, neg. min.; ad cuius probat. conceſ. antec., neg. conſeq. ſub diſtinct. data.

34 Obj. 2. contra 2. part. aſſert.: Chriſtus D. proximus morti, dixit: Conſummatum eſt; ſed hoc, iuxta Expoſitores, ſignificat conſummationem, & extinctionem legis Veteris: ergo hæc ceſſavit in morte Chriſti D. Item *velum templi ſciſſum eſt*; per quod denotatur, legem umbratilem, ſeù veterem illam, tunc tam, & abrogatam fuiſſe, ut plures exponunt Patres: ergo Præterea, in morte Chriſti tranſlatum eſt Sacerdo-

dotium vetus, & mutatum in novum, quod tùnc completè exercuit Chriſtus D. ſe ipſum Patri offerendo in Ara Crucis; ſed tranſlato Sacerdotio neceſſe eſt, quòd legis tranſlatio fiat, ut conſtat ex epiſt. ad Hæbr. cap. 7.: ergo. Denique, tùnc revocatur teſtamentum Vetus, quando confirmatur novum; ſed iſtud in morte Chriſti fuit confirmatum, ut patet ex epiſt. ad Hæbr. cap. 8. & 9.: ergo. Conf.: Legalia erant ſigna, umbræ, & figura mortis Chriſti futuræ, & redemptionis præſtandæ, ſed dùm adeſt veritas, non eſt ampliùs locus umbris, & figuris: ergo illa omnia debuerunt ceſſare in morte Chriſti.

35 Reſp. ad obiect. cum Subt. Doct. diſt. min.: ly *conſummatum eſt* ſignificat conſummationem eorum, quæ prædicta erant de vita, paſſione, & morte Filij hominis, & extinctionem legis Veteris quatenus omnia illa ut futura præfigurantis, conc. min.; ſignificat conſummationem, & extinctionem illius legis quatenùs præcipientis, & obligantis ad eius adimpletionem, ſubdiſt.: cauſaliter, & radicaliter, quatenùs mors Chriſti fuit cauſa confirmationis legis novæ, & extinctionis antiquæ, conc. min.; actualiter, & formaliter, neg. min.; quia tùnc non fuit publicè, & ſolemnitèr intimata lex Evangelica, ac proinde vetus abrogata; cuius non omnes prophetiæ, & figuræ fuerunt omninò completę in morte Chriſti, ſed poſteà, atque adeò etiam tunc non fuit penitus conſumata, nèc formaliter extincta. Ad aliud de velo templi ſciſſo reſp., illud potiſsimè ſignificaſſe apertionem ianuæ regni cæleſtis; atque etiam per quandam accommodationem, vèl conſecutionem denotaſſe ablationem legis, ut cauſatam, & futuram ex vi mortis, & redemptionis Chriſti.

36 Ad illud de traſlatione Sacerdotij reſp. ſimiliter, tùnc tranſlatum fuiſſe inchoativè, cauſalitèr, & radicalitèr per exercitium novi Sacerdotij, & oblationem illius cruenti ſacrificij; non autèm actualitèr, & formalitèr, quia nondùm erat in Eccleſia ſolemnitèr publicatum novum Sacerdotium, nèc antiquum omninò deletum. Ad ultimum de teſtamento diſt. mai.: tunc revocatur teſtamentum antiquum, quando confirmatur, authenticè aperitur, & ſolemnitèr intimatur novum, conc. mai.; quando præcisè confirmatur ſubdiſt.: tùnc Vetus revocatur cauſaliter, & eſt *propè, interitum*, ut inquit Apoſtolus, conc.; tunc revocatur formaliter, pe-

penitus interit, ſeù deſinit obligare, neg. mai.; & diſtincta ſimiliter, vèl abſolutè conceſſa min.; neg. conſeq. Ad conf. diſt. mai.: Legalia erant figurę mortis Chriſti futuræ, ac etiàm præcepta obligantia ad ſpecialem modum cultus Divini uſque ad novam legem, conc. mai.; erant pręcisè figuræ, neg. mai.; & diſt. min.: adveniente veritate ceſſant umbræ, & figuræ in ratione ſigni præfigurativi futuræ veritatis, conc. min.; ceſſant etiàm in ratione legis, ſeù pręceptorum obligantium ad eorum adimpletionem, ſubdiſt.: adveniente veritate actu, formaliter, & completè ſeù manifeſta, & clarificata, conc.; adveniente præcisè cauſaliter, & inchoativè, vèl nondùm ſolemnitèr promulgata, & authenticè manifeſta, neg. min., & conſeq.

37 Obijc. 3.: contra eandem part.: tùnc lex Moſaica ceſſavit, quandò Evangelica cæpit obligare; ſed hęc obligare cępit in ipſa Chriſti morte, & reſurrectione: ergo tùnc illa mortua fuit. Prob. min.: tùnc lex Evangelica cæpit obligare, quando fuit intimata promulgatione eſſentiali, & ſufficienti, ſed hoc factum fuit in ipſa Chriſti morte, & reſurrectione; ergo. Prob. min.: promulgatio eſſentialis, & ſufficiens legi eſt illa, quę fit quandò Princeps ut perſona publica illam proponit, & intimat ſuis ſubditis in Curia exiſtentibus; nam altera quæ fit dùm lex à præcone publicatur per ſingulas provincias, aùt per omnes pręcipuas civitates, & ordinatur ad tollendã ignorantiam ſubditis, eſt accidentalis legi; ſed licet iſta ſecunda promulgatio legis Evangelicę facta fuerit in die Pentecoſtes; tamen illa prima facta eſt paſsione, & reſurrectione à Chriſto D. dicente: *euntes docete omnes gentes, baptizantes &c.: ergo.*

38 Reſp. conceſsis duabus mai., neg. 1. & 2. min. ad cuius probat. diſt. mai. quoad 1. part.: promulgatio eſſentialis, & ſufficiens legi eſt illa, quæ fit quandò Princeps ſolemnitèr, publicè, & authenticè proponit legem, & illam intimat authoritativè manifeſtans, per ſemetipſum velle illam promulgare, ut ſtatim obliget, conc. mai.; eſt illa, quæ fit quandò Princeps privatim proponit legem, & illam intimat ſuis Miniſtris ut ab ipſis publicè, & ſolemnitèr certo tempore promulgandam, ut ex tunc obligare incipiat, neg. mai. quoad 1. part., & permit. quoad 2.; negata autem abſolutè min.

quo-

quoad 1. part. (ſiquidem in die Pentecoſtes fuit ſolùm promulgata lex Evangelica in Ieruſalem, veluti in Curia, & ideò tùnc talis lex incæpit obligare, àc lex Vetus cæpit abrogari; in alijs autem Civitatibus, & Provincijs lex Nova poſtmodum promulgata fuit ſucceſivè, atque adeò eius obligatio, ſicut, & abrogatio legis Veteris extenſa fuit reſpectivè per orbem) diſt. min. quoad 2. part.: in paſsione, & reſurrectione Chriſti facta eſt prima promulgatio, ſcil. privata, qua Chriſtus D. inſtruebat Diſcipulos, & illis intimabat legem Evangelicam prout ab ipſis publicè, & authenticè promulgandam in die Pentecoſtes, ut ex tunc inciperet obligare, conc. min.; in paſsione, & reſurrectione facta eſt prima promulgatio, nempè publica, & authentica, qua Chriſtus D. per ſemetipſum promulgaret ſufficienter legem, ut ex tunc obligaret, neg. min.; nàm ipſemet Chriſtus D. Math. cap. 10. dixit Diſcipulis: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine, & quod in aure auditis, prædicate ſuper tecta.* Et poſt reſurrectionem dixit eis Lucæ 24: *Vos autem ſedete in civitate, quoadusque induamini virtute ex alto.*

39 Difficultas 5.: utrùm lex Moſaica fuerit mortifera ſtatim àc fuit mortua, ſeu abrogata? Pro intelligentia, & reſolutione difficultatis præſciendum eſt primò, dupliciter poſſe legem aliquam revocari. Primò quaſi privativè tantùm, ſcil. auferendo ſolum imperium, & efficatiam obligandi, ita ut non teneantur ſubditi illam ſervare; & lex hoc modo abrogata dicitur mortua. Secundò quaſi contrariè, nempè prohibendo eius uſum etiam materialiter, ut ità dicamus, id eſt, prohibendo opus illud, quod anteà præcipiebatur, vèl præcipiendo quod anteà prohibebatur, ita ut ſubditi teneantur illam legem non ſervare; & quando ita revocatur dicitur mortifera, quia illius obſervatio afferret mortem animæ. Quare ſuppoſito ex iàm dictis, quòd lex Vetus quoad omnia eius præcepta fuit ſtatim mortua in die Pentecoſtes, difficultas eſt, àn etiam ſtatim mortifera fuerit?

40 Præſciend. eſt 2., difficultatem non procedere de præceptis Veteris legis formaliter ſumptis, ſivè ut obligantibus ex vi illius legis, & proùt neceſſarijs ad ſalutem, ſive ponendo in eis ſpem ſalutis; nam proùt ſic fuerunt etiam mortifera ſtatim àc cæperunt eſſe mortua, non obligatoria,

& evacuata per legem Evangelicam ſolemnitèr promulgari inceptam; ita ut ſtatim àc cæperunt obligare præcepta legis novæ veluti neceſſaria ad ſalutem, fuerit illicitum, & mortiferum adimplere formaliter præcepta legis antiquæ; ponendo in eis ſpem ſalutis, ut fatentur omnes Catholici, & patet ex dictis. Quare difficultas ſolùm procedit de lege veteri, ſeù præceptis ab ea inſtitutis, materialitèr acceptis, nempè præciſivè ab obligatione, neceſsitate, & à fine ſpecialitèr intento ab antiqua lege. Præſciend. eſt 3.; quòd nec etiam procedit difficultas univerſalitèr de omnibus præceptis illius legis; ſiquidèm certum eſt, præcepta moralia non eſſe mortifera, cùm potiùs neceſſarium ſit ſervare illa in lege Evangelica; quamvis non ex vi legis antiquæ, quæ ſupponitur abrogata; ſed ex vi legis naturalis, & poſitivæ Evangelicæ, quæ illa inſtauravit. De iudicialibus etiam conſtat non eſſe mortifera; quia nonnulla ipſorum reſtaurata ſunt, & retinentur in lege Evangelica, uti ſunt aliqua impedimenta matrimonij, quota decimarum, & ſimilia; àc etiàm poſſunt à Principibus reaſumi, & præcipi illa, quæ viſa fuerint oportuna ad æquitatem in politico regimine ſervandam.

41 Tota igitur difficultas eſt de præceptis legalibus, ſeù cæremonialibus. Imò de quibuſdam minutioribus ceremonijs, materialitèr conſideratis, cõſtat non eſſe mortiferas, ſed poſſe ob aliquam moralem utilitatẽ ab Eccleſia præcipi, vèl permitti, ut circa veſtes ſacras, aùt alia ſimilia; & propter reverentiam, aut decentiã quandam veluti negativam pemittit (non præcipit) puerperis, conſuetudinem abſtinendi pro certo tempore ab ingreſſu Eccleſiæ, eoque finito ſe ſolemnitèr Deo præſentandi cum gratiarum actione, ut conſtat ex cap. unic. *de purificatione poſt partum.* Unde difficultas ſolùm remanet de præceptis cæremonialibus principalioribus, & veluti ſubſtantialibus, ſcil. Circunciſione, ſacrificijs, & alijs huiuſmodi.

42 Præſciend. eſt 4.: legem Veterem, quoad talia præcepta adhùc materialitèr ſumpta, eſſe mortiferam nùnc, & à tempore Apoſtolorum, nempè poſt divulgatum ſufficientèr per univerſum orbem Evangelium; ut conſtat ex Actis Apoſt. cap. 15. ubi appellatur *hæreſis Phariſæorum, qui crediderunt dicentes: quia oportet circuncidi eos, præcipere quoque ſervare legem Moyſi.* Et ex epiſt. ad Galat. cap. 5.: *ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Et ex cap.

Ma-

Maiores de Baptiſmo, ubi dicitur: *Abſit, ut illam damnatam hæreſim incidamus, quę perperam affirmabat, legem cum Evangelio, & Circunciſionem cum Baptiſmo ſervandam.* Idem docent S.S. P.P., præſertim M. P. Aug. in epiſt. 19. dicens: *Poſtea verò* (nempè Evangelio ſufficienter divulgato) *tanquàm cum honore ſepulta ſunt* legalia, *à Chriſtianis omnibus irreparabiliter deſſerenda.* An autem talia præcepta incæperint eſſe mortifera ſtatim àc cæperunt eſſe mortua vel potius pro aliquo tempore fuerint permiſſa, & licita? Eſt difficultas, cui.

43 Reſp.: lex Vetus quoàd præcepta cæremonialia non ita in die Pentecoſtes fuit mortua, & rovocata, ut ſtatim fuerit mortifera. Eſt ſatis commune, & expreſſum in N. Subr. Doct. ex M. P. Aug.. Prob. primò; ipſimet Apoſtoli, iàm Spiritu Sancto repleti, poſt ſolemnem promulgationem legis Evangelicæ in die Pentecoſtes, imò, & poſt eiuſdem evulgationem apud Iudæos, & Gentes, uſurparunt præcepta cæremonialia legis Moſaicæ: ergo illorum obſervantia non fuit ſtatim mortifera, ſeù mortaliter illicita. Conſeq. patet; quia Apoſtoli, utpote legis Evangelicę Doctores, & Magiſtri, non facerent quod licitum non eſſet, nèc ſimularent facere quod illicitum, & prohibitum foret. Prob. antec.: D. Paulus circuncidit Timotheum natum ex patre Gentili, & matre Iudæa, ut conſtat Actor. cap. 16.; Item de conſilio Iacobi, & Seniorum uſus eſt legali purificatione cum Iudæis, & obtulit oblationem, ut patet ex ipſis Actis cap. 21.. Præterea D. Petrus iuxta obſervantiam legalium dixit: *Abſit Domine, quia nunquam manducavi omne commune, & immundum,* ut refertur cap. 10. Actor.. Et Epiſt. 2. ad Galat. legitur, Petrum ſervaſſe cęremonias legis: ergo.

44 Prob. 2.: ratione congruentiali ex M. P. Auguſt.: congruum erat, ut cum honore ſepeliretur Synagoga, & lex antigua: ergo ſicut homines mortui ſolent aliquandiu ſervari inſepulti, ut ſepeliantur cum honore, ita decuit præcepta legis, poſtquam erant mortua, per aliquod tempus ſervari, ut mortua Synagoga ſepeliretur cum honore; nàm ſi ſtatim reiecta eſſet, & eius cæremoniæ ſtatim prohibitæ, ſepeliretur cum ignominia, & tribueretur occaſio exiſtimandi illam fuiſſe malam, & eius cæremonias ita eſſe abominabiles, ſicut cęremonias Gentiles. Conf.:

difficilimum erat, ſtatim, & celeritèr avellere totum populum Iudaicum ab antiqua conſuetudine, quæ non erat contra rationem naturalem, & ſine inconvenienti poterat tolerari: ergo congruum fuit, illas cæremonias permittere pro aliquo tempore poſt inceptam promulgationem Evangelij.

45 Argues 1.: ex D. Hieronymo: in Epiſt. ad Galat. cap. 5. dicitur: *ſi circuncidamini, Chriſtus vobis nihil proderit.* Unde ipſe Apoſtolus noluit circuncidi, ut patet ex eadē Epiſt. cap. 2.: ergo quia iudicavit, obſervationem legalium fuiſſe illicitam, & mortiferam à prædicatione Evangelij. Conf.: D. Paulus reſtitit in faciem Petro, quia reprehenſibilis erat, eo quòd à Gentibus ſe ſubtraxerit, & cum Iudeis legalia obſervaverit, ut dicitur in eadem Epiſt. cap. 2.: ergo. Urg.: cęremoniæ legis antiquę erant inſtitutæ ut ſigna præfigurativa miſteriorum legis gratię: ergo his conſummatis, & promulgata nova lege, illæ non poterunt ſine mendatio, & ſuperſtitione obſervari; ac proinde ſtatim fuerunt mortiferæ.

46 Ad argum. reſp. explic. textum Apoſtoli: *ſi circūcidamini* poſt conſummatam promulgationem Evangelij, & intimatam legalium prohibitionem, *Chriſtus vobis nihil proderit*, conc.; poſt inceptam præcisè prædicationem Evāgelij, & ante intimatam legalium prohibitionem ſubdiſt. *ſi circuncidamini* exiſtimantes, circunciſionem eſſe obligatoriam, & neceſſariam ad ſalutem, conc.; *ſi circuncidamini* præcisè ex cōſuetudine ſolemnitatis, & non ponentes in eo ſpem ſalutis, neg. hunc eſſe ſenſum Apoſtoli, qui Timotheum circuncidit; prout docet M. P. Aug., & Expoſitores advertunt. Apoſtolus autèm noluit Titum circuncidi, cùm eſſet Gentilis, ut ex ipſo textu patet; & quia non erat obligatio Circunciſionis, nèc eius neceſsitas ad ſalutem. Et diſt. conſeq.: ergo quia iudicavit, obſervationem legalium fuiſſe illicitam à conſumata prædicatione Evangelij, conc.; ab incæpta prædicatione, neg. conſeq..

47 Ad Conf. diſt., vèl potiùs explic. antec.: Paulus reſtitit charitativè Petro (qualitèr inferior poteſt corrigere Superiorē,) quia reprehēſibilis erat levitèr ſeù venialitèr, eò quod legalia obſervaverit modo, & circunſtantijs non debitis, cōc.; Paulus reſtitit authoritativè Petro (qualiter inferior nequit corrigere Superiorem,) quia gravitèr reprehenſibilis erat, eò quòd legalia abſolutè, & ſimplicitèr obſervaverit, neg. antec.; nàm etiam ipſe D. Paulus

lus Legalia aliquandò ſervavit, ut patet ex dictis. Et dist. ſimiliter conſeq. : ergo iudicavit, uſum Legalium eſſe illicitum, ſi fieret modo, & circunſtantijs indebitis, conc.; uſum Legalium in ſe eſſe abſolutè, & ſimplicitèr illicitum, neg. conſeq.. Ad urgent. dist. antec.: cæremoniæ erant inſtitutę ut ſigna præfigurativa, atque etian ſignificativa Chriſti, & myſteriorum eius abſolutè, conc. ; ut ſigna præfigurativa præcisè, neg. antec.; & dist. ſimilitèr conſeq..

48 Argues 2. ſi poſt abrogatam legem veterem quoàd obligationem, & eius neceſſitatem ad ſalutem, licuiſſet aliquandiù Legalia ſervare, etiam nùnc liceret ; ſed hoc dici non poteſt: ergo nec illud. Reſp. neg. ſequelam mai.; nàm Acta Apoſtolorum teſtantur, uſum Legalium fuiſſe permiſſum gratia Evangelij necdùm conſummatè, & ſufficienter pro toto Orbe promulgàti, ob congruentias ſuprà aſsignatas, quibus ceſſantibus certum eſt, illorum uſum eſſe illicitum. Si autèm quæratur : quod, vèl quale fuit illud tempus, in quo lex vetus cępit eſſe mortifera? Reſp. cum Subt. Doct. determinationem illius temporis eſſe incertam ; quare unice poteſt generalitèr dici, illam prohibicionem contigiſſe Evangelio ſufficienter divulgato per univerſum orbem, nempè circitèr vèl circa annum trigeſimun octavum à paſsione Chriſti ; atque illam declaratam, vèl traditam fuiſſe ab ipſiſmet Apoſtolis docentibus, non ſolùm non oportere, ſed etiàm mortiferum, & illicitum eſſe ſervare legalia ; quia valdè conveniens fuit, ab eis relinqui ſufficienterèr introductum, & fundatum illud tàm neceſſarium dogma.

QUÆSTIO III.

Reſolvuntur dubia de lege Divina nova.

1 DUbium 1. : utrùm lex nova ſit lex vera, & propria, à Chriſto D. ut perfectiſsimo legiſlatore inſtituta? Reſp. : lex nova, in Evangelio præcipuè ſcripta, & per Apoſtolos promulgata, eſt lex verè, & propriè prędceptiva, à Chriſto D. ut vero, & proprio legiſlatore inſtituta, & tradita. Eſt de fide contra Hęreticos, præſertim Lutherum, calvinum, & alios eorum ſequaces. Prob. 1. : jeremię cap. 31. dicitur : *ecce dies veniunt dicit Dominus, & feriam domui Iſraèl, & domui Iudas novum.* Et infra : *dabo legem meam in viſceribus eorum* quam promiſsionem eſſ

pleram per Chriſtum, docet D. Paulus in Epiſt. ad Hæbr. cap. 8. & 10. Item, Iſaiæ cap. 2. dicitur: *De Sion exibit lex, & verbum Domini de Ieruſalem.* Et cap. 3. *Dominus Legiſer noſter, Dominus Rex noſter*: quæ de Meſsia, eius que lege dicta eſſe, ex ipſo textu patet. Præterea, ipſe Chriſtus D. Math. cap. ult. ait: *euntes docete omnes Gentes &c. docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Et Joan. capite. 10.: *Mandata mea ſervate.* Ac Epiſt. ad Hæbr. cap. 2. habetur: *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo* (ſcil. lex vetus) *factus eſt firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit iuſtam mercedis retributionem; quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem* (nempè legem Chriſti)? ergo legem habemus à Chriſto; & quidem præceptivam, quæ nos obligat in conſcientia; nam ſi lex nova eſſet purè directiva, ſcil. oſtendens præciſè media, & viam ſalutis, non autèm ſtrictè præceptiva, & conſtans veris præceptis, non obligaret ſub pœnis, & comminatione æternæ damnationis, paritèr, imò ſtrictiùs quàm lex vetus.

2 Prob. 2. Chriſtus fuit ſummus Pontifex, & ſupremus Princeps: ergo non ſolùm potuit, ſed etiàm debuit hominibus legem præſcribere, qua in ſuo ſtatu regerentur ad finem, ad quem venerat ad eos. Conſeq. patet; nàm decet, ſummum Sacerdotem, & Principem ſic regere ſubditos, ſcil. præceptis, & legibus. Antec. conſtat ex ſacra Script., in qua pluriès Chriſtus D. nominatur *Rex, Sacerdos, & Legiſer.* Conf.: Chriſtus D. inſtituit ſuam Eccleſiam, tanquàm unam ſpiritualem Rempublicam, in qua ipſe regnaret, & tanquam unum myſticum corpus, in quo ipſe eſſet caput: ergo ad eius providentiam pertinuit, dare huic Eccleſiæ aliquam legem, per quam in ſua inſtitutione, & convenienti ordine, àc gubernatione conſervari poſsit. Antec. patet ex verbis Chriſti D. Math. cap. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* & Joan. 10. *Alias oves habeo, quæ non ſunt ex hoc ovili, & illas oportet me adducere, & vocem meam audient, & fiet unum ovile, & unus. Paſtor.* & Actorum cap. 21. *Attendite vobis, & univerſo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſsivit ſanguine ſuo.* Ex quibus etiam patet conſeq., quæ videtur lumine naturali nota; quia communitas perfecta nequit ſine legibus rectè gubernari,

nèc

nèc in ſua perfectione, àc ſtabilitate permanere.

3 Prob. 3.: Concil. Trid. ſes. 6. can. 19. ſtatuit: *Si quis dixerit nihil præceptum eſſe in Evangelio præter fidem, cætera eſſe indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, ſed libera, aut decem præcepta nihil pertinere ad Chriſtianos; anathema ſit.* Et can. 20. *Si quis, hominem iuſtificatum, & quantum libet perfectum, dixerit, non teneri ad obſervantiam mandatorum Dei, & Eccleſiæ, ſed tantùm ad credendum; quaſi verò Evangelium ſit nuda, & abſoluta promiſsio vitæ æternę, ſine conditione obſervationis mandatorum; anathema ſit.* Et can. 21. decernit: *Si quis dixerit, Chriſtũ Ieſum à Deo hominibus datum fuiſſe ut redemptorẽ, cui fidant; non etiam ut legiſlatorem, cui obediant; anathema ſit*: ergo. Diximus in reſp. legem novam eſſe ſcriptam; D. Joan. cap. 20. ait: *hæc ſcripta ſunt, ut credatis, & ut credentes vitam habeatis.* Et Apoſtol. ad Roman. cap. 35. inquit: *Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram ſalutem ſcripta ſunt.* Tùm, quia licet lex nova non fuerit per ſe primo ſcripta, aut ex profeſſo ſcriptis tradita, ſed viva voce exteriùs denuntiata à Chriſto D., ac ſimiliter promulgata ab Apoſtolis; tamèn ex inſtincta, & providentia Spiritus Sancti fuit deinceps ab eis ſcripta, ut arma haberet Eccleſia adverſus hæreticos inſurgentes contra ipſam, & ut illius præcepta permanenter, àc immutabiliter durarent. Diximus etiam *præcipuè in Evangelio*; nàm plura habemus etiam ſcripta in Actis Apoſtolorum, & in Epiſtolis Canonicis, àc in Apocalypſi; alia autèm habemus ex traditione; quæ Apoſtoli ab ipſo Chriſto ore tenus acceperunt, vèl ipſi uſque ad nos ſucceſivè derivarunt, prout in tract. *de Fide* docetur.

4 Dices 1. Joan. cap. 1. dicitur: *Lex per Moyſem data eſt; gratia autem, & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt*: ergo lex per Moyſem, per Chriſtum autem non lex ſed gratia, & iuſtificatio data eſt. Item, Apoſt. Epiſt. 2. ad corint. cap. 4. ait *Miſsit Deus Filium ſuum natum ex muliere, factum ſub lege, ut eos qui ſub lege erant redimiret*: ergo Chriſtus venit, non ut nos ſubijceret legi, quin potiùs ut nos redimeret à lege. Ac in eadem Epiſt. cap. 3. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*, quarè novum Teſtamentum dicitur lex libertatis: ergo. Præterea in Epiſt. ad Rom. cap. 6. habetur: *Non eſtis ſub lege, ſed ſub gratia.* Et Epiſt. ad Galat. cap. 5. *Si ſpiritu*

ducimini, non eſtis ſub lege: ergo. Denique in Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 1. *Lex iuſto non eſt poſita*: ergo. Conf.: Epiſt. ad Roman. cap. 3. novum Teſtamentum appellatur ſpecialiter lex fidei, tanquàm à proprio, & adæquato obiecto, ac unico præcepto, ut conſtat ex illo Math. cap. ult.: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit condemnabitur*: ergo ſola fides tanquàm neceſſaria proponitur; & conſequenter &c.

5 Ad illud ex Joan. explic. textum: lex nuda per Moyſem data eſt; gratia autem cùm lege per Ieſum Chriſtum facta eſt, conc.; gratia autèm ſine lege per Chriſtum facta eſt, neg. hunc eſſe ſenſum, ut conſtat ex ipſo Evangelio. Ad illud ex Apoſt. explic. etiam: Miſsit Deus Filium ſuum, ut eos, qui ſub lege erant redimeret à ſervitute peccati, & à lege veteri, quę erat lex timoris, & iugum difficile, conc.; ut redimeret ab omni præcepto, vèl obligatione legis, neg.. Ad aliud ex eodem Apoſt. explic. ſimiliter: *ubi ſpiritus D. ibi libertas*, id eſt, à ſervitute, & morte peccati; quarè novum Teſtamentum dicitur lex libertatis à tali ſervitute, & à iugo difficili legis veteris, conc.; ibi libertas ab omni præcepto, & obligatione legis, quarè novum Teſtamentum dicitur lex libertatis ab omni præcepto, & obligatione, neg.. Ad illud ex Epiſt. ad Roman. explic.: non eſtis ſub lege nuda, ſed ſub gratia iuvante ad impletionem legis, ſeù ſub lege gratiæ, conc.; non eſtis ſub lege abſolutè, & ſimpliciter ſed ſub gratia ſine lege: neg.. Ad alterum ex Epiſt. ad Galat. explic. ſimiliter: ſi ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege Moſaica cogente, & terrente, conc.; non eſtis ſub lege nova alliciente, & iuvante, neg.. Ad ult. explic. lex iuſto non eſt poſita, tanquam ipſum accuſans, & condemnans, vèl tanquàm ipſum cogens, & premens, conc., cùm in lege ſit voluntas eius; lex iuſto non eſt poſita tanquàm verè præcipiens, & obligans in conſcientia, eſto alias ipſe ſponte, & liberaliter adimpleat, neg.. Ad confirm. dicimus, quod nomine *legis fidei* non intelligitur ſolum præceptum credendi niſi ad ſummum tanquàm fundamentum, & radix cæterorum; vel niſi intelligatur de fide viva, & practica, qua conformatur vita cum ipſa fide per adimpletionem omnium quæ precipiuntur à lege.

6 Dices 2. contra illud, quod

quod addimus in reſponſ., ſcil. legem novam eſſe ſcriptam: in eo inter alia differt lex nova ab antiqua, quòd hæc dicitur ſcripta, utpotè miniſterio Angelorum inſculpta in tabulis lapideis quoad præcepta Decalogi, & quoad reliqua etiam ſcripto tradita à Moyſe; Evangelica verò, utpote lex gratiæ, & ſpiritus, dicitur indita, impreſſa, & ſuperſcripta in viſceribus, & cordibus hominum: ergo hęc non benè dicitur ſcripta. Reſp. diſt. antec.: in eo differt lex nova ab antiqua, quòd hæc dicitur primò, & per ſe ſcripta, ac ex profeſſo, & ab exordio in ſcriptis tradita; Evangelica verò primò, & per ſe dicitur indita, & per gratiæ abundantiam altè in cordibus hominum inſcripta, ac exteriùs viva voce denunciata, conc. antec.; differunt in eo, quòd Evangelica nullatenùs dicatur ſcripta, adhùc per accidens, ac deinceps, neg. antec., & diſt. ſimiliter conſeq..

7 Dub. 2. quotuplicia ſint præcepta in lege nova? Reſp.: lex nova continet præcepta *Moralia*, *Sacramentalia*, ſivè cæremonialia, & *Fidei*, ſeù Theologalia; & inſuper continet conſilia; non autem præcepta propriè iudicialia. Ita D.D.communiter. Prob. primò de præceptis moralibus; nam Matth. cap. 5. Chriſtus D. renovans, explicans, ac magis declarans præcepta antiqua moralia de non occidendo, nō mœchando, non periurando, de diligendo proximo, de non diſſolvendo matrimonio, &c., ait: *ego autem dico vobis*: quòd denotat, ſe de novo authoritativè inſtaurare, præcipere, & amplius declarare præcepta moralia legis antiquæ. Et cap. 19. dixit: *ſi vis ad vitam ingredi, ſerva mandata*, nempè moralia, ut conſtat ex ipſo contextu, ubi à Chriſto D. declarantur talia præcepta: ergo lex nova continet illa, non ſolùm declarativè, ſed etiàm preceptivè, ita ut inducat novam, & poſitivam obligationem ad obſervantiam ipſorum; ſiquidèm nedum illa explicat, ſed etiàm perficit renovat, & inſtaurat poſitivè præcipiendo, quamvis aliundè obligent etiam ex vi legis naturalis, atque adeò talia præcepta moralia non fuerunt à Chriſto D. de novo inſtituta, ſed potiùs inſtaurata, & perfectius expoſita, quàm Iudęi intellexerunt ipſa, ut inquit Subt. Doct. in 4. d. 3. q. 4. num. 20.

8 Prob. 2. de præceptis ſacramentalibus; nam de Baptiſmo dicitur cap. 3. Joan.: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non*

go-

poteſt introire in regnum Dei. Et de Euchariſtia habetur cap. 9. eiuſdem: *Niſi manducaberitis carnem Filij hominis, & biberitis eius ſanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et de alijs Sacramentis conſtabit ex tractatu uniuſcuiuſque. Hæc igitur præcepta, proprie, & de novo à Chriſto inſtituta, correſpondent illi generi veterum præceptorum, quæ dicebantur ceremonialia, quæque *non manent in ſe, ſed in ſuis ſignificatis; quia umbra tranſijt, & veritas ſucceſsit;* ut inquit Subt. Mag. cit.. Prob. 3. de præceptis fidei; nam cap. 16. Marci dicitur: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Et Joan. cap. 8. *ſi non crediderit is, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro.* Et licet præceptum fidei fuerit etiam in lege veteri, imò, & in lege naturæ, quia illud D. Paul *ſine fide impoſsibile eſt placere Deo*, fuit verum omni tempore; tamen quatenus fides eſt explicita, & expreſsior de aliquibus myſterijs, præſertim Trinitatis, & Incarnationis, eſt præceptum peculiare, & poſitivum Divinis legis novæ, ac etiam aliquo modo auctum in ipſa, quia Chriſti Nativitas, Paſsio, Mors, & reliqua myſteria, quæ à Iudæis implicite, & obſcurè ut futura credebantur, iàm à Chriſtianis explicitè, & diſtinctè ut facta creduntur.

9 Prob. 4. de conſilijs; nàm Apoſt. inquit: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do.* Et in Evangelio legitur: *Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & dà pauperibus*; & ſic de alijs, quæ non præcipiuntur ut neceſſaria, ſed conſuluntur ut utilia ad perfectionem, & valdè ſalutaria. Prob. denique de præceptis iudicialibus: tùm, quia ſicut Chriſtus D. non aſſumpſit ſibi regnum temporale, nec iudicium ſimile, ut patet ex illo Ioan. cap. 18. *Regnum non eſt de hoc mundo*; & ex illo Lucæ 12. *Quis me conſtituit Iudicem ſuper vos?* ita nec temporale regnum, aut rempublicam politicam inſtituit, ſed ſolùm Eccleſiam ſuam, quæ eſt congregatio ordinata ad ſpiritualem finem per media ſpiritualia; & ideò per ſe ſolum tulit illas leges, quæ ad hunc finem directè pertinebant; ſed leges iudiciales in lege veteri ſpectabant per ſe ad regimen politicum regni temporalis: ergo Chriſtus D. non ſtatuit precepta propriè iudicialia in ſua lege. Tum, quia licèt in Eccleſia Chriſti ſint neceſſariæ aliquæ leges

iudiciales ad politicum regimen Eccleſiaſticum, quod ſuo modo ſpirituale eſt; tamèn noluit Chriſtus D. per ſe ipſum ferre tales leges, ſed illud commiſsit ſuo in terris Vicario, nempè Summo Pontifici, tribuendo ei poteſtatem ad ferendas tales leges, quas ſæpè expedit mutari pro temporum occaſionum varietates: ergo.

10 Dub. 3. quandò lex nova cęperit obligare; quos obliget; & quouſque duratura ſit? Ad 1. part. dubij reſp.: iſta lex cæpit obligare in die Pentecoſtes. Prob.: tùnc lex incipit obligare, quandò publicè, & ſolemnitèr promulgatur; ſed lex Evangelica fuit ita promulgata in die Pentecoſtes; ut conſtat ex dictis in quęſt. prędcedenti: ergo. Ad 2. part. dubij reſp.: lex nova lata eſt pro univerſo orbe, omnes que prorſùs obligat, atque omnibus eſt recipienda, & obſervanda de neceſsitate ſalutis. Eſt de fide. Prob.. Math. cap. ult. dicitur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra: euntes ergo docete omnes gentes:: docentes eos ſervare omnia quæcumque mandavi vobis.* Et Marci ult. habetur: *Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Idem conſtat ex alijs pluribus Script. locis, tàm veteris, quam novi teſtamenti. Deinde id exigebat dignitas, & officium Chriſti D., qui ſicut vult, omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, ita propter nos homines, & proptèr omnium noſtrum ſalutem deſcendit de cœlis; homo factus eſt, Legislator, & Redemptor advenit, non pro uno tantum populo, ſed pro univerſo mundo quem lex Evangelica ſimplicitèr obligat ad ſui receptionem, & obſervantiam, ita ut ſit neceſſaria ad ſalutem conſequendam.

11 Ad 3. part. dubij reſp.: lex Evangelica eſt perpetuò duratura uſque ad finem mundi. Prob.: Danielis cap. 2. de regno Chriſti in Eccleſia Militante, iuxta ſacros expoſitores, dicitur: *in diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo no tradetur.* Et cap. 7.: *poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur, & regnum eius quod non corrumpetur.* Math. 26. vocatur *lex novi, & æterni teſtamenti.* Et cap. 28. dixit Chriſtus D.: *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Deinde, ideò lex vetus

non

non duravit uſque in finem mundi, ſed fuit mutata in aliam, quia illa erat reſpectivè imperfecta figura, & diſpoſitio ad aliam perfectiorem; ſed lex Evangelica eſt perfectiſsima, cum præſtet perfectiſsima adiutoria, & ſufficientiſsima remedia non ſolùm ad aſſequendam gratiam, ſed etiam ad gloriam obtinendam: ergo.

12 Dices contra hoc: etiàm lex vetus dicta fuit æterna; ſed nihilominùs explicatur ita, ut non ſignificet æternitatem ſimplicitèr nèc durationē perpetuam uſque in finem mundi: ergo ſimilitèr de lege Evangelica erit explicandū. Conf.: loca ſcripturę affirmantia æternitatem regni, & Sacerdotij Chriſti D., explicari poſſunt, & explicantur ab aliquibus expoſitoribus de eius regno, & Sacerdotio, non in terra, ſed in cœlo: ergo ex illis non probatur perpetua duratio legis Evangelicæ uſque in finem mundi. Ad argum. diſt. mai.: lex vetus dicta fuit æterna, atque etiàm certo tempore duratura, & in aliam tranſmutanda, conc. mai., dicta fuit præciſè æterna, vèl perpetuò duratura, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſeq., & paritatem. Diſparitas ſtat in eo, quòd lex vetus ita dicitur æterna, ut etiàm de ea dicatur, quod per Meſsiã eſſet abroganda, & mutanda in aliam novam, atque adeò eius æternitas optimè explicatur de diuturna duratione uſque ad terminum præfixum in adventu Meſsię; àt lex Evangelica ita dicitur æterna, ut etiam dicatur permanſura uſque ad conſummationem ſæculi, ſeù finem mundi, & ideò eius æternitas nequit aliter explicari. Ad confirm. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia utrumque apertè docetur in illis locis, ſcil. & regnum Chriſti duraturum in hoc mundo, quandiù mundus duraverit, & non eſſe cum mundo deſtruendum, ſed in vera æternitate conſummandum; & pariformiter lex gratiæ propriè, & formalitèr ſumpta, utpotè fundata in fide, & cæremonijs Sacramentorum, finietur, & evacuabitur in fine mundi; cæterùm eminentiori modo poteſt dici manſura, & conſummanda in gloria.

13 Dub. 4. in quibus lex nova differat à veteri, & illam excedat? Reſp.: lex nova multifariam, multiſque modis differt à veteri, eamque præcellit in dignitate, ſeù perfectione. Primò quidèm ex parte principij; quia licet ipſe Deus fuerit Author utriuſque legis, tamèn vetus data eſt per Moyſem miniſterio Angelorũ,

no-

nova verò inſtituta, & data per Chriſtum, qui ſimul Legiſlator, & Redemptor fuit illorum quibus lex tradebatur; quam differentiam ponderat D. Paulus in Epiſt. ad Hæbr. cap. 2.. Secundò excedit lex nova ex parte materiæ, ſeù ex rebus traditis; & præceptis; tùm, quia in ea ſunt expreſsè revelata profundiſsima myſteria, quæ in lege veteri fuerunt ſolùm implicita, aùt ſolùm præfigurata; imò, & moralia præcepta fuerunt pleniùs expoſita in lege Evangelica, àc cęremonialia fuerunt in meliùs mutata. Tùm, quia lex antiqua propter multitudinem, dificultatem præceptorum fuit adeò oneroſa, ut dixerit D. Petrus Actor. cap. 15., fuiſſe iugum inſoportabile, ſeù admodum difficile; Evangelica autèm eſt iugum ſuave, & onus leve; tertio etiàm excedit lex nova ex parte formæ, àc modi ipſam tradendi; tùm, quia hæc non eſt ſcripta in lapidibus, aùt membranis, ſed in mentibus, & cordibus hominum per verbum propriũ ipſius Dei hominis, cooperante Spiritu Sancto per abundantiam Spiritus, & interioris illuminationis. Tùm, quia promulgata eſt cùm multis ſignis, & prodigijs, quæ indicabant Spiritus Sancti plenitudinem, & amorem; cùm in promulgatione legis veteris omnia fuerint ſigna timoris, & terroris, quibus oſtenſa eſt diverſa qualitas, & perfectio utriuſque legis. Tùm, quia lex vetùs promulgata eſt in deſerto, in uno ſermone tantùm, àc uni privato populo; nova verò in Regia Civitate, & quaſi Metropoli, diverſarum nationum hominibus ibi tunc congregatis, àc varijs linguis promulgari cœpit, & poſteà per univerſum mundum prædicata eſt.

14 Quartò, & precipuè, iuxtà M. P. Aug., & Subt. Doct. in 3. d. 40. quæſt. unic. excedit lex nova in virtute, & efficatia ſanctificandi, & gratiæ conferendę; ſiquidem habet plura, & efficatiora adiutoria gratiæ; quia paſsio Chriſti exhibita plus meretur de gratia credentibus eam iàm exhibitam, quàm ipſa, ut exhibenda meruit illis, qui crediderunt illam ut exhibendam; & ideò Sacramenta noſtra, quæ habent efficatiam in virtute paſsionis Chriſti exhibitæ, plùs gratiæ conferunt, quàm Sacramenta legis veteris; imò in lege nova ſunt ſeptem Sacramenta, quæ ex opere operato conferunt gratiam, & jus ad gloriam, at in lege antiquæ unum præter matrimonium, ſi fortè tùnc fuit Sacramentum, de quo ſuo loco fuit Sacramentum propriè dictum, nempè circumciſsio ut remedium contra

originale peccatum, quę habebat vim iuſtificandi ex meritis, & in fide Chriſti venturi, àc in ordine ad novam legem. Quintò denique lex nova veterem excedit in fine; quia licèt utraque ordinaverit ultimatè homines ad fælicitatem ęternam, tamèn lex nova immediatiùs, pleniùs, & efficaciùs; ſiquidem lex vetus, utpotè figura, umbra, & diſpoſitio ordinata ad legem Evangelicam, magna ex parte verſabatur proximo circa temporalia, & intendebat fælicitatem externam reipublicæ cum iuſtificatione etiàm legali, quāvis per hæc remote, & modo comparativè imperfecto intenderet ſpiritualem finem, & eternam fęlicitatem; lex autèm Evangelica, utpotè veritas, & implectio perfecta figurarum legis veteris, proximè, plenè, & efficaciſsimè verſatur circa finem ſpiritualem, ſcil. deſtructionem peccati, perfectam ſanctificationem, & aſſecutionem fęlicitatis æternæ.

15 Dub. 5. utrùm lex Evangelica poſsit diſpenſari authoritate humana? Suppoſito, legem Divinam poſitivam, utpotè ortam à libera voluntate Dei, poſſe ab ipſo diſpenſari; ſupponimus etiam, Chriſtum D., dùm talem legem condidit, potuiſſe committere, ſeu conferre Eccleſiæ, ſivè Petro, & ſucceſſoribus potestatem diſpenſandi talem legem, ſicut quicumque Superior poteſt alteri committere facultatem diſpenſandi in ſuis legibus, & pręceptis. Quare dubium unice eſt, utrùm de facto ſit à Chriſto. D. conceſſa talis facultas alicui homini, ita ut lex Evangelica poſsit aliqua authoritate humana diſpenſari diſpenſatione proprie dicta, prout manet explicata diſp. 2. quęſt. 4. ſect. 2.?

16 Reſp.: lex Evangelica non eſt propriè diſpenſabilis authoritate humana. Eſt communior Theologorum ſententia contra aliquos Theologos, & Juriſtas. Prob. primò: nullus inferior poteſt in lege ſuperioris diſpenſare, quin ab eo habeat ſpecialem commiſſionem, ſeu poteſtatem; ſed non eſt data hominibus ſpecialis poteſtas diſpenſandi legem Evangelicam: ergo. Probo min.: talis poteſtas deberet conſtare; ſed non eſt unde conſtet: ergo. Prob. min.: ſi illa ſpecialis facultas conſtaret, maximè ex illis verbis Chriſti D. ad Petrum, & ſucceſſores eius, ſcil. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cælis; & quodcumque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis*; ſed illa ſpecialis poteſtas non conſtat ex illis verbis; tùm; quia

quia ſub generali conceſsione non venit intelligenda, ea, quæ magnam ſpecialitatem habet, & quam Superior veroſimiliter non eſſet conceſſurus in particulari, uti eſt poteſtas diſpenſandi in nova lege; tùm quia, cùm illa conceſsio ſit generalis, poſſet Pontifex diſpenſare in toto Evangelio, imò & in omnibus in quibus poteſt ipſe Deus; quod nèc ipſi Adverſ. concedunt: ergo.

17 Prob. ſecundò noſtra reſponſ., & ſimùl conſ. præcedens ratio: explicare quid contineatur ſub illa generali conceſsione, quidque vi illius poſsint ſummi Pontifices, pertinet ad ipſos Succeſſores Petri; ſed iſti in ſe non agnoſcunt poteſtatem diſpenſandi in Evangelica lege: ergo. Prob min.: S. Leo Papa in Epiſt. 90. ut refertur in cap. *Sicut quædam*, diſtinguit quædam ſtatuta immutabilia, & alia quæ mutantur pro varietate temporum; àc priora intelligit eſſe Divina, poſteriora autem humana; itèm Urbanus, ut refertur cap. *Sunt quidam*, Zozimus, ut refertur cap. *Contra ſtatuta*, & Marcellinus, ut refertur cap. *Omne*, expreſſè dicunt, & declarant, Summum Pontificem non poſſe quidquam condere, vèl mutare circa ea quę Dominus per Apoſtolos, & Evangeliſtas determinavit; Et Alexander III., ut refertur cap. *Supercel. de uſuris*, ait: *Cùm uſurarum crimen utriuſque Teſtamenti pagina deteſtetur, ſuper hoc diſpenſationem aliquam poſſe fieri non videmus*: ergo.

18 Dices: ea poteſtas debet in illis verbis Chriſti D. intelligi collata eius Vicario, quæ neceſſaria eſt in Eccleſia ad bonum commune, attenta humana conditione; ſed talis eſt poteſtas diſpenſandi in prçceptis legis Evangelicę: ergo. Prob. min.: ſæpè poteſt accidere caſus, in quo obſervatio alicuius legis, aùt præcepti Evangelici ſit magis nociva, vèl impediat maius bonum, adeò ut ſit valdè conſentanea rationi illius diſpenſatio: ergo. Conf.: Pontifex ſçpè diſpenſavit in his, quę ſunt Juris Divini, ut in votis, Juramentis, in matrimonio rato, in vinculo ſpirituali inter Epiſcopum, & Eccleſiam ſuam, àc in conſecratione ſolius panis ob neceſsitatem, & carentiam vini; atque etiàm poteſt diſpenſare in eo quod Confirmatio miniſtretur à ſimplici Sacerdote, non obſtante quod Jure Divino ſolus Epiſcopus ſit miniſter illius ſacramenti: ergo.

16 Ad arg. conceſ. mai.,

diſt.

diſt. min.: talis eſt poteſtas diſpenſandi latè, nempè declarandi, aùt interpretandi legem in illo caſu non obligare, conc. min.; diſpenſandi propriè, ſcil. revocando legem, ſeù auferendo eius obligationem, neg. min.; & ſimiliter diſt. antec. probationis, quia in illis caſibus ſufficit poteſtas diſpenſandi latè, & impropriè nempè vèl mutandi materiam, quę ſubiaceat poteſtati à Deo datæ Pontifici, vel interprætandi, ſeù declarandi, legem in tali caſu non obligare, ſeù talem caſum non comprehendi ſub lege; prout in lege antiqua ſufficiebat ſimilis poteſtas, quin eſſet apud homines aliqua illius propriè diſpenſativa. Ad conf. ſimiliter (admiſſa diſpenſatione facta à Summis Pontificibus circa ea, quæ ſunt ex Jure Divino poſitivo, nam circa particulares caſus aliqui negant, illos eſſe de Jure Divino, alij verò negant, in aliquo illorum fuiſſe à Pontifice diſpenſatum, imò, & poſſe diſpenſari) reſp., illam non fuiſſe diſpenſationem propriam relaxando legem Divinam ſub circunſtantijs ſub quibus per ſe obligat; ſed fuiſſe diſpenſationem impropriam, & latam, vèl mutando materiam, vèl interprætando, ſeù declarando legem non obligare ſub talibus circunſtantijs, ſeù ipſas eſſe variatas ita ut talis caſus non cadat ſub obligatione legis. Quæ poteſtas intelligitur conceſſa à Chriſto D. tradente D. Petro, & eius Succeſſoribus claves regni cælorum, ſivè poteſtatem clavium; non autèm poteſtas relaxativa legis Evangelicæ, ſeù eius preceptorum; iuxta cõmunem intelligentiam S.S. Patrum, Theologorum, & ipſorum Pontificum.

DISPUTATIO IV.

De lege Humana.

QUÆSTIO. I.

An, quid, & quotuplex ſit lex Humana?

1 AD 1. part. quęſt. dicimus: dantur, & neceſſariæ ſunt leges humanæ. Ita omnes Catholici contra plures hæreticos dicentes; nullas dari leges humanas obligantes, & nullam dari in hominibus poteſtatem ad condendas leges; quorum error confutabitur in quæſt. ſequenti, ubi amplius probabitur aſſert. præſens. Prob. nunc brevitèr primò ex Sabt. Doct. in 4. d. 26. quæſt. unic. num. 9.: ideò præter legem naturæ neceſſaria fuit lex Divina poſi-

ti-

tiva, quia minùs obediunt homines ſoli legi naturæ, quàm Deo præcipienti; ſeù quia minùs timent conſcientias proprias non intimantes aliquam pœnam in vi ſolius legis naturæ, quàm authoritatem Divinam comminantem pœnam æternam ab eius lege præſcriptam; ſed etiam, ob corruptionem humanæ naturæ per peccatum vulneratæ, minùs obediunt homines Deo præcipienti, & intimanti pœnam æternam, quàm poteſtati humanæ minanti pœnam temporalem, & ſenſibilem luendam in vita præſenti: ergo prætèr legem naturalem, & Divinam poſitivam, dantur, & neceſſariæ moraliter, aut valdè utiles ſunt leges humanæ. Quæ ratio fundatur in illo D. Iſidori lib. 5. Ethymol. cap. 20. dicentis: *Factæ ſunt leges, ut humano metu humana coerceretur audacia, tuta que ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocendi facultas.*

2 Prob. 2. ex Subt. Doct. cit.: non omnia, quę ſunt legi naturæ conformia, aut præſcripta in lege Divina poſitiva, ſunt ita omnibus manifeſta, ut non egeant proponi, & declarari a lege humana: ergo ad huiuſmodi declarationem ſunt neceſſariæ leges humanę. Prob. 3. ex eodem Doct.: plura præcipiuntur à lege naturali, & Divina poſitiva tantùm in univerſali: ergo ut determinentur ad certum tempus, & modum, ac reliquas circunſtantias in particulari, neceſſariæ ſunt leges humanæ Ad 2. part. quæſt. dicimus; *lex humana eſt ordinatio rationis ad bonum commune facta ab homine, qui curam habet communitatis, & promulgata.* Seù, *eſt regula conſtans, & vera honeſtæ operationis, ab homine poteſtatem habente præſcripta communitati ſibi ſubiectæ, in bonum commune, & cum voluntate illam perpetuò obligandi ad aliquid agendum, vèl omittendum.* Id patet ex definitione legis in communi, cui nihil additur præter particulam *ab homine*, per quam exprimitur differentia legis humanæ. Docent autèm communiter Theologi, omnem legem humanam derivari à lege naturali; quia de ratione legis eſt quòd ſit iuſta; ſed in tantum cenſetur aliquid iuſtum in humanis, in quantum eſt conforme regulis rectæ rationis, ſeù legi naturæ: ergo omnis lex humana ab illa derivatur, ſeù dependet, vèl demonſtrativè, ut concluſiones à principijs ex terminis notis; vèl ſylogiſticè; ut concluſiones probabiles legi naturæ concordes.

3 Ad 3. part. quæſt. dicimus : lex humana dividitur primò in *Ius Gentium*, & *in Ius Civile*, ſeu *Humanum* ſtrictiùs ſumptum. Ius Gentium eſt lex humana, quæ uſu, & conſenſu omnium, aùt pleratumque Nationum ideò eſt introducta, & ſuſcepta, quia facili negotio, ac veluti demonſtrativè ex principijs legis naturæ deducitur, & proponitur tanquam evidenter conveniens humano regimini, & ſocietati communi; at que adeò pertinet ad omnes nationes. Ius autèm Civile, ſeù ſtrictius humanum eſt lex humana, quæ non tantùm accedit ad principia legis naturæ, eò quòd deducitur ex aliquibus propoſitionibus, quibus non eſt ita facilè aſſentiri, cùm dependeant ex conſideratione circunſtantiarum magis particularium, quę diverſæ ſunt pro varietate nationum, & ideo Ius Civile apud omnes gentes non eſt idem, ſed diverſum. Secundò lex humana dividitur in *ſcriptam*, quæ intelligitur nomine legis humanæ ſimpliciter prolatæ iuxtà illud D. Iſidori: *lex eſt conſtitutio ſcripta*; & in *non ſcriptam*, quæ appellatur conſuetudo, & licèt quoad ſubſtantiam, aut obligationem habeat rationem legis tamèn quia habet peculiarem modum introductionis & efficatiæ, ideò de illa agemus poſteà in particulari, nunc verò tractamus de lege ſcripta, ſeù conſtitutione facta ab humano Principe.

4 Tertiò dividitur lex humana in *Canonicam*, & *Civilem*; quia cùm homo non ſolum ordinetur ad naturalem finem, qui eſt fælicitas naturalis, ſed etiàm ad finem ſupernaturalem, qui eſt ſupernaturalis fælicitas; & cùm poſsit conſiderari in duplici Politia, una civili ad pacificè converſandum, ſeù convivendum, & altera ſpirituali ad ſanctè vivendum; ideò lex humana dividitur in temporalem politicam, ſeù civilem, quæ præſcribitur a Principe ſæculari, & ordinatur ad pacificam ſubditorum converſationem, ac naturalem fælicitatem; & in ſpiritualem Eccleſiaſticam, ſeù Canonicam, quæ ſtatuitur, à Principe, ſeù ſuperiore Eccleſiaſtico, & ordinatur ad ſanctam vitam Subditorum, ac ſupernaturalem fælicitatem ipſorum. Utraque habet eandem diſtinctionem, vel ſubdiviſionem. Quartò igitùr dividitur lex humana generatim ſumpta in *favorabilem*, ſeù beneficium conferentem, & in *odioſam*, ſeù oneroſam, quæ infert pœnam vèl aliud ſimile gravamen; nàm licet ex parte finis ſem-

per

per intendatur per omnem legem aliquid favorabile, ſcil. bonum commune; tamen ex parte materiæ, & eſt lex quę purum favorem, & eſt lex quæ purum gravamen continet, non ſolùm directè, & per ſe, ſed etiam indirectè, ſeù per quandam conſecutionem; atque adeò ſunt aliquæ favorabiles, & aliæ odioſæ. Poteſt autèm eadem lex ſub diverſis reſpectibus eſſe favorabilis, & odioſa; ut fert communis ſententia. Sub lege favorabili comprehenditur lex merè præceptiva; ſub odioſa verò comprehenduntur lex pænalis, lex imponens tributum, aùt onus, & lex irritans factum, quod prohibet directè, vèl indirectè, ſeù conſequentèr.

5 Quintò dividitur lex humana in purè præceptivam, aut prohibitivam, & purè pænalem, àc mixtam. Prima eſt, quæ aliquid præcipit, aùt prohibet ſimplicitèr, ſeù abſque adiectione pænæ. Secunda eſt, quæ facit præcisè mentionem pænæ, ſeù minatur, aùt imponit præcise pænam, quin aliquid præcipiat, vèl prohibeat. Tertia eſt quę non ſolùm facit mentionem pænæ, ſed etiam aliquid præcipit, vel prohibet. Sexto lex prohibens dividitur in purè prohibentem, & in irritantem. Prior eſt, quæ prohibet fieri aliquem actum, non tamèn irritat ipſum, ſeù quæ reddit actum illicitum, non tamèn invalidum, & nullum; ut lex prohibens contrahi matrimonium cum voto ſimplici caſtitatis, reddit illicitum, non verò nullum matrimonium cum illo contractum. Poſterior eſt, quæ ita prohibet aliquem actum, ut ſimul irritet ipſum, ſeù quæ nedùm redit actum illicitum, ſed etiam nullum, & invalidum; uti eſt lex prohibens contrahi matrimonium cùm voto ſolemni caſtitatis.

6 Septimò lex irritans dividitur in pænalem, & pure irritantem. Pænalis eſt, quandò irritatio ſtatuitur in odium tranſgreſſoris, ſivè ob culpam eiuſdem; quales ſunt leges irritantes collationem beneficij ob commiſſam ſimoniam, & matrimonium ob homicidium coniugis, vèl ob adulterium cum promiſsione matrimonij futuri. Purè irritans eſt, quando irritatio non ſtatuitur in odium tranſgreſſoris, ſeù ob aliquam culpam, ſed potius in favorem boni communis; quales ſunt leges irritantes profeſsionem Religioſam antè tempus emiſſam, & teſtamenta ſine debita ſolemnitate condita, &c. Octavò denique tàm lex pænalis,

quàm irritans, una eſt *latæ ſententiæ*, quæ per ſe ipſam, ſivè ipſo jure, ſeù facto irritat, vèl infligit pænam abſque ulteriori Judicis ſententia, ſaltèm condemnatoria; alia autèm eſt *ſententiæ ferendæ*, quæ comminatur pænam, vèl irritationem ponendam per ſententiam Judicis; quarum diſtinctio dignoſcitur ipſis verbis, quibus uſus fuerit Legiſlator.

QUÆSTIO II.

Utrùm ſit in hominibus poteſtas condendi leges; & utrùm perſeveret talis poteſtas in Eccleſia Chriſti?

1 DUO quærit titulus quæſt.. Primum eſt: an homines, loquendo ex ſola natura rei, àc de ſola poteſtate legiſlativa ſecundùm ſe inſpecta, poſſint imperare hominibus, per proprias leges eos obligando? Secundum eſt: àn talis poteſtas ſit ſubtracta per Divinam legem poſitivam, an verò perſeveret in Eccleſia Chriſti? Pro quorum reſolut. ſit. Prima concluſ.: ex natura rei, per ſe, ſivè abſolutè loquendo, ineſt hominibus poteſtas legiſlativa, iuxta ipſam humanæ naturæ convenientiam, & exigentiam. Eſt. cõmunis Theologorum; ac Philoſophorum. Prob. 1. Deus ipſe in populo Judæorum conſtituit Judices, ac Reges, qui eſſent Legiſlatores, & haberent principatum, àc poteſtatem imperandi, àc condendi leges, quibus teneretur populus obedire, & eos in tanta veneratione habere, ut Dij etiam vocarentur, iuxta illud Pſalmi 81. *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos iudicat*: ergo talis poteſtas eſt conſentanea ipſi naturæ, & neceſſaria ad regimen conveniens communitatis humanæ. Conf.: conſuetudo fuit etiàm in lege naturæ habere Reges, & Principes, penes quos eſſet poteſtas imperandi, & condendi leges, quibus alij tenerentur obedire, ut conſtat ex cap. 14. Genes., & alijs locis: ergo.

2 Prob. 2. ex Ariſt. lib. 1. Politic.: homo ex natura ſua eſt animal ſociabile, & naturaliter appetit in communitate vivere; ſed talis vivendi modus naturaliter exigit poteſtatem, ad quam ſpectet regimen communitatis, etiam per præcepta, & leges: ergo ex natura rei, iuxta humanę naturæ exigentiam, & convenientiam, ineſt hominibus poteſtas legiſlativa. Prob. min.: in Communitate imperfecta, & ſibi non ſufficienti, nem-

nempè familia particulari, eſt ex natura rei caput, nempè vir habens poteſtatem reſpectu uxoris, filiorum, & totius familiæ in ordine ad domeſticam, ſeù æconomicam gubernationem eiuſdem : ergo in Communitate perfecta, & politica, ſeù Republica, eſt neceſſaria ex natura rei poteſtas gubernativa illi proportionata, ſcil. præceptiva, & legiſlativa. Conf.: ſapiens cap. 11.Proverb.ait : *ubi non eſt gubernator, corruet populus*; ſed natura non deficit in neceſſarijs : ergo ſicut communitas perfecta eſt neceſſaria, & conſentanea rationi, àc juri naturali, ita poteſtas legiſlativa, ſine qua eſſet maxima confuſio in tali communitate, ineſt ex natura rei, iuxta exigentiam ipſius naturę.

3 Prob. 3. corpus naturale habet ex natura rei aliquod principium, & poteſtatem, ad quam pertinet procurare, & intendere bonum commune ipſius corporis, quod ſine tali principio non poſſet conſervari; ſed in corpore politico, ſeù communitate perfecta nequit tale principium, ſeù poteſtas eſſe alia, quàm legiſlativa : ergo ex natura rei ineſt in eo talis poteſtas. Nunc ſic : ſed homines non gubernantur ita politicè per Angelos, ut eſt manifeſtum; nec immediatè per Deum ipſum, qui ex lege ordinaria operatur per cauſas ſecundas proportionatas : ergo neceſſarium, àc naturale eſt, quod ita per homines gubernentur. Conf. : ideò in corpore naturali dàtur ex natura rei principium, ſeù poteſtas intendens bonum commune, quia ſingula membra conſulunt proprijs commodis, quæ ſæpè contraria ſunt bono communi, & interdùm multa ſunt neceſſaria bono communi, quę non ità pertinent ad ſingula membra, & quamvis ad ipſa pertineant, ab unoquoque non procurantur quia communia; ſed quia propria, & particularia ſunt; ſed hoc etiam contingit, imò potiorī cauſa, in corpore politico, ſeù communitate perfecta: ergo etiàm in ipſa eſt ex natura rei neceſſaria poteſtas publica, ad quam ex officio pertineat intendere, àc procurare bonum commune.

4 Argues : homo natura ſua liber eſt, nulli ſubiectus, niſi Creatori tantum : ergo imperium humanum eſt contra naturæ ordinem, & includit tyrannidem. Prob. antec. Primò : Deus condens primum hominem dixit : *faciamus hominem :: ut præſit piſcibus maris, volatilibus cœli, & beſtijs, univerſæque terrę*; non

autèm dicitur ut præſit hominibus, prout advertit M. P. Auguſt. lib. 19. de Civ. Dei cap. 15. dicens: *Et ideo priores iuſti non Reges, ſed paſtores ovium fuerunt, & appellati ſunt*: ergo. Prob. ſecundo: Gen. cap. 10. dicitur de Nemrod.: *ipſe cœpit eſſe potens in terra*:: *Fuit autem principium regni eius Babylon*, id eſt, per vim, potentiam, & tyrannidem: Et Oſeæ cap. 8. habetur: *ipſi regnaverunt, & non ex me: principes extiterunt, & non cognovi*: ergo. Prob. tertiò illud antec.: cap. 33. Iſaiæ dicitur: *Dominus iudex noſter; Dominus legifer noſter, Dominus rex noſter.* Et in Epiſt. D. Iacobi cap. 4. *Unus eſt enim legiſlator, & iudex* (nempè Deus) *qui poteſt perdere, & liberare*: ergo. Conf. 1. non eſt propriè lex; quæ non obligat in conſcientia; ſed unus homo non poteſt alium in conſcientia obligare; quia hoc eſt proprium ſolius Dei, qui poteſt ſalvare, & perdere: ergo. Conf. 2. per ſolam Divinam legem, naturalem, & poſitivam homo ſufficienter dirigitur ad ducendam vitam honeſtam, & pacificam inter concives: ergo ſuperfluæ ſunt leges humanæ, àc poteſtas legiſlativa in homine.

5 Ad arg. diſt. antec.: homo natura ſua eſt liber, & nulli actui ſubiectus immediatè à natura, conc.; nulli eſt ſubiectus in potentia, ſeù ſubijcibilis mediante, ſeù interveniente humana voluntate, ita ut communitas perfecta non poſsit determinare principem, ſeù poteſtatem, cui ſubijciantur homines, neg. antec., & conſeq.; quia licèt actù ſubijci poteſtati alicuius Principis non ſit immediatè à natura, tamèn non eſt contra jus naturale, quin potiùs eſt valdè conſentaneum naturali rationi, quòd humana reſpublica habeat aliquem cui ſubijciatur; quamvis ipſum naturale jus non effecerit ſubiectionem politicam ſine interventu humanæ voluntatis, ut conſtabit ex dicendis. Ad 1. probat. antec. reſp., Deum unicè expreſsiſe id, quod per naturam conveniebat homini, nempè præſtantiam, & præſidentiam ſuper animalia; nullatenùs autem negaſſe, quòd inter homines, quantumvis natura æquales, poſſet inſtitui talis ordo, ut unus haberet poteſtatem præſidendi, & imperandi alijs. Nec hoc etiã negat D. Aug.; ſed ſolùm docet, regna, principatus, & ſolemnia regimina non fuiſſe ſtatim à principio inſtituta, & exercita.

6 Ad 2. probat. dicimus, quòd licèt per abuſum hominum fuerint aliquandò regna, & imperia uſurpata per vim,

&

& tyrannidem; tamèn hoc non pertinet ad intrinſecam rationem principatus, nec regna fuerunt ita introducta in principio, ſed per voluntatem hominum; nec *Babylon* ibi ſignificat vim, aut tyrannidem, ſed unam ex civitatibus, ubi regnare cæpit Nemrod. Ad aliud ex Oſea reſp., illud dictum fuiſſe de Regibus Iſraèl introductis præter Dei voluntatem. Poſſunt tamèn applicari ad omnes tyrannos, imò ad quoſlibèt inique regnantes, licet ſint veri Reges; nam tales dicuntur regnare non ex Deo, quia non regnant, nèc imperant ſecundum voluntatem eius. Ad 3. probat. antec. explic. verba Iſaiæ, & Iacobi: Dominus iudex, legifer, & rex noſter ſupremus, & univerſalis, àc unus per excluſionem alterius ſuprimi, qui poſsit perdere, & liberare, conc.; Dominus ita imparticipaliter eſt unus iudex, legifer, & rex noſter, ut nullatenùs, adhùc participative, & dependentèr, poſsit unus homo iudicare, leges ferre, ac imperare alijs, neg. hunc eſſe ſenſum illorum verborum.

7 Ad 1. conf. reſp. permis. mai., neg. min.; quia etiàm homo, dùm operatur ut miniſtèr Dei, & exercet poteſtatem ab ipſo acceptam, poteſt alium obligare in conſcientia, ut probabitur infrà. Ad 2. conf. diſt. antec.: per ſolam legem Divinam homo dirigitur ſufficienter, ſaltem remotè, implicitè, & virtualitèr, quatenùs omnia alia præcepta continentur in Divina lege, vèl debent eſſe conformia ipſi, ac ordinari ad eius obſervationem, vi cuius etiàm tenetur obedire poteſtati humanæ, conc.; per ſolam Divinam legem homo dirigitur ſufficienter etiàm proximè, explicitè; & formaliter, ita ut illa conſtituat, & diſponat immediatè omnia requiſita, & conducentia ad rectè moraliter, & civiliter inſtituendam vitam humanam, neg. antec., & conſeq.; quia ex eo ſequatur, naturam, vèl Deum deficere in neceſſarijs, cùm conceſſa ſit hominibus poteſtas, per quam conformitèr dictamini naturæ, & voluntati Divinæ poſsit ſtatui illud, quod per legem naturalem, aut Divinam poſitivam non eſt ſtatutum immediatè.

8 Secunda concluſ.: Fideles per legem Evangelicam non eximuntur ab obedientia erga ſuperiores, tàm Eccleſiaſticos, quam ſæculares, nec ab obligatione parendi legibus latis ab illis; ac proinde in Eccleſia Chriſti perſeverat poteſtas ferendi leges huma-

nas, & Chriſtiani obligantur ad eas implendas. Eſt de fide, contra aliquos hæreticos, inter quos Lutherus, & Calvinus. Prob. primo ex Sacra Script.: Chriſtus D. interrogatus, àn liceret dare cenſum, ſivè tributum cæſari? dixit Math. 22. *Reddite quæ ſunt Cæſaris cæſari, & quæ ſunt Dei Deo.* Et D. Paulus in Epiſt. ad Roman. cap. 13. ait: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit; non enim eſt poteſtas niſi à Deo, quæ autem ſunt a Deo, ordinatæ ſunt; itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit; qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt :: Idcò neceſſitate ſubditi eſtote* (per quod refellitur Lutherus) dicens, Fideles non eſſe ſubditos, aùt obligatos parere, niſi velint) *non ſolùm propter iram, ſed etiàm propter conſcientiam* (per quod retunditur Calvinus, aſſerens, leges humanas non obligare conſcientiam). Et in Epiſt. ad Hæbr. cap. 17. *obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.* Et D. Petrus in Epiſt. 1. cap. 2. inquit: *Subiecti igitur eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum: ſive Regi, quaſi præcellenti; ſivè Ducibus, tanquàm ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum; quia ſic eſt voluntas Dei, ut benefacientes obmutescere fa-*

cialis imprudentium hominum ignorantiam, ſcil. illorum, qui accuſabant Chriſtianos de eo, quod principatus humanos everterent, & libertatem ab eorum legibus, àc conſuſionem quandam introducerent: ergo.

9 Prob. ſecundò ratione deſumpta ex Naziaz. 2. orat. 17. ad populum, & ex M. P. Aug. lib. 19. de civ. Dei cap. 17. finis legum humanarum eſt per ſe bonus, & neceſſarius etiam in populo Chriſtiano: ergo. Prob. antec.: finis talium legum eſt ordo, concordia, & pax communis habenda per earum obſervantiam, & coercitionem; ſed hoc eſt per ſe bonum, & Chriſtianis etiàm neceſſarium, ut eſt manifeſtum: ergo. Conf. primò: legiſlatio humana eſt naturalis, ſeu conſentanea ipſi naturæ; ſed gratia non deſtruit, quin potiùs perficit naturam: ergo lex gratiæ, ſcù Evangelica non abſtulit poteſtatem legiſlativam humanam. Conf. 2: Reges legitimi Gentium, priuſquam convertantur, ſeu veniant ad Evangelium, ſunt veri Reges, àc ſubditi tenentur obedire ipſis; ſed per converſionem ipſorum, vèl ſubditorum ad fidem, non amittunt ſua regna, nec poteſtatem imperativam, ut conſtat; ergo. Urg.: apud

ip-

ipſos hæreticos pro quolibet regimine feruntur frequenter leges, quarum tranſgreſſores puniunt ſeverè: ergo ipſi ſuo facto practicè probant noſtram ſententiam, quam ſpeculativè negant.

10 Arg. 1. Judæis erat prohibitum ſuperaddere leges aliquas legi Divinæ: ergo ſimiliter Chriſtianis non eſt licitum condere leges ſuperadditas Evangelio. Antec. patet ex Deuteron. cap. 4. ubi dicitur: *Non addetis ad verbum quod loquor vobis, nèc auferetis ex eo.* Et cap. 12. habetur: *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nèc addas quidquam, nec minuas.* Conſeq. patet, tùm paritate rationis; tum ex illo D. Joan. cap. ult. Apocalipſ. dicentis: *Conteſtor omni audienti verba prophetiæ libri huius, ſi quis apposuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto; & ſi quid diminuerit :: auferet Deus partem eius de libro vitæ.*

11 Reſp. primò diſt. antec.: Judæis erat prohibitum ſuperaddere leges aliquas tanquam Divinas, ſeù à Deo immediate latas, conc. antec.; tanquam humanas, ſeù ab hominibus ſancitas, neg. antec.; nam ex teſtamento veteri conſtat, plura fuiſſe à ſanctis hominibus ſancita, & à Judæis ſervanda; & ſimiliter diſt. conſeq.. Reſp. 2. diſt. aliter antec.: Judæis erat prohibitum ſuperaddere leges contrariantes legi Divinæ, conc. antec.; leges conformes, & ſubordinatas legi Divinæ neg. antec.; & diſt. ſimiliter conſeq. Reſp. 3. admiſſo antec., neg. conſeq.; quia cùm in lege veteri præter præcepta Moralia fuerint etiam iudicialia, & cæremonialia adhùc quantum ad minima, quę vel Dei cultum, vel pacem populi ſervandam, & ſtabiliendam reſpiciebant, ideò non eſt mirum ſi fortè non fuit in hominum poteſtate ferendi leges humanas, Eccleſiaſticas, vel politicas, cùm Deus proviſerit omnibus per ſe ipſum; at in lege Evangelica, cùm Chriſtus D. non præſcripſerit iudicialia, nèc ceremonialia minùs præcipua, ideò circa hęc debuit hominibus concedi poteſtas legiſlativa.

12 Arg. 2. Chriſtus D. Marci cap. 7. damnat præcepta hominum ex cap. 29. Iſaię dicens: *in vanum me colunt docentes Doctrinas, & præcepta hominum.* Et Math. cap. 23. arguit Phariſæos quòd onera gravia imponeret in humeros hominum: ergo improbat leges humanas Conſ.: contra

ſua

ſuavitatem, & facilitatem legis Evangelicæ eſt, Chriſtianos obruit tot legibus humanis, ut earum multitudo ſuperet difficultatem, & multitudinem præceptorum legis antiquæ: ergo Chriſtiani non tenentur legibus humanis. Urg.: Chriſtus D. cap. 22. Lucæ alloquens Apoſtolos ait: *Reges Gentium dominantur eorum, vos autèm non ſic*: ergo docet, nullam vigere dominationem apud fideles, àc proindè nèc poteſtatem legiſlativam.

13 Ad arg. reſp., quòd in verbis D. Marci reprehendit Chriſtus D. Phariſæos, quia ſuperſtitiosè proponebant multas inutiles, & vanas obſervantias, neglectis Divinis mandatis, ut conſtat ex verbis immediatè ſequentibus, ſcil.: *Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum.* Apud Math. verò Chriſtus redarguit Phariſæos eò quòd onera alijs impoſita *nollent digito ſuo movere.* Inſilis igitur locis non damnat præcepta humana, quę ſint rationabilia, legi Divinæ conformia, & à Superioribus obſervata. Ad conf. concel. ant., neg. conſeq.; quia licet reprobetur abuſus imprudens, & nimius in conditione indiſcreta pluriũm, & difficilium legum, non tamen poteſtas abſolutè legiſlativa, nèc uſus moderatus talis poteſtatis, ita ut converſatio fidelium non reddatur oneroſa. Ad urgent. neg. conſeq.; quia Chriſtus ibi tantùm monet Apoſtolos, nè dominatum, titulos honoris, aùt excellentiæ affectent, ſed potiùs deſiderent ſervire alijs; ſi autem cogantur præeſſe, id non faciunt quaſi dominantes, ſed quaſi miniſtrantes, & ſequentes exemplum ipſius Chriſti.

14 Arg. 3. Scriptura Chriſtianos nominat liberos à ſervitute, dominatione, & lege: ergo. Prob. antec.: Math. cap. 7. dicitur. *Liberi ſunt filij*, nempè Chriſtiani. Et Apoſt. in Epiſt. ad Galat. cap. 2. conqueritur, quòd falſi fratres *ſubintroierunt explorare libertatem, quam habemus in Chriſto Jeſu, ut nos in ſervitutem redigerent.* Et cap. 5. *Vos in libertatem vocati eſtis.* Et ibi dem: *Si ſpiritu ducimini, non eſtis ſub lege.* Et Epiſt. 1. ad corinth. cap. 7. *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſervi hominum.* Et Epiſt. 2. ad eoidem cap. 3. *Ubi ſpiritus Domini, ibi libertas*: *ergo.* Rep. diſt. antec.: Scriptura Chriſtianos nominat liberos à ſervitute, & dominatione peccati, atque à legè veteri, imò, & à timore ſervili, ita ut legibus obediant plùs amore honeſtatis, & iuſti-

titiæ, ſeù ex charitate, quàm ex terrore, & comminatione pœnæ, conc. antec. (& in aliquo ex his ſenſibus intelligi debent prædicti textus); nominat liberos abſolutè à ſervitute, dominatione, & lege implenda, ſeù immunes ab obedientia ſuperioribus præſtanda, neg. antec.; tùm quia oppoſitum conſtat ex locis allegatis num. 8. tùm, quia in Epiſt. ad Epheſ. cap. 6. dicitur: *Servi obedite dominis carnalibus.* Et D. Petrus in Epiſt. 1. cap. 2. ait: *Servi ſubditi eſtote in omni tempore dominis.* Tùm, quia intelligentes alitèr libertatem chriſtianam, contradicunt D. Paulo dicenti: *tantùm nè libertatem in occaſionem detis carnis*, id eſt, nè ea abutamini ad vitæ licentiam; & D. Petro Epiſt. 1. cap. 2. *Quaſi liberi, & non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut ſervi Dei.*

QUÆSTIO III.

In quibus hominibus reſideat poteſtas legiſlativa, à quo illam immediatè accipiant, & quo jure illis competat?

1 SUpponendū primò, quòd ſuprema poteſtas legiſlativa penès ſolum Deum reſidet, & ab ipſo eam participant, ſeù accipiunt homines, vel immediatè, vel mediatè ſaltim, iuxta illud Proverb. cap. 8. *Per me Reges regnant. per me Principes imperant, & Potentes decernunt iuſtitiam.* Et iuxta illud Pauli in Epiſt. ad Roman. cap. 3. *Non eſt poteſtas, niſi à Deo.* Supp. 2. ex dictis quęſt. 1. num. 4., quòd cum duplex ſit hominum ſtatus, ac finis, unus ſcil. naturalis, & alter ſupernaturalis, ad quos Deus dirigit homines, ideò etiàm duplicem authoritatem hominibus conceſsit, quà tanquàm adminiſtri ſuæ poteſtatis ſupremę alios ſibi, ſibi ſubditos ordinarent, ac dirigerent ad utramque fælicitatem, ſcil. naturalem, & ſupernaturalem; & ideò (præter authoritatem paternam, ſeù æconomicam, quam habet paterfamilias erga communitatem imperfectam illi ſubiectam) datur inter homines duplex poteſtas propriè legiſlativa erga communitatem perfectam, una civilis, & politica, alia autem ſpiritualis, & Eccleſiaſtica, ac de utraque procedit quæſt. propoſita.

2 Supp. 3., quòd poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica eſt excellentior civili; quia poteſtas Eccleſiaſtica eſt ordinis ſupernaturalis, non ſolùm quantùm ad principium, à quo de-

rivatur, utpote per ſe inſtituta, & collata à Deo ut authore gratiæ, ſed etiam quantum ad finem, ſiquidèm per ſe primò reſpicit; & intendit ſupernaturalem finem, & æternam fælicitatem, ordinando media ſupernaturalia ad talem finem; poteſtas autèm civilis eſt ordinis naturalis, & ex parte principij, utpotè data à Deo ut authore naturæ, & ex parte finis, ſiquidèm per ſe intendit fælicitatem naturalem. Supp. 4., poteſtatem Eccleſiaſticam eſſe ita ſuperiorem civili, ut hæc ſit illi ſubiecta, & ſubordinata. Ita communiter Catholici, & aſſeritur à Bonifacio Papa in extravag. *Unam ſanctam* de Maiorit. & obed., dicente: *oportet gladium eſſe ſub gladio, & temporalem authoritatem ſpirituali ſubijci poteſtati.* Ex quo prob. ſuppoſitio primò: ubi eſt unum corpus, neceſſe eſt, eſſe unum caput, ad quod omnia alia aliquomodo revocentur, & cui ſubijciantur; nam aliàs neque pax, neque perfecta unitas poſſet eſſe in corpore; ſed Eccleſia Chriſti eſt unum corpus myſticum, ut ſatis ſignificatur in Evangelio, & docetur à D. Paulo, ac exprimitur in Symbolo: ergo quamvis in ea ſint plures poteſtates, neceſſe eſt, quod inter ſe habeant ſubordinationem, ita ut una ſubijciatur aliquo modo alteri. Nunc ſic: ſed ſpiritualis poteſtas nequit ſubijci temporali; nàm ſuperius, & excellentius nequit ſubordinari inferiori: ergo neceſſe eſt, quòd temporalis ſubordinetur ſpirituali.

3 Prob. ſecundò: Gelaſius Papa in cap. *Duo ſunt*, diſt. 69. ait: *Quia pro animabus Regum Pontifices ſunt reddituri rationem*, inſinuans, etiam Reges, & Imperatores fuiſſe ſubiectos Petro in illis verbis *Paſce oves meas*, quia ſub ovibus Chriſti debent comprehendi: ergò à Summo Pontifice debent paſci, regi, corrigi, & emendari, ſi quid peccaverint, non ſolùm ut homines, ſed etiàm ut Reges in uſu ſuæ poteſtatis. Prob. 3. ſummus Pontifex habet dominium, ſeù poteſtatem temporalem indirectam in univerſum orbem, iuxta illud quod de D. Petro canit Eccleſia. *tibi tradidit Deus omnia regna mundi*; ſed tale dominium, ſeù poteſtas non fundatur niſi in ſubordinatione poteſtatis temporalis ad ſpiritualem, quæ cùm reſpiciat directè ſpiritualia, extenditur conſequenter ad temporalia, utpotè ſpiritualibus ſubiecta, & ſubordinata: ergo. Supp. 5., poteſtates civilem, & ſpiritualem nec eſſe neceſſario con-

iunc-

junctas, nèc neceſſariò ſeparatas ita ut ſicut dantur plures habentes poteſtatem civilem ſine ſpirituali, & alij habentes ſpiritualem ſine civili, ita poteſt utraque poteſtas in eadem perſona ſimùl coniungi, ut evenit in ſummo Pontifice, qui ſimùl eſt Rex temporalis in ſuis dominijs, & in multis Epiſcopis, qui ſimùl habent dominium temporale, & poteſtatem civilem.

4 Supp. 6., quod triplex eſt modus ſimplex poteſtatis, ſeù regiminis, aùt gubernationis politicæ, & temporalis. Primus eſt Monarchicus per unum caput, ſeù legiſlatorem, aut gubernatorem ſupremum, penes quem reſidet abſolutè, & ſimpliciter poteſtas regendi univerſum populum. Secundus eſt Ariſtocraticus, id eſt, per paucos; & optimos apud quos exiſtit juriſdictio, & poteſtas gubernandi reliquos. Tertio eſt Democraticus, id eſt, per plures, & plebeios. Ex quibus poſſunt confici varij modi gubernationis mixtæ, ſeù compoſitæ ex illis ſimplicibus, per participationem omnium, vèl duorũ ex illis Supp. 7., quòd licet Monarchia ſit melior quàm Ariſtocratia, & Democratia, ut latè oſtendit Ariſt. lib. 3. Polit. cap. 5., & lib. 8. ethic. cap. 10.; & colligitur ex gubernatione, & providentia Monarchica totius univerſi, quam oportet eſſe optimam; & oſtendit exemplum Chriſti D. in inſtitutione, & gubernatione Monarchica Eccleſiæ; tamèn alij modi gubernandi non ſunt mali; ſed poſſunt eſſe boni, & utiles; ideo que licèt poteſtas legiſlativa, & gubernativa civilis ſit abſolute de jure naturæ, tamèn ex pura eius lege non coguntur homines habere hanc poteſtatem in unò, vèl in paucis, vèl in pluribus, vel in omnibus; ſed determinatio ad certum modum poteſtatis, & regiminis eſt ex arbitrio humano, quod poteſt illam ſtatuere uno, vèl altero modo. His ſuppoſitis, ſit.

SECTIO I.

Reſolvitur quæſtio de poteſtate Civili.

5 PPrima conclus poteſtas ordinaria legiſlativa civilis reſidet primariò, & primordialitèr penes ipſam Rempublicam, ſeù communitatem perfectam, cui jurę naturæ competit talis poteſtas; eam que habet immediatè à Deo per modum proprietatis conſequentis perfectam hominum communitatem, ſeù congregationem ipſorum per modum unius corporis politici, cui non eſt affixa immutabili-

tèr, ſed poteſt ea privari vèl illam in ſe retinere. Eſt communis quoad omnes partes. Pro intelligentia tamen advertendum eſt, multitudinem hominum poſſe conſiderari dupliciter, primò ut eſt quoddam aggregatum ſine illo ordine, vel unione morali adinvicem, & ſic non ſunt propriè unum corpus politicum, nèc in eis datur poteſtas legiſlativa propriè, & formaliter, ſed ad ſummum virtualiter, & quaſi radicaliter. Secundò quatenùs ipſorum voluntate, & communi conſenſu in unum corpus politicum congregantur uno ſocietatis vinculo, ut mutuò ſe iuvent in ordine ad unum finem politicum, & ſic conſtituunt communitatem perfectam, in qua reſidet poteſtas legiſlativa modo dicto in conclus..

6 Prob. igitur 1. pars. ex natura rei, & jure naturæ eſt in hominibus poteſtas legiſlativa, ut conſtat ex quæſt. præced.; ſed non eſt in ſingulis, vel in aliquo determinate: ergo jure naturæ competit illorum collectioni, & Communitati perfectæ. Prob. min.: ex natura rei ſinguli homines naſcuntur liberi, & ideo nullus habet jurisdictionem politicam, nec dominium in alium, & non eſt potior ratio de uno homine, quam de alio, cur illi competeret ex natura rei jus regendi communitatem: ergo. Conſ.: poteſtas legiſlativa conſequitur conditionem corporis politici velut quædam eius proprietas moralis: ergo ex natura rei competit ipſi corpori, & non alicui ſingulari. Antec. patet; quia eò ipsò quòd homines coeunt in aliquam communitatem perfectam, habet iſta ex natura rei poteſtatem ſe regendi ad bonum commune, & dirigendi ad unum finem per media opportuna, ita ut implicet, homines ita politicè congregari, & non manere ſubiectos ad idem regimen, & ad aliquam communem, ac ſuperiorem poteſtatem. Conſeq. infertur legitimè; quia cum talis poteſtas ſit velut moralis proprietas ex natura rei conſequens ipſum corpus politicum, ſeù communitatem, ideò iſti competit ex natura rei, & non alicui ſingulari, ſeù individuo, aut inferiori talis Communitatis.

7 Prob. 2. pars concluſ.: talis poteſtas non eſt proximè ab hominibus, tanquàm à propria cauſa efficiente: ergo eſt immediatè à Deo. Prob. antec. primò: talis poteſtas habet plures actus, qui videntur excedere humanam facultatem, prout eſt in ſingulis hominibus: ergo non eſt ab illis, ſed à Deo. Prob. antec.:

ac-

actus talis poteſtatis eſt puni-tio malefactorum, etiam uſque ad mortem, quod eſt proprium Dei, qui ſolus eſt dominus vitæ, ac etiam vindicare iniurias ſingulorum, quod expectat ad Deum; iuxta illud Epiſt. ad Roman. cap. 12. *Mihi vindictam, & ego retribuam*; & alij actus ſimiles, qui ſunt proprij Divinæ poteſtatis: ergo. Prob. ſecundò illud antec.: ſuppoſita voluntate hominum conveniendi in unam policam communitatem, non eſt in eorum poteſtate impedire talem juriſdictionem: ergo hæc non provenit proxime ex eorum voluntate, quaſi ex propria cauſa efficiente, quæ ſicut ſua virtute ponit effectum, poteſt impedire illum.

8 Prob. tertio idem antec.: ideò talis poteſtas eſſet immediatè ab hominibus, quia iſti ſua voluntate efficiunt cõmunitatem perfectam, quam conſequitur illa poteſtas; ſed hoc unicè probat, quod quaſi diſponant materiam, & efficiant ſubiectum capax talis poteſtatis, non autem quòd tribuant illam immediatè efficienter: ergo. Prob. min.: licet vir, & uxor contrahant matrimonium ſua voluntate, & quaſi diſponant materiam, ſeu efficiant ſubiectum capax poteſtatis, aut ſuperioritatis viri in uxorem; tamen talis ſuperioritas non provenit immediatè ex eorum voluntate, ſed oritur ex jure naturę, & provenit à Deo eius auctore: ergo ſimiliter quamvis homines ſuo conſenſu efficiant communitatem perfectam, ſeu ſubiectum capax illius poteſtatis, tamen hæc non provenit immediatè ab ipſis, ſed à Deo ut auctore naturę, quidat illam poteſtatem, veluti proprietatem naturaliter conſequentem ipſam politicam hominum congregationem, ſemel conſtitutam in ratione communitatis perfectæ, ac ſubiecti capacis illius poteſtatis.

9 Prob. 3. pars concluſ.: poteſtas competens ipſi communitati poteſt per eius conſenſum, aut per aliam iuſtam cauſam, transferri in alium, ut conſtat ex uſu, & ex dicendis patebit amplius: ergo non eſt affixa immutabiliter ipſi communitati, ſed poteſt ea privari. Conf.: licèt libertas à ſervitute ſit proprietas naturalis hominis, & ideo dici ſoleat de jure naturæ; tamen homo per propriam voluntatem, vel ex iuſta cauſa, poteſt ſe illa privare, & in ſervitutem redigi: ergo pariter quamvis communitas perfecta ſit ex natura rei libera, & habeat poteſtatem in ſe, poteſt aliquo ex prædictis modis pri-

vari tali poteſtate. Urg. : talis poteſtas nõ eſt proprietas Phyſica manans Phyſicè à natura, ſed quaſi moralis data à Deo ut auctore ad convenientem gubernationem communitatis humanæ : ergo ita datur, ut poſsit mutari, prout communi bono fuerit magis expediens. Sed pluries expedit, communitatem privari tali poteſtate, & iſtam mutari, àc in alium transferri : ergo.

10 Arg. contra 2. part. concluſ. : idem eſt principium immediatum poteſtatis legiſlativæ, & communitatis perfectæ, in qua reſidet ; ſed ipſa communitas coaleſcit medio conſenſu, & voluntate hominum, ſe congregantium in unum corpus politicum : ergo ab eiſdem voluntatibus, & non immediatè à Deo provenit illa poteſtas. Prob. mai.: poſita cõmunitate perfecta, ſequitur poteſtas legiſlativa velut proprietas naturalitèr conſequens ipſam ; ſed qui dat formam, dat conſequentia ad formam : ergo idem eſt principium proximum, vèl auctor immediatus communitatis perfectæ, & talis poteſtatis. Reſp. neg. mai. ; ad cuius probat. diſt. mai. : poſita communitate, ſequitur poteſtas legiſlativa veluti proprietas moralis, ſeù per modum juris, & dominij, conſequens ipſam communitatem tanquàm ſubiectum diſpoſitum, & capax talis poteſtatis, conc. mai.; ſequitur veluti proprietas Phyſica, manans à natura, & conſequens ipſam cõmunitatem tanquam propriam formam, neg. mai., & diſt. ſimiliter min.: qui dat formam propriè, & ſtrictè talem, dat conſequentia per modum proprietatis Phyſicæ ad ipſam, conc. min.; qui dat formam latè talem, ſeù diſponit materiam, aùt efficit ſubiectum capax formæ, dat conſequentia per modum proprietatis moralis, neg. min., & conſeq..

11 Secunda concluſ. : poteſtas civilis legitimo, àc ordinario jure reſidet apud Imperatores, Reges, àc Principes ſupremos in ſuis reſpectivè ditionibus ; eam que habent proximè, vèl remotè à communitate, ſive Populo, qui talem poteſtatem à ſe alienavit, & tranſtulit in ipſos quibus competit jure humano, àc eo modo, & ſub ea conditione, ſub qua data eſt, tranſlata per communitatem. Eſt communis. : Prob. iuxtà dicta, talis poteſtas ex natura rei eſt immediatè in communitate ita, ut poſsit illam à ſe alienare, & in alium transferre ſuo conſenſu, & voluntate, proùt de facto Populi illam à ſe alienarunt, & tranſtulerunt in

ſuos

ſuos Imperatores, Reges, & Principes: ergo legitimo, ac ordinario jure in eos manavit à Populo, ſeu communitate, illis que competit humano jure. Conf.: poteſtas legiſlativa poteſt intelligi data Regibus immediatè ab ipſo Deo, ut in Saul, & David; ſed illud fuit extraordinarium, & ſupernaturale quoàd modum; nàm iuxta communem, & ordinariam providentiam non reguntur homines revelationibus, ſed naturali ratione, & ordine, in his quæ civilia ſunt: ergo ordinario, & communi jure talis poteſtas datur Regibus ab ipſo populo, qui ita illam accepit immediatè à Deo, ut poſsit eam transferre in alium, & pro ſuo nutu determinare, & eligere modum exercendi talem poteſtatem, ac ſub tali, vel quali conditione.

12 Argues. Proverb. cap. 8. dicitur: *Per me Reges regnant.* Et ad Roman. cap. 13. *Non enim eſt poteſtas niſi à Deo:: itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit*: ergo Reges habent poteſtatem immediate à Deo, ac ipſis competit talis poteſtas jure Divino. Conf.: ſi Reges haberent poteſtatem a Populo; ſequeretur quòd Populus eſſet ſuperior Rege, ſiquidem ab illo haberet poteſtatem; & quod poſſet illum deponere, vèl mutare; item ſequeretur, quòd Regum poteſtas non eſſet ordinaria, ſed delegata, quam ipſi non poſſent delegare, ac per alios exercere; ſed hæc ſunt falſa, & abſurda: ergo.

13 Ad arg. explic. primum textum: *Per me Reges regnant*, id eſt, Deus eſt auctor primarius, præcipuus, & proprius poteſtatis Regiæ, conc.; id eſt, Deus eſt auctor immediatus talis poteſtatis, ſubdiſt.: eſt auctor immediatus poteſtatis gubernativæ ſecundum ſe formaliter ſumptæ, & prout præſcindit à tali modo determinato regiminis, & gubernationis, conc.; eſt auctor immediatus talis poteſtatis prout eſt in hoc determinato homine, & prout eſt determinata ad modum regiminis Monarchici, neg. hunc eſſe ſenſum illius textus. Ad 2. textum explic. ſimiliter ipſum quoàd 1. part.: Non eſt poteſtas niſi à Deo, ſaltèm mediatè, tanquàm ab auctore proprió, & principali, conc.; præcisè immediate, ſubdiſt.: non eſt poteſtas, ſecundùm ſe ſpectata, niſi immediate à Deo, conc.; prout determinata ad regimen Monarchicum, & collata huic individuo, neg. hunc eſſe ſenſum. Ad 2. part. illius textus,

dicimus, quòd licèt Reges non habeant poteſtatem immediatè a Deo, nèc illis competat jure Divino, ſed humano; tamèn ſuppoſita tranſlatione huius poteſtatis à communitate in Reges, iàm gerunt vices Dei, & naturale jus obligare ad parendum ipſis, ita ut qui reſiſtat eorum poteſtati, reſiſtat Dei ordinationi; ſicut quàndò aliquis homo ſe vendit, & tradit alteri in ſervum, tale dominium eſt ſimplicitèr ab homine, & tamen ſuppoſito illo contractu, ſervus tenetur jure Divino, & naturali parere Domino.

14 Ad conf. neg. 1. ſequelam, quia tranſlata poteſtate in Regem, per eam efficitur ſuperior ipſo Regno; quia dando talem poteſtatem ſe ſubijcit Regi, ut conſtat in exẽplo ſervi ſervata proportione. Et proptèr eandem rationem neg. 2. ſequelam; quia Rex acquiſivit verum dominium Regni, & iſtud tranſtulit in illum ſuam poteſtatem, atque adeò nequit ea privari niſi fortè declinet in tyrannidem, ob quam Regnum poſsit contra illum agere iuſtum bellum. Neg. etiam 3. ſequelam; quia tranſlatio poteſtatis à Republica in Principem non eſt delegatio, ſed quaſi alienatio, ſeu perfecta largitio totius poteſtatis, quæ erat in communitate, & ſimplicitèr illi conceditur, ut tanquam proprius dominus illa utatur, & ut habens illam ex vi proprij muneris poſsit eam exercere per ſe, vèl per alios, aùt eam legere, quatenùs illi magis videbitur expedire.

15 Concluſ. 3.: talis poteſtas competit non ſolùm Principibus Chriſtianis, & bonis, ſed etiàm malis, & infidelibus. Seù poteſtas civilis non pendet à fide, aùt moribus Principis. Eſt ſententia catholica contra hæreſim Uvaldenſium, quos ſequuti ſunt Uvicleph, & Joannes Hus. Prob. primò: cap. 2. Daniel. de Nabuchodonoſore, qui erat infidelis, dicitur: Tu es *Rex, & Deus cæli tibi regnum dedit.* Et ex ipſa Script. conſtat, plures Reges Iſraél peccaſſe gravitèr, nèc tamèn ob id ſtatim regno privatos fuiſſe. Item Apoſt. in Epiſt. ad Rom. cap. 13. docet ſubiectionem ad Superiores etiam ethnicos, quales tunc erant frequentèr Reges. Et D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. præcipit ſervis, ut obediant dominis ſuis, non tantùm bonis, ſed etiàm diſcolis. Idem docent paſsim S.S. Patres; & Chriſtiani ab antiquis fuerunt obſervantiſsimi honeſtarum legum conditarũ à pravis, ethnicis Regibus: ergo.

16 Prob. 2. poteſtas civi-

lis

lis conditionem fidei, & morum Principis non requirit ex jure naturę, nèc Divino poſitivo, nèc Eccleſiaſtico: ergo. Antec. quoad 1. part. patet; tum, quia talis poteſtas pertinet ad purum jus naturale, & futura eſſet in hominibus ſi crearentur in puris naturalibus, àc proinde eſt independens à fide, & alio dono ſupernaturali; tùm, quia talis poteſtas ſolùm quoàd actualem uſum ipſius requirit ex jure naturæ honeſtatem, & iuſtitiam ex parte obiecti, vèl materiæ, erga quam verſatur, & tunc Rex formalitèr ut talis, iuſtus eſt; malitia autèm ſubiectiva, & perſonalis de materiali, & quaſi concomitantèr ſe habet, & ideò nihil refert ad talem poteſtatem, ſeù jus dominandi, & regendi: ergo ex jure naturę non requirit fidem, nèc honeſtatem morum Regis. Secunda pars, antec. etiàm patet ex dictis num. antec. Tertia autem pars conſtat, quia talis conditio non invenitur in jure Canonico, quin potiùs ſententia illam requirens damnata eſt in Concil. conſtancienſi ſeſſ. 8. & 15.. Conf: tale jus non fuiſſet congruum ad fidei propagationem, & conſervationem, nàm plurima ſcandala ſequerentur, & Reges infideles non permitterent, eorum ſubditos ad fidem converti, ſi eximerentur ab eorum obedientia, & juriſdictione: ergo. Urg.: talis conditio urgeret in perniciem, & turbationem Reipublicæ, quia ſubditi facilè contra Reges inſurgerent, àc ſeditiones moverent: ergo.

17 Arg.: poteſtas civilis ordinatur ad bonum commune; ſed huic bono eſſet valdè contrarium, ſi talis poteſtas exiſteret, aùt perſeveraret in Regibus infidelibus, & iniquis; nàm iniqua præciperent, & Rempublicam in vitia deducerent, quarè dicitur: *talis populus, qualis Rector civitatis*: ergo. Conf.: Saùl fuit regno privatus poſtquam cæpit diſplicere Deo, ut conſtat ex lib. 2. Reg. cap. 15.; & univerſalitèr de Regibus iniquis dicit Deus cap. 8. Oſeę: *Regnaverunt, & non ex me*, id eſt, non legitima poteſtate: ergo. Ad arg. reſp. neg. min.; nàm multo maiora incommoda contra bonum commune ſequerentur, ſi poteſtas civilis penderet ex privata fide, aùt bonis moribus ipſius Principis, ſiquidèm nulla eſſet pax, nèc obedientia in Republica cùm quilibet ſubditus vellet iudicare ſuum Superiorem, & illi obedientiam negare, quod abſurdiſſimum eſt. Quare licet Rex

iniquus fortè mereatur privari regno, tamèn quandiù non privatur ab habente poteſtatem, perſeverat verus Rex; atque ita contigit in Saule donec occiſus eſt. Quod autèm dicitur Oſeæ *Regnaverunt, & non ex me*: intelligitur vèl de Regibus tyrannis; vèl de iniquis, qui, cùm eſſent veri Reges, malè gubernabant; hoc enim ſignificat, regnare non ex Deo, quod ſtatim explicatur, cùm dicitur, quòd inducebant populum ad idola colenda, & alia ſimilia; per quod patet ad confirmat..

18 Concluſ. 4. Summus Pontifex non habet directam poteſtatem civilem, & diſtinctam à ſpirituali, in univerſum orbem, imo nèc in Eccleſiam univerſalem, ſed unice in illa regna, vèl Provincias, quarum eſt dominus temporalis; nèc tale dominium directum competit illi jure Divino, ſed humano. Eſt ſententia communitèr recepta, pro cuius intelligentia advertendum eſt, aliud eſſe quòd omnis poteſtas civilis, ſeù temporalis, etiam ſuprema in illo ordine, ſit ſubiecta poteſtati ſpirituali Summi Pontificis; & aliud eſſe, quod Summus Pontifex habeat directam poteſtatem temporalem, à ſpirituali diſtinctam, qua per ſe, & directè poſsit gubernare civiliter univerſum orbem, aùt Eccleſiam univerſalem, ſivè per ſe, ſivè per Imperatorem, cui illam demandaverit. Primum enim eſt certum, ſed non proptèr temporalem poteſtatem, quæ ſit in Summo Pontifice, ſed proptèr ſpiritualem, cui poteſtas temporalis ſubiecta eſt in ordine ad ſpiritualem finem, ita ut habeat dominium, ſeù poteſtatem indirectam in temporalia, utpotè ſpirituali poteſtati ſubiecta, ut conſtat ex ſuppoſit. 4.. Secundum autèm eſt falſum, & hoc eſt, quod impugnat noſtra concluſ..

19 Prob. igitur primò reſpectu univerſi orbis: Chriſtus D. reſpectu infidelium, & ergà univerſum Orbem dedit Eccleſiæ ſolam poteſtatem docendi, & jus prædicandi, iuxta illud: *Euntes docete omnes gentes*; poteſtatem autem gubernativam unicè conceſsit reſpectu fidelium dicens: *Paſce oves meas*; quare Apoſt. in Epiſt. 1. ad Corint. cap. 5. ait: *Quid enim mihi de his, qui foris ſunt, iudicare*; id eſt, de infidelibus, qui ſunt extra Eccleſiam, & non ſubiacent juriſdictioni ipſius: ergo Pontifex nullam habet legiſlativam poteſtatem reſpectu univerſi Orbis. Conf.: Innocent. III. cap. *gaudemus*, de Divort. inquit, conſtitutiones canoni-

nicas non obligare Paganos, ſivè homines exiſtentes extra Eccleſiam: ergo multò minùs poſſent obligare leges civiles latæ à Summo Pontifice per directam poteſtatem. Urg.: Theologi in materia de Fide docent, Pontificem non poſſe vi cogere infideles ut obediant ipſi; ſed ſi haberet in illos ſupremam poteſtatem temporalem, poſſet illos iuſtè cogere: ergo.

20 Prob. ſecundò concluſ. reſpectu univerſalis Eccleſiæ, & ulterius confirm. reſpectu Orbis univerſi: poteſtas, quam habet Summus Pontifex erga Eccleſiam univerſalem, non eſt alia, quàm ea, quæ ipſi collata eſt à Chriſto D.; ſed hæc eſt tantùm ſpiritualis: ergo non habet directam poteſtatem civilem erga Eccleſiam univerſalem. Prob. min.: Chriſtus ſolum promiſit Petro, & eius Succeſoribus claves regni cælorum, per quas ſignificatur ſuprema poteſtas ſpiritualis, ut exponunt Patres, & videbimus in ſect. ſequenti; & implendo promiſſionem illam dixit: *Paſce oves meas*; quod de juriſdictione ſpirituali intelligitur ab omnibus: ergo. Conf.: ipſimet Pontifices nunquàm in Eccleſia uſi ſunt directa poteſtate in temporalibus, ſed unicè indirectè, & in ordine ad ſpiritualia: ergo quia in ſe non agnoſcunt talem poteſtatem directam. Urg.: ipſimet Pontifices agnoſcunt in Regibus ſupremam poteſtatem civilem: ergo illam directè non agnoſcunt in ſe ipſis. Conſeq. infertur; quia ſi Pontifex haberet talem ſupremam poteſtatem, nullus infrà ipſum illam haberet; ſicut quia Pontifex habet ſupremam poteſtatem ſpiritualem, nullus Eccleſiaſticus Princeps poteſt habere ſupremam poteſtatem in eo ordine. Antec. patet ex plurimis locis Juris Canonici, in quibus ſummi Pontifices fatentur, Reges habere ſupremam juriſdictionem temporalem.

21 Prob. 3. concluſ.: nèc ad propagationem fidei, nèc ad convenientem gubernationem Eccleſiæ, neceſſarium imò nèc congruum fuit, Pontifici dari divinitus talem directam poteſtatem ſupremam in univerſalem Eccleſiam: ergo. Prob. antec. quoad 1. part.: magnum eſſet fidei impedimentum, ſi Reges amitterent ſuam ſupremam poteſtatem, eò ipſo quod ad fidem converterentur illi, vel eorum ſubditi; ſed hoc ſequeretur, ſi ſuprema poteſtas civilis in Eccleſia univerſali reſideret apud ſummum Pontificem: ergo id non fuit neceſſarium, imò foret perniciosum ad fidei propagationem.

Prob. 2. pars antec. : ad unitatem, & pacificum regimen Ecclesiæ sufficit debita subjectio, & subordinatio potestatis temporalis potestati spirituali, quam optimè explicavit Gregor. Naziane. exemplo corporis, & spiritus; & ratione cuius Pontifex habeat indirectè efficatiam, & jurisdictionem supra temporalia, ut ex se constat: ergo ad convenientem gubernationem Ecclesiæ necessaria non fuit in Summo Pontifice directa potestas civilis in Ecclesiam universalē. Ex quibus patet, Christum D. non dedisse Pontifici potestatem civilem, nèc dominium aliquod temporale directe, & immediatè; sed illud, quod habet in terris sibi subjectis, esse ex jure humano: & habuisse principium ex donatione Imperatorum, ut fatentur Summi Pontifices in pluribus locis Iuris Canonici.

22 Arg. 1. : Christus D. tradidit Petro, & eius Successoribus omnem potestatem, quàm ipse habuit; sed Christus de se dicit cap. 28. Math.: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra*: ergo Summus Pontifex habet summam potestatem directam temporalem in universum orbem. Conf. 1. Ecclesia de D. Petro ait: *tibi tradidit Deus omnia regna mundi*; ergo. Conf. 2. Ecclesia, quę universalis est, & complectitur universum orbem, est perfectè una, & optimè constituta, ita ut sit vera Monarchia; sed ad eius perfectionem spectat, quòd utraque potestas, tàm temporalis, quàm spiritualis, sit in uno, & eodem capite; nàm alias non possent commodè subordinari, & uniri: ergo. Ad arg. dist. mai. : Christus tradidit Petro omnem potestatem spiritualem; quàm ipse habuit, & actu exercuit, conc. mai.; etiàm temporalem, subd.: dedit indirectè, per ordinem, aùt finem spiritualem, conc.; directè, & per se (qualitèr ipse Christus non exercuit talem potestatem in terris, iuxta illud: *Regnum meum non est de hoc mundo*), neg. mai.; & explicata similiter min. cum S.S. Hieron. & Anselmo; neg. conseq.. Per quod patet ad 1., & 2. confirm.; nàm Christus tradidit Petro omnia regna mundi quoad spiritualem jurisdictionem; quoàd temporalem autèm non nisi indirectè, & in ordine ab bonum spirituale; & sic potestas temporalis subordinatur spirituali, & utraque unitur in uno supremo capite, qualiter requiritur, & sufficit ad perfectam unitatem Ecclesiæ, & veram rationem spiritualis monarchiæ.

23 Arg. 2. ſummi Pontifices de Chriſto D. dicunt: *Qui beato Petro æternæ vitæ clavigero terreni ſimùl, & cæleſtis imperij jura commiſit.* Et, *in ſummo Pontifice eſſe utrumque gladium*, ſcil. temporalem, & ſpiritualem: ergo. Conf.: Pontifex tribuit Imperatori dignitatem imperialem, & ideo priuſquam confirmetur, vèl coronetur, iurat illi fidelitatem; hinc Papa aliquandò etiam depoſuit Imperatorem; & Imperium tranſtulit à Græcis ad Germanos; ut totum conſtat ex varijs capitibus juris canon.: ergo. Ad arg. explic. illos textus; *Beato Petro terreni ſimùl, & cæleſtis imperij jura* ſubordinatà *commiſit*, id eſt, cęleſte formaliter, & directè, terrenum autèm tantum eminenter, & indirectè; ac prout ſic uterque gladius eſt in Summo Pontifice, conc.: alitèr neg.; & conſeq. inde illatam. Ad confirm. reſp., quòd imperialis dignitas (prætèr jurisdictionem, ſeu poteſtatem temporalem directam, quam non accipit à Pontifice) habet adiunctum quendam honoris gradum, qui licet ſimplicitèr temporalis ſit, indirectè participat excellentiam ſpiritualis ordinis per habitudinem ad Pontificiam dignitatem; quia ſpecialiter ordinatus eſt, ut ſit protector, & defenſor Eccleſiæ, àc dignitatis Pontificiæ, & ideo ab eo iniungitur, conſecratur, & coronatur. Atque adeò, vèl propter indirectam poteſtatem Pontificis in temporalia, utpotè ſpirituali poteſtati ſubiecta; ob iuſtam cauſam depoſuit Imperatorem, & imperium tranſtulit.

24 Concluſ. 5. Romanus Imperator non habet poteſtatem civilem in univerſum Orbem, nèc in Eccleſiam univerſalem, ſed unicè in provincias imperio Romano ſubiectas. Eſt communis. Prob.: Romanus Imperator nèc immediatè ab ipſo Deo illam univerſalem poteſtatem conſequutus eſt; nèc ab hominibus totius mundi electus eſt primus Imperator, cui alij ſuccedere potuerint; neque jure belli talem poteſtatem acquiſivit; nèc poſt Chriſti adventum inſtitutus eſt ab ipſo per ſe, aut per eius Vicarium: ergo nullo modo habet talem poteſtatem. Prob. 1. pars antec.: ille modus habendi civilem poteſtatem immediatè à Deo eſſet ſupernaturalis; ſiquidèm non ſpectat ad ordinariam providentiam Dei ut auctoris, & gubernatoris naturæ; ſed talis modus nequit aſſeri ſine revelatione, vèl authentico teſ-

timonio, quod nullibi reperitur: ergo talem poteſtatem univerſalem non habet Imperator immediatè à Deo. Prob. 2. pars antec.: nedùm de facto non convenerunt omnes homines totius mundi in unam communitatem, nèc conſenſerunt in unam electionem, verùm nèc humano modo videtur poſsibile; ac proindè non conſtat de tali conſenſu, & electione; quin potius ex hiſtorijs, & legibus civilibus conſtat, Romanum Imperatorem tantum à populo Romano accepiſſe dominium, & poteſtàtem ſui imperij: ergo illam non habet in univerſum Orbem à conſenſu hominum totius mundi.

25 Prob. 3. pars illius antec.: nullus Imperator per bellum ſibi ſubiecit univerſum orbem, ut ex hiſtorijs, patet: ergo non habet illam poteſtatem jure belli. Prob. 4. pars: Chriſtus nullibi contulit immediatè, & per ſe aliquod temporale dominium, aùt juriſdictionem hominibus; nec alicui abſtulit ſupremam poteſtatem Regiam, quæ fuiſſet ablata per Imperatoriam; cùm dicat Eccleſia: *Non eripit mortalia, qui regna dat cæleſtia*: ergo non habet illam poteſtatem immediate à Chriſto D.. Prob. denique 5. pars: Chriſtus non dedit Pontifici poteſtatem directam in temporalibus, ut conſtat ex dictis: ergo nèc Pontifex potuit illam: conferre Imperatori; quia non poteſt alteri communicare juriſdictionem, quam ipſe à Chriſto non accepit. Conf.: multi ſunt Principes ſupremi in temporalibus; & ipſimet Imperatores fatentur, multos eſſe populos illis non ſubiectos, ut conſtat ex jure civili: ergo.

26 Advertendum eſt tamèn; quòd provinciæ ſubiectę imperio Romano ſunt in duplici differentia. Quædam ſunt in quibus ita dominatur Imperator, ut nullum alium recognoſcant proximum Principem, ſivè ſub nomine Regis, ſivè Ducis, ſivè alio ſimili; ſed immediatè pareant ſoli Imperatori, tanquàm ſupremo, & unico Principi temporali; & in illis terris non ſolum obligant leges imperiales, verùm etiam nullæ aliæ poſſunt vim habere, niſi ab ipſo conſtitutæ, vèl confirmatæ, quia ibi ſolus ipſe habet ſupremam poteſtatem, quæ neceſſaria eſt ad ferendas leges civiles. Aliæ autèm ſunt provinciæ, ſubiectæ quidèm Imperatori tanquàm ſupremo Principi, non tamèn tanquàm immediato domino; nàm habent proprios Dominos, ſeù Principes cùm poteſtate quodammodò regia

gia, & ſuo modo ſuprema quoàd immediatum earum regimen, & nihilominus recognoſcunt Imperatorem veluti ſupremum Principem, vèl jure feudi, vèl alio ſimili; quia vèl ab Imperatore acceperunt dominium immediatum ſub illa conditione, vèl ex conſuetudine introducti ſunt tales Principes cùm illa recognitione, & ſubiectione. Et in his provincijs obligant etiã leges Imperatorum, quamvis non ſolæ, quia poſſunt habere proprias leges latas à ſuis Principibus proprijs, & immediatis.

27 Arg.: Lucæ cap. 2. dicitur: *Exijt edictum à Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur univerſus orbis.* Et cap. 21. dicit Chriſtus D. *Reddite quę ſunt Cæſaris Cæſari, & quę ſunt Dei Deo*: ergo Imperator habet poteſtatem ſuper univerſum Orbem, eam que Chriſtus D approbavit. Conf.: ex Iure Canon. conſtat, dignitatem Imperatoriam, ut nunc eſt in Eccleſia, à Summis Pontificibus eſſe traditam, & ex vi illius Imperatores eſſe ſupra omnes Reges, & Principes Eccleſiæ: ergo Imperator habet juriſdictionẽ temporalem, ſaltèm in univerſam Eccleſiam. Urg.: leges civiles, quæ juris communis dicuntur, & in corpore juris civilis continentur, atque ab Imperatoribus latæ ſunt, univerſalitèr ſervantur, & obligant: ergo quia Imperatores habent poteſtatem legiſlativam univerſalem.

28 Ad argum. reſp., quòd in primò textu (iuxta communem expoſitionem) nomine totius Orbis ſignificatur per ſynecdochem ſola illa orbis pars pręcipua, notiſsima, & maxima, cui dominabantur Imperatores, & per antonomaſiam vocabatur orbis. Vèl, ut ait D. Hieronym.: *Idioma eſt ſanctæ Scripturæ, ut omnem terram illa ſignificet Provincia de qua ſermo eſt.* Verba autem Chriſti in ſecundo loco ad ſummum probant, Regibus ſolvenda eſſe tributa debita; non verò ſoli cęſari debuiſſe omnes homines totius mundi ſolvere tributum, ſed eos tantùm, qui illi ſubiecti erant. Ad conf. diſt. antec.: dignitas Imperatoria (ut nùnc eſt in Eccleſia) quatenus participat indirectè quendam gradum honoris ſpiritualis, traditur à Summis Pontificibus; & ex vi illius Imperatores ſunt ſuprà Reges ſpeciali gradu honoris ex peculiari coniunctione, & habitudine ad Apoſtolicam ſedem, conc. antec.; dignitas, Imperatoria, quatenùs ſimplicitèr temporalis, & civilis

eſt,

eſt, traditur à Summis Pontificibus ; & ex vi illius Imperatores ſunt ſupra omnes Reges ſuperioritates juriſdictionis civilis, & legiſlativę, neg. antec. ; & conſeq.. Ad urgent. diſt. ant. : leges civiles univerſaliter ſervantur, & obligant ex acceptatione, & confirmatione Regnorum, vèl Principum ; propter æquitatem ipſarum, conc. antec. ; obligant per ſe, & ex vi authoritatis Imperatorum illas conſtituentium, neg. antec. ; & conſeq..

29 Concluſ. 6. Regina, hęres, àc domina Regni, ſive innupta ſit, ſivè nupta, habet poteſtatem legiſlativam. Eſt communis ſententia. Prob. 1. pars : talis Regina retinet in ſe ſupremam poteſtatem, & Regiam juriſdictionem, cuius eſt capax (ut conſtat ex jure); ſed aliunde cùm ſit inupta, in uſu talis poteſtatis non dependet ab aliquo ſuperiore, quia ex ſe nullum habet in temporalibus, ut ſupponitur, nec per matrimonium illum aſſumpſit, ut etiam ſupponitur : ergo etiam habet, & poteſt exercere legiſlativam poteſtatem ; quia ad eum pertinet leges condere, & regnum adminiſtrare, qui eſt dominus ipſius Regni. Prob. 2. pars : Regina per matrimonium non tranſfert regnum in maritum illud à ſe abdicando, quia eſt veluti officium, & onus perſonale à regno collatum ; nèc etiàm ipſum regnum ita confert marito, ut æque maneat in utroque, quia eſſet contra perfectionem monarchiæ, & eſſet præiudicium in regimine ; nèc denique uxor retinet proprietatem in ſe, & præbet adminiſtrationem marito, quia eadem ferè eſt ratio de adminiſtratione, àc de dominio, & proprietate : ergo Regina nupta retinet in ſe poteſtatem, & adminiſtrationem, & ita poteſt per ſe, ſicut antea, exercere juriſdictionem, àc proinde leges ferre.

30 Arg. 1. Apoſt. Epiſt. 1. ad cor. cap. 2. ait : *Docere mulieri non permitto, nec dominari viro, ſed ſub illius eſſe poteſtate* : ergo multò minus, etiam inupta, poterit fœmina exercere actum ſupremi dominij in totam virorum communitatem. Conf. : in Leg. *Fœminæ* ff. de Reg. Iur. dicitur : *Fœminas ab omnibus officijs civilibus, vèl publicis remotas eſſe, & idò nèc iudices eſſe poſſe, nèc magiſtratus gerere* : ergo multò minus poterunt imperare. Ad arg. reſp., Apoſtolum loqui de doctrina fidei, & de modo illam tradendi publice, & concionandi in Eccleſia ; & licet fœmina nequeat dominari æconomicè marito, quia

quia in ordine ad ſtatum matrimonij, & regimen familiæ, mulier ſit naturaliter inferior, ac ſubdita marito; tamèn in ordine ad regimen civile non eſt aliquid ſtatutum ex lege naturæ, ſed Reſpublica potuit transferre ſui poteſtatem in fœminam, vèl in Regem cùm ea conditione, ut ei poſſet fœmina ſuccedere; quare neg. conſeq. & paritatem. Ad conf. reſp., legem loqui de fœminis communibus, ſeù inferioris ſortis, aùt non habentibus propriam, & ſupremam juriſdictionem.

31 Arg. 2. lex Hiſpaniæ 9. tit. 1. part. 2. in principio dicit, quatuòr modis poſſe jure obtineri dominium regni, & nomen Regis; ac tertium modum, inquit, eſſe per matrimonium, quandò aliquis privatus ducit uxorem Reginam, & Regni hæredem: ergo tùnc vir jure obtinet dominium Regni, & legiſlativam poteſtatem; ac proinde non eſt apud uxorem. Conf. 1. aliàs maritus eſſet ſubditus uxori, & teneretur obedire eius legibus, ac perſonalibus præceptis, v. g. bellum gerere, & alia huiuſmodi; ſed hoc eſt contra debitum naturæ ordinem, & contrà ſententiam Pauli ſupra cit.: ergo Regina, ſaltèm nupta, non habet poteſtatem legiſlativam. Conf. 2. maritus habet jus, & poteſtatem gubernandi uxorem in omnibus actionibus ſuis: ergo hæc nequit habere ſupremam poteſtatem.

32 Reſp. ad arg., quòd in tertio modo obtinendi regnum unicè dicit lex illa, ratione coniugij cum Regina poſſe, ac debere maritum vocari Regem; & quia illud nomen non eſt vacuum, dicitur etiàm vir conſequi dominium regni, non quoàd juriſdictionem propriam, ſed per quandam communicationem cùm Regina, ratione cuius eſt habendus ut dominus, & honorãdus ut Rex. Ad 1. conf. diſt. mai.: maritus eſſet civiliter, & quoàd politicam gubernationem ſubditus uxori, conc. mai.; eſſet ſubditus quoàd ſtatum matrimonialem, æconomicum, & privatum regimen, ac gubernationem familiæ, neg. mai.; & ſub eadem diſtinct. neg. min.; quia licèt ſit contrà debitum naturæ ordinem, & contra ſententiam D. Pauli, quòd maritus ratione coniugij non ſit ſuperior uxori quoàd æconomicum regimen; tamèn nihil obeſt, quòd uxor ſit ſuperior quoàd civilem, & politicam gubernationem; quia ſunt rationes valdè diverſæ, & in ordine ad diſtinctos fines. Unde ad 2. Conf. diſt. ſimiliter antec.:

ma-

maritus habet jus, & poteſtatem gubernandi æconomicè uxorem in omnibus pertinentibus ad ſe, vèl ſuam familiam, aùt privatum regimen, conc. antec.; habet poteſtatem guvernandi politicè uxorem in omnibus ſpectantibus ad regimen civile, neg. antec.; & diſt. ſimiliter conſeq..

SECTIO II.

Reſolvitur queſtio de poteſtate Eccleſiaſtica.

33 CONcluſ. 1. Summus Pontifex, & ipſe ſolus habet abſolutam, & ſupremam poteſtatem legiſlativam Eccleſiaſticam pro univerſa Eccleſia; jure que, Divino, & immediatè à Chriſto D. competit illi talis poteſtas. Prob.: Chriſtus D. dedit immediatè ſoli Petro tanquam eius vicario, hanc poteſtatem, non pro ſua tantùm perſona, ſed ut per continuam ſucceſsionem perpetuò duraret in Eccleſia: ergo. Prob. antec.: Chriſtus D. dixit ſpecialiter Petro: *Tibi dabo claves regni cœlorum; quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis. Et: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.* Et *Paſce oves, meas*; ſed per ligare, & paſcere intelligitur poteſtas legiſlativa, ac per perpetuã durationem Eccleſiæ conſtitutam ſupra principatum Petri exprimitur colata tallis ſuprema poteſtas Summo Pontifici per continuam ſucceſsionem; ut ex ſe conſtat, & Concilia, ac P.P. declarant: ergo.

34 Conf. primò: Chriſtus D. inſtituit Eccleſiam cùm perfecta unitate myſtica, & cum perfectiſsimo regimine, nempè monarchico, ſivè cùm unico ſupremo viſibili, ac univerſali capite, conſtituto immediatè ab ipſo; atque cùm perpetuo ipſius Eccleſiæ fundamento in ſede Petri per ſucceſſores Petri continuando: ergo. Conf. 2. talis poteſtas ſupernaturalis eſt, & propria Eccleſiæ Chriſti: ergo nulli convenire poteſt, niſi cui Chriſtus illam contullit, vèl confert. Sed non contullit illam niſi Petro, & alijs Summis Pontificibus, qui non ſunt vicarij, ſed ſucceſſores Petri, ac vicarij ipſius Chriſti: ergo idem Chriſtus eſt, qui eam confert omnibus illis; nam ſicut à principio fuit dependens à donatione Chriſti, ut inciperet eſſe, ita perpetuo pendet ex ſimili influxu, ſeù donatione immediata ipſius, ut conſervetur.

35 Ex quibus patet, in ſolo Pontifice eſſe ſupremam po-

poteſtatem abſolutam ferendi leges Eccleſiaſticas; ideoque ſolum ipſum validè poſſe illas ferre tàm ſinè Concilio, quàm ſine conſenſu, & conſilio Cardinalium; quamvis prudenter graviora negotia non ſoleat decidere ſine determinatione Concilij. aùt conſilio, & aſſenſu Cardinalium. Quod conſtat ex eo, quòd talis eſt hæc poteſtas in Papa, qualis fuit in Petro, ut manet probatum; ſed in Petro fuit ita abſoluta, ut poſſet leges condere ſine concilio, vèl conſenſu aliorum, etiam Apoſtolorum, ut patet ex verbis Chriſti D. ad Petrum ſuprà relatis; & ad ipſum ſpecialiter, abſolutè, & independenter directis: ergo. Ex dictis etiàm patet, quod licèt Concilium generale legitimum, & authoritate Pontificis congregatum, àc ab ipſo confirmatum, habeat poteſtatem condendi leges obligantes univerſam Eccleſiam; tamèn priùs quàm à Papa confirmetur, ſeu præciſivè à confirmatione ipſius, non habet talem poteſtatem, ſeu illius leges non inducunt obligationem. Ratio eſt; quia Concilium congregatum ſub obedientia Pontificis non habet immediatè ex jure Divino juriſdictionem ſuper univerſam Eccleſiam, nullibi enim invenitur illi conceſſa, ſed Petro, & eius Succeſſoribus, atque adeò habet tantùm juriſdictionis, quantùm ei concedit Pontifex, ſed Papa non dat authoritatem Concilio ad ferendas leges obligantes priùs, quàm ab ipſo confirmentur, ut conſtat ex uſu: ergo. De his autèm ampliùs conſtabit in tract. de Fide.

36 Concluſ. 2. Epiſcopi habent poteſtatem legiſlativam pro ſuis diœceſibus jure ordinario; non quidem datam immediatè à Chriſto, aùt eis competentem jure Divino, ſed à Summo Pontifice, & de jure humano. Prima pars eſt uniformitèr recepta. Prob.: Epiſcopi ſunt paſtores ordinarij rectores, & principes Eccleſiæ poſt Summum Pontificem; ut conſtat ex illo Actorum cap. 20.: *Poſuit vos Spiritus Sanctus Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*: ergo ex vi ſui muneris, àc proinde jure ordinario habent poteſtatem condendi leges convenientes ſuis Subditis, àc eos obligantes.

37 Secunda autèm pars concl. eſt ſatis controverſa; eſt tamèn valdè communis inter Noſtrates, eamque defendit Suarez, & alij, contra Vazquez, & alios. Prob. primò authoritate Canonum: in cap. *Decreto* 2. q. 6. ait Gre-

go-

gorius: *Romana Eccleſia vices ſuas ita alijs impertivit Eccleſijs, ut in partem ſint vocatæ ſollicitudinis, non in plenitudinem poteſtatis*: ergo aliarum Eccleſiarum Paſtores habent poteſtatem à Romano Pontifice; qui illis vices ſuas impertit. Item in cap. *Ita* Dominus diſt. 19. Leo Papa, loquens de poteſtate Petri, inquit: *ut ab ipſo, quaſi quodam capite, dona ſua velut in omne corpus diffunderet.* Et idem Pontifex ſerm. 3. de ſua Aſumptione ait: *Si quid cùm eo communè cæteris voluit eſſe Principibus, nunquam niſi per ipſum dedit, quidquid alijs non negavit.* Quibus conſonat formula creandi Epiſcopos, quæ apud Bellarminum lib. 4. de Pontific. cap. 24. talis eſt: *Providemus tali Eccleſiæ de tali Perſona, committentes ei adminiſtrationem* (id eſt juriſdictionem) *in temporalibus, & ſpiritualibus*: ergo juriſdictio, ſivè poteſtas legiſlativa Epiſcoporum non eſt immediatè data à Chriſto D., nec juris divini, ſed à Summo Pontifice, & juris humani.

38 Prob. ſecundò ratione: modus inſtitutionis Epiſcoporum à ſummo Pontifice ita ut ab ipſo immediatè accipiant juriſdictionem, eſt magis conſentaneus perfectæ monarchiæ, & unioni Eccleſiæ, ac ordini hierarchico, quē in illa Chriſtus inſtituit, & ad quem requiritur, ut ſub uno Monarcha, ſeu univerſali, & ſupremo capite ſint alij inferiores Principes cùm dependentia ab illo quoàd juriſdictionem, & gubernationem: ergo. Conſ. 1. ad Romanum Pontificem pertinet, electos Epiſcopos confirmare, eoſdem exigentibus cauſis deponere, eorum juriſdictionem definire locorum ſpatijs, & aliquos ab eorum juriſdictione eximere pro cauſarum qualitate: ergo eorum juriſdictio eſt immediatè à Summo Pontifice. Conſ. 2. Pontifex poteſt Epiſcopalem juriſdictionem conferre non habentibus ordinem Epiſcopalem; & talis juriſdictio exercetur ab Epiſcopis nondùm conſecratis, ſed ſolùm confirmatis: ergo talis juriſdictio eſt immediatè à Summo Pontifice.

39 Arg. 1. Apoſtoli habuerunt immediatè à Chriſto D. juriſdictionem, & poteſtatem; ſed Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum: ergo. Conſ. 1. verba illa Chriſti D. apud Math. cap. 18. *Quæcumque ligaveritis ſuper terram, erunt ligata, & in cœlo*; non tantùm ad perſonas Apoſtolorum, ſed etiam ad Epiſcopos eorum ſucceſſores dicta fuerunt: ergo ſicut Apoſtoli acceperunt immediatè

tè à Chriſto D. juriſdictionem, & poteſtatem, ita etiam Epiſcopi. Conf. 2. Apoſtoli creabant Epiſcopos inconſulto Petro, & poſteà fiebant per electionem Cleri, vèl Populi, ſine ſpeciali recurſu ad Pontificem: ergo ſignum eſt, poteſtatem illam dari immediatè à Deo, facta deſignatione per electionem, vèl alium modum legitimum, ſicut contingit cùm Summo Pontifice.

40 Ad arg. diſt. mai: Apoſtoli habuerunt immediatè à Chriſto juriſdictionem, & poteſtatem Apoſtolicam ad plantandam Eccleſiam, conc. mai.; juriſdictionem, & poteſtatem Epiſcopalem, ſubd.: quaſi univerſalem totius Eccleſiæ, conc.; peculiarem alicuius, & propriæ reſpectivè Eccleſiæ, neg. mai.; & diſt. min.: Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum quoàd conſecrationem, & poteſtatem, àc juriſdictionem Epiſcopalem, peculiarem quidèm reſpectu particularis Eccleſiæ, conc. min.; quoàd juriſdictionem, ſeù poteſtatem Apoſtolicam, vèl Epiſcopalem, quaſi univerſalem totiùs Eccleſiæ, neg. min.; & conſeq. Ad 1. conf. explic. textum: verba illa non tantùm ad Apoſtolos ſed etiàm, ad Epiſcopos dicta fuerunt per quandam participationem, vèl imitationem, quam habent à Petro, ſeù Chriſti vicario, nõ immediatè ab ipſo Chriſto, conc.; per omnimodam æqualitatem, quam habeant immediatè à Chriſto, neg. hunc eſſe ſenſum; & neg. conſeq.. Ad 2. conf. dicimus, utique Apoſtolos per juriſdictionem, & poteſtatem Apoſtolicam acceptam immediatè à Chriſto D., creaſſe plures Epiſcopos: poſteà verò per homines, & auctoritate Summi Pontificis, ſivè immediatè, ſivè mediatè, creati fuerunt Epiſcopi; quod potius favet, quam obeſt noſtræ ſententiæ.

41 Arg. 2. Epiſcopatus, non ſolùm quoàd conſecrationem, & poteſtatem ordinis, ſed etiàm quoàd munus paſtorale, & curam, àc gubernationem, quæ poteſtatem legiſlativam, ſeù juriſdictionem ordinariam intrinſecè includit, eſt juris Divini, & immediatè à Chriſto: ergo. Prob. antec.: Actor. cap. 20. dicitur: *Vos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei*; ſed regere apertè dicit munus paſtorale, juriſdictionem, àc legiſlativam poteſtatem: ergo. Et epiſt. ad Epheſ. cap. 4. dicitur: *Ipſe*, nempè Chriſtus, *dedit quoſdam Apoſtolos, alios Prophetas, alios Paſtores, & Doctores*; ubi intelliguntur, & comprehenduntur Epiſcopi: ergo. Conf.:

Epiſ-

Epiſcopalis conſecratio eſt immediatè à Chriſto, ſed illa per ſe ipſam confert Epiſcopalem dignitatem, & juriſdictionem ſaltèm in habitu, ſeù in actu primò; licèt non conferat uſum, donec applicetur illi materia, in quam exerceatur, quę què à Summo Pontifice confertur: ergo.

42 Reſp. ad arg. diſt. antec.: Epiſcopatus non ſolùm quoàd poteſtatem ordinis, ſed etiam quoàd munus paſtorale, eſt juris Divini, & immediatè à Chriſto dante præceptum inſtituendi Paſtores particularium Eccleſiarum, & conferendi dignitatem Epiſcopalem, conc. antec.; eſt immediatè à Chriſto D. inſtituente tales Paſtores, & conferente eis talem poteſtatem, & juriſdictionem, neg. antec.; quod in hoc ſenſu non probatur ex allegatis textibus, nàm per illos unicè ſignificatur, Chriſtum D. ordinaſſe, & præcepiſſe modum regendi monarchiam Eccleſiaſticam mediis Epiſcopis, àc proinde Epiſcopatum quoad munus paſtorale eſſe in generali, & remotè a Chriſto D., ſiquidem præceptum remotè ſe habet & eſt generale, cùm non determinet particulares circunſtantias rei; non tamen ex illis textibus probatur, Chriſtum D. inſtituiſſe proximè, & in particulari ipſum munus Epiſcopale; ſed illud inſtituendum commiſsit Petro, àc eius ſucceſſoribus, non tantùm deſignando perſonam, ſed etiam conferendo poteſtatem, àc juriſdictionem; nam hæc duo, nempè præcipere, aliquid fieri, vèl facere illud, ſunt valde diverſa, & ſeparabilia. Quare cùm Chriſtus D. præceperit, inſtitui Epiſcopos, dando poteſtatem Pontifici ad illos inſtituendos, verificatur, Spiritum Sanctum poſuiſſe eos regere Eccleſiam Dei, & Chriſtum D. dediſſe Paſtores.

43 Ad conf. conceſ. mai., neg. min.; quia licèt conſecratio conferat dignitatem Epiſcopalem quoàd poteſtatem ordinis, non tamen juriſdictionem, adhùc in habitu; quia eſt poteſtas omninò abſoluta à ſubditis, quod repugnat juriſdictioni, quæ dicit ſuperioritatem, & requirit ſubditos; atque adeò dùm eligitur, vel confirmatur Epiſcopus, ſivè dùm applicatur materia, & præſtantur ſubditi tùnc accipit poteſtatem juriſdictionis, jus, & quaſi dominium in ſubditos, quia per talem poteſtatem conſtituitur formaliter ſuperior. Nèc character, ſeù conſecratio Epiſcopalis eſt per ſe principium alicuius actus juriſdictionis, ſeù nullus eſt huiuſmodi actus, qui per ſe

pen-

pendeat à conſecratione ; & ideò Epiſcopus electus,& confirmatus poteſt efficere ea,quæ ad juriſdictionem pertinent ; è contrariò verò Epiſcopus conſecratus, licèt nullos habeat ſubditos poteſt valide efficere omnes actus proprios ordinis Epiſcopalis. Quarè nullo modo dici poteſt, quòd conſecratio ſit juriſdictio activa, neque actu, neque habitu,cùm ſine illa fiant omnes actus juriſdictionis ; & quandò conſecratio ineſt cùm juriſdictione, ſolum ſe habet quaſi concomitantèr reſpectu actionum puræ juriſdictionis, vèl ut conditio quędam dignificans perſonam, & conſtituens habilem ad alias actiones magis ſacras.

44 Concluſ.3.Legati ſedis Apoſtolicæ poſſunt ferre leges pro Legationis ſuæ Provincia; eorum que leges morte, vèl annotione non expirant, quinpotiùs durant, & obligant donec revocentur, vèl à Papa,vèl ab alio habente æqualem poteſtatem. Prob.: tale munus eſt à Summis Pontificibus inſtitutum , & vi illius habent Legati juriſdictionē plùs quàm Epiſcopalem , & ordinariam, ut conſtat ex toto titul. de officio Legati : ergo. Concluſ. 4. Patriarchæ , Primates, Archiepiſcopi , & Metropolitani poſſunt jure communi ferre leges pro ſuis Diœceſibus reſpectivè;non autèm pro Diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum, ſeù Coepiſcoporum , niſi ſpeciali jure , aùt præſcripta conſuetudine , vèl privilegio eis conceſſum ſit. Prima pars concluſ. patet ; quia ſunt Epiſcopi ſuarum Diœceſum. Secunda autèm prob.: talés Dignitates , quatenùs Epiſcopatum tranſcendunt , ſunt merè de jure Eccleſiaſtico , ideò que ratione illarum unicè poſſunt quod eſt per illud conceſſum; ſed jus commune Eccleſiaſticum non concedit poteſtatem legiſlativam pro Diœceſibus ſuorum ſuffraganeorum , ut conſtat ex ipſo jure : ergo.

45 Dices: Gloſſa in principio cap. 18. verb. *conſtituendum* , ait : Epiſcopum poſſe condere cannones , aùt leges Epiſcopales , & Archiepiſcopum provinciales : ergo iſte habet poteſtatem legiſlativam pro Diœceſi etiam ſuffraganea. Reſp. explic. antec.: Epiſcopus ſe ſolo poteſt ferre leges Epiſcopales , & Archiepiſcopus cùm Concilio Provinciali (ad quod poteſt convocare , & debet præſidere) poteſt ferre leges Provinciales, conc. ; Archiepiſcopus etiam ſe ſolo poteſt ferre leges Provinciales , neg. hunc eſſe ſenſum Gloſſæ ; nam aliàs juri repugnaret , & contradiceret.

46 Concluſ. 5. Cardinales

per ſe, & ratione ſuę Dignitatis tantùm poſſunt leges ferre in Eccleſijs ſuorum titulorum. Prob.: ſolùm in illis Eccleſijs habent juriſdictionem Epiſcopalem, ut conſtat ex jure: ergo. Concluſ. 6. omnes Superiores Eccleſiaſtici, habentes juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, jure communi poſſunt in ſuis quaſi Diœceſibus leges ferre; niſi eis ſit ſpecialiter prohibitum, aùt ex conſuetudine, vèl particulari inſtitutione requirant conſenſum communitatis, vèl Capituli. Prob.: talis poteſtas in Epiſcopis eſt annexa juriſdictioni, non verò conſecrationi Epiſcopali, ut patet ex dictis; ſed eiuſmodi Prælati quoàd eorum ſubditos habent juriſdictionem quaſi Epiſcopalem, ut ſupponitur; eò quia ſunt eis ſimiles in his, quę ſunt merę juriſdictionis: ergo.

47 Concluſ. 7. poteſtas ordinaria ferendi leges Eccleſiaſticas non competit Abbatiſsis, nèc alijs Monialium Præfectis. Ita N. Holzmann cùm alijs. Prob.: fœminæ jure ordinario non ſunt capaces juriſdictionis ſpiritualis propriè dictæ, qualis eſt poteſtas ferendi leges eccleſiaſticas; ſiquidèm talis juriſdictio ex ordinatione Chriſti reſpicit ordinariè ſubiectum capax ordinis, cuiuſmodi non eſt fœmina, ſed maſculus: ergo. Undè tales Præfectæ ſolùm habent poteſtatem dominativam; œconomicam, & materiam, vi cuius poſſunt præcipere Monialibus, corrigere delinquentes, officia dividere, bona temporalia adminiſtrare, & alia huiuſmodi, quæ poſſunt agere Matres familias. Habent præterea Monialium Præfectæ juriſdictionem ſpiritualem improprie dictam in ordine ad præcipiendum ea, quæ pertinent ad ſalutem animæ, & regulæ obſervationem; quia utilitas, tùm temporalis, tùm ſpiritualis, àc ſalutare regimen Monialium requirit huiuſmodi poteſtatem.

48 Concluſ. 8. Concilia Nationalia, & Provincialia, àc Synodi Epiſcopales habent poteſtatem ordinariam ferendi leges Eccleſiaſticas pro ſuis territorijs; ſimiliter etiàm congregrationes, ſivè Generales, ſivè Provinciales, Regularium pro ſuis ſubditis. Conſtat ex Iure, & praxi Eccleſiæ, àc etiàm ex uſu Religionum à Summis Pontificibus approbato. Prob.: talia Concilia, Synodi, & congregationes habent ſupremam reſpectivè juriſdictionem; quia ſunt, aùt repræſentant communitatem perfectam cùm ſuo Capite: ergo habent poteſtatem ordinariam legiſlativam

pro

pro ſuis ſubditis. Concluſ. 9. capitulum Cathedrale, ſede Epiſcopali vacante, poteſt ferre leges pro tota Diœceſi. Ità communiùs Doctores. Prob.: tale Capitulum ſuccedit in juriſdictione Epiſcopi, & in adminiſtratione Eccleſię: ergo poteſt quidquid poterat Epiſcopus, niſi ſit ſpecialitèr prohibitum; ſed condere leges ſpectat ad juriſdictionem Epiſcopi, & non invenitur prohibitum capitulo: ergo. Prob. min.: dùm Ius cavet, *nè ſede vacante aliquid innovetur*, loquitur de juribus, & bonis Epiſcopalibus, non verò de legibus: ergo. Conf.: penès Capitulum, ſede vacante, reſidet ordinaria poteſtas prę-ceptiva reſpectu Diœceſis: ergo etiàm legiſlativa, cùm ſit reſpectivè ſuprema.

49 Dices 1. Collegium Cardinalium, vacante ſede Apoſtolica, non poteſt leges condere pro Eccleſia univerſali: ergo nèc Capitulum Cathedrale pro tota Diœceſi, vacante ſede Epiſcopali. Conceſ. antec., neg. conſeq.; nàm juriſdictio Pontificis non devolvitur ad collegium cardinalium, cum in Pontifice ſit jure Divino, & non legatur, Deum illam conceſsiſſe Collegio Cardinalium, imò ipſi expreſsè negatur in jure Cannonico; juriſdictio autèm Epiſcopis ineſt jure humano, unde ſtatui potuit, proût de facto ſtatutum videtur, quòd cum annexa poteſtate legiſlativa devolvatur ad capitulum.

50 Dices 2. non conſtat, quòd aliquod Capitulum, ſede vacante, uſum fuerit tali poteſtate: ergo ſignum eſt, quòd illam non habet. Admiſſo antec., neg. conſeq.; quia licèt Capitulum habeat talem poteſtatem, poteſt ea non uti, eò quia non ita facilè occurrit eventus, pro quo neceſſarium, aùt utile ſit uti tali poteſtate, maximè ob brevitatem temporis, pro quo regularitèr ſolet vacare ſedes Epiſcopalis. Imò P. Suarez exiſtimat, noſtram ſententiam eſſe ſimplicitèr probabiliorem, & in praxi ſequendam; niſi fortè alicubi contrariũ teneat conſuetudo, nàm hæc ſervanda eſt, cùm poſsit dare, & auferre juriſdictionem, àc ſit optima legum interpres.

51 Quæres: utrùm poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica pẽdeat ex moribus, vèl fide Legiſlatoris? Reſp. primò: talis poteſtas non pendet ex bonis moribus; atque adeò exiſtit, & permanet in homine fideli, & baptizato, quamvis iniquo. Eſt certum de fide, & definitum in Conc. conſtanc.. Prob. primò: Chriſtus D. cap. 23. Matth. docet, obediendum eſſe Præ-

latis benè præcipientibus, quāvis opera eorum non ſint imitanda. Et D. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. præcipit obedire Dominis, non ſolùm bonis, ſed etiàm diſcolis. Et D. Paulus ad Hebr. cap. 13. iubet obedire Prælatis abſolutè, & ſine diſtinctione intèr bonos, & malos: ergo. Prob. 2. talis poteſtas non habet connexionem cùm ſanctitate ſubiecti, quia non datur in ſanctificationem, vèl bonitatem habentes, ſed aliorum, quibus poteſt præcipi bonum, & iuſtum, etiàm ab homine iniquo: ergo. Conf. primo: talis poteſtas amitteretur etiàm per peccata purè interna; atque adeò omnium poteſtas eſſet valdè dubia, & incerta; ſed hoc eſt maximum abſurdum, quia ſubditi poſſent Prælatos iudicare adhùc de occultis, & obedientiam negare ipſis: ergo. Conf. ſecundò: pæna amiſsionis illius poteſtatis proptèr pravos mores non invenitur impoſita iure Divino, nèc humano: ergo non dependet ex moribus.

52 Reſp. ſecundò: poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica non pendet eſſentialitèr ex fide ſubiecti, ſed eam retinet, etſi fidem amittat, donèc illa privetur mediante Eccleſia. Hæc ſententia, licèt non ſit ità certa ſicut præcedens, eſt tamèn opinio Theologica, multò probabilior, quàm contraria, ut ait P. Suarez. Prob. primò; fides amittitur per hæreſim purè internam; ſed per iſtam non amittitur poteſtas legiſlativa: ergo hæc non pendet eſſentialiter à fide ſecundùm ſubſtantiam, ſeù exiſtentiam eiuſdem. Prob. min.: tùm; quia eſſet gubernatio valdè incerta, & confuſa, ſi talis poteſtas penderet ex actibus internis. Tùm, quia cùm Eccleſia ſit viſibilis, oportet quòd poteſtas eius gubernativa ſit ſuo modo viſibilis, àc proindè non pendens ex actibus purè internis: ergo. Conf.: in caſu hæreſis purè internæ Eccleſia ſuo humano iure non aufert illam poteſtatem, quia non iudicat coactivè externè de occultis, ſivè internis; ſed aliundè non auferetur ex vi ſolius iuris naturalis, quia non poteſt oſtendi neceſſaria ex natura rei connexio inter fidem, & hanc poteſtatem; nec ex vi iuris Diviniſ poſitivi, quod nec Scriptura, nèc traditione poteſt oſtendi: ergo. Urg.: conſentaneum eſt, quòd ſicùt iuriſdictio Eccleſiaſtica non confertur niſi media aliqua actione hominis, ſivè ea ſit tantùm deſignativa, aùt electiva Perſonæ, ut in Summo Pontifice, ſivè ſit collativa poteſtatis, ut in reliquis Prælatis; ità etiàm non auferatur, niſi media aliqua

actio-

actione exteriori, quia in utroque debet ſervari proportio ad conditionem hominis, ut à fortiori conſtabit ex probat. ſequenti: ergo.

53 Prob. ſecundò: non eſt jus Divinum, nèc Eccleſiaſticum diſponens, quòd ſuperior incidens in hæreſim, adhùc externam, cadat ipſo facto à poteſtate legiſlativa; ſunt tamèn multa decreta, quæ præcipiunt talem ſuperiorem deponi, & privari poteſtate: ergo. Conf.: ſi antequam talis ſuperior declaretur juridicè hæreticus, & ſit ab Eccleſia privatus, ſeù depoſitus, caderet ipſo facto, & ex vi hæreſis à juriſdictione, & poteſtate legiſlativa, ſequeretur quod Subditi poſſent indicare Prælatos, & negare ipſis obedientiam, unde turbaretur gubernatio Eccleſiaſtica; ſed hoc eſt inconveniens: ergo.

54 Argues contra 1. reſponſ.: tùm quia poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica eſt donum ſupernaturale Dei: ergo non debet manere in peccatoribus. Tùm, quia illa poteſtas eſt ad regendam Eccleſiam Dei ſponſam: ergo non debet committi inimicis Dei. Tum, quia talis poteſtas datur in ædificationem, non in deſtructionem; ſed in peccatoribus eſſet potiùs in deſtructionem, quàm in ædificationem: ergo nequit eis concedi. Reſp. ad 1. conceſ. antec. neg. conſeq.; quia peccator non ſtatim privatur omnibus donis ſupernaturalibus; retinet enim fidem, ſpem, & alia huiuſmodi; ac multò magis illa, quæ ordinantur ad commodum aliorum, uti eſt poteſtas legiſlativa. Ad 2. conceſ. etiàm antec., neg. conſeq.; quia poteſt Deus uti homine ſibi inimico, tanquàm inſtrumento ad benè faciendum amicis ſuis; cùm poſſit illis iuſta præcipere, ac Eccleſiam Dei ſponſam benè gubernare. Ad 3. ſimiliter conceſ. mai., neg. min.; quia, etſi ſuperior ſit pravus, poterit iuſta præcipere, & gubernare in ædificationem; maior que deſtructio, & confuſio ſequeretur, ſi liceret non obedire Prælatis peccatoribus, aliundè iuſta præcipientibus.

55 Argues contrà 2. reſponſ.: tùm, quia hæreticus ex vi hæreſis præſcinditur ab Eccleſia, & deſinit eſſe membrum eius: ergo amittit omnem juriſdictionem, & poteſtatem in illam; quia in nulla Republica habet aliquis juriſdictionem, niſi ſit pars illius Reipublicæ, & niſi ſit caput, aùt membrum habens influxum a Capite. Tùm, quia tenemur vitare hæreticos, &

non communicare cùm illis: ergo non poſſumus obedire ipſis, àc proinde multò magis illi privantur poteſtate præcipiendi; nàm alias eſſet perplexitas in Subditis, & bellum iuſtum ex utraque parte. Tùm, quia alias Eccleſia careret remedio adversùs Summum Pontificem hæreticum; ſiquidem non obſtante hæreſi retineret ſummam poteſtatem: ergo ipſo facto, & ex vi hæreſis debet ab illa cadere.

56 Reſp. ad 1. diſt. antec.: hæreticus ex vi hæreſis præſcinditur ab Eccleſia, & deſinit eſſe membrum eius coniunctum, & unitum, ſive quoàd formam, nempè fidem, qua conſtituebatur tale membrum, conc. antec.; deſinit eſſe membrum abſolutè, & ſimpliciter, ſivè quoàd characterem, quo remanet ſub juriſdictione Eccleſiæ, & conſtituitur capax juriſdictionis Eccleſiaſticæ, neg. antec.; & conſeq.; tùm, quia aliàs per hæreſim mentalem, vèl externam per accidens occultam, amitteretur etiam ipſo facto juriſdictio Eccleſiaſtica, & indè ſequerentur incommoda poſita in probat.; tùm, quia abſolutio data ab hæretico in extrema neceſsitate eſt valida, ut fert communis doctrina, àc proinde ex vi hæreſis non privatur omni juriſdictione Eccleſiaſtica. Per quod etiam patet ad probat. conſeq.; quia hæreticus, utpote habens characterem baptiſmalem, qui eſt fundamentum juriſdictionis Eccleſiaſticæ, eſt aliquomodò pars pertinens ad Rempubliçam Eccleſiæ, & poteſt eſſe caput, vel membrum habens influxum moralem, vèl officium à capite.

57 Ad 2. diſt. antec.: tenemur vitare hæreticos, per ſententiam nominatim declaratos, àc denunciatos, conc. antec.; etiam non ita denunciatos, àc declaratos, neg. antec. cum communi in tract. de Fide, & de cenſuris; & diſt. ſimiliter conſeq.: non poſſumus obedire ipſis, ſemèl declaratis, denunciatis, àc per ſententiã Eccleſiæ privatis ſua juriſdictione ſaltim ratione cẽſuræ; conc. conſeq.; non poſſumus obedire ipſis, adhùc juridicè non declaratis, nèc per ſententiam privatis ſua juriſdictione, & poteſtate, ſed ex vi hæreſis præcisè neg. conſeq.. Ad 3. poſſemus cùm opinione probabili negare ſuppoſitum, nempè Summum Pontificem poſſe fieri hæreticum. Sed illo admiſſo, neg. antec.; quia in illo caſu Concilium Generale poſſet juridicè declarare Pontificem hæreticum, & eò ipſo ſua juriſdictione privatum. Verùm de his in tract.

de

de Fide agitur ex professo.

QUÆSTIO IV.

Quænam sit materia Legis Humanæ?

1 NOtandũ primò, omnem legem versari circà actus humanos, id est, exercitos scientèr, & liberè; siquidèm lex est regula actionum humanarum: undè sicut ille qui caret usu rationis, non transgreditur formaliter leges, ita nec istæ præcipiunt, aùt vetant alium, quàm usum rationis, & libertatis. Cùm autèm actus humanus possit esse triplex, scil. bonus, malus, & indifferens, ideò de omnibus investigandum erit: an possint esse materia legis humanæ? Notandum secundò, quòd cùm quidam actus humani sint externi, alij verò interni, isti adhùc sunt in duplici genere; nàm aliqui sunt purè interni, qui nullam prorsùs, nèc per se nèc per accidens, habent conexionem cùm actu exteriori, uti est oratio mentalis; alij verò sunt non purè interni, sed habentes quandam conexionem cum externis, sivè per se, sivè per accidens. Tunc actus internus connectitur per se cùm externo, quandò ille est necessarius vèl ad substantiam physicam istius, sivè quando actus internus facit externum liberè, & humano modo existere in esse substantiali physico, uti se habet volitio furandi relatè ad furtum externum, quod sine illa nequit fieri liberè, etiàm physicè; vèl quandò actus internus est necessarius ad substantiam moralem externi, sivè quandò facit actum externum existere in esse substantiali morali, seù est conditio necessaria ad esse formale virtutis, aùt vitij actionis externæ in genere moris; qualiter se habet dolor in ordine ad confessionem sacramentalem, intentio Ministri relatè ad administrationem Sacramenti, & attentio, ac devotio ad auditionem Sacri. Tùnc autèm actus internus coniungitur per accidens cum externo, quandò non est necessarius ad eius esse physicum, nequè morale substantiale, sed ad utrumque se habet disparatè, & merè per accidens; qualitèr motivum pœnitentiæ coniungitur cùm elargitione elemosinæ.

2 Notand. 3. actum aliquem posse præcipi *directè tantùm indirectè solùm*, *vèl directè, indirectè simul*. Directè tantùm, quandò præcipitur præcisè ratione sui, solitariè, & citrà connexionem cum alio actu, ut patet in oratio-

ne mentali. Indirectè tantum, quandò præcipitur præciſſe ratione alterius actus, ſeù dùm non præcipitur ſolitariè, neque eſt pars obiecti quod præcipitur, ſed ſolùm neceſſaria eius conditio; ut patet in intentione audiendi Sacrum ſine qua nequit fieri auditio præcepta. Directè, & indirectè ſimùl, quandò præcipitur tàm ratione ſui, quàm ratione alterius actus, ſeù dùm eſt compars illius in ratione obiecti, quod præcipitur; ut patet in actu devotionis, qui, tanquàm compars cùm externa auditione Miſſæ, conſtituit eius auditionem ab Eccleſia præceptam, id eſt, auditionem devotam.

3 Notand. 4., quòd lex humana quædam eſt tantùm directiva, alia verò eſt etiàm coactiva. Directiva tantùm eſt illa, quæ obligat ad ſolā culpam in conſcientia incurrendam, nō autèm ad aliquam pœnam à Iure ſtatutam, vèl ab homine infligidendam; ſic Legiſlator obligatur ſuis legibus concernentibus bonum comune; & in probabili ſententia Clerici obligantur legibus civilibus ſpectantibus commune bonum, & eorum ſtatui non repugnantibus. Lex coactiva, quæ aliter vocatur comminatoria, eſt quæ obligat, & ad culpam, & ad pœnam, per legem expreſsè, vèl tacitè ſtatutam. Lex coactiva iterùm eſt duplex. Una eſt coactiva coactione interna, quę obligat ipſo facto antè ſententiā Iudicis incurrenda. Alia eſt coactiva coactione externa, quę obligat ſub pœna per ſententiam inferenda. His notatis, ſit.

4 Conclus. 1. lex humana, non ſolùm Canonica, ſed etiàm civilis debet præcisè verſari in materia honeſta, id eſt, præcipiendo bonum, aùt prohibendo malum, vèl ſaltèm non præcipiendo iſtud, aut prohibendo illud. Eſt ſentētia catholica, contra errorem Politicorum ſequentium Machiavellum. Prob. primò de lege civili: lex præcipiens malum militat directè contra primum principium morale ex jure naturæ, nempe *Declina à malo*; ſicùt etiàm lex prohibens bonum militat contra idem principium, ſcil. *Et fac bonum*: ergo talis lex eſſet nulla, utpote contraria primis principijs moralibus, quibus omnis lex debet conformari; àc proinde. &c. Conf.: nullus poteſt obligari ad peccandum ſed lex præcipiens malum obligaret ad peccandum: ergo non poteſt dari talis lex. Prob. min.: tranſgrediens legem poteſtatis ſuperioris peccat; quia inferior nequit abrogare, nèc derogare legem ſuperioris; ſed lex humana

præ-

prȩcipiens malum obligaret ad transgrediendam legem potestatis superioris, scil. Divinæ, siquidem supponitur quod lex humana præciperet aliquid vetitum ex altiori lege: ergo. Prob. secundò de lege Cannonica: ad finem magis perfectum, & spiritualem legis cannonicæ, ac ad eius maiorem perfectionem, est multò magis necessarium, quòd versetur circa honestum, quàm lex civilis, cuius finis est minus perfectus, & minùs spiritualis, ut ex se patet; sed lex Civilis debet præcisè versari circa honestum, ut manet probatum: ergo multo meliùs lex Cannonica.

5 Argues: lex civilis per se primò intendit statum politicum, pacificam conversationem, & augmentum civile Populi; sed ad hunc finem non conducit, imò pluriès officit præcipere honesta, ac prohibere mala; cùm indè oriantur discordiæ, iurgia, & alia nocumenta: ergo ad potestatem civilem solùm pertinet ferre leges temporaliter utiles Reipublicę, sivè in eis reperiatur vera honestas, sivè tantùm apparens, & simulata, dissimulando etiàm, vèl præcipiendo in se iniusta. Conf. leges civiles interdùm sustinent, & fovent actus pravos, propter temporalem commoditatem; & in iure civili approbantur aliqua, quę in foro animæ non possunt subsistere: ergo.

6 Ad arg. concess. mai., neg. min.; quia nihil magis notum lumine naturali, ex historijs, & experientia, quàm quòd status politicus, & bonum commune per se stabilitur, & augetur observatione honestatis, ac legis Divinæ; quamvis aliquando per accidens, & ex malitia hominum contingat aliquod particulare detrimentum occasionatum ab impositione legum civilium honesta præcipientium. Ad conf. neg. antec. in sensu argum.; quia licèt leges civiles aliquandò tolerent, aùt permittant minora mala ad vitanda maiora; nunquam tamèn fovent, vèl positivè approbant inhonesta, aùt iniusta, propter temporalem commoditatem indè assequendam.

7 Concluſ. 2. lex humana, tàm cannonica, quàm civilis, potest præcipere recta; non solùm in materia iustitię, sed etiàm aliarum virtutum, & similitèr potest prohibere vitia contrà omnes virtutes, nequit autem absolutè præcipere omnes actus omnium, & singularum virtutum, nec potest speciali coactione, aut pœna prohibere omnia vitia contra omnes virtutes. Prima

pars

pars eſt communis, & prob.: poteſtas legiſlativa humana nequit aſſequi ſuum finem, quin poſsit præcipere in materia omnium virtutum: ergo poteſt præcipere in materia omnium illarum. Prob. antec. primò: leges humanæ intendunt facere homines bonos; ſed non poſſunt aliter fieri boni, quàm obſervatione omnium virtutum, quia malum ex quocumque defectu: ergo. Prob. ſecundò idem antec.: finis juris humani, etiam civilis, eſt vera felicitas communitatis; ſed talis felicitas nequit obtineri ſine obſervantia omnium virtutum, ut patet inductione ſingularū: ergo. Conſ.: leges humanæ intendunt, ut fiat bonum, & vitetur malum; ſed iſtæ ſunt partes iuſtitiæ, non præcisè particularis, ſed etiam generalis, & tranſcendentis omnes virtutes: ergo lex humana poteſt præcipere in earum materia, & prohibere omnia vitia contraria.

8 Prob. 2. pars conclus., quæ etiam eſt communis: tùm, quia plures virtutum actus ſunt propriè, & unicè de conſilio: ergo nequeunt per leges humanas fieri abſolutè de præcepto. Tum, quia illi actus virtutum poſſunt eſſe materia legis humanæ abſolutè præcipientis, qui ad eius finem ſunt neceſſarij, & ad commune bonum Reipublicæ valdè utiles, atque moraliter poſsibiles, ſeu accommodati univerſæ communitati pro maiori parte, ſicut è contra illa vitia poſſunt coactione ſpeciali, & rigoroſa punitione per legem humanam prohiberi, quæ ſunt noxia communitati humanæ, & cùm morali utilitate poſſunt prohiberi, ac puniri; ſed non omnes actus omnium virtutum ſunt neceſſarij ad finem legis humanæ, nèc valdè utiles ad commune bonum Reipublicæ, nèc accommodati toti communitati, ſiquidem aliqui ſunt parvi momenti, & alij ſunt nimis ardui; nèc ſimiliter omnes actus vitioſi ſunt valdè noxij. Cōmunitati, ac bono communi, nèc cū morali utilitate poſſunt omnes prohiberi, & puniri; quia eſſet nimis oneroſum fragilitati humanæ, & potiùs eſſet in deſtructionem, quàm in ædificationem; ſiquidem maiora mala ſequerentur ex prohibitione adeo generali, quàm ex aliqua tolerantia, & permiſsione: ergo quamvis lex humana procuret, & moneat, quod omnes actus omnium virtutū exerceantur, & omnia vitia vitentur; tamen nequit abſolutè præcipere omnes prorsùs actus virtuoſos, nèc ſpeciali coactione prohibere omnes contrarios; ſed unicè illos

illos, qui ſint magis graves, & minùs difficiles, iuxta prudetiam Legiſlatoris.

9 Concluſ. 3. actus indifferentes, ſecundùm ſe, & prout tales ex omnibus circunſtantijs, non ſunt materia legis humanæ præcipientis, aut vetantis, ſed tantùm permittētis, attamèn tales actus ex obiecto indifferentes & aliunde utiles ad aliquod commune bonum, vèl ad vitandum grave malum, prout ſic poſſunt eſſe materia legis humanæ præcipientis, aut vetantis ipſos. Utraque pars eſt communis. Prob. 1. pars: tùm, quia finis legis humanæ eſt facere homines bonos declinando à malo, & proſequendo bonum; ſed per actus indifferentes, prout tales, nèc fiunt homines boni, nèc mali, ſeù nèc fit bonum, nèc malum: ergo tales actus, prout ſic, & ſecundum ſe nequeunt eſſe materia legis humanæ præcipientis, aut vetantis. Tùm, quia non omnes actus virtutum, poſſunt abſolutè præcipi, nèc omnia vitia poſſunt ſpecialitèr prohiberi per legem humanam: ergo multò minùs actus indifferentes poterunt præcipi, aùt prohiberi per ipſam; quia minus utiles ſunt bono communi, & minùs nocivi communitati. Prob. 2. pars; tùm, quia poteſtas ad aliquem finem eſt etiam ad neceſſaria, vèl utilia ad illum finem: ergo cùm bonum cōmune ſit finis legis humanæ, hæc poterit præcipere; aùt prohibere actus indifferentes, conſideratos ut utiles, vèl nocivos ad illum finem. Tùm, quia actus ex obiecto indifferens, ſub ratione utilis, vèl nocivi ad bonum commune eſt bonus, vel malus ratione finis: ergo cùm lex humana poſsit præcipere bonum, & prohibere malum, poteſt etiàm præcipere, vèl prohibere actus indifferentes, prædicto modo ſumptos.

10 Concluſ. 4. lex humana, non tantùm canonica, ſed etiàm civilis, poteſt ſaltèm indirectè præcipere, vèl prohibere actus internos coniunctos per ſe cum externis. Eſt communiſsima. Prob.: ad gubernationem humanam, ſivè Eccleſiaſticam, ſivè politicam, pertinet præcipere, vèl prohibere actus externos, in ſuo eſſe phyſico, & morali conſtitutos, ſiquidem ad illam pertinet regulare actus humanos, & virtuoſos: ergo ſaltèm indirectè, ſeù ratione actuum externorum, ad quorum poſitionem ſunt neceſſarij, poteſt præcipere, vèl prohibere actus internos per ſe cum illis coniunctos, ſeù ſine quibus actus externi neque-

unt ſubſiſtere in eſſe phyſico, vèl morali, ut patet ex num. 1. &. 2.

11 Concluſ. 5. tales actus interni poſſunt, àc ſolent utraque lege præcipi, aùt prohiberi, etiam directe, ſi tanquam compartes actuum externorum conſtituant actus mixtos. Eſt communior, quàm ſententia contraria. Prob. Lex Eccleſiaſtica præcipit confeſſionem validam, id eſt, tàm in eſſe phyſico, quàm morali ſubſiſtentem; & ſimiliter lex civilis poteſt præcipere contractum validum; ſed præcipiendo confeſsionem, & contractum validum, directè præcipiunt non ſolos actus externos, ſed etiam internos, conſtitutivos externorum in eſſe phyſico, & morali: ergo. Prob. min.: id, quod per tales leges præcipitur, ſeù in quod tenduut tanquàm obiectum, non eſt aliquid adæquatè ab actu interno diſtinctum, quod tantùm ſit eſſentialiter connexum, vèl coniunctum cum externo, ſed eſt aliquod morale, & mixtum, quod intrinſecè conſtituitur ex actu externo, & interno: ergo. Conf.: poſſet Legiſlator Eccleſiaſticus uno præcepto præcipere actum externum, v. g: orationem vocalem, & poſt aliquod tempus ſuperaddere præceptum de attentione interna; & ſimilitèr Legiſlator civilis poſſet priùs præcipere contractionem externam, & poſteà dicto præcepto obligare ad volitionem verè contrahendi; ſed in tali caſu præciperetur directè uterque actus, ſcil. externus, & internus: ergo. Prob. min.: quodlibet præceptum, quandò fertur, præcipit, vèl prohibet aliquid directè; ſed in facta hypoteſi nihil aliud eſt, quod directè præcipiatur, per ſecundum præceptum, niſi actus internus; cum externus ſupponatur antecedenter præceptus: ergo.

12 Argues: actus interni, etiam per ſe coniuncti cùm externis, nihil conferunt ad finem intentum à Legiſlatore humano, nempè ad quietam, & iuſtam converſationem ſubditorum: ergo non poſſunt ab illo præcipi, aùt prohiberi, ſaltem directe. Conf.: actus interni, etiàm per ſe coniuncti cùm externis, non evadunt ſenſibiles, & exteriùs manifeſti; proùt requiritur, ut ſaltem directe cadant ſub humana poteſtate, præſertim civili: ergo. Ad arg. neg. antec.; nàm in primis ad finem intentum à Legiſlatore Eccleſiaſtico, qui eſt conſecutio æternæ ſalutis, & converſatio ſpiritualis, plùs conferunt actus interni, utpote qui principaliter

tèr meritorij ſunt, àc ſpirituales, quàm operationes externæ, quæ ſolùm ab illis participant rationem meriti. Deindè faciunt etiam ad finem à Leg ſlatore Civili intentum, qui eſt externa, & politica Reipublicę tranquillitas; nàm ad hanc conſervandam plurimùm intereſt, quòd cives non fictè, ſed recto animo, ſeriaque voluntate negocientur. Ad confirm. neg. antec.; quia actus interni, per ſe coniuncti cùm externis, per iſtos evadunt moralitèr, & humano modo ſenſibiles, & externè manifeſtantur, ſivè infallibiliter (dùm ſunt neceſſarij ad ſubſtantiam phyſicam illorum, qualitèr volitio furādi manifeſtatur per furtum externum); ſivè præſumptivè (quandò actus interni ſunt neceſſarij ad eſſe ſubſtantantiale morale actuum internorum, qualiter intentio Miniſtri manifeſtatur per adminiſtrationem externam Sacramenti, & volitio verè contrahendi per externam contractionem); atque adeò directè cadunt ſub humana poteſtate.

13 Conclus. 6. lex humana poteſt præcipere, aùt prohibere actum externum in ordine ad internum; & conſequenter actus externi poſſunt etiàm indirectè pręcipi, aut prohiberi. Ita plures contra Caramuelem. Prob. primò; Concil. Trid. ſeſ. 22. cap. 5. pręcipit ritus Miſſæ, ut mentes elebentur ad rerum Divinarum meditationem; itèm præcipit catecheſes, & prohibet libros hæreticos, ut fides interna retineatur; imò probabile eſt, quòd Eccleſia in omnibus ſuis præceptis intendat perfectionem Chriſtianam, quę conſiſtit in perfecta charitate interna: ergo præcipit actus externos in ordine ad internos. Prob. ſecundò. licet actus externi ſpecificentur ab internis, dùm ad iſtos tanquam ad finem ordinantur à Legiſlatore, tamèn manent eſſentialitèr externi, cùm inde non accipiant ullum prædicamentum formalitèr conſtitutivum, & propriū internorum actuum: ergo non apparet, cùr non poſsint ordinari ad internos tanquàm ad finem, & conſequenter etiàm indirectè præcipi, aùt prohiberi ratione internorum. Unde infertur, Patrem poſſe prohibere filio ingreſſum in aliquam domum, eò fine, ut filius non habeat pravas delectationes internas; & Prelatum poſſe præcipere Subdito Religioſo lectionem libri turpis, ne conſentiat delectationibus internis.

14 Argues: cùm media ſpecificentur à fine, ille qui non habet poteſtatē in finem, ad quem diriguntur media, etiàm

etiàm non habet poteſtatem in media ad talem finem ordinata; ſed lex humana non habet poteſtatem in actum internum, qui eſſet finis externorum: ergo nèc habet poteſtatem in actus externos, qui ſupponuntur eſſe media ad internos. Reſp. neg. abſolutè mai.; nàm aliàs Eccleſia, quæ non habet poteſtatem circa jus Divinum Sacramentale, non poſſet præcipere cæremonias, & ritus in adminiſtratione Sacramentorum propter jus Divinum Sacramentale promovendum, & à quo tanquàm à fine ſpecificantur; & Eccleſia, quæ non habet poteſtatem in eſſentiam v. g. Sacrificij, nèc etiàm haberet poteſtatem in media illud dignè offerendi, ſeù adhibendi certos ritus, veſtes, orationes &c., & conſequenter non poſſet illa præcipere, quod eſt abſurdum; atque adeò quamvis lex humana non habeat poteſtatem in actus internos, poteſt eam habere in externos ordinatos tanquam media ad illos.

15 Concluſ. 7. lex civilis non poteſt præcipere, aùt prohibere directè, & ſecundum ſe actus purè internos. Eſt communis. Prob. primò. poteſtas civilis, ſaltem directè, proximè, & per ſe ordinatur ſolùm ad exteriorem pacem, & politicam gubernationem Reipublicæ; ſed ad talem finem non conducunt actus mere interni: ergo. Prob. 2. poteſtas civilis naſcitur immediatè ab ipſa communitate, media ratione naturali; ſed nulla ratio dictat, quòd communitas humana poſsit dare poteſtatem immediatè, & per ſe ſuper actus merè internos; cùm iſti ſint omninò extra ſuam cognitionem, àc proindè extra ſuum forum: ergo. Prob. 3. ſolùm poteſt inveniri ſubiectio intèr homines, quatenùs poſſunt inter ſe communicationem habere, & actiones unius poſſunt eſſe utiles, vèl nocivæ alteri; ſed ad hoc nihil referunt actiones purè internæ: ergo. Prob. 4. poteſtas civilis eſt etiam externè coactiva, & punitiva; ſed talis nequit eſſe reſpectu actus purè interni; cùm iſtè; utpotè per ſe occultus, non poſsit per ſe ab homine congnoſci, nec iudicari: ergo.

16 Argues 1. in Iure civili dicitur, aliquem puniri, *vèl quia cogitavit*: ergo actus purè internus poteſt eſſe per ſe materia legis civilis. Reſp. explic. antec.: dicitur, aliquem puniri, *vèl quia cogitavit*, id eſt, exteriùs intendit, vèl per conſilium, vèl per aliquam actionem, quæ casù non habuit effectù, conc.;

quia

quia cogitavit, id eſt, purè interiùs concupivit, neg. antec., & conſeq.; quia illa cogitatio, vèl intentio exterius inchoata executivè aliquomodò, iam tùnc eſt actus exterior, licèt non conſummatus; & ideò poteſt prohiberi à lege Civili, & puniri vèl leviori pœna, vèl aliquàndò etiam pœna ordinaria iuxta gravitatem materiæ.

17 Argues 2. ex concluſ. ſequitur, legem Civilem non poſſe præcipere, aùt prohibere actum externum omninò occultum, qui non ſit probabilis in iudicio humano; ſed hoc eſt falſum: ergo. Mai. patet; ideò enim lex Civilis non poſſet præcipere, aùt prohibere directè actum merè interternum, quia per illam non poſſet puniri talis actus; ſed nèc actus externus omninò occultus poteſt puniri per iudicium humanum, cùm non poſsit probari per tale iudicium, quod non fertur niſi ſecundùm allegata, & probata: ergo. Min. etiam patet; quia alias non peccaret, qui legem humanã violaret occultiſsimè, quod non poteſt dici, quia lex non tantùm prohibet, nè actus publicè fiat, ſed nè ſimplicitèr fiat; nèc prohibet actum ſolùm ratione ſcandali, aut notorietatis, ſed ratione ſui quia vèl malus eſt; vèl ex vi prohibitionis fit malus. Reſp. neg. ſequelam mai.; quia actus externus non per ſe, & natura ſua, ſed tantùm per accidens poteſt eſſe occultus, atque adeo eſt per ſe punibilis, & cadens ſub poteſtate, & efficatia legis Civilis, quia lex datur generalitèr de actibus ſecundum naturalem eorum conditionem, & circunſtantiæ accidentales non mutant, nèc impediunt efficatiam legis; actus autèm purè internus eſt per ſe, & natura ſua occultus, & ſubterfugiens iudicium humanum, atque adeò per ſe impunibilis, & tranſgrediens poteſtatem, & efficatiam legis Civilis, quæ utpotè merè humana nequit cognoſcere, nèc iudicare niſi ſenſibilia, & per ſe manifeſta.

18 Concluſ. 8. lex Eccleſiaſtica, in quantùm externè coactiva, non poteſt præcipere, aùt prohibere actus merè internos; at in quantùm directiva, & internè coactiva, poteſt præcipere, aùt prohibere illos. Prima pars docetur ab omnibus, & prob.; etiàm Legiſlator Eccleſiaſticus non poteſt *in forma iudicij externi* cognoſcere actus merè internos: ergo nec præcipere, aut prohibere illos per legem externè coactivam; cùm ad hoc requiratur, quòd poſsit tranſgreſſores convincere, & punire per ſententiam ferendam

poſt

poſt culpam commiſſam, probatam, & cognitam.

19 Secunda pars conclus. eſt contra plures, eam tamèn tenent non pauci Authores ſatis graves, quos citant, & ſequuntur Holz nann, & Lacroix. Prob. primò: Chriſtus D. contulit Petro, & in eo, ſucceſſoribus illius poteſtatem abſolutam præcipiendi ſuis ſubditis, ut patet ex illo Math. 16. *Quodcumque ligaveris ſuper terram, erit ligatum, & in cœlis &c.*: ergo cum talis conceſsio ſit favorabilis, nèc ſciamus ipſam eſſe limitatã ad actus externos, vèl mixtos, non debet reſtringi, ſed potiùs extendi etiàm ad actus merè internos. Conf.: Chriſtus contulit Petro talem poteſtatem in ordine ad finem ſupernaturalem æternę beatitudinis conſequendę; ſed ad hunc finem multò magis conducunt actus interni, quam externi; iſti enim non ſunt meritorij per ſe ipſos, id eſt, independenter ab internis: ergo dicendum eſt, Chriſtum contuliſſe Petro poteſtatem prę cipiendi, aùt prohibendi multo magis actus internos, quam externos.

20 Prob. ſecundò eadem pars: Innoc. XI. in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini iudicij prohibet praxim propoſitionum, quas damnat in Bulla adjuncta; ſed praxis propoſitionis quintæ, ſextæ, ſeptimæ, & decimæ, quæ damnantur in illa Conſtitutione, eſt aliquid merè internum; ſiquidèm ſunt de interna dilectione Dei, àc de interna dilectione proximi: ergo. Nec valet dicere, ibi tantùm prohiberi, nè doceantur illæ propoſitiones. Nam contra eſt: doctrina illarum propoſitionum paulò antè prohibetur ſub excommunicatione latæ ſententiæ: ergo quod additur, & prohibetur de praxi, non poteſt intelligi de doctrina, ſed de ipſo illius uſu. Nec etiam valet reſp., Eccleſiam ſolùm declarare illam praxim prohibitam ex Iure naturali, & Divino. Contrà enim eſt: tùm, quia dùm Legiſlator aliquid prohibet in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione Divini iudicij, non tantùm declarat aliquid eſſe prohibitum, ſed & ipſe prohibet de novo, diſtinctam obligationem ſuperaddendo, prout etiam Adverſ. admittunt; ſed Pontifex ita prohibet, ne aliqua illarum propoſitionum deducatur ad praxim: ergo non ſolùm declarat prohibitã illarum praxim, ſed & ipſe prohibet. Tum, quia Pontifex æquè adhibet modum prohibendi, dùm proſcribit praxim talium propoſitionum, àc dum

proſ-

proſcribit doctrinam illarum; ſed dùm proſcribit doctrinam, non ſolùm declarat eam eſſe prohibitam jure naturali, & Divino, ſed etiàm ipſe prohibet: ergo ſimiliter dùm proſcribit praxim.

21 Prob. 3. Eccleſia per legem directivam, & coactivam coactione interna præcipit, vèl, prohibet actus mixtos, v. g. homicidium voluntarium clerici, quod punit excommunicatione latæ ſententiæ, & homicidium coniugis cum intentione Matrimonij, cui addit pœnam impedimenti: ergo poteſt etiàm ſic præcipere, vèl prohibere actus merè internos. Prob. conſeq.: lex præcipiens, vèl prohibens directivè, aut coactivè internè actus mixtos, tendit etiàm directè in internos, præcipiendo, aùt puniendo directè volitionem occidendi, & intentionem Matrimonij, non per ſententiam Iudicis, quæ prærequirat cognitionem delicti ſed per ipſam legem, quę talem cognitionem non requirit: ergo poteſt etiàm directè præcipere, vèl prohibere, nedum directivè, ſed etiàm coactivè internè, actus merè internos, quamvis Iudex non poſsit cognoſcere illos; quia coactio purè interna non requirit prævian cognitionem delicti, ſed pœna incurritur ipſo facto apud Deum, qui vindex eſt omnium legum humanarum. Conf.: actus merè internus eſt capax obligationis à Deo: ergo etiàm ab homine, qui habet poteſtatem ſpiritualem, & in ordine ad bonum internum animę. Prob. conſeq.: ideò actus internus non eſſet capax obligationis ab homine, quia iſte non poteſt actus internos cognoſcere, iudicare, àc punire; ſed hoc non requiritur ad legem directivam, nèc internè coactivam, quam adſtruimus, ſed tantùm ad coactivam coactione externa, quam negamus: ergo.

22 Argues 1. iuxta commune axioma deſumptum ex Iure Canon.: *Eccleſia non de occultis, ſed de manifeſtis iudicat*: ergo nullo modo poteſt præcipere, aut prohibere directè actus purè internos, & per ſe occultos. Conf.: fruſtra eſſet poteſtas imperandi actum, quem imperans non poſſet per ſe cognoſcere, nèc expletionem urgere, nèc illius omiſsionem punire; ſed Legiſlator humanus, etiàm Eccleſiaſticus nequit per ſe cognoſcere actum merè internum, nec poteſt eius omiſsionem punire, nèc illius expletionem urgere; cùm non poſsit ſcire, àn ſit poſitus, vèl omiſſus: ergo. Urg.: ſi lex

Eccleſiaſtica poſſet præcipere, aùt prohibere directe actus purè internos, etiam lex civilis; cum utraque ſit humana, & humano regimini accommodata; ſed per nos, lex civilis illud non poteſt: ergo nèc Eccleſiaſtica.

23 Ad arg. reſp. explic. axioma: Eccleſia non de occultis, ſed de manifeſtis, iudicat *in forma iudicij*, quod teſtibus, & inſtrumentis, vèl cognitione cauſæ perficitur, conc.; *in forma legis, ſeù conſtitutionis*, quæ per ſe ipſam, abſque cognitione, & probatione cauſæ, conſcientiam delinquentis liget ad culpam, & pœnam inferat coram Deo ipſo facto incurſam, neg. antec.; & diſt. conſeq.: nullo modo externè coactivo poteſt præcipere, aut prohibere directè actus merè internos, conc. conſeq.; nullo modo directivo, nèc internè coactivo, neg. conſeq.. Ad conf. neg. vèl diſt. mai.: fruſtrà eſſet poteſtas coactivè externè, ſivè ſub pœna per ſententiam à Iudice poſt commiſſum crimen ferendam, imperandi actum, quem imperans non poſſet per ſe cognoſcere, conc. mai.; fruſtra eſſet poteſtas imperandi directive, vèl coactivè internè, ſivè ſub pœna per legem ipſo facto inflicta, & lata, neg. mai, & conceſ. min., diſt. ſimiliter conſeq.. Ad urgent. neg. mai.; quia lex Civilis non procedit à poteſtate ſpirituali, nèc per ſe intendit finem ſupernaturalem aſſequendum per bonum ſpirituale hominis, ſed tantùm verſatur circa politicam, & externam gubernationem; è contra autèm leges Eccleſiaſticæ omnia oppoſita intendunt per ſe, & directè, ad quæ maximè iuvant, àc neceſſarij ſunt actus interni.

24 Argues 2. poteſtas legiſlativa Eccleſiaſtica data eſt à Chriſto D. ad rectam Eccleſiæ gubernationem, illamque cõtulit hominibus modo accommodato ipſis, & humano regimini: ergo per ſe, & directè verſatur, & exercetur ſolum circa actus externos. Prob. conſeq.: Eccleſia, utpotè viſibilis, ſolùm requirit actuum viſibilium regimen, & gubernationem; & modus accommodatus hominibus, àc eorum regimini pro ſtatu præſenti, eſt externus, & ſenſibilis: ergo. Conf. primò: poteſtas humana, qualis eſt Eccleſiaſtica, debet exerceri humano modo; ſed ſi directè tenderet in actus merè internos, non exerceretur modo humano; quia agere de purè internis ſpectat ad ſolum Deum, & ſpirituales creaturas, commercium verò humanum attingit ſolùm externa ſenſibus ſubiec-

ta;

ta: ergo. Conf. 2. lex purè interna, & exteriùs non manifeſtata neminem obligat, quamvis ſcitur, ipſam exiſtere in mente Legiſlatoris volentis obligare; ſed hoc ideò eſt, quia non eſt humano modo applicata: ergo cum lex verſans circa actus merè internos non ſit exercita, nèc impoſita modo humano, & ſenſibili, nullam inducit obligationem, nèc habebit rationem legis.

25 Reſp. ad arg. diſt. antec. poteſtas Eccleſiaſtica data eſt ad rectam gubernationem, nedùm externam, ſed etiàm internam, imò principaliter ad iſtam; talis que poteſtas hominibus collata eſt modo accõmodato ipſis, & eorum regimini, nedùm externo, ſed etiàm interno, & ſpirituali in ordine ad finem ſupernaturalem, conc. mai., ad rectam gubernationem præcisè externam, & in ordine ad ſolum finem temporalem, aùt naturalem, neg. antec., & conſeq., ac etiam antec. probat.; quia Eccleſia, etſi viſibilis, eſt etiam quoàd actus internos, & invisibiles ordinata, & dirigibilis in ordine ad finem ſupernaturalem, atque adeò requirit etiam regimen, & gubernationem actuum internorum; atque modus accommodatus hominibus, & eorum regimini ſpirituali, eſt etiàm internus, & inviſibilis ex parte materiæ, vèl obiecti, quamvis ex parte applicationis, vèl intimationis debeat eſſe externus, & ſenſibilis, ut mox conſtabit. Ad 1. conf. conceſ. mai., neg. min.; quia licèt poteſtas Eccleſiaſtica ferens legem, quę concernat conſcientiam, & tendat ad actus merè internos non ſiſtat in fine humano, ſivè naturali, ſed iuvet, & quaſi elevet hominem ſuprà ſe, eò quòd illum dirigat ad bona ſupernaturalia, & æterna; tamen adhùc exerceretur modo humano, ſenſibili, & externo, quatenùs lex illa manifeſtaretur, & intimaretur exterius. Per quod patet ad probat. illus min.; nàm licèt agere modo inſenſibili de internis ſpectet ad Deum, & creaturas ſpirituales; tamen agere de illis modo ſenſibili ſpectat etiam ad homines, quorum commercium ſpirituale attingit etiam interna, eſto modo ſenſibili manifeſtata. Per idem etiàm patet ad 2. conf., ad quam conceſ. mai., & min., neg. conſeq.; quia lex tendens in actus internos, & obligans ad illos, ſupponitur impoſita, directa, & promulgata modo ſenſibili, & humano.

26 Argues 3. poteſtas legiſlativa debet eſſe coniuncta cùm poteſtate punitiva; cum vix homines ſoleant ſervare le-

leges, niſi timore pœnę ſed in Eccleſia non eſt poteſtas puniendi actus merè internos, cùm non poſsit cognoſcere illos: ergo. Conf.: Eccleſia de facto non præcepit, nèc prohibuit directè actus merè internos: ergo quia de facto non habet poteſtatem in illos; quamvis alias potuiſſet eam habere collatam à Chriſto D., utpotè qui habet talem poteſtatem, & actus internos de facto præcipit. Urg.: ideò Legiſlator humanus poteſt præcipere, vèl prohibere actus internos per ſe connexos cùm externis, quia illi proùt ſic cadunt aliquo modo ſub ſenſu: ergo è contra non poteſt præcipere, vèl prohibere actus merè internos, quia iſti nullo modo ſub ſenſu cadunt.

27 Reſp. primò retorquendo argum.: poteſtas legiſlativa debet eſſe coniuncta cum punitiva; ſed Prælati Regulares non poſſunt punire actus merè internos: ergo nèc ſuis ſubditis præcipere, aut prohibere illos; quod eſt contra pleroſque Adverſ.: undè poteſt ulteriùs confirmari ſententia noſtra, & fieri retorſio in alia argum. contraria. Præterea: Eccleſia nequit punire, ſaltèm per accidens, proximè, & in actu ſecundo actus externos occultos, quia proùt ſic nequit cognoſcere illos; ergo ſaltèm per accidens, proximè, & in actu ſecundo non poterit præcipere, aùt prohibere ipſos: quod etiam eſt contra Adverſ.. Reſp. ſecundò directè, neg. mai. (maximè de poteſtate Eccleſiaſtica, de qua loquimur), tùm ex dictis num. 3. tùm ex prima retorſione huius argum.; tùm, quia lex naturalis eſt tantùm directiva, id eſt nullius pœnæ temporalis illativa: ergo & talis eſſe poteſt lex humana; tùm; quia non videtur poſſe negari, Summum Pontificem poſſe Epiſcopo v. g. concedere facultatem condendi quaſdam leges purè directivas, ſibi privativè reſervata poteſtate puniendi illarum tranſgreſſores pœna temporali: ergo & Chriſtus D. potuit ſuo Vicario concedere juriſdictionem ſtatuendi quaſdam leges, quarum violatores plecterentur in altera vita ſupplicio ſempiterno. Quod autèm talem juriſdictionem de facto contulerit, evincunt probationes noſtræ concluſ.. Undè rectè inquit Cardenas in 1. criſi, tract. 3. diſp. 25. c. 7. *nulla eſt connexio inter poteſtatem directivam, & coactivam; optime enim poteſt intelligi poteſtas præceptiva ſine punitiva, præcipuè in ordine ad finem ſupernaturalem, in ordine ad quem magis operatur conſcientia delicti: quàm ſupplicium;*

clum; & homines deſiderantes finem ſupernaturalem beatitudinis, magis timent conſcientiam delicti, quàm temporale ſupplicium.

28 Reſp. 3. ad argum. diſt. mai.: poteſtas legiſlativa debet eſſe coniuncta cum punitivà, ſaltèm interna, permit. mai.; cùm punitiva præcisè externa, ſubdiſt.: ut poſsit punire pœna intelligenda per ſententiam ferendam à Iudice poſt commiſſum crimen, conc. mai.; ut poſsit prohibere aliquid ſub culpa, & punire pœna taxata per legem, ſeù ſententiam iàm latam ante crimen commiſſum, & incurrenda ipſo facto, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: in Eccleſia non eſt poteſtas puniendi actus merè internos per ſententiam ferendam à Iudice poſt crimen commiſſum, conc. min.; non eſt poteſtas puniendi illos pœna antè commiſſum crimen iàm taxata per legem, ſivè per ſententiam latam; neg. min., & conſeq..

29 Ad conf. neg. antec.; quia, ut conſtat ex 2. probat. concluſ. quoad 2. part., Eccleſia de facto præcepit, & prohibuit aliquos actus merè internos. Imo nedùm directivè, ſed etiam coactivè internè prohibuiſſe aliquos actus mere internos, aſſerunt Authores noſtræ ſententiæ, qui plura exempla id probantia adducunt; & Cardenas refert plures Doctores affirmantes, hæreſim merè internam prohiberi ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda; eò quia hæreſis conſiſtit, & completur in intellectu, per ſigna verò externa ſolùm ſignificatur; atque adeò antecedentèr ad ſigna externa iàm adeſt completum hæreſis peccatũ, quòd excommunicatione plectitur ab Eccleſia. Ratio verò, cùr Eccleſia rariùs præcipiat, vèl prohibeat actus merè internos, eſt, quia regulariter loquendo ſatis providetur eius bono, ſi præcipiat, vèl prohibeat actus mixtos, qui apertiùs, & fortiùs, quàm interni, militant adverſus pacem, & diſciplinam Eccleſiaſticam. Ad urgent. diſt. antec.: ideò Legiſlator humanus poteſt actus mixtos præcipere, vèl prohibere coactivè externè, quia cadunt ſub ſenſu, conc. antec.; purè directivè, vèl coactivè, internè, neg. antec.; & diſt. ſimiliter conſeq.

30 Inquires utrum actus præteritus poſsit eſſe materia legis humanæ? Rep. primò: lex purè declarativa, quantùm in ſe eſt, comprehendit non tantùm futura, ſed etiam præterita. Eſt commune. Prob.: lex declarativa non eſt regula actionis, ſed talem regulam

interpretatur, & ſupponit: ergo antè legem declarativam erat lex, vèl jus inducens obligationem, vèl alium effectum juris: ergo lex, quæ declarat tale jus, ſupponit ſemper habuiſſe talem effectum; nam effectus antiqui juris non pendet ex futura declaratione; àc proindè iſta eſt etiàm de præteritis. Conf.: lex declarativa, ſeù nova declaratio, quatenùs talis, non condit jus, ſed unicè declarat quid ſecundùm aliud antiquum debeat fieri, aùt non fieri: ergo ex ſe non habet novum juris effectum; atque adeò, quantum in ſe eſt, æquè comprehendit præteritum, & futurum. Cæterùm ſi lex non ſit purè declarativa, ſed habeat aliquid admixtum legis conſtitutivæ ex poteſtate, & intentione Legiſlatoris declarantis, tùnc quantùm ad id, quod addit præter nudam declarationem, non extenditur ad præterita, ſed tantùm ad futura, juxtà immediatè dicenda.

31 Reſp. ſecundò: lex conſtitutiva juris, per sè, & quaſi natura ſua, non extenditur ad præterita; ſed verſatur unicè circa futura; quòad aliquos tamèn effectus poteſt, ex voluntate Legiſlatoris ſatis expreſſa, aùt declarata, extendi etiàm ad præterita. Eſt commune quoàd utramque part.. Prob. prima: lex ponitur ut regula actuum humanorum; ita ut quandò conſtituit novum jus, introducat novam regulam operandi: ergo talis lex ex natura ſua fertur pro actibus futuris; quia præteriti non indigent regula, imò nèc ſunt capaces illius. Conf.: lex, ut lex, eſſentialitèr eſt præceptum quoddam; atque adeò lex declarativa, prout talis, potiùs eſt doctrina quædam; ſed præceptum, proùt tale, non poteſt dari de præterito, ſed de futuro, ut per ſe conſtat: ergo.

32 Prob.2. pars: quamvis quoàd effectum obligandi non poſsit lex habere locum in actibus præteriris; quia ſi illi facti ſunt ſine culpa, non poterunt reddi culpabiles per legem poſteà latam; tamèn quoàd effectum puniendi, & irritandi, non repugnat legem per voluntatem Legiſlatoris ad actus præteritos extendi: ergo. Prob. antec. quoàd effectum pœnæ: poteſt Legiſlator ſtatuere pœnam pro actu digno puniri; ſed actus præteritus, commiſſus contrà alliũ legẽ illũ prohibentẽ, eſt dignus puniri: ergo quoàd effectum pœnæ non repugnat ſtatui legem pro præteritis. Prob. illud antec. quoàd effectum irritationis; Iudex poteſt per ſen-

ten-

tentiam irritare actum iàm factum : ergo & Legiſlator ex cauſa iuſta poterit per legem facere idem, ſi tamèn actus ſit irritabilis. Diximus autèm in reſpons., quòd ad hoc ut extenſio legis admitatur, eſt neceſſum, quòd in lege ipſa ſit ſatis expreſſa ; unde ſi fuerit dubiũ, potius lex eſt coarctanda, iuxta generalia juris principia, nempè quòd pœnæ, & odia ſunt reſtringenda, & quod leges interpretandæ ſunt modo magis connaturali, extenſio verò legis ad præteritum eſt quodammodò præter naturam legis, quæ eſt regula futurorum, ut iàm oſtendimus ; atquè adeò ſi extenſio non ſit ſatis expreſſa, non eſt admittenda.

QUÆSTIO V.

Quænam ſit forma legis humanæ?

1 FORMA legis humanæ poteſt cogitari duplex, una *intrinſeca*, & alia *extrinſeca*. Intrinſeca eſt, qua conſtituitur, in ratione ſigni humani modo ſenſibili indicantis voluntatem Legiſlatoris, ut poſsit percipi à ſubditis. Extrinſeca eſt, qua lex externè perficitur, & completur, vel applicatur ad ſubditos, ut actù obliget ipſos. Circà formam intrinſecam legis humanæ, ſeù modum illam ſtatuendi, conveniunt Doctores, eam debere ſtatui aliquo ſigno ſenſibili accommodato cognitioni humanę ; cùm ſit quoddam præceptum humanum ab homine in hominem directum atque adeò modo humano debet imponi, & conſequentèr aliquo ſigno ſenſibili accommodato cognitioni humanæ. Et licet conveniens modus, ſeù forma ſtatuendi legem humanam ſit per ſcripturam; tùm, quia ſic eſt communitèr in uſu; tùm, quia lex debet eſſe firma, ſtabilis, diſtincta, & clara, àc ſæpe neceſſarium eſt expendere verba legis formalia ; quę conditiones non poſſunt meliùs haberi, quàm per ſcripturam. Tamèn hoc non eſt ſimpliciter neceſſarium ad ſubſtantiam, & valorem legis humanæ ; quia prædictæ rationes ſunt tantùm cõgruentiæ, & maioris utilitatis, non tamèn probant abſolutam neceſsitatem ex natura rei; ſiquidèm voluntas Legiſlatoris præcipientis poteſt in verbo, ſeù voce, aùt alio ſigno ſenſibili manifeſtari, àc per traditionem ab uno in alium conſervari. Hoc autèm intelligendum eſt, niſi oppoſitum per conſuetudinem, vèl aliam legem anteriorem fuerit præſcriptum, aùt ſtatutum, tùnc enim illud erit

ſervandum.

2 Ulteriùs circà idem reſtat inveſtigandum, quæ forma, ſeù expreſsio verborum (ſive illa ſint ſcripta, ſivè voce prolata) ſit neceſſaria, ut lex cenſeatur ſufficienter edita? Circa quod, generaliter loquendo, ſolùm dicere poſſumus, illa verba debere eſſe talia, ut ſufficienter explicent, quòd intentio Principis eſt ferre præceptum ſtabile, commune, & habens alias conditiones requiſitas ad rationem legis; & quocumque modo hoc fiat, illud ſufficere; quia nihil aliud eſt determinatum jure naturali, vèl alicuius ſuperioris. Unde infertur, verba legis debere eſſe præceptiva; quia ſolum præceptum inducit obligationem, & quia de ratione legis ſtrictè eſt, quòd ſit præceptum, àc quia effectus obligationis eſt oneroſus; ideò ad proprietatem verborum eſt reſtringendus. Quare ut ſuperior intelligatur ferre legem, non ſufficit quod dicat: *Rogo peto, hortor*, vel quid ſimile; niſi addat aliquid, quo magis explicet intentionem obligandi. Nec etiam ſufficit verbum *Oportet*; *volumus*, & alia huiuſmodi quæ ſint ambigua; quia non omne iudicium, vèl voluntas, deſiderium, aùt affectus ſuperioris ſufficit ad obligandum, & in dubio ſunt verba in mitiorem partem interpretanda in materia obligationis. Debent igitur verba conſtitutiva legis eſſe præceptiva, & indicantia rigoroſam legis obligationem, ut *mando*, *præcipio*, *impero*, *omnes teneantur*, vèl *inhibeo*, *prohibeo*, *nemini liceat*, & alia ſimilia ſignificantia præcepta affirmativa, vèl negativa.

3 Quoàd formam verò extrinſecam legis humanæ, ſcil. publicam, & ſolemnem eius promulgationem, ſuppoſito ex dictis in 1. diſput quæſt. 3. ſect. 3. quod publica, & ſolemnis promulgatio facta communitati, non eſt de eſſentia legis, ſed conditio neceſſaria ut actu illam obliget; hic unice reſtat diſputandum: qualis, & quanta, vèl ubinam debeat fieri talis promulgatio? Pro cuius reſolut ſuppo-nimus, aliquas eſſe leges civiles inferiorum, ſeù minùs univerſalium communitatum, uti ſunt leges municipales civitatum particularium, & unius Provinciæ, àc etiam unius parvi Regni, in quo tantùm eſt una Civitas principalis, ſeù Metropolis, quæ eſt veluti caput omnium aliorum populorum; alias verò eſſe leges amplisſimarum Communitatū, quę feruntur à ſupremo Principe habente ſub ſe latiſsimam

ditionem. Quod adhùc duplicitèr contingit ; uno modo per unionem plurium Provinciarum , quarum quælibet habeat ſuam civitatem præcipuam , & quaſi Metropolitanam , omnes tamèn componant unum Regnum , quod ijſdem legibus gubernatur, & moraliter eſt quaſi unum , & per ſe indiviſibile in regimine politico ; alio autèm modo contingit , ditionem Regiam conſtare non ſolùm ex multis Provincijs , ſed etiàm ex multis Regnis , quę non habent moralem unitatem per ſe , ſed ſolùm per accidens in una Perſona eiuſdem Regis, ad quem vèl per ſucceſſionem, vel alio titulo per accidens devenerunt, & coniuncta ſunt, cùm inter diſtinctiſsima ſint. Quo ſuppoſito.

4 Dicimus primò : lex civilis , lata pro communitate minùs univerſali , ſufficienter promulgatur unica ſolemni publicatione facta in curia , vel præcipua civitate , aùt in loco ſecundum morem patriæ conſueto. Eſt commune. Prob. illa unica promulgatio ſufficit , ut lex dicatur publicè, & ſolemnitèr edita , toti communitati intimata , & ut moralitèr valeat per totum territorium evulgari , àc in notitiam ſubditorum in particulari devenire ; ſed aliunde nihil aliud invenitur in jure poſitivo ſtatutum , nèc ex natura rei aliud videtur exactum: ergo. Conf. : non requiritur privata , ſeù particularis intimatio legis reſpectu perſonarum , vèl familiarum uniuſcuiuſque Populi : ergo nèc reſpectu ſingulorum populorum unius privatæ , & parvę ditionis. Prob. conſeq. : ideo non requiritur intimatio reſpectu uniuſcuiuſque perſonæ, vèl familiæ , quia lex per ſe reſpicit cummunitatem perfectam , non autèm ſingula eius individua , vèl membra; ſed ſingulæ civitates , vèl populi unius Provinciæ , aùt parvi Regni , membra illius communitatis perfectæ , quæ repræſentatur in eius Metropoli , tanquam in capite : ergo ſi non requiritur particularis intimatio reſpectu individuorum , vèl familiarum cuiuſlibet populi ; nèc etiàm reſpectu ſingulorum unius privatæ ditionis.

5 Dimus 2. ad obligationem generalem legis civilis latæ pro uno Regno ſufficit una promulgatio facta in Curia , etſi Regnum conſtet pluribus Provincijs ; niſi conſuetudo , aut jus , vèl privilegium particulare exigat contrarium ; prout quandoquè ex tali capite requiritur promulgatio etiàm in ſingulis Regnis

ni civitatibus ſaltem primarijs. Ita N. Herincx, & hoc videtur innuere Exim. Suarez. Prob.: non eſt jus aliquod poſitivum exigens promulgationem legis in ſingulis provincijs illius unici Regni; ſed aliundè in terminis juris, & æquitatis naturalis, ut leges obligent generaliter totum illud Regnum poſt elapſum tempus moraliter ſufficiens ad habendam notitiam de legibus latis, & promulgatis, ſufficit unica promulgatio facta in curia, Metropoli, vèl capite totius Regni: ergo. Mai. conſtat; quia Ius cæſareum præſcribens, leges promulgari in ſingulis Provincijs, loquitur de legibus Imperatorijs, & de territorijs ſubiectis legibus Imperij; hìc autem agimus de legibus extra illius juriſdictionem. Prob. min.: jus, & æquitas naturalis tantùm expoſit, quòd lex per ſe feratur, & intimetur perfectæ communitati, ita ut eius intimatio poſsit moralitèr innoteſcere ipſius individuis; ſed Provinciæ illius unici Regni conſtituunt unam Communitatem perfectam, cui publicè, & ſufficienter promulgatur lex in eius curia, ſeù Metropoli, ità ut facilè poſsit toti Regno innoteſcere propter unitatem, & communicationem talium Provinciarum adinvicem: ergo.

6 Dicimus 3. debent promulgari in ſingulis Regnis, vèl Provincijs leges Regum, aùt Principum, quibus per accidens, ratione ſucceſſionis, vèl alio titulo, ſubſunt diverſa Regna, vèl Provinciæ ſibi invicem non connexæ, aùt ſubordinatæ, ſed quarum ſingulæ manent una perfecta communitas. Ita etiàm Herincx, & alij. Prob.: per ſe requiritur, quòd promulgatio fiat in Regno, vèl Provincia ſeparata; & perfecta, ſed huiuſmodi ſunt Regna, vèl Provinciæ, per accidens coniunctę ſub regimine, & poteſtate unius Principis, quæ prędicto jure non privantur per illam actualem ſubiectionem ad unum Principem; nèc de illis præſumendum eſt voluiſſe per hoc ſe privare iſto jure: ergo. Conſ.: promulgatio legis debet eſſe publica, ſolemnis, & facta authoritativè à Principe ut tali; ſed Princeps promulgans in una Provincia, vèl Regno, non cenſetur loqui u Princeps alterius Regni ſepa t rati, etſi per accidens coniũcti ergo. Urg.: ita uſu receptum: eſt in Regnis Hiſpaniæ, ut notat P. Vazquez; imò, ut advertit Exim. Suarez, generalitèr loquendo, convenientius eſt, ut promulgatio ſuavi modo fiat in unoquoque Regno: ergo.

7 Di-

7 Dicimus 4. lex Civilis, à Principe non ſubiecto Imperatori lata ſine ulla dilatione temporis, & in loco debito ſufficientèr promulgata, ſtatim incipit obligare generalitèr ex natura ſua; attamèn non ſimùl, & in eodem momento obligat particularitèr omnes ſubditos, ſeù in toto territorio, pro quo fertur; ſed ſucceſivè, & intrà tempus moralitèr ſufficiens, ut notitia legis, àc eius promulgationis per totum territorium diffundatur, & divulgetur. Ita Suarez, Maſtrius, & alij. Diximus *lex Civilis lata à Principe non ſubiecto Imperatori*; quia de legibus Cæſareis, & alijs inſtitutis à Principibus Imperio ſubiectis, eſt ſtatutum in jure Cæſareo, illas non obligare niſi poſt duos menſes à die promulgationis. Diximus etiam *ſine ulla dilatione temporis*; quia ſi Legiſlator exprimat, ſe velle legem non obligare uſque ad tantum tempus poſt factam promulgationem; abſolutè uſque ad illud non incipit obligare. Concluſ. igitur ſic explicata continet duas partes.

8 Prob. quoàd 1.: lex ſufficientèr promulgata eſt perfecta lex, & habet omnia requiſita ad obligandum, ſaltèm generalitèr, & quaſi in actu primo: ergo ſtatim incipit obligare prædicto modo; ſiquidèm eſt quaſi agens naturale, quod ſtatim agit quantum poteſt. Conf. 1.: ſi Legiſlator non præſcribit certum tempus ad obligandum, non eſt maior ratio admittendi tantam dilationem, vèl maiorem, aut minorem: ergo nulla debet admitti, ſed ſtatim incipit obligare. Conf. 2.: Legiſlator poteſt ſtatim obligare, ſi id expreſsè velit, & declaret: ergo ille modus obligandi non eſt contrà rationem naturalem: ergo eò ipsò quòd lex voluntatem Legiſlatoris non limitetur, nec impediatur abſolutè lata, & promulgata ſtatim obligavit. Prob. hæc conſeq.: in huiuſmodi rebus propoſitio abſoluta, & indefinita æquivalet univerſali, quia aliàs eſſet indeterminata, & inutilis; ſed univerſalitas in præſenti conſiſtit in eo quòd lex poſt promulgationem ſemper obliget: ergo cùm talis inſtantanea obligatio non ſit contra rationem naturalem, ſtatim incipit obligare. Conf. 3. votum ſimpliciter factum ſine determinatione temporis pro quo obligaturum eſt, ſtatim incipit obligare, quantum eſt ex ſe: ergo etiàm lex.

9 Prob. 2. pars reſolut.: ad actualem, & particularem obligationem legis eſt per ſe neceſſaria notitia eiuſdem, àc eius promulgationis; ſed non

eſt

eſt poſsibile, quòd facta promulgatione in uno loco lex ſtatim ſciatur ab omnibus ſubditis, & divulgetur in toto territorio juriſdictionis : ergo quamvis ſtatim incipiat obligare, & natura ſua obliget ubi moraliter ſciri poteſt ; tamèn non ſimùl actù obligat omnes, ſed ſucceſsivè extenditur obligatio ad loca diſtantia intra tempus prudenti arbitrio neceſsariũ ad habendam notitiam legis, & eius intimationis. Conf.: licèt agens naturale habeat ex ſe virtutem agendi, tamèn non agit in aliquod paſsum, deficiente neceſsaria, & debita applicatione ; ſed divulgatio, ſeù notitia ſe habet ut applicatio legis, & eſt conditio ut actù obliget quemlibet in particulari : ergo quamvis lex promulgata ſtatim habeat virtutem obligandi, & ex ſe obliget ubi moraliter poteſt ſciri; tamèn non ſimùl actù obligat in toto territorio, ſed ſucceſsivè pro tempore neceſsario, ut divulgetur, & poſsit moraliter ſciri eius promulgatio.

10 Dicimus 5. ut obliget lex Pontificia, univerſalis ; & ad totum Chriſtianum orbem directa, per ſe, & regulariter non requirit niſi promulgationem ſolemnem Romæ factam; nèc exigit lapſum certi, & determinati temporis, ſed ſtatim incipit obligare, & ſuam obligationem diffundit ſucceſsivè intra tempus neceſsarium ut ipſa lex, ac eius promulgatio divulgetur, ac moraliter poſsit ſciri in unoquoque reſpectivè loco, & ab unoquoque ſubdito. Ità communiùs D. D. quoàd utramque part. Prob. primò utraque pars reſolut. ſimùl : ſi requireretur alia promulgatio, aùt determinatum tempus, id eſſet vèl ex natura rei, vèl ex jure poſitivo, nempè canonico ; ſed nèc ex natura rei, nèc ex jure canonico illud requiritur : ergo. Prob. min. quoad 1. part. : ex natura rei non requiritur alia promulgatio legis, nèc alia mora differendæ obligationis, quàm illa quę ſufficit ut voluntas Legiſlatoris poſsit publicè innoteſcere alicui communitati integræ, vèl maiori eius parti; ſed ſolemnis promulgatio legis Pontificiæ facta Romæ, utpote capitis ſeù Metropolis totius orbis Chriſtiani, ſivè Eccleſiæ per modum unius perfectæ Monarchiæ, corporis myſtici, ac Reipublicæ ſpiritualis, ſufficit ut ſtatim incipiat, ac ſucceſsivè poſsit innoteſcere, & divulgari per univerſum Chriſtianum orbem; prout ex ſolut. argum. ampliùs patebit : ergo.

11 Prob. illa min. quoàd 2. part. : Ius canonicum non præſcribit aliquam ſolemnem promulgationem præter Ro-

ma-

manam, imò nullam aliam exigi habetur in cap. 1. *de poſtulat. Prælati.*, ubi dicitur: *ſufficere, ut ad eiuſdem* (nempè legis Pontificiæ) *obſervantiam teneatur, qui noverit eam ſolemniter editam, aùt publicè promulgatam.* Deindè non præſcribit tempus determinatum, ſed interminatum duntaxat, intrà quod lex innoteſcere queat; nàm in cap. *de conceſ. præbend.* in 6. dicitur: *Lex, ſeù conſtitutio, & mandatum nullos aſtringat, niſi poſtquàm ad notitiam pervenerint eorumdem, aut niſi tempus, intra quod ignorare minimè debuiſſent*: ergo ex Iure canon. non requiritur alia promulgatio legis Pontificiæ, quàm Romana; nèc alia temporis mora, quàm ea quæ reſpectivè ſufficiat ut poſsit haberi notitia de illa.

12 Prob. ſecundò utraque pars: ſi ut lex Pontificia obligaret, requireretur alia promulgatio quam Romana, aùt certa temporis mora, vèl eſſet quia Pontifex non poſſet, vèl quia non vellet aliter obligare; ſed non quia non poteſt, ut fatentur etiàm Advers.; nèc quia non vult, ſiquidem plerumque ſummi Pontifices in ſuis conſtitutionibus apponunt clauſulam, ut poſt promulgationem Romæ factam omnes ubique obligent, ac ſi ſingulis forent intimatæ; ergo. Conf. 1. Pontifices aliquando in ſuis conſtitutionibus ſpecialiter exprimunt, ſe velle illas promulgari in ſingulis Epiſcopatibus, vèl Provincijs, & uſque ad tantum, vèl tantum tempus non obligare: ergo quia per ſe, & regulariter, dùm abſolutè feruntur, non requiritur alia promulgatio quam Romana, nèc determinata temporis mora. Conf. 2. ſtylus, & praxis Romanæ curiæ, eſt definire, àc reſolvere cauſas totius orbis Chriſtiani iuxtà leges promulgatas Romæ, àc ſtatim poſt eorum promulgationem; ſed hoc non eſſet iuſtum, ſi ad obligationem talium legum requireretur alia promulgatio, vèl tempus determinatum: ergo. Conf. 3. talis modus eſt congruentior ad commendandam maiorem unitatem Eccleſiæ, maiorem que obedientiam debitam Romano Pontifici, atque indè pendentiam ſuarum legum ab Epiſcopis, vèl alijs Prælatis; ergo.

13 Argues 1. ubi Ius canon. nihil diſponit, ſervandum eſt Ius civile; ut conſtat ex ipſo Iurè, àc etiam ex praxi; ſed Ius civile diſponit, leges in ſingulis Provincijs promulgari, & non obligare ante duos menſes poſt promulgationem: ergo quamvis Ius canonicum non diſponat

circa

circa iſtud, idem erit ſervandum. Conf. 1. in Iure canon. expreſsè ſtatuitur, Medicos non teneri lege, quæ iubentur, antè executionem medicinarum corporalium urgere infirmos ad appoſitionem mediorum ſpiritualium niſi poſtquam talis lex ſit publicata per Prælatos locorum: ergo etiàm Ius canon. exigit promulgationem legum in ſingulis Provincijs. Conf. 2. Bullæ, poſt promulgationem factam Romæ, promulgantur in Epiſcopatibus: ergo non ſufficit illa ſola; nam aliàs hæc poſterior eſſet inutilis, & ſuperflua. Urg.: nolluit Chriſtus D., ut lex Evangelica obligaret omnes Nationes virtute promulgationis factæ Ieroſolymis in die Pentecoſtes, ſed voluit ut ab Apoſtolis, tanquam authenticis eius præconibus, ubique promulgaretur; prout inquit Subt. Doctor. in 4. diſt. 3. quæſt. 4.; & colligitur ex illo Math. 28. *Euntes docete omnes Gentes ſervare omnia, quæcumque mandavi vobis*; ſed credibile non eſt, quòd Chriſti Vicarius velit aliter ad leges ſuas obligare, quàm Chriſtus ipſe: ergo.

14 Ad arg. explic. mai.: ſervandum eſt Ius civile in cauſis, & judicijs forenſibus decidendis, conc.; in modo ferendi leges, & per eas fideles obligandi, neg. mai.; & diſt. min.: Ius civile cæſareum diſponit, leges latas ab Imperatore, vèl à Principibus ſubiectis ipſi, promulgari in Provincijs Imperio ſubiectis, & antè duos menſes non obligare, conc. min.; Ius civile univerſale diſponit, leges latas à Principibus Imperio non ſubiectis promulgari in ſingulis Provincijs extra Imperij juriſdictionem, & antè duos menſes non obligare, neg. min., ut patet ex ſuprà dictis; & neg. conſeq.. Ad 1. conf. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia ex caſu particulari in quo ex ſpecialibus cauſis decreta eſt promulgatio à Prælatis locorum, non valet argumentum ad omnem legem, & in omni caſu; quin potiùs valet ab oppoſito, & in favorem noſtræ ſententiæ, ut patet ex 1. confirmat. ſecundæ probat.

15 Ad 2. conf. diſt. ant.: Bullæ promulgantur in Epiſcopatibus ex arbitrio Epiſcoporum, & ut illarum ignorantia meliùs à Subditis removeatur, conc. antec.; promulgantur ex mandato Pontificis, & ex abſoluta neceſsitate ut inducant obligationem, ſubd.: quandò Pontifex ſpecialitèr illud ita decernit, conc.; per ſe, & regulariter, ſeù quandò leges feruntur abſolute, &

ſine

ſine additione talis clauſulæ, neg. antec., & conſeq. cùm eius ratione probativa, quia promulgatio Epiſcoporũ, quã vis non ſemper ſit abſolutè neceſſaria, tamèn eſt valdè utilis, ut leges poſsint meliùs ſubditis innoteſcere. Ad urgent. aliqui negant mai., ſcil. promulgationes legis novæ, poſt Ieroſolymitanam factas ab Apoſtolis, fuiſſe in rigore ſolemnes, licèt Apoſtoli fuerint authentici Dei prædones; quia inde ſolùm evincitur, illos iuſſu Dei prædicaſſe Evangelium, ſicut alij viri Apoſtolici iuſſu Summi Pontificis illud prædicarunt, quin ideò dicantur illud promulgaſſe eo promulgationis genere, de quo controvertitur. Verùm admiſ. mai., diſt. min.; non eſt credibile, quòd Chriſti Vicarius velit alitèr ad ſuas leges obligare, quàm Chriſtus ipſe, ſi eœdem nunc occurrent circunſtantiæ, quibus illud congruum eſſet, ſicut tùnc fuit ad primam diſſeminationem legis Evangelicæ, & plantationem Eccleſiæ, conc. min.; ſi occurrunt diverſæ circunſtantiæ, quibus nùnc congruentius, eſt, leges Eccleſiaſticas ſtatim poſt promulgationem Romæ incipere obligare, ut conſtat ex 3. confirm. ſecundæ probat.; neg. min., & conſeq.

16 Argues 2. æquitati naturali conſentaneum eſt, ut leges, cùm ſint iuſsiones, & allocutiones publicæ, ac directæ ad totam communitatem, non priùs obligent, quàm debitè veniant in notitiam ſubditorum, nè innocentes peccati arguantur, & periculum animarum caueſetur; ſed Leges, Romæ promulgatæ, ſine alia nova, & ſpeciali promulgatione nequeunt moraliter venire in notitiam remotarum Regionum, & Provinciarum; & quin tranſeat certum tempus, ut ſalvetur uniformitas in omnibus: ergo. Conf.: ad obligationem legis latæ pro diverſis Regnis, aùt Provintijs, per accidens connexis ſub uno Principe, requiritur ſpecialis promulgatio in unaquaque Provincia, vèl Regno: ergo multò melius ad obligationem legis Pontificiæ latæ pro totò Chriſtiano Orbe, compoſito ex tam diverſis, ac remotis Provincijs, & Regnis.

17 Reſp. ad argum. conceſ. mai., neg. min. tum, quia Principes Catholici, & Metropolitani habent Romæ ſuos Legatos, & Agentes, per quos omnia, quæ Romæ promulgantur, ad eos mittuntur, & ipſi ſuis Subditis communicare poſſunt: tùm, quia litteræ Pontificiæ mittuntur ad Nuncios Apoſtolicos, & iſti eas communicant Epiſcopis, qui illas

illas in ſuis Epiſcopatibus faciunt evulgari. Ad conf. conceſ. antec. neg. conſeq.; quia cùm Eccleſia ſit per ſe ſubordinata ſub uno Paſtore, ac ſit proprie, & perfectè unum corpus myſticum, una Reſpublica, & Monarchia perfecta, ideo pro tota illa ſufficit una ſolemnis, & publica promulgatio facta in unica Metropoli huius Reipublicæ, quæ magnam in omnibus ſuis Provincijs habet unitatem, & communicationem; attamen illa Regna, vèl Provinciæ, quamvis per accidens connexæ ſub uno Principe, ſunt per ſe communitates, & Reipublicæ diverſę, non habentes inter ſe perfectam unitatem, nec communicationem, atque adeò exigunt promulgationes diverſas, & ſpeciales.

18 Ex dictis infertur quid dicendum ſit de alijs legibus canonicis, aùt Eccleſiaſticis. Nam ſi ſint leges concilij Generalis, cùm debeant per Pontificem approbari, eadem de illis eſt ratio, ac de legibus à ſolo Pontifice ſtatutis; quare earum promulgatio ſolet fieri Romæ, & illa ſufficiet, niſi aliud diſponatur in ipſa lege; vèl poterit fieri in loco concilij, ſi Pontifex contentus ſit, ut inquit Exim. Suarez. De legibus autèm Epiſcoporum manifeſtum eſt, ſufficere pro toto Epiſcopatu promulgationem, quæ ſit in Matrice, ut à fortiori patet ex dictis, tùm de legibus Pontificijs, tùm de Civilibus Civitatum, aùt Regnorum particularium. Similiter de legibus Provincialibus, aùt Nationalibus reſpectivè dicendum eſt ſufficere promulgationē factam in Metropoli Provinciæ, vèl Nationis, unde moraliter poſſunt ſubditis innoteſcere. De modo autèm promulgationis nihil dicendum occurrit; ſiquidèm poteſt fieri, aùt voce præconis; aùt affigendo legem ſcriptam in loco publico, & deſignato, prout Romæ fit; aùt legendo authenticè illam in Matrice, vèl Eccleſia principali, aùt alio modo, in quo ſervanda erit conſuetudo; nàm jus ſcriptum circa hoc non invenitur.

19 Hic ſolet diſputari àn acceptatio à ſubditis ſit forma legis humanæ, vèl ſit neceſſaria ut illos obliget? Cuius reſolutio ſatis patet ex dictis in 1. diſp. quæſt. 3. ſect. 4. ubi probavimus, acceptationem, ſeù conſenſum populi non requiri ad conſtitutionem legis, nedum Eccleſiaſticæ, verùm nèc Civilis, quæ ſit extra ſtatum; & regimen Democraticum. Ibi etiam probavimus, acceptationem ſubditorum, quatenùs dicit voluntatem recipiendi in ſe obligationem, & obſervantiam actua-

lem

lem legis, non eſſe conditionem neceſſariã, ut lex, ſivè Eccleſiaſtica ſive Civilis, proximè obliget; atque adeò peccare illos, qui ſine iuſta cauſa nõ recipiũt, ſeù acceptant legem à Principe promulgatam. Quare acceptatio populi, quatenus dicit voluntatem recipiendi legem, & quatenus eſt actualis obſervantia eiuſdem, ſolum eſt neceſſaria, ut lex humana duret, ſeù retineat, & conſervet ſuam vim obligandi, quam traxit ex voluntate Legiſlatoris, ut conſtat ex ibi dictis. Unde etiam patet, quòd ſi interdùm prudenter iudicetur, legem à ſuperiore fuiſſe latam abſque plena informatione, & notitia veritatis, poſsit tùnc licite populus ſupplicare pro revocatione legis, & petere ut velit plenius informari; cùm animo tamen promptè obediendi, ſi poſt plenam informationem velit ſuperior in iuſsione perſiſtere. Quare nihil aliud hic addendum ſe offert.

QUÆSTIO VI.

Qualis ſit effectus, ſeù obligatio legis Humanæ?

EXplicatis cauſis, & conditionibus requiſitis ad plenum valorem, & efficatiam legis humanę, ſequitur agendum de eius effectibus, qui ferè omnes ad obligationem reducuntur. Quia verò ex communi ratione legis conſtat, obligationem eſſe quaſi formalem effectum legis, nèc poſſe dari veram legem, quæ non ſit obligatoria; ſeù quin aliquam obligationem inferat; & quia ex dictis etiam patet, legem humanam eſſe veram legem, ideò de eius obligatione in genere non diſputamus, ſed illã ſupponimus, & inquirimus modum, ſeù ſpeciem, aùt qualitatem obligationis illius. Uerùm quia quæſtio propoſita claudit varias difficultates, ideò oportet ſeorſim eas inveſtigare per ſequentes ſectiones, quarũ ſit.

SECTIO I.

Utrùm lex Humana poſsit obligare in conſcientia?

1 CONCLUS.: lex humana, tàm Eccleſiaſtica, quàm Politica, poteſt obligare in conſcientia, ſeù ſub culpa. Eſt communis Catholicorum ſententia. Prob. primò quoàd utramque part. ſimùl: ſuperioribus, tàm Eccleſiaſticis, quàm Politicis, ineſt poteſtas legiſlativa neceſſaria ad rectum, & debitum regimen ſubditorum; ſed ſine obligatione in conſcientia eſſet nimis debilis, & inefficax lex lata ab ipſis: ergo poteſt in conſcien-

tia obligare. Mai patet ex quæſt. 1. huius diſp.. Prob. min.: lex humana poteſt multoties violari abſque periculo incurrendi pœnam externam, & temporalem ob defectum notitiæ in ſuperiore: ergo ſi non poſſet obligare in conſcientia, ſeù ſub culpa, ſæpe fruſtraretur ſuo fine, & effectu. Conſ.: in communitatibus inferioribus, & imperfectis datur, & eſt neceſſaria poteſtas præceptiva, & obligatoria in conſcientia, adeò ut præcepta ab illarum ſuperioribus impoſita obligent ſub culpa: ergo multò melius in communitatibus perfectis, adeò ut earũ ſuperiores poſſint ferre leges in conſcientia obligantes. Antec. conſtat; quia filius in conſcientia tenetur obedire patri, ita ut Deuteron. 21. dignus morte iudicetur filius non obediens præcepto patris; uxor in conſcientia tenetur obedire marito, iuxta Apoſt. in Epiſt. ad coloſ. cap. 3., & ad Epheſ. cap. 5.; & ſervi tenentur obedire dominis ſuis, ex D. Petro in Ep. 1. cap. 2.. Conſeq. patet; quia minus eſt debitum, & obligatio obediendi ſuperiori propter bonum commune Reipublicæ, quam Patrifamilias propter bonum privatum, & particulare domus.

2 Prob. ſecundò etiàm utraque pars: jus naturale, & Divinum poſitivũ dictat, obediendum eſſe ſuperioribus, & eorum leges eſſe ſervandas; adeò ut qui ipſis reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtat, & contrà Dei voluntatem faciat, & contrà conſcientiam, ut conſtat ex ſacra Script.: ergo illa tranſgreſsio eſt vera culpa, atquè adeo contra obligationem in conſcientia. Prob. 3.: nedum Legiſlator Eccleſiaſticus, ſed etiam Politicus, ſeù Civilis fert leges ut miniſter Dei, & per poteſtatem ab ipſo acceptam: ergo obligat in conſcientia, & ſub culpa, adeò ut tranſgreſsio talium legum ſit Dei offenſa, & iniuria. Antec. conſtat. ex Epiſt. ad Roman. cap. 13.: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: Non enim eſt poteſtas niſi a Deo.: Itaque qui reſiſtit poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt :: Non enim ſine cauſa gladium Dei portat, Dei enim miniſter eſt :: Ideò neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam.* Conſeq. patet, tum ex ipſo textu; tùm, quia qui reſiſtit Miniſtro Regis in eo, in quo miniſter eſt, & repreſentat perſonam Regis, cenſetur reſiſtere ipſi Regi, ut patet ex communi conſenſu, & ex illo lib. 1. Regum cap. 8.: *Non te abiecerunt, ſed me.*

3 Prob.

3 Prob. 4. lex humana, etiàm civilis, præcipiens, vel prohibens aliquid, illud collocat in aliqua ſpecie virtutis, vel vitij, v.g. iuſtitiæ, vel iniuſtitiæ, ut patet dum taxat pretium rei venalis: ergo etiam obligat in conſcientia. Prob. demque 5.: gubernatio ſine poteſtate cogendi, vèl eſt impoſsibilis, vel ſaltem inefficax, & facilè contemnitur; ſed coactio ſine poteſtate obligandi in conſcientia, vel eſt moralitèr impoſsibilis, quia iuſta coactio ſupponit culpam, ut eſt valdè probabile; vèl eſſet valdè inſufficiens, quia per eam non poſſet Reipublicę ſubvenire in multis caſibus neceſſarijs; ut dicebamus in 1. probat.: ergo.

4 Arg. 1.: forum conſcientiæ eſt forum Dei; ſed homo nequit in tali foro obligare: ergo nèc in foro conſcientiæ. Mai patet; quia forum conſcientiæ à M. P. Aug. appellatur *forum Poli*, ſivè Cœli, aùt Dei, ad diſtinctionẽ fori externi, quod vocatur *forum fori*. Min. etiam conſtat; quia inferior nequit obligare in foro ſuperioris. Conf. 1.: nemo poteſt ligare in illo foro, in quo non poteſt ſolvere, quia hæc duo ſunt connexa, & quaſi correlativa; ſed Legiſlator humanus nequit ſolvere in foro conſcientiæ, nec remittere culpam coram Deo: ergo nequit obligare in conſcientia, ſeù ſub culpa. Conf. 2.: nemo poteſt obligare in eo foro, in quo nequit cognoſcere, nèc iudicare; ſed homo nequit iudicare de conſcientia alterius, nèc illam cognoſcere: ergo. Conf. 3.: nemo poteſt obligare ad pœnam, quã nequit infligere; ſed Legiſlator humanus nequit infligere pœnam alterius vitæ: ergo nèc obligare ſub reatu talis pœnæ, qualem infert tranſgreſſio obligationis in conſcientia, ſivè ſub culpa.

5 Ad arg. conceſ. mai., neg. min., ad cuius probat. dicimus, quòd inferior poteſt obligare in foro ſuperioris, quando operatur ut miniſter eius, & per poteſtatem ab ipſo datam, nàm ipſe ſuperior vult, ut ipſi obediatur; qualitèr operantur Legiſlatores humani, nempè ut miniſtri Dei, & per poteſtatem ab ipſo datam, per quam imperant, & regnant; atque adeò poſſunt imperare in foro conſcientiæ, quod eſt forum Dei. Vel aliter reſp. ad arg. diſt. min.: homo nequit directè, & immediatè obligare in foro Dei, conc. min.; nequit adhùc mediatè, & indirectè, ita ut obligando, & dirigendo immediatè, & directè in foro humano, & externo, non poſsit etiam indirectè, & mediatè obligare in foro Dei,

& interno, ſeù conſcientiæ, per quam homines in ſuis actionibus proximè diriguntur, neg. min., & diſt. ſimiliter, vèl neg. abſolutè conſeq..

6 Ad 1. Conf. neg. mai., & eius rationē probativam; quia illud principium eſt in rigore falſum, ſiquidem *obligare*, & *ſolvere* non ſunt per ſe, ac neceſſariò connexa; cùm homo poſsit ſe voto obligare, & nequeat ſibi obligationē auferre. Vel diſt. mai., nemo poteſt directè, propria poteſtate, & virtute ligare in aliquo foro, in quo nō poteſt ſolvere, conc.; nemo poteſt indirectè, poteſtate, & virtute alterius, cuius eſt miniſter, ligare in aliquo foro &c., neg. mai.; & conceſ. min., diſt. ſimiliter conſeq.; nam obligatio in conſcientia non ponitur directè à Legiſlatore humano, ſed conſequitur aliunde, nempè à Deo, & ſic non inducitur principaliter ex poteſtate ſolius proximi Legiſlatoris, ſed virtute Dei. Vel aliter diſt. mai.: nemo poteſt ligare, id eſt *ponere obligationem legis* in aliquo foro, in quo non poteſt ſolvere, id eſt, *obligationem legis auferre*, illam abrogando, vèl diſpenſando, ante tranſgreſionē legis, conc.; aliter, neg. mai.; & diſt. min. quoàd 1. part.: Legiſlator humanus nequit ſolvere in foro conſcientiæ, id eſt, nequit auferre obligationem legis, antè eius tranſgreſionem, neg. min.; nequit ſolvere, id eſt, poſt tranſgreſionem legis nequit ſaltem Legiſlator Civilis remitere culpam illius tranſgreſsionis, conc. min. quoàd 2. part.; quia utpotè contrà Deum, eſt altioris ordinis, & alterius juris; àc neg. conſeq..

7 Ad 2. conf. diſt. mai.: nemo poteſt obligare in eo foro, in quo nequit cognoſcere actum, de quo fert legem, permit. mai.; in quo nequit cognoſcere in particulari, obligationem ad talem actum eſſe adimpletam, vèl non, ſubdiſt.; nequit obligare per ſe, & directè in ordine ad illud forum permit.; nequit obligare adhùc per accidens, mediatè, & indirectè, ſeù in ordine ad aliud forum, in quo cognoſcit, & iudicat, neg. mai.; & conceſ. min.: diſt. conſeq.: homo nequit per ſe, directè; & immediatè obligare in foro conſcientiæ, permit. conſeq.; nequit abſolutè, & ſimpliciter, nec adhùc per accidens, & indirectè, ſeù in ordine ad forum externum, ad cuius finem, & effectum eſt neceſſaria obligatio in conſcientia, quæ proximè dirigit, & regulat actiones externas, neg. conſeq..

8 Ad 3. conf. ſimiliter diſt. mai.; nemo poteſt obligare di-

directè ad pœnam, quam non poteſt infligere, conc.; non poteſt obligare indirectè, & conſecutive, neg. mai.; nàm ſi Legiſlator ſuperior imponat pœnam ſibi propriam, ſeù reſervatam ſuæ juriſdictioni, quã luant tranſgreſſores legum ſuorum Gubernatorum, tunc quamvis Gubernator, ſeù Legiſlator inferior per ſuam legem directè non obliget ad talem pœnam, tamèn indirectè obligat ad ipſam, quatenùs ex tranſgreſsione ſuæ legis conſecutivè incurritur reatus illius pœnæ in virtute legis latæ à Principe ſuperiori. Quare conceſ. min., diſt. conſeq.: homo nequit directè obligare ſub reatus pœnæ alterius vitę, conc. conſeq.; adhuc indirectè, & conſecutivè ex lege Dei ſtatuentis talem pœnam pro tranſgredientibus leges latas à ſuis Miniſtris, neg. conſeq.

9 Arg. 2. ſervare Divina mandata ſufficit ad vitam ęternam obtinendam, iuxta illud Math. 19.: ergo non eſt neceſſe ſervare leges humanas; àc proindè iſtæ non obligant in conſcientia. Conf.: M. P. Aug. definit peccatum, dicens eſſe dictum, factum, vèl concupitum contra legem œternam Dei: ergo tranſgreſſiones legum humanarum non ſunt peccata; & conſequenter illæ non obligant in conſcientia. Ad arg. conceſ. antec., neg. conſ.; quia unum ex Divinis præceptis eſt obedire Superioribus humanis, unde qui tranſgreditur eorum leges, violat etiàm unum ex Divinis præceptis. Ad conf. ſimiliter conceſ. antec., neg. conſeq. quia cùm vis obligatoria legis humanæ nitatur principaliter in lege æterna, ideo qui tranſgreditur illam, etiàm violat legem ęternam Dei præcipientis ſervare leges humanas, àc proinde illarum tranſgreſsioni etiàm convenit definitio peccati.

10 Replic.: ergo quoties violatur lex humana non incurritur culpa ex tranſgreſsione legis humanæ: ſed Divinę, quę ibi coniungitur; & conſequentèr lex humana, prout talis, non obligat in conſcientia, ſed ut pertinet ad quendam gradum legis Divinæ, & in virtute eiuſdem. Conf. replica: in tantum peccat qui violat legem humanam, in quantùm tranſgreditur legem Divinam præcipientem: *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis*: ergo lex humana non eſt quæ inducit obligationem in conſcientia, ſed illa lex Divina. Urg.: leges humanæ ſunt tantùm declarationes legis naturalis, aùt Diuinæ poſitivæ, à qua derivantur, &

ex qua deducuntur tanquam concluſiones ex principijs, vèl tanquàm propoſitiones particulares ex univerſali : ergo debitum, ſeù obligatio ſervandi illas oritur immediatè, & proximè ex lege naturali, vèl Divina poſitiva, non autèm ex lege humana; àc proinde iſta, proùt talis, non obligat in conſcientia, ſeù ad culpam, ſed unicè ad pœnam temporalem, & externàm, quę imponatur per illam.

11 Ad replic. neg. conſeq.; quia cùm vis in conſcientia obligatoria legis humanæ, quãvis oriatur mediatè, & remotè a lege Divina, tanquàm à cauſa univerſali, à qua dependet quoad talem obligationem, tamèn oriatur proximè, & immediatè ab ipſa lege humana, tanquàm à cauſa particulari; ideò effectus illius obligationis non tribuitur ſoli legi Divinæ, ſed etiàm, & particularitèr legi humanę, ex cuius tranſgreſsione, quà tali, incurritur culpa; & conſequentèr lex humana, prout talis, obligat in conſcientia, quamvis dependentèr à lege Divina. Ad conf. ſimilitèr reſp. diſt. antec.: in tantùm peccat qui violat legem humanam, in quantùm remotè, & mediatè tranſgreditur legem Divinam, proximè autem, & immediatè tranſgreditur etiam humanam, conc. antec.; in quantùm præcisè, & unicè, ſeù tàm remotè, quàm proximè tranſgreditur legem Divinam, neg. antec., & conſeq. ſub. diſtinct. data.

12 Ad urgent. neg. antec.; quia licèt leges humanæ debeant eſſe conformes legi naturali, & Divinæ, atque conſentaneæ ad illarum obſervationem; tamèn non neceſſariò, & per ſe derivantur, aùt deducuntur ex illis, tanquàm concluſiones neceſſariò illatæ ex principijs, aùt propoſitiones particulares contentæ in univerſali, ità ut ſint puræ illarum declarationes, ſed ſunt iuſsiones, aùt determinationes cotingentèr illis ſuperadditæ, quæ ſuperaddunt obligationem non contentam in principijs legis naturalis, aùt Divinæ poſitivæ, niſi medio imperio libero voluntatis humanæ, ut patet in lege Eccleſiaſtica precipiente audire Sacrum in die feſto, & in lege civili prohibente portare arma tempore nocturno, aùt tales merces extrahere è Regno, vèl aliæ huiuſmodi. Imo quamvis aliquæ humanæ leges ſint etiàm declarationes, vèl determinationes legis naturalis aùt Divinę poſitivæ; tamèn ex parte ſua augent aliquo modo illarum obligationem ſaltem extenſivè, vèl ſuperaddunt novam

vam obligationem ex humano jure; cùm circa idem posſint ſtatui diſtinctæ leges, & extare diverſæ obligationes.

13 Arg. 3. ſpecialitèr contra 2. part. concluſ.: poteſtas legiſlativa civilis Principum temporalium pendet proximè, & immediatè ab hominibus illos eligentibus in ordine ad gubernium temporale, & politiam externam Reipublicæ; ad differentiam poteſtatis legiſlativæ Eccleſiaſticæ, quæ ſpiritualis eſt, & proveniens immediate à Deo, ac in ordine ad finem ſpiritualem, & gubernium internum animę: ergo quamvis leges Eccleſiaſticæ obligent vinculo ſpirituali, & in foro conſcientiæ; minimè verò leges civiles, quæ unicè poterunt ligare vinculo, & pœna temporali. Reſp. diſt. antec.: poteſtas civilis pendet immediatè ab hominibus; & ſaltem mediatè à Deo, cuius Divinæ poteſtatis eſt participatio, ac per ſe, & directè tendit ad finem temporalem, ad quem eſt neceſſaria obligatio conſcientiæ, ac proinde ipſam reſpicit ſaltèm per accidens, & indirectè, conc. antec.; poteſtas civilis pendet purè ab hominibus, & ità præcisè tendit ad gubernium temporale, ut propter ipſum, adhùc per accidens, & indirectè non reſpiciat forum internum conſcientiæ, neg. antec., & conſeq.. Differentia igitur inter utramque poteſtatem conſiſtit in eo, quòd poteſtas Eccleſiaſtica eſt per ſe ſpiritualis, reſpiciens directe ſpiritualem finem, ac bonum internum animæ, atque adeò ſuprà probavimus, poſſe directè præcipere materiam ſpiritualem, & actus internos, in quibus principalitèr conſiſtit meritum, & bonum animæ; poteſtas autèm civilis eſt per ſe temporalis, reſpiciens directe temporalem finem, ac bonum naturale Reipublicæ, & ideò per ſe, & directe poteſt unicè præcipere materiam temporalem, ſub obligatione tamèn, ſeù vinculo ſpirituali in foro conſcientiæ, quod reſpicit ſaltèm indirecte, & per accidens, utpotè regulam proximè dirigentem actiones humanas, & ſine cuius obligatione ſæpe fruſtraretur effectus, & finis ipſius poteſtatis.

SECTIO II.

Utràm omnis lex humana debeat inducere obligationem in conſcientia?

14 DIximus in ſect. præcedenti legem humanam poſſe obligare in conſcientia; nunc autèm in qui-

rimus, an hoc ſit intrinſecum tali legi, ita ut nulla, quæ quidem ſit verè, & propriè lex, poſsit ſtatui ſine tali obligatione? Pro quo, ſuppoſita diviſione legis humanæ in præceptivam, pœnalem, & mixtam, explicata num. 5. quæſt. 1. huius diſput., ſenſus huius difficultatis eſt: an detur aliqua vera lex humana, quę ſit ita pure pœnalis, ut nullatenùs ſit præceptiva, ſeu quę obliget præcisè ad pœnam, minimè verò ad culpam?

15 Concluſ. omnis vera, & propria lex humana debet inducere aliquam obligationem in conſcientia; ſi non primariò, & directè, ſaltem indirectè, & ſecundariò; adeò ut non detur lex ita pure pœnalis, ut nullatenùs in conſcientia obliget. Ita plurimi maximè Noſtrates, contrà alios præſertim ex Thomiſtis. Prob. primò: de ratione eſſentiali veræ, & propriæ legis eſt, quòd habeat rationem præcepti, & inducat talem obligationem, ut Subditi teneantur ſe illi conformare, & obedire Legiſlatori; ſed præceptum, & obedientia ipſi debita inducit obligationem in conſcientia, & ſub culpa: ergo, talis eſt omnis vera lex humana. Prob. maj.: tùm, quia lex eſſentialiter differt à conſilio in eo, quòd illa inducit neceſsitatem parendi, non verò iſtud; tùm, quia de eſſentia legis eſt, quòd feratur à ſuperiore habente poteſtatem juriſdictionis, eò quia ſolus ipſe poteſt præcipere Subditis, & eos obligare; imò requiritur, quòd feratur, & intimetur cùm animo obligandi, ut conſtat ex definione legis tradita in initio diſp. 1.: ergo. Conf.: vera, & propria lex ità ſe habet quoad vim obligandi reſpectu communitatis, ſicut votum, aùt promiſsio reſpectu voventis, aùt promittentis; ſed licèt ſit liberum iſti velle, aùt nolle vovere, vèl promittere, tamèn non eſt in eius poteſtate nolle obligari in conſciencia, ſi vult elicere votum, aùt promiſsionem aliquam ergo quamvis Legiſlator poſsit ferre, vèl non ferre legem, tamen in eius poteſtate non eſt ferre legem, & velle quòd in conſcientia non obliget.

16 Prob.: vera, & propria lex eſt regula honeſtę operationis, neceſsariò obligans ſubditum ut iuxtà illam operetur, nec ab illa deficiat: ergo repugnat lex vera, & propria, quæ non obliget aliquo modo in conſcientia. Prob. conſeq.: deficere à regula honeſtæ operationis eſt moraliter, malum; ſed non adeſt moralis malitia, ſivè culpa, niſi dùm homo deficit ab obligatione in conſcientia: ergo ſi lex eſt, re-

regula obligans, ut iuxta illam operetur, & ab illa non deficiamus, repugnat lex, quæ in conſcientia non obliget, aùt non reſolvatur in aliquam obligationem conſciētię. Prob. 4. ſi daretur lex non obligans in conſcientia, maximè, illa quæ dicitur purè pœnalis; ſed licet hæc in conſcientia non obliget primariò, & directè, ſcil. ad ponendum, vèl omittendum actum lege præſcriptum; obligat tamèn in conſcientia ſecundariò; & indirectè, ſcil. ad ſolvendam, vèl ſuſtinendam pœnam à lege impoſitam: ergo omnis vera lex inducit, vèl reſolvitur in aliquam obligationem in conſcientia, ſi non primariò, & directè, ſaltèm indirectè, & ſecundario; & conſequentèr nulla eſt ita purè pœnalis, ut nullatenus inducat, vel reſolvatur in aliquam obligationem conſcientiæ. Mai. eſt Adverſ.. Prob. min.: tùm, quia lu lex ſecundùm illam legem tenetur in conſcientia imponere tranſgreſſori pœnam ipſi debitam, & à lege taxatam: ergo tranſgreſſor tenetur in conſcientia olvere, vèl acceptare, ac ſuſtinere ipſam; tùm, quia ſi tranſgreſſor non teneretur in conſcientia ſuſtinere pœ a n, iuſtè poſſet reſiſtere Superiori, & iſte non haberet jus ad illius punitionem, vèl poſſet dari bellum iuſtum ex utraque partè. Tùm, quia aliàs talis eſſet inefficax, & fraudaretur ſuo fine; ergo.

17 Arg. 1. obligatio legis commenſuratur voluntati, & initioni Legiſlatoris, à qua trahit vim obligandi, ſed Legiſlator poteſt velle, ſuam legem non obligare ſub culpa, ſeù in conſcientia; imò de facto plures ità ſuam voluntatem declarant, & intimant: ergo: Prob. min. quoàd 1. part. primò: licèt obligatio aliqua ſit de ratione legis, modus tamèn obligationis pendet ex voluntate, & intentione præcipientis; nàm licèt materia legis ſit in ſe gravis, poteſt Legiſlator nolle obligare ſub mortali: ergo etiàm poteſt velle non obligare in conſcietia, ſed tantùm alio modo neceſsitatis, ſeù coactionis. Prob. ſecundò illa min. quoàd 1. part.: ut ſit lex vera, & propria ſufficit, quòd aliquo modo obliget, vèl cogat; ſed poteſt aliter obligare, vèl cogere, quàm in conſcientia, ſcil. ad ſubeundam pœnam, malum, aùt onus, vèl ad irritandum aliquem actum, vèl ad aliud ſimile: ergo Legiſlator poteſt velle ſuam legem in conſcientia non obligare. Prob. 2. pars illius primæ min.: Regulæ, Statuta, & conſtitutiones Religionum ſunt veræ

le-

leges; ſed in pluribus illarum exprimitur, & declaratur, Legiſlatores velle, illas in conſcientia non obligare: ergo ità de facto volunt, & declarant plures.

18 Conf. primò diviſiò veræ, & propriæ legis humanæ in purè præceptivam, purè pœnalem, & mixtam, frequentèr admittitur ab omnibus, & nos illam admiſimus in 1. quæſt. huius diſp.; ſed ſemel àc non detur lex, quæ in conſcientia non obliget ſaltèm ſecundario, & indirectè non admittitur lex purè pœnalis, ſed ad ſummùm mixta ex præceptiva, & pœnali ut patet: ergo ſemèl admiſſa illa diviſione, debet concedi lex ità purè pœnalis; ut nullatenùs ſit præceptiva, nèc obligans in conſcientia. Conf. 2. datur lex purè irritans; ſed in ipſa non eſt aſsignabile aliquid, ad quòd obliget in conſcientia: ergo.

19 Ad arg. diſt. mai obligatio legis quoàd eius gravitatem, vel levitatem, aùt quoàd terminationem directam, & primariam ipſius obligationis, commenſuratur voluntati Legiſlatoris, conc.; obligatio legis abſolutè, & ſimplicitèr in ratione præcepti, cui Subditus tenetur in conſcientia parere, commenſuratur voluntati Legiſlatoris, neg. mai.; quia non eſt in eius poteſtate ferre legem verè, & propriè talem, & velle ipſam non habere rationem præcepti, cui Subditus in conſcientia teneatur obedire, ut conſtat ex 1. probat. concluſ. Diſting. etiàm min.: Legiſlator poteſt velle, ſuam legem primario, & directè in conſcientia non obligare ad actum, vèl omiſsionem actus, quem præſcribit, conc. min.; poteſt velle ſuam legem nullatenùs, adhùc indirectè, & ſecundario in conſcientia non obligare ad aliquem effectum ipſius legis, nempè ad ſolutionem pœnæ, vel ad aliud ſimile; ità ut ipſa lex ſecundùm totam eius materiam non inducat vèl reſolvatur in aliquam obligationem conſcientiæ, neg. min..

20 Ad eius 1. probat. quoàd 1. part. diſt. ſimilitèr antec.: modus obligationis, nempè quòd ſit gravis, aùt levis, vel quòd terminetur directè ad actũ lege præſcriptum, aùt indirecte ad aliquem ipſius legis effectum, pendet ex voluntate Legiſlatoris, conc. antec.; modus obligationis, ſcil. quòd ſit, aùt non ſit aliquo modo in ratione præcepti, quod ſubditus maneat, vèl in conſcientia obligatus ad obediendum ſuperiori quoàd illud, quod vult præcipere ipſi, neg. antec., &

con-

conſeq. ſub diſtinct. data. Ad 2. probat. min. quoad eandem part. diſt. mai.: ut ſit lex vera, & propria ſufficit, quòd aliquo modo obliget, vèl cogat, etiàm internè, & in foro conſcientiæ, ad quod ſpectat obedientia debita præcepto ſuperioris, conc. mai.; ſufficit, quòd aliquo modo obliget; vèl cogat tantum externè, & præcisè in foro exteriori, neg. mai.; & diſt. min.: poteſt obligare, vèl cogere alitèr quam in conſcientia, & ſimùl aliquo modò in iſta, conc. min.; & nullo modo in iſta, neg. min. Ad probat. illius min. quoàd 2. part. plures negant. mai. Verùm meliùs conceditur cùm alijs, eò quia talia ſtatuta condunntur, & promulgantur verbis præceptivis, àc non ut pura conſilia, ſed ut quædam mandata. Quarè conceſ. mai., diſt. min.: in pluribus illarum legum declaratur, Legiſlatores voluiſſe, illas in conſcientia non obligare primario, & directè ad actum immediatè intentum, & lege præſcriptum. conc. min., in conſcientia non obligare adhùc ſecundariò, & indirectè ad ſubeundam pœnam à lege impoſitam, & à ſuperiore applicatam, neg. min., & diſt. ſimiliter conſeq..

21 Ad 1. conf. diſt. mai.: illa diviſio legis ab omnibus admittitur in hoc ſenſu, nempè quòd lex purè præceptiva præcipiat, aùt prohibeat primariò, & directè aliquid, nempè actum lege preſcriptum, abſque adiectione pœnæ; & purè pœnalis minetur, aut imponat præcisè pœnam, quin aliquid primariò, & directè præcipiat, nempè actum immediatè intentum; mixta verò non ſolùm faciat mentionem pœnæ, ſed etiam directè, & primariò præcipiat aliquid, nempè actum lege præſcriptum, conc. mai.; illa diviſio ab omnibus admititur in alio ſenſu, ſcil. quòd lex purè pœnalis ità præcisè imponat pœnam, ut nullo modo, adhùc indirectè, & ſecundariò præcipiat, nempè infligere, vèl acceptare ipſam; mixta verò faciat mentionem pœnæ, & præcipiat aliquid tantum ſecundariò, & indirectè, ſcil. ipſius pœnæ executionem, neg. mai.; & diſt. min.: non admittitur lex purè pœnalis, ſed ad ſummum mixta, in eo ſenſu, in quo non ab omnibus admittitur, nèc communitèr explicatur, conc. min.; in eo ſenſu, in quo ab omnibus admittitur, & communitèr explicatur, neg. min.. Ad 2. conf. diſt. mai.: datur lex purè irritans, id eſt, non ſtatuens irritationem actus in odium, ſeù pœnam tranſgreſſoris, ſeù ob aliquam culpam, conc.; datur

lex

lex pure irritans, id eſt, non præcipiens, nec obligans, ſaltem ſecundario, & indirectè, ad non utendum illo actu tanquàm valido, vèl ad non percipiendos fructus, aùt alios effectus, qui ſequerentur ex illo actu, ſi non eſſet irritus, neg. mai.; & min. abſolute, quia lex directè, & primariò irritans aliquem actum; ſaltèm ſecundariò, & indirectè obligat in conſcientia, nè quis utatur illo actu tanquam valido, & nè percipiat fructus, vèl alios effectus, qui ſequerentur ex illo, ſi foret validus.

22 Arg. 2. lex fundata in præſumptione eſt lex vera, & propria; ſed iſta non obligat in conſcientia; ut videntur ſentire communitèr Doctores in cap. 1. de conſtit.: ergo. Reſp. diſt. mai.: lex fundata in præſumptione univerſalis periculi, àc etiàm in præſumptione alicuius facti, caſus, vèl delicti particularis, quandò non fallit præſumptio, ſeù ſubſiſtit veritas facti, eſt lex vera, & propria, conc. mai.: lex fundata in præſumptione particularis facti, dùm fallit præſumptio, ſeù non ſubſiſtit veritas facti particularis, eſt lex vera; & propria, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: iſta, nempe lex fundata in præſumptione periculi generalis, non obligat in conſcientia, neg. min.; iſta, ſcil. lex fundata in præſumptione alicuius facti, vèl caſus, aùt delicti particularis, non obligat in conſcientia, ſubdiſt.: quandò fallit præſumptio, ſeù veritas non eſt conformis præſumptioni, ſivè non ſubſiſtit veritas facti, conc. min.; quandò non fallit præſumptio, ſeù veritas facti eſt conformis præſumptioni, non obligat in conſcientia, neg. min., & conſeq..

23 Ex hac ſolut. patet reſpont. ad quandam difficultatem, quæ hic ſolet exagitari: àn ſcil., & quomodò lex in præſumptione fundata, obliget in conſcientia. Pro cuius reſolunt. advertendum eſt, quòd lex poteſt fundari in præſumptione generalis periculi, ut quandò prohibet actum de ſe expoſitum periculis, fraudibus, àc incommodis; vèl poteſt fundari in præſumptione alicuius facti, caſus, aùt delicti particularis, ut quandò pro hoc, vèl illo caſu præcipit, aùt prohibet aliquid ex coniectura cuiuſdam determinatæ circunſtantiæ, vel qualitatis. Item poteſt fundari in præſumptione vera, ſeu quę ſit conformis veritati, uti eſt quando factum eſt conforme præſumptioni; & poteſt fundari in præſumptione falſa, ſeù quæ ſit diſconformis veritati, uti eſt quandò factum eſt non conſentaneum

præ-

præſumptioni. Quibus animadverſis.

24 Dicimus 1. lex fundata in præſumptione generalis periculi obligat in conſcientia, quamvis in caſu particulari præſumptio fallat, ſeù factum non ſit conſentaneum periculo, nec reverà interveniat damnum, quod timeri poterit. Ita D.D. communiſsimè. Prob.: ſubſiſtente lege cùm eius materia, fundamento, & motivo primario, ac principali Legiſlatoris, ſubſiſtit obligatio legis; ſed quandò lex eſt fundata in præſumptione generalis periculi, ſubſiſtit materia, fundamentum, & finis legis, ac motivum principale Legiſlatoris, quamvis in caſu particulari fallat præſumptio, ſeù reipſa non ſequatur damnum; ergo. Prob. min.: materia, & fundamentum illius legis eſt periculum generale, vel iudicium certum talis periculi moraliter certi, cuius averſio à communitate eſt finis legis, ac motivum principale Legiſlatoris; ſed licet in aliquo caſu fallat præſumptio, ſeù reverà non ſequatur damnum, adhùc ſubſiſtit eius generale periculum moraliter certum, & iudicium certum de illo, cùm actus de ſe ſemper ſit periculoſus: ergo. Conf. 1.: leges humanæ attendunt ea, quæ frequentiùs accidunt, & id ſufficit ut generaliter obligent; ſed frequentiùs accidit, quod ſequatur damnum ex generali periculo, ſeu ex actu de ſe periculoſo: ergo. Conf. 2.: deficiente fine legis tantùm in particulari, non ceſſat obligatio legis; ſed in præſenti ſolum deficit, vel fallit præſumptio in particulari: ergo lex adhuc ſubſiſtit cum eius obligatione.

25 Dicimus 2. quandò lex fundatur in præſumptione facti, obligat in conſcientia ſi ſubſiſtit præſumptio, ſeù veritas facti; minimè verò, ſi fallat præſumptio, ſeù iſta non ſit conformis veritati. Eſt etiam ſententia communiſsima quoad utramque partem. Quoad primam patet à fortiori ex probat. reſolut. antec.. Prob. igitur quoad 2. part.: quandò deficit materia, fundamentum, & finis legis, ac motivum adæquatum Legiſlatoris, ceſſat lex, & obligatio eius, ut conſtat ex iure in cap. 16. *de appellat.*; ſed, quandò lex fundatur in præſumptione facti, deficiente circunſtantia, vel delicto, cuius præſumptioni innitur, deficit materia, fundamentum, & finis legis, ac motivum adæquatum Legiſlatoris: ergo. Prob. min.: tùm, quia materia, & fundamentum talis legis eſt ipſum factum particulare, quòd etiam eſt finis legis, & motivum adæ-

quà-

quatum Legiſlatoris : ergo totum deficit , quandò factum non ſubſiſtit. Tùm , quia in lege conditionata , deficiente conditione , deficit materia, fundamentum , & finis legis, àc motivum adæquatum Legiſlatoris ; ſed lex fundata in præſumptione facti , eſt conditionata ſaltèm tacitè,& æquivalenter , ſi ſcil. veritas facti ita ſe habeat , ſicut præſumitur:ergo deficiente hac conditione , totum illud deficit, àc proindè ceſſat ratio , & diſpoſitio talis legis. Conf. : lex non obligat ultra intentionem Legiſlatoris , proùt décantatur communiter ; ſed Legiſlator ferens legem fundatam in præſumptione facti , ſolùm intendit obligare quandò conditio præſumpta ſubſiſtit : ergo.

26 Hic etiàm ſolet inquiri , & oportet inveſtigare : àn leges tributorum, vectigalium, aùt gabellarum ſint purè pœnales,vel mixtæ; & an in conſcientia obligent ad ſolutionem illorum , etiamſi ab exactoribus non petantur ? Difficultas continet duas partes , ad quarum 1. reſp. : leges tributorum ex genere ſuo , ſeù ex vi materiæ , aùt per ſe non habent , quòd pœnales ſint; quin potiùs præcisè ſpectatæ ſecundùm id quod per ſe , & intrinſecè important , ſunt veræ leges morales obligantes directè in conſcientia ; ita ùt liceat ex voluntate expreſſa Legiſlatoris poſsint eſſe merè pœnales , tamèn ſi ferantur verbis nedum præceptivis , ſed & tantùm abſolutis , & indifferentibus , ordinantibus ſolutionem , aut taxam ſolvendæ quantitatis tributorum , ſunt verè præceptivæ ; ſi autèm imponantur (proùt regulariter feruntur) præcipiendo , vèl ordinando cùm adiectione pœnę, ſunt leges mixtæ , obligantes directè in conſcientia ad ſolvenda tributa , & indirectè ad luendam pœnam.

27 Prima pars reſponſ. Eſt communis , & prob.: leges tributorum ex ſuo genere , ſeù ex vi ſuæ materiæ , tan ùm habent , ut imponant tributa ad ſublevandas communes neceſsitates Reipublicæ , & ad ſuſtentationem , àc reditus congruos debitos Principi, vèl Magiſtratui propter onera , & curam boni publici ; ſed proùt ſic non ſunt pœnales : ergo per ſe pœnales non ſunt. Prob. min. : tributum proùt tale, ſecundùm proprium finem, & quaſi intrinſecam naturam eius, eſtò ſit aliquid oneroſum, vèl laborioſum , tamèn non ſupponit culpam , aùt tranſgreſsionem aliquam adhuc civilem , ſeù politicam , propter quam vindicandam , vel coercendam imponatur : ergo nullâ

per

per se habet rationem pœnæ, quamvis aliàs per accidens, & extra finem proprium tributi possit in pœnam imponi alicui Reipublicæ infideli, aût rebelli. Conf.: multę aliæ leges possunt imponere onera graviora, vel imperare rès difficiliores, ut in legibus militaribus, & alijs manifeste patet; sed non propterea sunt pœnales: ergo licet leges tributorum sint onerosæ, non tamèn sunt per se pœnales.

28 Secunda pars, etiam satis communis, prob.: materia talium legum est materia iustitiæ, & continet velutì iustum stipendium, aût subsidium debitum Regibus ad sustinenda onera sui muneris, & dignitatis: ergo præcisè secundum se spectatæ, sunt leges morales in conscientia directè obligantes ad solvenda tributa; ut constat ex illo Apost. in Epist. ad Roman. cap. 13.: *Necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam* (notate cõnexionem cum eo, quod dixit de obligatione in conscientia) *Ideò enim, & tributa præstatis, ministri enim Dei sunt in hoc ipsum servientes. Reddite ergo omnibus debita, cui tributum, tributum; cui vectigal, vectigal.* Conf.: tales leges fundantur in justitia; tùm legali, qua unumquodque membrum corporis politici tenetur iuxta proportionem suarum virium concurrere ad sublevandas communes necessitates Reipublicę, & speciales capitis; tùm commutativa, qua subditi debent Principi subsidia, vel reditus congruos propter onera, & curam boni publici: ergo tales leges secundum se sunt morales, obligantes directè in conscientia ad solvenda tributa.

29 Tertia pars nostræ respons. est etiam communis, & prob.: estò tales leges fundentur in jure naturæ, vi cuius obligantur subditi tributa præstare, tamèn modus obligationis pendet ex ordinatione, & voluntate Principis; siquidem jure naturę tenentur illa solvere eo modo, quo Princeps ordinaverit, & viderit magis expedire bono communi; sed potest velle, & determinare, illas leges non obligare directe in conscientia, seù ad culpam, sed tantum indirecte, seù ad pœnam, si exacta tributa non solvant; cùm hoc non contineat iniustitiam, nec rigorem, quin potius lenitatem; nàm in eo potiùs videtur Princeps ex parte cedere suo juri, quam in aliquo excedere: ergo tales leges ex voluntate, & declaratione expressa Legislatoris poterunt esse mere pœnales.

30 Quarta pars est contra

N. Holzmann. eam tamèn tenet Exim. Suarez, & alij plures. Prob.: lex ſuperioris abſolutè poſita, & per modum ordinationis intimata, obligat iuxta capacitatem, & conditionem materiæ; ſed materia legum tributa ordinantium nedùm eſt capax rigoroſæ, & directè obligationis in conſcientia ad illa ſolvenda, cùm ſit materia iuſtitiæ; verùm etiam maximè poſtulat huiuſmodi obligationem, cum ſit in re graviſſima, àc pertinente ad bonum commune, imò neceſſaria moralitèr ad conſervationem, & gubernationem Reipublicæ; ita ut illi materiæ quaſi debeatur, & connaturale ſit præceptum per ſe, & abſolute obligans: ergo tales leges ſunt vere præceptivæ, nedùm quandò feruntur verbis præceptivis, ſed etiam quandò fiant verbis abſolutis, & indifferentibus, ordinantibus ſolutionem tributorum, vèl taxam ipſorum.

31 Conf.: quamvis modus ordinandi ſolvere tributa debita ex jure naturæ, ſit in poteſtate, & pendeat ex intentione Principis potentis obſtringere ad ſolam pœnam, vèl etiam ad actum, & ad culpam; tamèn dùm in illis imponendis utitur tantùm verbis abſolutis, indifferentibus, & ordinativis, non recte iudicatur, ipſum nolle præcipere, ſeù in conſcientia obligare ad actum, ſed tantùm cogere, ſeù obligare ad pœnam: ergo. Prob. antec.: tùm, quia intentio Principis rectè iudicatur iuxta conditionem, & qualitatem intrinſecam materię ordinatę, minimè verò iuxta illud quòd eſt extraneum, & accidentale ipſis; ſed materia tributorum per ſe non eſt pœnalis, fundat verò, & exigit præceptum directè, & abſolutè obligans ad actum: ergo. Tùm, quia cum materia per ſe non ſit pœnalis, nèc illa verba abſoluta, indifferentia, ſeù ordinativa imponant, aut determinent pœnam, non inducerent obligationem ad ipſam; àc proindè illæ leges ad nihil obligarent, ſed eſſent inefficaces, & inutiles: ergo; tùm, quia eò ipſo quod lex humana ordinat id, quod jure naturæ eſt ſimpliciter debitum, & taxat quantitatem ſolvendi illud, ſupponit, vel imponit præceptum in conſcientia obligans ad illud ſervandum; ut patet in prætijs rerum, quę lege taxantur, & in decimis Eccleſiaſticis, quarum quota per legem, aut conſuetudinem ſtatuitur: ergo.

32 Quinta denique reſpond. pars eſt communior, contra aliquos. Prob.: verba legis tributorum ordinarie ſunt præceptiva ſicut communiter

ſunt

ſunt alię leges morales, quæ ordinantur ad bonum regimen Reipublicæ; imò licet ferantur per verba ordinationis, tales leges tributorum ſunt præceptivæ, niſi aliud certò conſtet, ut patet ex dictis; ſed alię leges præceptivæ, latæ cùm adiectione pœnæ, obligant non ſolum ad pœnam, ſed etiàm directè in conſcientia ad actum, & ad culpam: ergo ſimiliter leges tributorum. Conf.: in lege verſante erga materiam capacem, & aliquo modo exigentem præceptum obligans directè in conſcientia ad actum, & ſub culpa, quamvis adiungatur pœna, non præſumitur, intentionem Legiſlatoris eſſe obligare ad ſolam pœnam, niſi illud certò conſtet morali certitudine; ſed materia legum circa tributa eſt capax, & quaſi exigens præceptum directè obligans in conſcientia ad ipſorum ſolutionem; & aliunde verba præceptiva, imò tantùm ordinativa non certificant moraliter, intentionem Legiſlatoris fuiſſe, obligare ſolùm ſub pœna: ergo non mere obligant ſub ipſa, ſed etiàm directe in conſcientia, & ſub culpa. Mai conſtat; quia Principes per impoſitionem pœnæ volunt augere, non verò minuere efficaciam legis, cuius obligatio non adimitur, ſed præmitur per adiectionem pœnę. Min. etiàm patet; quia huic materiæ quaſi debetur, & eſt connaturale præceptum per ſe, & abſolute obligans, & non tantum conditionali pacto ſuſtinendi pœnam, quod eſt valdè per accidens, & de ſe inſufficiens ad graviſsimum tributorum finem; atquè adeò non ſolùm verba præceptiva, ſed etiàm ordinativa certificant moraliter, intentionem Principis fuiſſe etiam obligare directè in conſcientia, & ſub culpa, non autem præcisè ſub pœna.

33 Pro reſponſ. ad 2. part. difficultatis propoſitę, & pro ampliori intelligentia dictorum in reſolut. primæ part. ſupponimus, quòd loquimur de legibus tributorum habentibus omnes conditiones requiſitas ad iuſtam impoſitionem, & exactionem tributi. Quarum prima eſt, quòd tributum imponatur ab eo, qui legitimam habet auſhoritatem, nempè illo qui Superiorem non agnoſcit in ſuo regimine temporali, uti ſunt Imperatores, Reges, & Reſpublicæ perfectæ; nàm licet alij inferiores Domini temporales poſsint ſuis Subditis tributa imponere, hoc eſt ex commiſsione, ſeù facultate, aùt cùm conſenſu, vel ſubordinatione ad Principem ſupræmum, cui in ſuo regimine ſubduntur. Secunda

conditio eſt, ut cauſa imponendi, & exigendi tributum, ſit iuſta, nempè neceſsitas boni communis, & congruens ſuſtentatio Principis iuxtà eius ſtatum, ac dignitatem, nàm ipſa etiàm ad bonum publicum pertinet. Tertia conditio eſt proportio tributi, tùm cùm neceſsitate, vèl cauſa, propter quam exigitur, & cùm durationè illius cauſæ propter quam fuit impoſitum, ità ut ultrà illam non prorogetur, niſi ſuperveniat alia neceſsitas æqualis, vèl maior; tùm etiàm cùm viribus ſubditorum, ita ut pauperes præ divitibus, vèl æqualitèr non graventur, nèc qui plùs, & qui minùs negotiantur, sèd proportionalitèr geometricè iuxtà vires, divitias, & lucra ſingulorum.

34 Quarta conditio additur ab aliquibus, ſcil. ut tributum non imponatur in illis rebus, quę ad uſum vitæ humanæ communitèr emuntur, ut in pane, carnibus, vino, oleo, &c.; ſed hæc conditio, tanquàm per ſe neceſſaria ad iuſtitiam tributi, non admittitur frequentèr à Doctoribus, qui tamèn conſulunt, quòd quantùm fieri poſsit, tributa non imponantur in rebus ad vitam neceſſarijs, & communibus, ſed in alijs, quæ ità communia, & neceſſaria non ſunt, maximè ſi iſta ſufficiant ad indigentiam, it ſtamvè neceſsitatem Regni, vèl Principis ſublevandam. Supponimus etiam tanquàm certum, poſſe tributum ità expreſsè imponi, ut unicè poſtulatum, & non aliàs ſolvatur; in quo caſu lex ſolùm obligabit ad illud petitum ſolvendum; quia non eſt maior obligatio legis, quàm eius verba poſtulent, cùm per illa cognoſcatur, & explicetur animus imperantis. Similitèr certum eſt, Principem poſſe imperare ſolutionem tributi, nulla expectata poſtulatione; quia cùm tributum imponatur ut debitum ex lege iuſtitiæ, non eſt onus iniuſtum, nèc nimis grave, præcipere illius ſolutionem, non expectata petitione. Quare illa 2. pars difficultatis propoſitæ non procedit de poſsibili, ſed de facto, ſeù de uſu, & efficatia legum imponentium tributa. Quibus ſuppoſitis.

35 Ad 2. part. diffic. propoſitæ reſp.: leges tributorum regulariter, ac per ſe loquendo, obligant in conſcientia ad ſolutionem illorum antequàm petantur; in aliquo tamèn caſu non obligant niſi poſt petitionem illorum. Ita communiùs D. D. contrà alios diverſimodè; & contrariè opinantes. Prob. 1. pars.: tùm, quia lex præceptiva obligat in conſci-

cientia ad eius adimpletionem, etiam nullo monente, vèl exigente; ſed leges tributorum ſunt per ſe, & regularitèr præceptivæ ſolutionis tributi: ergo ad eam obligant ante illius petitionem. Tùm, quia iuſtum tributum eſt debitum ex iuſtitia, proùt ex dictis conſtat, ſed quilibet tenetur per ſe, & regularitèr loquendo, ſolvere debitum iuſtitiæ, etiamſi non petatur, ſeu antè eius petitionem: ergo. Prob. 2. pars. poteſt contingere, ut aliquod tributum, abſolutè expectatum, cenſeatur prudenter à ſubditis nimis grave: & nihilominùs reputetur tolerabile cum illa moderatione, nempè quòd debeat peri, & alias non obliget: ergo in tali caſu non obligabit niſi poſt eius petitionem; quia leges debent eſſe moribus utentium accomodatæ, & non duræ, vel nimiæ. Prob. antec.: poteſt contingere, quod tributi quantitas, aùt aliæ circunſtantiæ cogant ad ità interpretandam legem, ut ſit iuſta, & non exorbitans, ad arbitrium virorum prudentum, conſiderata proportione tributi ad res ſuper quas imponitur, vèl ad perſonas quibus imponitur: ergo. Conf.: conſuetudo eſt optima legum interpres, & illas poteſt moderari; ſed poteſt eſſe conſuetudo rationabilis, & cum conſenſu tacito Principis, quòd non adſit obligatio ſolvendi tributa antequam exigantur; vel quia nimis durum fiat inquirere, vel expectare exactores illorum; vèl quia conſtet, aùt probabilius ſit iuxta publicam formam, ſubditos eſſe nimis gravatos: ergo. Advertendum tamen eſt cum Suarez, Lacroix, & alijs, quòd antè factum debet Confeſſor, aùt conſiliarius inclinare ſubditum ad tributum ſolvendum, quia jus Principis eſt de ſe maius, & certius; poſt factum verò, & in dubio, non facilè damnandus eſt ſubditus ad reſtituendum tributum non præſtitum, nèc exactum.

SECTIO III.

An, & quandò lex humana obliget ſub mortali culpa?

36 Dicimus primò: lex humana, non ſolùm canonica, ſed etiàm civilis poteſt obligare ſub mortali culpa. Eſt ſententia cõmuniſſima. Prob. primò authoritate: D. Paulus ad Roman. cap. 13. inquit: *Qui autèm reſiſtunt* (nempe Superioribus, & eorum legibus etiam civilibus), *ipſi ſibi damnationem acquirunt*; ſed loquitur de damnatione æterna, quæ non acquiritur levi, ſed gravi, ſeu morali cul-

culpa : ergo. Et D. Auguſt. Epiſt. 50. ait : *Quicumque legibus imperatorum, quæ pro rei veritate feruntur, obtemperare non vult, acquirit grande ſupplicium* ; ſed loquitur etiam de gravi ſupplicio apud Deum, apud quem non niſi propter mortalem culpam tale ſupplicium acquiritur : ergo.

37 Prob. 2. ratione : lex humana ex ſe obligat in conſcientia : ergo ex ſe etiam inducit obligationem proportionatam materiæ, ſi circa illam feratur abſolute : ergo ex ſe valet inducere obligationem ſub mortali, cùm poſsit ferri circa materiam gravem. Conf. 1. ratio naturalis dictat, talibus legibus eſſe obediendum; ſicùt dictat, eſſe obediendum præceptis Parentum ; ſed iſta poſſunt obligare ſub culpa mortali : ergo etiam illæ. Conf. 2. plures leges humanæ obligant ſub graviſsimis pœnis, nempè canonicè ſub pœna excommunicationis maioris, ſuſpenſionis ab officio, & beneficio, &c. ; & Civiles ſub pœna mortis, mutilationis, triremium &c. ; ſed tales pœnæ correſpondent gravi culpæ, cùm pœnæ debeant eſſe proportionatæ delictis : ergo.

38 Dicimus 2. lex humana ordinariè obligat gravitèr in materia gravi, & leviter in levi ; abſolutè tamen poteſt ex intentione expreſſa Legiſlatoris obligare leviter in materia gravi ; è contra vero in materia levi nequit gravitèr obligare ex intentione adhùc expreſſa Legiſlatoris. Pro cuius declaratione advertite, quòd ad dignoſcendam gravitatem materiæ, hæc debet attendi non tantùm reſpectivè ad totum, ſed etiàm abſolutè id eſt, debet conſiderari, àn in ſe, etiàm attentis circunſtantijs, ſit, vèl non ſit aliquid notabile ; nàm licèt conſecratiò v. g. ſit levis pars Miſſæ reſpectivè ad tempus durationis eiuſdem, tamen abſolutè, & in ſe eſt materia gravis. Advertite etiam, quod licèt aliqua materia abſolutè ſecundum ſuam ſubſtantiam, & entitatem, ſit levis, tamen reſpectivè, ſeù ex circunſtantijs, maxime in ordine ad finem Legiſlatoris poteſt eſſe gravis; ut patet in comeſtione Adami de ligno vetito, quæ licèt materialiter, & entitativè eſſet materia levis, tamen erat valde gravis formalitèr, & relatè ad finem Legiſlatoris ; quia illa abſtinentia fuit impoſita in recognitionem obedientiæ Deo debitæ, & quaſi in tributum humanæ ſubiectionis, ſub cuius adimplecione erat promiſſa perſeverantia ſtatus innocentiæ ; ſub quibus rationibus præceptum illud erat

mi-

materiæ graviſsimæ. Quibus animadvertis pro intelligentia noſtræ concluſ., quæ procedit de materia gravi, ſaltèm aliquo ex prędictis modis.

39 Prob. 1. pars, in qua conveniunt omnes: ad modum quo obligatio dicitur eſſe fundamentum pœnæ, atque adeò debet eſſe proportionata ipſi; ita materia eſt fundamentum obligationis, & ideò debet ſervari proportio inter utramque: ergo ſicut ordinarie obligatio, vel tranſgreſsio obligationis gravis ſecũ trahit pœnam gravem, & levis levem; ſic materia gravis parit ordinariè obligationem gravem, & levis levem. Conſ.: leges feruntur prudenter; & ut inquit N. Subt. Doct.: *lex poſitiva iuſtè requirit in Legiſlatore prudentiam, ut ſecundum rationem dictet quid agendum*; ſed prudentia dictat, gravia eſſe regulariter, ſeù ordinariè præcipienda, obligantia ſub gravi; & levia ſub levi: ergo.

40 Secunda pars concluſ. eſt contrà Maſtrium, Dupaſquier, Vazquez, & alios; eam tamen tenent omnes fere Thomiſtæ, & ex Ieſuitis Suarez, Arriaga, & alij, ac ex noſtris Herincx, Panger, Holzmann, & alij. Prob. primo: obligatio legis humanæ, nedum implicitè ſed etiam talis, & tanta (ſuppoſita capaci materia), eſt effectus moralis ab homine efficiendus, qui non poteſt fieri ſine animo, & conſenſu voluntatis ipſius Legiſlatoris; ſed dum Legiſlator expreſsè vult, & declarat, ſuam legem non obligare ſub mortali etiàm in materia grav', non adeſt conſenſus voluntatis ſuperioris ad obligationem gravem talis legis, quin potius ad oppoſitum, ut eſt manifeſtum: ergo ex intentione expreſſa Legiſlatoris poteſt lex humana obligare ſub levi, etiàm in materia gravi; ſiquidem actus agentium non tranſcendunt intentionẽ ipſorum, prout in jure invenitur expreſſum. Prob. mai.: ideo obligatio talis, & tanta legis humanæ non penderet ex intentione Legiſlatoris, quia ſuppoſita eius voluntate ferendi legem, jus naturale cogeret ut eius obligatio ſit gravis in materia gravi; ſed hoc eſt falſum: ergo.

41 Prob. min., & ſimùl conſ. eadem pars: tùm, quia jus naturale non cogit, ut illa materia ſecundum ſe ſit ſimpliciter præcepta, vèl prohibita; cùm materia legis humanæ prout ſic ſit indifferens, & ideò ſit bona, vèl mala quia prohibita, vel præcepta; non verò è contra: ergo etiàm ſuppoſita ſuperioris voluntate ferendi legem, jus naturale non cogit ut illa graviter obliget in

materia gravi; quia ſicut ſe habet ſimplicitèr ad ſimplicitèr, ita magis ad magis, vèl taliter ad taliter. Tùm, quia jus naturale obligans ad ſervandas leges humanas, eſt cauſa remota, univerſalis, & determinabilis à cauſa proxima, particulari, & determinativa illius, quod unicè cogit ad obedientiam ſuperiorum iuxta intentionem, & voluntatem ipſorum, quæ eſt ſimplicitèr, & taliter, effectiva talium legum: ergo.

42 Prob. ſecundò eadem pars: vèl eſt poſsibilis lex humana, quæ feratur à Legiſlatore cùm intentione obligandi ſolùm levitèr in materia gravi; vèl eſt impoſsibilis talis lex? Si eſt impoſsibilis; quæſtio eſt de ſubiecto non ſupponente, vèl de re impoſsibili; præterquamquòd nulla appareat repugnãtia in ferenda lege. Si eſt poſsibilis: ergo obligabit unicè ſub culpa levi; tùm, quia hęc eſt voluntas ferentis illam; tùm, quia aliàs involveret repugnantiam, in obiecto, ſcil. obligare levitèr in materia gravi, àc eſſet impoſsibilis, nulla, & invalida, àc proinde non obligabit abſolutè, & ſimplicitèr, nec ſub mortali, nèc ſub veniali; ſed hoc nequit dici, cùm Legiſlator ferat illã cum intentione obligandi, ut ſupponitur: ergo dicendum eſt, illam obligare ſub levi. Conf.: ſi volens ferre legem, vellet ipſam nullatenùs obligare nèc ad culpam; nèc ad pœnam, tùnc vellet contradictoria, nempè facere, & nõ facere legẽ; & illa reverà non eſſet lex, ſed conſilium, aut ſimplex ordinatio: ergo ſi non eſt poſsibilis lex humana obligans ſub levi in materia gravi, Legiſlator volens ita ferre illam, vellet contradictoria, & illa non eſſet lex vera, & propria, ſed irrita, & nulla: ergo vèl dicendum eſt, legem latam cum intentione obligandi levitèr in materia gravi, eſſe impoſsibilem, nullam, & non obligantem ſub mortali, quod non videntur concedere Adverſarij; vèl dicendum eſt, ipſam obligare ſub levi.

43 Prob. tertio: materia gravis, & de ſe ſufficiens ad obligandum ſub mortali, v. g. audire Miſſam quotidie, ieiunare tali die, &c. poteſt imponi ſub conſilio, vèl ſub pœna levi, ita ut non obliget ſub gravi: ergo etiam poterit imponi ſub culpa veniali, & ſub ipſa ſola obligare; prout fortaſsè in aliquibus Religionibus obligant earum Conſtitutiones in materia alioquin capaci obligationis gravis, ut ſentit D. Thomas 2a. 2æ. quæſt. 186. art. 9. ad 1. Diximus in concluſ.: *ex intentione expreſſa Legiſlatoris*, declarantis ſe velle uni-

unicè obligare ſub levi; nàm ſi abſolutè, & rigoroſè præcipiat materiam gravem, tùnc ipſa verba legis ſignificant, Legiſlatorem velle imponere præceptum ſimplicitèr, & eius legem obligare ſub mortali, ut ex dicendis amplus patebit.

44 Tertia pars concluſ. Eſt communior, contrà aliquos. Prob. 1. licèt obligatio legis pendeat, tanquàm eius effectus moralis, à voluntate Legiſlatoris, non tamèn ab ipſa ſola, ſed etiàm à legis materia, cuius capacitas, & exigentia eſt primum fundamentum talis obligationis; ſed materia, tàm abſolutè, quàm reſpectivè levis, non exigit, nèc eſt capax obligationis gravis: ergo ſola intentio Legiſlatoris nequit imponere obligationem gravem in materia levi; ſicut agens phyſicum, & naturale nequit operari ultrà potentiam, & capacitatem materiæ. Prob. 2. lex naturalis, & Divina poſitiva non obligant ſub mortali in materia levi: ergo multò minùs lex humana poteſt talitèr obligare. Prob. 3. lex debet eſſe rationabilis, iuſta, portabilis, & in ædificationem; ſed lex obligans ſub mortali in materia levi eſſet irrationabilis, iniuſta in deſtructionem, ſcandalum, & occaſionem ruinæ, ac imponeret onus grave, & importabile; uti eſt propter rem levem obligare ſub culpa gravi, & ſub reatu pœnæ æternę: ergo. Prob. antec.: irrationabilis, & iniuſta eſſet lex civilis imponens pœnam mortis pro crimine levi, omnibus inſpectis: ergo multò magis eſſet iniuſta lex imponens reatum pœnæ æternę in materia omnimodè levi. Prob. 4. aliàs poſſent Superiores imponere graves obligationes circa res minimas omnibus modis; ſed hoc eſt abſurdum, & contra reprehenſionem Chriſti D. cap. 23. Math.: *Alligant onera gravia, & importabilia*: ergo.

45 Argues primò contrà 2. part. concluſ.; quamvis ferre legem in materia ex ſe indifferenti, pendeat ex voluntate præcipientis, tamèn ſuppoſito præcepto, vis obligandi naſcitur ex jure naturæ, dictante parendum eſſe Superioribus; ſed jus naturæ obligat graviter in materia gravi: ergo lex humana debet obligare ſimilitèr etiàm, ſuppoſita contraria intentione prȩcipientis Conf.: ideò lex naturalis ſemper obligat gravitèr in materia gravi, quia cùm reſpiciat bonum commune, & ultimum finem, nequit aliquis facere graviter contra tale bonum, & ſe avertere à fine ultimo, offendendo graviter ipſum quin peccet mortaliter; ſed

etiàm lex humana reſpicit bonum commune, & ultimum finem, ac qui delinquit in materia gravi facit gravitèr contra tale bonum, & ſe avertit à fine ultimo, offendendo graviter ipſum: ergo implicat, quòd peccet venialitèr tantùm. Urg.: ubi eſt diſſonantia gravis ad rectam rationem, ibi eſt obligatio gravis; quia gravis diſſonantia debet vitari ſub mortali; ſed quando materia eſt gravis in ordine ad bonum publicum communitatis, tranſgreſsio continet gravem diſſonantiam ad rectam rationem; ſiquidèm recta ratio exigit, quod communitas obtineat ſuũ finem: ergo.

46 Ad arg diſt. mai.: vis obligandi in legibus humanis naſcitur remote ex jure naturæ, mediante voluntate, & iuxta intentionem Legiſlatoris humani, conc. mai.; naſcitur proximè, & immediatè ex jure naturæ, præter voluntatem, aùt contra intentionem humani Legiſlatoris, neg. mai.; & diſt. min.: jus naturæ circa materiam gravem obligat gravitèr, quando ſolum ipſum imponit obligationem, ſequentem exigentiam materiæ, quę intrinſecè, & neceſſariò petit obligationem gravem, conc. min.; quandò jus humanum imponit obligationem, quę cõtingentèr pendet à voluntate Legiſlatoris circa materiam ex ſe indifferentem, ſubdiſt.: gravitèr obligat, ſi Legiſlator humanus velit ità obligare, conc.; ſi velit obligare tantum levitèr, neg. min., & conſeq..

47 Ad conf. ſimilitèr diſt. mai.: ideò lex naturalis ſemper obligat graviter in materia gravi, quia cùm ex intrinſeca exigentia materię, quę de ſe bona, vèl mala, gravitèr, vèl levitèr eſt, reſpiciat bonum commune, & ultimum finem nequit aliquis facere gravitèr, ſeù delinquere in materia gravi, quin peccet mortalitèr, conc. mai.; alitèr, neg. mai.; & diſt. min.: etiàm lex humana, ex inſtitutione contingentèr libera Legiſlatoris circa materiam de ſe indifferentem ad obligationem, reſpicit bonum commune, & ultimum finem, conc. min.; ex intrinſeca exigentia materiæ, quæ de ſe inducat, vèl neceſſario fundet obligationem gravem, aùt levem, neg. min. quoàd 1. part, & iterum diſt. quoad 2. qui delinquit in materia gravi, quæ ſub gravi ſit prohibita à Legiſlatore, facit, ſeù peccat gravitèr, contra bonum commune, & ſe avertit ab ultimo fine, conc.; qui delinquit in materia gravi, uniè ſub levi prohibita à Legiſlatore, neg. min., & conſeq. Ad urgent. conceſ.; mai.; diſt. min.:

min.: quando materia eſt gravis, & maximè neceſſaria, vèl gravitèr precepta in ordine ad bonum communitatis, eius tranſgreſsio continet gravem diſſonantiam ad rectam rationem, conc.; quandò materia eſt in ſe gravis, & non ita neceſſaria, nèc gravitèr præcepta, neg. min.; & conſeq.

48 Argues 2. Superior, etſi velit, non poteſt imponere obligationem gravem in materia omnino levi: ergo nèc obligationem levem in materia gravi. Prob. conſeq. primò: ideo in materia levi nequit imponi obligatio gravis, quia talis lex eſſet imprudens, irrationabilis, & iniuſta; ſed tàm imprudens, irrationabile, & iniuſtum eſt velle, ut tranſgreſsio legis de materia gravi ſit levis, quam quod trāſgreſsio legis de re gravi ſit levis cùm utraque ſit contra prudentiam, & æquitatē, iuxta quam præceptum, & eius obligatio debent eſſe proportionata materiæ præceptæ: ergo. Prob. ſecundò illa conſeq.: ideò per nos lex humana nequit obligare gravitèr in materia levi, quia lex naturalis, aùt Divina poſitiva non ita obligant in tali materia; ſed iſtæ nec in materia gravi obligant ſub levi: ergo multò minus lex humana poteſt ità obligare. Prob. tertio illa conſeq.: ideo lex humana nequit præciperè ſub gravi in materia levi, quia non cederet in emolumentum, ſed in damnum boni communis; ſed etiàm lex præcipiens ſub levi materiam gravem, non cederet in emolumento boni cōmunis; quia non ita illa præciperet, ſicut exigit ſalus Reipublicæ: ergo.

49 Reſp. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia velle obligare gravitèr in materia levi eſſet agere ultra capacitatem adęquatam materiæ, quod repugnat poteſtati humanæ; at velle obligare ſub levi in materia gravi, eſt non agere totum quod poteſt, ſeù minuere, aùt non adæquare capacitatē materiæ, quod non repugnat Legiſlatori libero, qui poteſt circa illam exercere actum inadæquatum. Ad 1. probat. conſeq. conceſ. mai., neg. min.; quia modus præcipiendi ſub levi in materia gravi non dicit aliquā intrinſecā, indecentiā nèc tranſgreſsionē alicuius obligationis, vi cuius ſuperior teneatur ſemper prędipere quantùm poteſt, cùm toto rigore, & adęquatè iuxtà capacitatem materiæ: imò poterit habere finem, & cauſam rationabilem ad non præcipiēdum cùm toto rigore, & ad non omittendum præceptum abſolutè, quia imponere aliquam moderatam obligationem ſine periculo lapſus gra-

vis,

vis, poterit conducere ad opportunam directionem ſubditi; & ſi eadem materia gravis poteſt prudenter eſſe aliquandò ſub conſilio, vèl ſimplici ordinatione, aliquandò ſub lege tantùm pœnali, & aliquandò ſub præcepto, & culpa gravi, cur etiàm non poterit eſſe ſub obligatione levi, quæ timoratam conſcientiam pungat, & in diſcrimen gravis lapſus non adducat?

50 Cœterùm admiſſo quòd voluntas obligandi levitèr in materia gravi eſſet imprudens, non tamen eo modo quo voluntas obligandi graviter in materia levi; quia hæc eſſet contra iuſtitiam, & æquitatem, imponendo gravamen ultra capacitatem materiæ, & poteſtatem Legiſlatoris; illa autèm non eſſet contra iuſtitiam, utpotè non imponens totum gravamen quod poſſet, ſeù temperans obligationem infra capacitatem materiæ, in quo ſuperior non facit iniuriam ſubdito, licèt aliàs non bene gubernet. Nec imprudentia in ferenda lege facit illam nullam, niſi eam reddat turpem, inhoneſtam, aùt iniuſtam, ultrà poteſtatem ferentis illã, ac ut voluntas non imponendi onus abſolute, aùt ſaltim totum quod poteſt, illud de facto non imponat, ſatis eſt quod de facto habeatur talis voluntas, & impertinens eſt quod prudentèr, aùt imprudentèr habeatur; nàm quamvis ſi Rex ferat legem ſine iuſta cauſa, nihil faciat; tamèn ſi auferat illam ſine cauſa iuſta, factũ tenet, & lex non obligat, licèt malè faciat; quia plùs requiritur ad ponendum onus, quàm ad illud non ponendum, vèl non conſervandum; ſic igitur pariformitèr in præſenti. Quarè ait Holzmann, quòd licèt ſuperiõr præcipiens ſub levi in materia gravi ageret illicitè; adhùc tamèn præciperet validè; è contrà verò ſi præciperet ſub gravi in materia levi, tùnc enim invalidè præciperet.

51 Ad 2. probat. conſeq. conceſ. mai., & min., neg. conſeq.. Ratio diſparitatis eſt; quia cùm ad præcipiendum ſub gravi in materia levi requiratur poteſtas ultrà capacitatem materiæ, ideò benè arguitur, quòd ſi lex naturalis, & Divina poſitiva; quæ feruntur à Legiſlatore habente infinitam poteſtatem, non obligant prædicto modo, multò minùs ita obligabit lex humana, quæ fertur à poteſtatè finita; at cùm illud non requiratur ad præcipiendum ſub levi in materia gravi, quin potiùs ſit quædam moderatio, vèl minutio exercitij poteſtativi infra capacitatem materiæ; & cùm alias lex naturalis verſetur erga materiam

riam ab intrinſeco exigitivè talitèr, vèl talitèr obligatoriam; atque lex Divina poſitiva, ultrà quòd fertur à Legiſlatore infinitè rectò, taxante præcisè obligationē iuxta qualitatem materiæ, etiàmſi univerſaliſſima, & lata pro omnibus; quorum neutrum in lege humana verificatur; ideò ex eò quòd lex naturalis, & Divina poſitiva non præcipiant ſub levi in materia gravi, non benè arguitur, quòd lex humana non poſsit ità præcipere. Ad 3. denique probat. primæ conſeq. conceſ., mai. neg. min.; quia lex præcipiens ſub levi materiam gravem, adhùc cederet in emolumentum boni communis, quòd aliqualitèr promoveret, quamvis non meliori modo quo poſſet, atque adeò Legiſlator illicitè ageret; imò poteſt aliquandò eſſe opportunus, & licitus ille modus præcipiendi, ut patet ex dictis num. 48.

52 Argues 3. contra eandem part.: ex natura rerum oritur differentia peccati venialis, & mortalis, non autèm ex voluntate alicuius Legiſlatoris: ergo ab iſta non pendet, quòd tranſgreſsio alicuius legis ſit venialis, ſi materia ipſa ſufficit ad mortalem, Conf.: obligatio legis eſt effectus neceſſarius eiuſdem: ergo poſita lege, neceſſariò habet effectum obligationis proportionatum materiæ. Prob. conſeq.: ſtante eadem materia cùm eiſdem circunſtantijs, & eodem fine rei præceptæ, nequit præceptum non eſſe idem: ergo non poteſt non inducere eandem obligationem independentèr à voluntate Legiſlatoris; quia non liberè, ſed naturalitèr illam inducit.

53 Ad argum. neg. antec. in ſenſu contrariorum; nàm maximè in his, quæ non ſunt per ſe bona, vèl mala, ſed indifferentia ad precipi, prohiberi, vèl permitti, & conſequentèr ad præcipi, vèl prohiberi graviter, aut levitèr; ratio peccati venialis, aùt mortalis pendet, non ex ſola gravitate materiæ, ſed etiàm ex voluntate Legiſlatoris præcipientis gravitèr, aùt levitèr. Ad conf. diſt. antec.: obligatio activa legis eſt effectus eius, neg. antec. (quia prout ſic eſt eſſentia, ſeù ratio formalis conſtitutiva legis, quæ eſſentialitèr eſt vinculum inductivum obligationis;) obligatio quaſi paſsiva, ſeù ex parte ſubditi conſiderata, eſt effectus neceſſarius legis, ſubd.: eſt effectus neceſſarius conſequenter, & ex ſuppoſitione voluntatis liberæ Legiſlatoris, à qua dependet quoad vim, & modum obligandi, conc.;

eſt

eſt effectus neceſſarius antecedentèr, abſolutè, & independentèr à voluntate libera Legiſlatoris, neg. antec.; & diſt. ſimilitèr conſeq.: poſita lege neceſſariò conſequentèr, & proportionalitèr ad voluntatem liberam Legiſlatoris, habet effectum obligationis proportionatum materiæ, & præcepto impoſito ipſi, conc. conſeq.; neceſſariò antecedentèr, vèl abſolutè habet effectum obligationis proportionatum præcisè materię, neg. conſeq., & eius probat.; ſiquidem circa eandem materiam, cum eiſdem circunſtantijs, poſſunt eſſe diverſæ leges magis, vel minùs obligantes, iuxta intentionem præcipientis.

54 Argues 4. contra 3. part. concluſ.: tota vis, & efficacia legis pendet ex voluntate, ſeù intentione Legiſlatoris, iuxta illud dictum in leg. 1. ff. de conſt. Princ.: *Quod Principi placuit, legis habet vigorem*: ergo ſemel àc Legiſlator velit obligare ſub gravi etiàm in materia levi, eius lex inducet talem obligationem. Conf. 1. Deus impoſuit Adæ præceptum grave erga materiam levem ſcil. comeſtionem de fructu ligni vetiti: ergo ſimilitèr Legiſlator humanus potent ita præcipere, & obligare. Conf. 2. in Religionibus imponuntur præcepta obedientię, & pœnâ ex communicationis, aùt alię graves, pro rebus minimis: ergo.

55 Ad arg. diſt. antec.: tota vis, & efficacia legis pendet ex intentione rationabili, iuſta, & commenſurata materiæ capaci obligationis impoſitæ, & cadente intra limites poteſtatis Legiſlatoris, conc. antec.; pendet ex intentione irrationabili, iniuſta, & excedente capacitatem materiæ, àc poteſtatem Legiſlatoris, neg. antec., & conſeq.; quia tunc caſus lex, vèl eſt prorsus irrita, & nullatenùs obligat, vel ſaltèm quantùm ad obligandum ſub mortali; quamvis aliàs obliget quantùm materia eſt capax, & Legiſlator poteſt, àc proinde ſub veniali. Et in ſenſu explicato intelligitur illud dictum, ſcil. de placito rationabili iuxto, & commenſurato capacitati materiæ, ac poteſtati Principis. Imo voluntas expreſſa Legiſlatoris de obligatione gravi affert ſecum præſumptionem, & quaſi declarationem de eo quod materia ſit capax talis obligationis; & ideo moraliter, & regulariter eſt timenda, & ſub gravi obſervanda, nisi veritas obſtaret præſumptioni, & clarè conſtaret materiam non eſſe gravem; nec dignam tali obligatione. Ad 1. conf. patet ex

num.

num. 39. ubi diximus, præceptum impoſitum Adæ fuiſſe de re gravi formaliter; quare ex ibi dictis poteſt diſtingui, vel negari antec. in ſenſu quęſtionis. Ad 2. conf. ſimiliter dicimus, quod licet in Religionibus imponãtur præcepta gravia erga res minimas materialiter, & entitativè; tamèn ſunt graves formaliter, & reſpectivè ad circunſtantias, maximè in ordine ad finem Legiſlatoris.

56 Ex dictis colligitur, tunc legem humanam obligare ſub mortali, quando materia eſt gravis, & conſtat intentio Legiſlatoris volentis, & declarantis, ſuam legem obligare ſub mortali; nam utrumque requiritur ad talem obligationem, ut ex dictis patet. Circa gravitatem autem, vel levitatem materiæ non poteſt certa regula aſsignari, ſed ad iudicium prudentis debet relinqui: unde gravis materia cenſenda eſt non ſolùm illa, quæ per ſe; & abſolutè inſpecta, ſemper, & in omni eventu eſt talis; ſed etiam illa, quæ licèt ſecundùm ſe præcisè conſiderata ſit levis, tamen ratione circunſtantiarum, quibus permotus eſt ſuperior ad legem ferendam, item temporis, loci, perſonarum, &c. evadit gravis, quia in his, aùt illis circunſtantijs confert plurimum ad bonum commune; maximè ſi conſuetudo recipit illam materiam ut gravem, cùm conſuetudo ſit optima legum interpres, imò ipſamet poſsit habere vim legis, ut ex dicendis conſtabit.

57 Circa intentionem verò Legiſlatoris certum eſt, ipſam manifeſtari, & innoteſcere per verba, quibus fertur, & intimatur ipſa lex; quarè ſi verba legis ex parte ſua ſufficienter ſignificant gravem obligationem, etiàm declarant materiam eſſe gravem, & illis ſtandum eſt, ut iam diximus, ſi aliud manifeſtè non conſtet de omnimoda levitate materiæ, ſupra quam non poſsit cadere gravis obligatio legis. Declarat igitur Legiſlator ſuã intentionem eſſe graviter obligare, quando expreſsè dicit *ſub reatu culpæ mortalis*, vel quando ait: *ſub interminatione Divini iudicij*; *ſub pœna maledictionis æternæ*; *ſub indignatione Dei, & S.S. Apoſtolorum Petri, & Pauli*; *in virtute Sanctæ obedientiæ*; ut tradunt Doctores communiter, & ipſa terribilium verborum energia ſatis oſtẽdit; cuiuſmodi formulæ ſæpè ponuntur in conſtitutionibus Pontificijs, & aliæ ſimiles uſiſtantur à cœteris Prælatis Eccleſiaſticis, ut denotent, ſe velle graviter obligare. Verùm quia talibus verbis

non

non utuntur Legiſlatores Civiles, iſti etiam ſufficienter declarant, ſe velle ſuas leges obligare graviter, & ſub mortali, ſi dicant: *ſtrictè, cùm toto rigore, quantum poſſumus, præcipimus, vèl prohibemus*; nam ſi materia ſit gravis, cùm eam poſsint ſub mortali præcipere, per talia verba denotant, ſe velle ad ipſam gravitèr obligare.

58 Imò dùm circa materiam gravem utuntur verbis ſimplicitèr præceptivis, uti ſunt, *præcipio, impero, iubeo, mando*; aùt inhibitorijs, qualia ſunt *prohibeo, inhibeo, veto, interdico*; vèl etiam æquipollentibus, ut *debeant, obligentur, teneantur*; tùnc tàm Legiſlatores Eccleſiaſtici, quàm civiles ſignificant, ſe velle obligare ſub mortali, & eorum leges inducunt talem obligationem; proùt fert ſententia communis, & conſtat ex clement. *Exivi de Paradiſo, de verbor. ſignif.* ubi Pontifex declarat, Fratres Minores obligari ſub mortali ad ea, quæ verbis præceptivis, aùt æquipollentibus iniunguntur in Regula; ac etiam patet ex eo, quod lex, ſeù præceptum abſolutè latum, & non reſtrictum aliquo modo, obligat in conſcientia, & quantum poteſt pro capacitate materiæ; nàm hoc ſatis exprimit ipſa forma præcipiendi abſolutè, & ſimplicitèr, per quam Princeps ſufficienter manifeſtat ſuam intentionem obligandi adæquatè iuxta capacitatem materię; quarè ſi iſta ſit gravis, talia verba denotant intentionē obligandi ſub mortali. Verùm circa hoc etiam attendenda eſt conſuetudo legitima, quæ ſi verba legis recipiat ut obligatoria ſub mortali, aut venali, accipienda erunt in tali ſignificatione.

59 Deinde pœna gravis, adiuncta verbis præceptivis, denotat gravitatem materiæ; & intentionem Legiſlatoris obligandi ſub mortali, ac proinde ſimilem obligationem legis; quia gravis pœna non imponitur prudenter niſi pro re gravi; nec adiectio pœnæ tollit, vèl minuit, quin potius fovet, & urget obligationem culpę inductam vi legis præceptivæ, Unde M. P. Aug. lib. 2. de Bapt. cap. 6. docet, quod in ſtatera Divina colligitur gravitas delicti ex gravitate pœnæ, non ſolùm vitæ futuræ, ſed etiam præſentis. Et N. Subt. Doct. in 4. d. 1. q. 6. num 10. aſſerit, quod cominatio hęc: *Peribit anima illa de populo ſuo*: nunquam ponitur, niſi ad deſignandam tranſgreſionē peccati mortalis: ergo etiàm in ſtatera legis humanæ, quæ debet eſſe, quoàd fieri poſsit, conformis rationi Divinę, ex gravita-

te

te pœnæ colligitur gravitas tranſgreſſionis, ac proindè etiam gravitas materiæ, & intentio Legiſlatoris ad inducendam talem obligationem. Quare appoſitio gravis pœnæ ſpiritualis declarat gravitatem materiæ, & intentionem Legiſlatoris obligandi ſub mortali. Talis autem pœna eſt excommunicatio maior (præſertim latæ; ſententiæ imò probabiliùs etiàm ſententiæ ferendæ); degradatio; depoſitio; privatio omnium Beneficiorum; officiorum inhabilitas per modum pœnæ; ſuſpenſio ſi ſit totalis, vèl à functione magni momenti; interdictum ſimiliter totale, vèl de re magni momenti; & privatio Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Appoſitio etiam gravis pœnæ merè temporalis, nempe mortis, mutilationis, infamis flagellationis, perpetui carceris, aùt exilij, inhabilitatis ad officia publica, infamiæ, ſervitutis, & confiſcationis omnium, aùt valde notabilium bonorum; eſt ſignum gravis obligationis legis, etiàm Civilis, per quam imponuntur tales pœnæ; ut ferunt communiter D.D.

60 Inquires: utrùm lex humana obliget ſub mortali, ut ex contemptu non violetur etiàm in minimis? Suponimus, difficultatem non procedere de contemptu materiali, qui contingit ſæpè ac de facto fit aliquid, quo aliqua perſona alijs poſponitur, vèl deſpicitur, licèt hoc directè non intendatur, & ita deſpicitur Legiſlator ſæpèr ac eiùs leges voluntariè non implentur; ſed procedere de contemptu formali, qui committitur quandò aliquid fit ex directa intentione ad hoc ut aliquis deſpiciatur, vèl deſpici oſtendatur, nàm intentio eſt, quæ dat præcipuam formam actibus moralibus. Supponimus etiam, poſſe dari contemptum formalem præcisè operis, aùt rei præceptæ, quæ parvi æſtimetur, ac proinde talem contemptum fore peccatum mortale, aùt veniale, iuxta qualitatem materiæ; & poſſe dari contemptum formalem ipſius Præcipientis, ſeù Legiſlatoris; qui etiàm poteſt ſolum eſſe contemptus ipſius perſonæ, quatenùs homo quidam eſt, & habere poteſt aliquem defectum, ac proùt ſic non repugnans, talem præcisè contemptum eſſe veniale peccatum ex levitate materiæ; & poteſt eſſe contemptus ipſius Legiſlatoris, quatenùs Prælatus, vèl Superior eſt, & in hoc ultimo ſenſu procedit dubium, cui.

61 Reſp.: tranſgredi legem humanam ex contemptu formali Legiſlatoris eſt ſemper peccatum mortale. Seù, lex humana obligat ſub mortali,

tali, ut ex contemptu formali Legiſlatoris non violetur etiàm in minimis. Hæc ſententia, ſic explicata, eſt communis. Prob. primò: tranſgredi legem ex tali contemptu formali ſuperioris, eſt contemnere eius poteſtatem; ſed hoc ſemper eſt peccatum mortale: ergo. Prob. min.: ita contemnere ſuperiorem eſt illum contemnere quatenùs repræſentat Deum, & vices eius gerit, & ideò redundat in contemptum Dei, iuxtà illud Lucæ cap. 10. *Qui vos ſpernit, me ſpernit*: ſed hoc ſemper eſt peccatum mortale, utpotè continens gravem irreverentiam, & inordinationem: ergo. Prob. 2. licèt illa tranſgreſsio ex parte materiæ, ſeù ex obiecto ſit levis, tamèn ex fine, aut circunſtantia contemptus, ſeù indignæ æſtimationis de ſuperiore, quatenùs tali, eſt gravis ſicut ipſa poteſtas, & æſtimatio ipſi debita: ergo ſemper eſt peccatum mortale, quamvis aliunde ſit in materia minima. Unde ex tali capite ſemper illa tranſgreſsio habet malitiam ſpecie diſtinctam ab ea, quam habet ex obiecto, ſeù ex parte materiæ, & contra aliam virtutem.

SECTIO IV.

Utrum lex humana obliget etiàm cùm periculo vitæ?

62 Dicimus: lex humana ſivè Eccleſiaſtica, ſive civilis, ordinarie, & quando eius obſervatio non eſt moraliter neceſſaria pro cõſervatione boni publici, non obligat ad eius obſervationem cum periculo vitæ, aùt alteriùs gravis mali; benè verò in aliquibus caſibus extraordinarijs, ſeù quandò eius obſervatio eſt neceſſaria ad conſervationẽ boni publici. Ità communitèr D. D. quoàd utramque partem, quæ deducitur ex Subt. Doct. in 4. d. 15. q. 4. num. 6. ubi ait: *Sed expedit ſibi, quòd exponat vitam ſuam in cauſa iuſta, utpotè contra inimicos Eccleſiæ.* Et d. 50. q. 2. num. 11. approbat illud Philoſophi 9. & hic. dicentis *Propter bonum actum virtutis debet ſe virtuoſus exponere morti.* Ubi licèt loquatur præcipuè de lege Divina, etiàm videtur agere de humana, ac proinde iſta non obligat cùm diſcrimine vitæ, niſi in caſibus extraordinarijs.

63 Prob. quoàd 1. part. primò: ex 6. Regula Iuris in 6. *Nemo poteſt ad impoſsibile obligari*, nec ad valdè difficile, quod

quod cenſetur moralitèr impoſsibile. Et in cap. *Conſilium*, de obſervatione ieiunij dicitur: *Cùm non ſubiaceat legi neceſsitas*: ergo cùm periculo vitæ aùt alterius gravis nocumenti, non obligant leges humanæ, quatùm obſervatio eſſet valdè difficilis, dùm ea non eſt moralitèr neceſſaria ad tuendum bonum commune; uti regularitèr neceſſaria non eſt, ſed tantùm ad bonum particulare, eſtò remotè cedat, & redundet in bonum commune. Conf. 1. leges humanę debent eſſe poſsibiles ſucundùm hominum naturam, & conſuetudinem, ut inquit D. Iſidorus; ſeù debent eſſe moralitèr poſsibiles, & faciles, ſed tales non eſſent, ſi obligarent cùm periculo vitæ, aùt alterius gravis damni, etiàm ordinariè, & extra caſum neceſsitatis ad tuitionem boni communis: ergo. Conf. 2. Reſpublica, vèl Magiſtratus, aùt alter Superior non habet dominium deſpoticum vitæ, ſalutis, aùt alterius boni civium, ſed convenientem adminiſtrationem, & uſum in ordine ab bonum publicum: ergo extra caſum neceſsitatis ad conſervandum iſtud, nequeunt cogere ſubditos ad obſervantiam legum cum periculo vitæ, vèl alterius gravis mali.

64 Prob. ſecundò eadem pars: adhùc leges Divinæ non obligant, in caſibus communibus, cùm diſcrimine vitæ, aùt alterius gravis mali: ergo nèc leges humanæ. Prob. antec.: Chriſtus D. cap. 12. Math. defendit David, qui propter neceſsitatem comedit panes propoſitionis, quos ſoli Sacerdotibus licebat comedere; & eodem modo defendit Sacerdotes ſabbathum in templo non cuſtodientes; àc eius Diſcipulos eſurientes, & colligentes ſpicas in die ſabbathi Itêm grave periculum excuſat ab executione, quaſi materiali, integritatis confeſsionis, non obſtante quòd ſit juris Divini: ergo. Conf. præceptum ieiunij, auditionis ſacri, & alia huiuſmodi non obligant cum detrimento ſalutis, aùt alterius nocumenti ſimilis; ut conſtat ex conſenſu Doctorum, & conſuetudine fidelium: ergo.

65 Urg.: gravis neceſsitas oſtendit, in tali caſu non fuiſſe in Legiſlatore voluntatē obligandi, imò nèc potestatem; ſed qualivet earum deficiente, deficit obligatio legis: ergo. Prob. mai. quoàd 1. part.: voluntas prudens non vult obligare quantum poteſt cùm tota ſeveritate, & rigore, ſed cùm moderatione, & benignitate; ſed maxima ſeveritas, & rigor eſſet obligare in caſibus communibus ad obſervantiam

legis, etiàm cùm periculo gravi: ergo hoc non fuit in voluntate Legiſlatoris. Prob. illa min. quoàd 2. part.: poteſtas humana non ſe extendit ad omnia ſine menſura, nèc ad ea, quæ cùm gravamine ſubditorum non ſunt neceſſaria ad bonum commune Reipublicæ; ſed communis obſervatio legum humanarum, inſurgente gravi neceſsitate ſubditi, non eſt neceſſaria regularitèr ad bonum commune Reipublicæ: ergo non fuit in poteſtate Legiſlatoris humani imponere talem obligationem.

66 Prob. concluſ. quoàd 2. part.: Legiſlator humanus, ſivè Eccleſiaſticus, ſivè Civilis, habet poteſtatem obligandi ſubditos etiàm cùm periculo vitæ, aùt alterius gravis mali, in caſu neceſsitatis ad conſervationem boni publici, ſed aliundè adeſt in tali caſu iuſta ratio ſic obligandi: ergo. Mai. patet; quia in Republica, aùt eius ſupremo Principe adeſt poteſtas neceſſaria ad illius conſervationem, & tuitionem boni communis; ſed ad talem finem eſt aliquandò moralitèr neceſſarium præceptum obligans ad aliquid agendum cùm periculo vitæ, ut patet in bello ad defenſionem Reipublicæ, & in tempore peſtis ad procuranda m communē ſalutem, àc in occaſione contemptus fidei aùt poteſtatis Legiſlativæ ad vindicandum eius honorem: ergo. Prob. min. primi ſyllogiſmi: iuſta ratio exigit, quòd pars exponatur pro conſervatione totius periclitantis; ſeù quòd bonum commune præferatur bono pribati: ergo in caſu neceſsitatis ad conſervationem boni communis adeſt iuſta ratio obligandi ſubditos ad obſervantiam legis cùm periculo vitæ. Conf.: non minùs poſſunt ſubditi exponi, & obligari cùm periculo vitæ in gravi neceſsitate boni communis, quàm affligi pœna mortis, aùt alio malo gravi pro crimine valdè pernicioſo bono communi; ſed iſtud poteſt fieri iuſtè: ergo etiàm ad illud poſſunt obligari, & obligantur in tali occaſione.

67 Argues 1. contra 1. part. concluſ.: omnis homo debet potiùs mori, quàm peccare; ſed violatio legis humanæ eſt peccaminoſa: ergo potiùs eſt moriendum, quàm ipſa violanda; & conſequentèr obligat ſempèr ad ſui obſervationem, etiàm cùm periculo vitę. Conf. 1. bonum commune eſt præferendum bono particulari, & homo tenetur pro bono publico vitam exponere; ſed lex humana ponitur pro bono cōmuni: ergo ſempèr ſervanda eſt, non obſtante periculo vitę. Conf. 2.: in cap. *Sacris, De his,*

quæ

quæ vi, metuſque cauſa fiunt, reſpondet Innocentius III. incurri excommunicationem ab eo, qui communicat cum excommunicato, etiàm ex metu; & reddit rationem: *cùm pro nullo metu debeat quis peccatum mortale incurrere*: ergo.

68 Ad arg. conceſ. mai., diſt. min.: violatio formalis legis humanæ in ſenſu compoſito obligationis eius eſt peccaminoſa, conc. min.; violatio materialis, vèl potiùs non executio legis in ſenſu diviſo ſuæ obligationis, vèl actù non obligantis, eſt peccaminoſa, neg. min.; & diſt. ſimilitèr conſeq.: ergo potiùs eſt moriendum quàm ipſa violanda formalitèr, ſeù in ſenſu compoſito eius obligationis, uti contingit in caſu extraordinario moralis neceſsitatis ad conſervationem boni communis, conc. conſeq.; potiùs eſt moriendū, quàm ipſa materialitèr violanda, ſeù non adimplenda in ſenſu diviſo ſuę obligationis, ſivè quandò non obligat, uti evenit in caſibus ordinarijs, in quibus eius obſervantia cum periculo gravis nocumenti non eſt moralitèr neceſſaria ad bonum commune, neg. conſeq..

69 Ad 1. conf. diſt. mai.: bonum commune periclitans præferendum eſt bono particulari neceſſario ad illius conſervationem, & in tali caſu tenetur homo pro bono publico vitam exponere, conc. mai.; aliter, ſeù extra caſum talis neceſsitatis, neg. mai.; & diſt. min.: lex humana ponitur pro bono communi, & eius obſervatio nō ſemper, aùt ordinariè eſt neceſſaria pro illius conſervatione, ſeù illum finem conſequitur ſi regulariter, per ſe, & extra periculnm vitæ, aùt alterius gravis mali obſervetur, conc. min.; lex humana ponitur pro bono communi, & in omni caſu eſt neceſſaria pro illius conſervatione, aùt non conſequitur illum finem, ſi per accidens non obſervetur emergente periculo gravis mali, neg. min., & conſeq.. Ad 2. conf. explic. antec.: incurritur excommunicatio ab eo, qui communicat in crimine criminoſo, aut in actu aliàs per ſe malo; vèl communicatione, quæ cedit in iniuriam, & contemptum clavium; vèl qui communicat ex metu levi, conc.; qui alitèr & indifferentèr communicat ex metu gravi, neg. hunc eſſe ſenſum; cum propter gravem neceſsitatem permittatur in Iure Canon. communicatio, aliundè licita, cum excommunicato.

70 Argues 2. contra eandem part.: lex Cathuſianorum de non comedenda carne obligat illos, etiam cùm diſcrimine vitę; ſed in tali abſtinentia non

intervenit neceſsitas boni communis : ergo extra caſus extraordinarios talis neceſsitatis ad bonum commune, obligant leges humanæ etiàm cum periculo vitæ. Variè ad hoc arg. reſp. A. A., quorum ſolutionibus in ſua probabilitate relictis. Reſp. admiſ. mai., neg. min.; quia talis Carthuſianorum abſtinentia neceſſaria eſt ad conſervationem ſtrictioris obſervantiæ, & incolumitatem ſeverioris diſciplinæ in toto illorum ordine, cuius eſt bonum commune, àc proinde poſſunt ad illam obligari, iuxta 2. part. noſtræ concluſ..

71 Argues 3. contra 2. part: concluſ.: conſervare vitam eſt de jure naturæ: ergo nulla lex poſitiva poteſt contra illud præcipere, nèc obligare, quia jus naturale, utpote ſuperius, debet prævalere; àc proinde in nullo caſu, etiàm neceſsitatis ad bonum commune, poſſunt leges humanæ obligare cùm periculo vitæ. Conf.: leges humanæ debent præcipere tantùm ea, quæ ſunt moraliter, & facile factibilia, non autèm opera adeò ardua, ut communem uſum excedant; ſed ſe exponere periculo vitæ non eſt moraliter, & facilè factibile, quin potiùs valdè arduum, & excedens uſum communem: ergo.

72 Reſp. ad arg. diſt. antec.: conſervare vitam, quantùm ad negativum, ſcil. non occidendi ſe, eſt de jure naturæ, conc.; quantùm ad affirmativum faciendi aliquid ad conſervandam vitam, & ad mortem evitandam, ſubd.: eſt de jure naturæ, non obligans pro ſempèr, ſed potens aliquandò prætermitti, maximè propter conſervationem maioris boni, nempè communis, & publici, conc.; eſt de jure naturæ, obligans pro ſemper, etiàm in caſu extraordinario neceſsitatis ad bonum commune, neg. antec.; quia tùnt potiùs eſt conſentaneum rationi, & juri naturali, exponere vitam propter honeſtatem, & conſervationem boni communis. Similiter diſt., vèl abſolutè neg. conſeq. Ad conf. diſt. mai.: leges humanæ debent præcipere ordinariè, & regulariter ea, quæ ſunt faciliter factibilia, conc.; etiàm in caſibus extraordinarijs, ut ſunt gravia pericula publicę ſalutis, neg. antec., & conſeq..

73 Argues 4. in illis caſibus extraordinarijs, ſeù in neceſsitate boni communis, eſt obligatio legis naturæ exponere vitam, aùt ſuſtinere aliud malum grave, pro illius conſervatione: ergo talis obligatio non oritur ex legibus humanis; àc proinde iſtæ nunquàm

quàm obligant cùm tali diſcrimine. Reſp. diſt. antec.: in illis caſibus talis obligatio fundamentaliter, remotè, confuſè, & indeterminatè eſt legis naturæ, conc.; etiàm proximè, diſtinctè, & determinatè, neg. antec., & conſeq.; quia cùm lex naturalis obliget ad ſervandam legem humanam, quæ diſtinguit, & determinat caſus, ad quos obligatio legis naturalis eſt confuſa, & indeterminata, ideò talis obligatio proximè, & immediatè oritur à lege humana.

QUÆSTIO VII.

Quodnam ſit ſubiectum lege humana obligatum?

1 CIRCA hanc quęſtionē conveniunt D. D., legem humanam obligare omnes illos, qui ſubduntur poteſtati, à qua dimanat lex illa, iuxta illud D. Pauli ad Roman. cap. 13.: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit* ex quibus verbis refellitur error hæreticorum aſſerentium, Fideles, aùt ſaltèm iuſtos, vèl ad perfectionem iuſtitiæ ſublimatos, non teneri legibus humanis; undè omnis homo viator, & habens poteſtatem ſuperiorem ſubijcitur legibus ab ea latis, iuxtà voluntatem ferentis. Conveniunt inſuper D. D, legem humanam non poſſe obligare niſi ſubditos; quia poteſtas legiſlativa, & legiſlatio, eſt poteſtas, & actus juriſdictionis, quæ non eſt niſi circa ſubditos. Inter illos autem, qui ſubduntur communitati, vèi Principi legem ferenti, omnes tenentur obedire, ſi lex feratur pro omnibus abſolutè; ſi autèm non abſolutè pro omnibus feratur; ſed unicè pro quodam ſubditorum ſtatu, v.g. pro Sacerdotibus, pro Militibus, aùt alijs ſimilibus, tùnc non obligat niſi illos, ad quos loquitur, ſeù dirigitur. Conveniunt denique in eo, quòd pueri antè uſum rationis, & adulti perpetuò amentes non tenentur legibus; quia lex eſt præceptum rationale, cuius non ſunt capaces illi, qui carent ratione. Hæc igitur apùd Doctores ſunt certa; alià verò dubia ſunt per ſequentes ſect. pro maiori claritate ſeorſim reſolvenda.

SECTIO I.

An Legiſlator humanus obligetur ſuis legibus?

2 PRÆnotandum primò, quemlibet Legiſlatorem humanum obligari ſimpliciter illis legibus, quæ aliàs continent Ius naturale, vèl Divinum poſitivum; quia hæc Iura, cùm procedant immediatè à Deo, ſunt ſuprà Legiſlatorem humanum, etſi aliunde proprofita, vèl declarata, aùt eriàm præcepta ab ipſo. Prænot. 2. difficultatem procedere de legibus habentibus rationem, & materiam de ſe univerſalem, & communem Principi; nàm ſi ratio, vèl materia legis ſit propria ſubditorum ita, ut eius obſervatio non deceat ſtatum, & dignitatem Legiſlatoris, certùm eſt ipſum nun obligari tali lege. Prænot. 3. quòd cùm Legiſlator poſsit eſſe duplex, ſcil. vèl communitas aliqua, vèl ſingularis perſona unius Principis ſupremi, aùt Prælati; & licèt reſpectu utriuſque poſsit difficultas cùm proportione exagitari, tamèn potiſsimùm verſatur in ſecundò ſenſu; nàm in primò certum eſt, legem latam à communitate obligare omnia membra, vèl perſonas eiuſdem ſeorſim, quia communitas eſt ſuprà omnes ſingillatim; & ſic lex lata à Synodo Epiſcopali, aùt Provinciali obligat etiam Epiſcopum præſidentem, & lex lata à capitulo Generali obligat ipſum Generalem, & ſic de alijs; de capitulis autèm, vèl communitatibus ſpectatis in corpore idem dicendum erit, àc de Legiſlatore ſingulari.

3 Prænot. 4. ex iàm dictis, vim legis eſſe triplicē, nēpè *directivam*, qua lex dirigit præcipiendo, vèl prohibendo ſub reatu culpæ quid agendum ſit; & *coactivam*, qua ſub aliqua pœna cogitur obligatus ad obſervantiam legis; atque *irritantem*, quæ dat formam contractibus, & iudicijs ita, ut irritentur facta contra illam legem. Et hæc una eſt *pœnalis*, quę ſolùm in pœnam fit, ut quandò ſimuniacus nihil facit per ſuum contractum; alia autèm eſt *purè irritans*, quæ per ſe intendit honeſtatem morum Reipublicæ, & iuſtitiæ ſecuritatem, prout ſolemnitas teſtamenti requiritur ad eius valorem. Itèm vis directiva una eſt *directa*, quę exercetur quandò cauſa obligandi eſt ipſa lex, & voluntas Legiſlatoris directè imponens preceptū, ſivè legem, & volens per ipſam obligare: ſic ſubditi obligantur directè lege territorij; alia eſt indirecta, quæ exercetur, quan-

quandò lex, & voluntas Legiſlatoris eſt tantùm occaſio; ut obligatio aliundè reſultet: ſic non ſubditi jurantes; ſe ſervaturos leges territorij, obligantur ad earum obſervantiã, quia tales leges ſunt illis tantùm occaſio, ut ligentur iuramento. His prænotatis.

4 Dicimus primo: Legiſlator humanus, ſivè Eccleſiaſticus, ſivè civilis, non tenetur ſuis legibus quoàd vim coactivam, ſeù coercitivam; nequè quoàd directivam directè; tenetur verò quoàd vim directivam indirectè. Eſt ſententia ſatis communis maximè quoàd 1. part. & deducitur ex Subr. Doct. in 1. d. 44. q. unic. Prob. quoad 1.,& 2. part. primò: ex Leg. *Princeps*, ff. *de legibus* ubi dicitur: *Princeps legibus ſolutus eſt*; quod intelligendum eſt de exemptione quoàd vim coactivam, & directivam directè, ut ex dicendis conſtabit. Et ex Leg. penult. ff. *de Receptis*; *qui arbitrium*, habetur *Nemo imperare ſibi, neque ſe prohibere quiſquam poteſt*: ergo Legiſlator humanus non obligatur ſuis legibus, nedùm quoàd vim coactivam, ſed nequè quoàd directivam directè.

5 Prob. ſecundò: omnis obligatio directa, nedum coactiva, ſed etiam directiva, ſupponit in imponente juriſdictionem, & ſuperioritatem, àc in obligato ſubiectionem, & inferioritatem; proùt pervium eſt conſideranti, quid ſit vis coactiva, & directiva directa legis; ſed Legiſlator non eſt ſibi ſuperior, nec ſubditus: ergo. Et propterea ſimilitèr non tenetur legibus ſuorum Anteceſſorum, quia par in parem non habet imperium. Prob. tertiò: omnis obligatio, non ſolùm coactiva, ſed etiam directiva directa petit diſtinctionem inter agens inferens obligationem, & qui illam patitur: ergo nemo ſuis legibus poteſt, nèc coactivè, nèc directive directè, obligare ſe ipſum. Prob. 4. ſpecialiter quoad 2. part.: poteſtas humana directiva directa habet ſecum annexam vim coactivam; ſed iuxtà communiorem ſententiam Legiſlator non tenetur ſuis legibus, nèc ſuorum Prædeceſſorum quoàd vim coactivam: ergo nec etiàm quoad directivam directam.

6 Prob. concluſ. quoàd 3. part. primò: Chriſtus D. cap. 23. Math. reprehendit Prælatos, qui multa iubent, & non faciunt, àc imponunt alijs onera gravia, & digito ſuo nolunt movere ipſa: ergo Superiores tenentur obſervare leges ſuas, ſaltem quoàd vim directivam indirectam. Conf.: in Iure can. cap. *Iuſtum*, diſt. 10. ex D.

Iſidoro dicitur *Juſtum eſt Principem legibus obtemperare ſuis.* Et infra : *Principes legibus teneri ſuis, nèc in ſe poſſe damnare jura, quæ in ſubiectis conſtituunt ; iuſta eſt enim vocis authoritas eorum, ſi quod populis prohibent, ſibi licere non patiantur.* Et in Iure civili. Leg. *Digna vox* cod. de legibus, dicitur : *Digna vos maieſtate regnantis eſt, legibus alligatum ſe Principem profiteri.* Prob. ſecundo eadem pars: Legiſlatorem teneri ſuis legibus quoàd vim directivam indirectam nihil aliud eſt, quàm ipſum directè obligari lege naturali ad ſe conformandum ſuis ſubditis in illarum obſervatione, ex ſuppoſitione quòd illas tulerit, & ad eas ſervandas tanquàm regulas humanorum actuum in ordine ad bonum commune ; ſed ita obligatur : ergo. Prob. min. : lex naturalis dictat, caput debere conformari cum membris, & cum eis cooperari ad bonum commune corporis ; ideo namque ait M. Aug. lib. 3. confeſ. cap. 8. *turpis eſt omnis pars, ſuo univerſo non congruens* : ergo Legiſlator, utpote pars præcipua, & caput populi, debet ſe conformare cum ſubditis, & obſervare leges ab eo latas in bonum commune.

7 Dicimus 2. ; Legiſlator non tenetur ſuis legibus quoàd vim irritantem pœnalem ; nèc directè quoad purè irritantem ; benè verò indirectè. Eadem eſt ratio de hac concluſ. quoàd omnes eius partes, àc de præcedenti, atque adeò probantur ſicut illæ. Nilominùs, quandò ipſe Legiſlator facit ſcienter actum ſine ſolemnitatibus juris à ſe, vèl ſuis Anteceſſoribus ſtatuti, cenſetur ſecùm diſpenſare, & actum facere validum ; ſecùs autèm eſt de actu, v. g. teſtamento ab alio facto, etiam reſpectù Legiſlatoris ; quia tùnc non eſt ulla ratio diſpenſationis, & ideò actus eſt invalidus, prout advertit Exim. Suarez ex Leg. *Eximperfecto*, Cod. *de teſtam.*

8 Argues contra 1. part. utriuſque concluſ. : ut lex obliget quoàd vim coactivam, ſatis eſt, quòd quantum eſt ex ſe reddat tranſgreſſorem obnoxium pœnæ, etſi contingat non poſſe executioni mandari ; ſed quamvis Legiſlator non habeat ſuperiorem, qui pœnam exequatur in ipſo, tamen poteſt eſſe obnoxius pœnę ex vi legis : ergo poteſt ſuis legibus obligari etiam quoàd vim coactivam. Mai. conſtat ; quia reddere tranſgreſſorem obnoxium pœnæ pertinet ad jus, & eſt valdè diverſum à pœnæ executione, quæ pertinet ad factum. Min. patet in Prælato ſu-

ſupræmo, nempe Generali alicuius Religionis, qui licèt tranſgrediatur leges, tùnc non punitur, quia non habet ſuperiorem; poſteà verò finito officio ſolet puniri, quia fuit obnoxius pœnæ. Conf.: licèt Legiſlator nequeat ſubijci pœnæ per iudicem imponendæ, benè tamèn illi, quæ per legem imponitur ipſo jure: ergo ſaltem illa lex habebit effectum virtutis coactivę etiam in ipſo Legiſlatore. Prob. antec.: illa pœna non requirit alterius hominis executionem, ſed ipſiuſmet rei ſub pœna prohibitæ: ergo etiàm ex hac parte poterit executioni mandari ab ipſo Legiſlatore. Urg.: quandò lex abſque alia condemnationne obligat ad pœnam, videtur ex vi directiva obligare ad illam; quia obligatio in conſcientia pertinet ad vim directivam; ſed per nos obligatur Legiſlator ſuis legibus quoàd vim directivam, ſaltem indirectam: ergo etiam ad pœnam.

9 Ad arg. permiſſa mai. (quę poterat negari, quia ſi pœna non poſsit abſolute executioni mandari, ſuperflua erit obligatio, & ſubiectum non eſſet obnoxium pœnæ inapplicabili ipſi), neg. min.; quia Legiſlator non intendit, nèc poteſt ſe ipſum obligare ad pœnam ab ipſo imponitam; Generalis autem alicuius Religionis regulariter non eſt Legiſlator, ſed Capitulum, cui etiàm ipſe manet ſubiectus; atque adeò illud non eſt ad propoſitum, cùm loquamur de Legiſlatore abſoluto, & ſupremo. Ad conf. neg. antec.; ad cuius probat. dicimus, quòd licèt pœna, per legem impoſita ipſo jure, non requirat alterius hominis executionem; tamèn requirit, vèl inducit coactionem, quæ nec ab alio, nèc à ſe ipſo poteſt fieri Principi, atque adeò nequit ad illam obligari. Ad urgent. neg. mai.; quia in lege ferente pœnam ipſo facto diſtinguenda eſt ratio legis, & ratio ſententiæ, quàm virtualiter includit; nàm ad actum directè præceptum obligat ut lex, & per vim directivam, quæ neceſſaria eſt, & ordinatur ad bonos mores, atque adèo comprehendit ipſum Legiſlatorem; ad pœnam verò cogit ut ſententia, quæ formaliter debet ferri à iudice, qualis nequit eſſe Legiſlator reſpectu ſui; & cùm alias ſolùm per accidens ſit intenta, aùt neceſſaria; ideò Legiſlator non obligatur in conſcientia, adhùc indirectè, ad ipſam.

10 Argues 2.: Princeps obligatur civiliter: ergo poteſt civiliter cogi; nam hæc

eſt

eſt efficacia obligationis civilis, ut obligatus poſsit cogi civiliter; ac proindè Princeps obligatur ſuis legibus, etiam quoad vim coactivam. Reſp. diſt. antec.: Princeps obligatur civilitèr, id eſt obligatione conſcientiæ orta non ſolùm ex lege naturali, ſed occaſionalitèr etiam, & indirectè ex lege civili ſeù quoad vim directivam, conc. antec.; poteſt obligari civiliter, id eſt, obligatione civili, ex qua oriatur actio in civili iudicio, ut debitor cogatur ſolvere obligationem, ſubd.: ſi talis actio in iudicio tendat ad cogendum verè debitorem, neg.; ſi talis actio tendat ſolùm, ut in iudicio declaretur jus creditoris adversùs Principem, ſivè ut juridicè conſtet, ipſum teneri ad ſervandum illud, quod ſine iniuſtitia non poſsit negare, ſed in conſcientia teneatur implere, conc. antec., & neg. conſeq..

11 Argues 3. contra 2. part.: Legiſlator tranſgrediens ſuam legem committit peccatum eiuſdem ſpeciei, ac ſubditi contrà illam peccantes: ergo illius obligatio oritur proximè, & directè ab eius lege; ac proinde cogitur illa quoàd vim directivam directam. Prob. antec.: ſi Legiſlator Eccleſiaſticus abſque iuſta cauſa comedat carnes, vel non ieiunet quandò lex præſcribit, peccat contra temperantiam; & ſi Rex ſtatuat legem taxantem pretium rei, & ipſe ut privatus Dominus vendat cariùs illam rem, peccat contrà iuſtitiam, & tenetur reſtituere, ſicut Subditi: ergo committit peccatum eiuſdem ſpeciei; & conſequentèr eius obligatio oritur proximè, & directè ab ipſius lege. Conf. lex poſitiva habet efficaciam conſtituendi ſuam materiam in tali ſpecie virtutis, & præſcribendi medium neceſſarium ad eius honeſtatem: ergo poſita lege, ideò peccat Princeps illam tranſgrediens, quia non ſervat medium virtutis: ergo proxima ratio illius obligationis, etiàm reſpectu Principis, oritur ab ipſa lege.

12 Reſp. ad arg diſt. antec.: Legiſlator tranſgrediens ſuam legem oſtenſivam, & declarativam juris naturalis, committit peccatum eiuſdem ſpeciei, ac ſubditi, contra jus naturale, æquè obligans ſubditos, & Principem, conc. antec.; Legiſlator tranſgrediens ſuam legem conſtitutivam juris pure humani peccat peccato eiuſdem ſpeciei; neg. antec.; & conſeq. Per quod patet ad probat. antec.; nam cùm lex taxans iuſtum pretium rebus, ſit declarativa juris, & æquitatis naturalis

exi-

exigentis, pretium rerum æquari earum valori attentis circunſtantijs, ideò Princeps illud excedens peccat contra iuſtitiam ſicut ſubditi, quia tranſgreditur jus naturale, à quo precipuè oritur illa obligatio comprehendens æqualiter omnes. At quia lex prohibens eſum carnium, aùt præcipiens ieiunium tali, vèl quali die ob finem temperantiæ, eſt conſtitutiva juris purè humani, ideo Legiſlator illam tranſgrediens non peccat directè contra temperantiam ſicut ſubditi, ſed contra illius conformitatem cum iſtis, præſcriptam à lege naturali, ut ſic meliùs obtineatur finis legum, & communis obſervantia illarum. Ad conf. diſt. antec.: lex poſitiva erga ſubditos habet ex ſe illam efficaciam, conc. antec.; erga Legiſlatorem, neg. antec.; quia illam habet ex lege naturali ordinante conformitatem Legiſlatoris cum ſubditis; & diſt. primum conſeq.: ideò peccat Princeps, quia directè contra legem naturalem, & indirectè contra ipſiuſmet legem, non ſervet medium virtutis, conc.; quia directè præcisè contra ipſiuſmet legem, neg. primam, & ſecundam conſeq.; vèl diſt. iſtam: proxima ratio occaſionalis, & indirecta illius obligationis, etiam teſpectu Principis, oritur ab eius lege, conc. conſeq.; proxima ratio formalis, & directa, neg. conſeq.

13 Argues 4. ideò per nos, Legiſlator humanus non obligaretur ſuis legibus quoàd vim directivam directam, quia hæc poſtulat dominium, juriſdictionem, & ſuperioritatem, qualem non habet Legiſlator in ſe ipſum, qui non eſt ſibi ſubditus, nèc diſtinctus à ſe ipſo; ſed ut membrum Reipublicæ eſt aliquomodò diſtinctus à ſe ipſo ut capite, & ſubditus ſibi ut miniſtro Dei ordinantis, quòd Legiſlator humanus non habeat poteſtatem ferendi leges, niſi cum univerſali illarum obligatione, qua comprehendant univerſalitèr totam Rempublicam ut conſtantem ex corpore, & capite, prout exigit neceſsitas boni communis, ad quod ordinatur illa poteſtas: ergo nihil obeſt quominùs Legiſlator obligetur ſuis legibus quoàd vim directivam directam. Reſp. conc. mai., neg. min.; quia Princeps non alitèr eſt membrum, quàm prout caput Reipublicæ; nèc eſt ſubditus ſibi ut Dei miniſtro, ſcù Legiſlatori humano, ſed ipſi Deo ut Authori naturæ ordinanti, quòd leges humanæ comprehendant etiàm Legiſlatorẽ ipſum; atque adeò iſte

te-

tenetur illis tantùm indirectè, ſeù vi legis naturalis.

14 Argues 5. ſi Legiſlator ſuis legibus non teneretur directè, ſed tantùm indirectè, & vi legis naturalis, eſſet peioris conditionis quàm ſubditi; ſiquidèm non poſſet ſecum diſpenſare in ſuis legibus, ſicùt poteſt cùm ſubditis; ſed hoc eſt abſurdum, quod ab omnibus negatur: ergo non obligatur ſuis legibus indirectè, & vi legis naturalis, ſed directè, & vi legis humanæ ab ipſo ſtatutæ. Prob. mai.: lex naturalis non admittit humanam diſpenſationem: ergo ſi Legiſlator humanus ad obſervantiam ſuarum legum teneretur vi legis naturalis, non poſſet illas tecùm diſpenſare, ſicùt nec legem naturalem, quę eſt ratio talis obligationis. Reſp. neg. mai., ad cuius probat. diſt. antec.: lex naturalis non admittit humanam diſpenſationem directam, conc.; indirectam, neg. antec., & conſeq.; quia dùm Legiſlator humanus diſpenſat ſecum, ut poteſt, in ſuis legibus, diſpenſatio cadit ſuper illas directe, & ſolùm indirectè in legem naturalem, quatenùs illis per diſpenſationem ſublatis, ex conſequenti ceſſat obligatio legis naturalis.

15 Argues 6. contra 3. part. concluſ.: nemo poteſt aliquo modo ligari lege, niſi quatenùs habet Superiorem, cui debet obedire: ergo nemo poteſt obligari propria lege, etiàm quoàd vim directivam indirectè. Prob. conſeq.: nemo eſt ſuperior, ſibi, & ſi *par in parem, non habet imperium*; multò minus in ſe ipſum: ergo ſi omnis obligatio legis requirit ſuperioritatem, nemo poteſt quovis modo obligari ſua lege. Conf.: ex jure conſtat, quod *Princeps legibus ſolutus eſt*: ergo nulla obligatione tenetur eas obſervare. Ad arg. diſt. mai.: nemo poteſt obligari lege, niſi quatenùs habet ſuperiorem, vèl ferentem ipſam legem, vèl aliam, vi cuius teneatur illam obſervare, conc.; ferentem præcisè ipſam legem, ſubdiſt.: ſi obligetur illa directe, conc.; ſi tantum indirectè obligetur, neg. antec., & conſeq. Per quod patet ad probat.. Ad conf. explic. antec.: *Princeps legibus ſolutus eſt* quoàd vim coactivam, ſeù coercitivam, conc.; quoàd vim directivam, etiam indirectè, neg.; quia oppoſitum conſtat ex jure, & patet ex probat. noſtrę conclus.

*** *** ***
*** *** ***

SEC-

SECTIO II.

Utrùm omnes homines, etiam infideles, & ubique teneantur legibus Pontificijs, alijſque Eccleſiaſtitis?

16 NON quærimus de legibus civilibus, latis à Summo Pontifice prout domino temporali, & pertinentibus ad ſtatum merè temporalem, & civilem; quia proùt ſic certum eſt, eius leges unicè obligare ſubditos exiſtentes in illis territorijs, in quibus habet directum dominium temporale, ut ſatis conſtat ex dictis. Loquimur igitur de legibus Eccleſiaſticis, latis à Summo Pontifice proùt univerſali Eccleſiæ Paſtore, & ſpectantibus ad finem ſpiritualem, de quibus Dicimus primò: leges Pontificiæ de ſe obligant omnes Chriſti Fideles, ubique terrarum degentes, & cuiuſcumque ſtatus, ſeù conditionis: ita Catholici unanimitèr. Prob.: poteſtas ſpiritualis Summi Pontificis eſt univerſaliſsima ſupra totam Eccleſiam, àc omnia ij ſius membra; ſed Eccleſia de ſe per univerſum orbem diffunditur, & omnes Chriſti Fideles ubique exiſtentes, & cuiuſvis ſtatus, ſeù conditionis, ſunt membra Eccleſiæ; ergo.

17 Diximus autèm, leges Pontificias *de ſe* obligare ubique; quia poſſunt etiam Pontifices ferre leges pro certis, ſeù determinatis Regnis, aùt Provincijs, & tùnc ex intentione Legiſlatoris limitabitur obligatio iuxta tenorem legis. Similitèr etiam diximus, tales leges *de ſe* obligare omnes Chriſti Fideles cuiuſque ſtatus, aùt conditionis, ſcil. niſi limitentur ab ipſo Pontifice; quia poteſtas eſt univerſalis, & nullus fidelium exemptus eſt ab illius ſpirituali juriſdictione. Hoc autèm intelligitur ſemper iuxta tenorem legis, & exigentiam materiæ; quia non ſingulæ leges Pontificiæ obligant omnes fideles, ſed ſolùm illæ quæ reſpiciunt generalem ſtatum ſpiritualem Chriſtianorum, quos dirigunt in viram æternam; aliq verò ſunt diverſis ſtatibus accommodatæ, & ita leges Pontificiæ, ut ſic, ad omnes ſpectant, non tamèn ſingulæ ad omnes ſed partitione, ſeù diſtributione accommoda.

18 Dicimus 2. Infideles baptizati, ſeù hæretici aùt apoſtatæ; ubicumque exiſtentes, obligantur legibus Pontificijs. Ità communis Theologorum. Prob.: homines per baptiſmum ingrediuntur Eccleſiam, & fiunt eius membra: ergo ſubijciuntur juriſ-

dic-

dictioni universali Summi Pontificis supra omnia illa. Conf.: Ius canon. toto titulo *de Hæreticis*, & alibi fulminat contra illos leges pœnales, quibus feriuntur à Iudicibus Ecclesiasticis: ergo sunt talibus legibus, & alijs purè præceptivis obligati. Dicimus 3. Infideles non baptizati, licèt intèr Christianos habitent, & Principibus Christianis subditi sint, non subijciuntur legibus Pontificijs, & Ecclesiasticis. Ita communior. Prob.: Christus D. dedit Petro potestatem supra oves suas, & in eius ovile ingressas; sed tales non sunt Infideles non baptizati, siquidèm homines per baptismum efficimus oves Christi, & ingredimur in ovile Ecclesiæ: ergo. Conf. primò: Conc. trid. sess. 14. cap. 2. docet: *Cùm Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non priùs in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus: Quid enim mihi (inquit Apostolus) de ijs, qui foris sunt, iudicare?* ergo. Conf. 2. qui omninò sunt extra aliquam communitatem, non obligantur legibus ipsis impositis à quolibet eius Legislatore, ut est commune; sed Infideles non baptizati, licèt sint membra communitatis politicæ, & Principibus Christianis sint temporalitèr subiecti; tamèn omnino sunt extrà communitatem Ecclesiæ, utpotè carentes baptismo, per quod efficimur membra eiusdem, & quod est fundamentum subiectionis ad Ecclesiasticam iurisdictionem: ergo licet teneantur legibus civilibus Principum Christianorum, in quorum territorijs commorentur; tamèn legibus Ecclesiasticis nullatenùs obligantur.

19 Argues: ideò per nos, Infideles non baptizati non tenentur legibus Ecclesiasticis, quia non sunt mèbra Ecclesiæ, nèc habent fundamentum fidei, sine quo nèc fructuosè, nèc verè observari possunt præcepta Ecclesiastica, quę ad cultum Dei, & salutem animæ ordinantur; sed nèc Infideles baptizati, seù hæretici, aut Apostatę, sunt membra Ecclesiæ, quin potiùs sunt extrà ipsam, & ab ea separati, nèc habent fundamentum fidei: ergo vèl infideles non baptizati tenentur etiâm Legibus Ecclesiasticis, vèl hæretici non obligantur illis. Resp. dist. mai.: ideò per nos &c.; quia non sunt simplicitèr, & absolutè membra Ecclesiæ, nèc habent fundamentum fidei in charactere baptismali, conc. mai.; quia non sunt purè secundùm quid, membra communicantia in favoribus, & suffragijs communibus Ecclesiæ, nèc habent fundamentum fi-

fidei prȩciſe in habitu eiuſdem, neg. mai.; & diſt. min.: hæretici non ſunt ſecundùm quid membra Eccleſiæ, quatenùs non communicant in favoribus, & ſuffragijs, ſaltèm omnibus; nèc habent fundamentum fidei in habitu, conc. min.; non ſunt abſolutè, & ſimplicitèr membra Eccleſiæ, nèc habent fundamentum fidei in charactere baptiſmali, neg. min., & conſeq.

20 Replic.: membra corporis naturalis nequeunt eſſe extra illud, ſeù ſeparata ab eo ſecundum quid: ergo nèc membra corporis myſtici, ſeù Eccleſiæ; àc proinde hæretici nullo modo ſunt membra illius, nèc obligantur eius legibus. Reſp. neg. conſeq.. Diſparitas eſt quia membra corporis Phyſici habent ad ipſum unionem naturalem, quæ nequit ex natura rei eſſe partialis; àt membra myſtica non uniuntur ſuo corpori unione naturali, ſed motali, voluntaria, & libera, quæ poteſt eſſe ſecundum quid, & quoàd aliqua. Vèl etiàm poteſt negari antec.; quia ſeparatio aùt inciſio mẽbrorum corporis phyſici poteſt eſſe partialis, & ſecũdùm quid, vèl totalis, & ſimplitèr.

21 Dicimus 4.: leges Epiſcoporum, ſeù ſynodales, aùt provinciales, poſſunt de ſe obligare omnes homines baptizatos, ſibi ſubditos, & intra territorium reſpectivum. Prob. Epiſcopus eſt generalis Paſtor in ſua Diœceſi, & omnes baptizati (aliàs non exempti), cuiuſcumque ſtatus, ſunt illi ſubditi quoàd regimen ſpirituale: ergo poteſt illos ſuis legibus obligare in materia unicuique proportionata, & ſuæ ſpirituali juriſdictioni ſubiecta. Conf.: in omnibus illis, quæ non ſunt propria ſummi Pontificis, poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi quidquid poteſt Pontifex in Eccleſia vniverſali: ergo ſicut leges Pontificiæ de ſe obligant in tota Eccleſia omnes baptizatos cuiuſcumque conditionis, ità leges ſynodales obligant omnes intra proprium territoriũ, ſeù Diœceſim. Hic ſtatim occurrebat difficultas: àn hoc intelligendum ſit de ſubditis exiſtentibus extra propriam Diœceſim; àc etiàm de exteris adventantibus ad alienam pro brevi tempore? Sed hæc difficultas reſolvetur poſteà ſimùl àc de lege civili. Cœterùm, quia authoritate ſummi Pontificis ſunt aliqui exempti ab Epiſcoporũ juriſdictione, ideò.

22 Inquires: an Religioſi exempti teneantur legibus Epiſcoporum? Reſp. negativè cùm communiori. Prob. primò: ex cap. 1. de privilegijs in 6., Regulares exempti non tenentur

tur Epiſcopo parere, niſi in caſibus à jure exceptis; ſed non excipiuntur leges ſynodales: ergo non obligantur ipſis. Deinde Conc. trid. in ſes. 25. cap. 12. ſpecialiter præcipit, ut in obſervatione feſtorum, cenſurarum, & interdictorum, obediant Epiſcopo: ergo quia ſupponit, eos aliundè, & ad alia non teneri legibus Epiſcoporum; cùm exceptio firmet regulam in contrarium. Prob. ſecundò: tales Religioſi non tenentur legibus Epiſcoporum directè, & titulo obedientiæ; ſed aliundè nèc indirectè, & vi legis naturalis, ſeù titulo conformitatis cum alijs membris communitatis: ergo. Mai. patet; quia nemo titulo obedientiæ tenetur ſervare leges, aùt præcepta illius, cui non ſubijcitur. Prob. min.: ſtatus Religionis eſt valdè diverſus à ſtatu ſæcularium, & ſpecialibus legibus, àc oneribus adſtrictus, ad conſervandum, & promovendum altiori modo bonum commune Chriſtianæ Reipublicæ, quę ſe habet ut corpus heterogeneum, compoſitum ex Laicis, clericis ſæcularibus, & Religioſis: ergo iſti vi legis naturalis non tenentur ſe conformare cum ſæcularibus, pro quibus per ſe dantur lege Epiſcoporum. Aliunde tamen, nempe ratione evitandi ſcandali, aùt vi conſuetudinis erunt obligati; imò ex decentia, & congruentia rectè facient Religioſi leges Epiſcoporum ſervantes, ubi ſine magno onere potuerint.

SECTIO III.

An Eccleſiaſtici teneantur obſervare leges civiles?

23 SUpponimus primò: nomine Eccleſiaſticorum intelligi quaſcumque perſonas ſpeciali ſolemnitate Divino cultui dicatas, àc ſic quodammodò Divinæ ſortis effectas; ut fit per tonſuram Eccleſiaſticam, aùt ingreſſum approbatæ Religionis, ſervatis aliàs debitis conditionibus, & circunſtantijs, ut gaudeant privilegio fori Eccleſiaſtici. Supp. 2.: perſonas Eccleſiaſticas eſſe exemptas à poteſtate civili quoàd iudicia ſeù tribunalia cauſarum, tàm civilium, quàm criminalium, atque etiàm à ſolutione tributorum; ſivè hæc exemptio, aùt immunitas competat eis de jure Divino, vèl humano. Supp. 3.: difficultatem non procedere de legibus cibilibus, quæ tali immunitati Eccleſiaſticorum ſint contrarię, & repugnantes, quia cùm tales leges eſſent iniuſtæ, certum eſt, illis non obligari: Dubium igitur eſt

de

de legibus civilibus iuſtis, ac neceſſarijs, quæ pro toto Reipublicæ corpore feruntur, quarum materia eſt communis Clericis, & Laicis, ac æquè poteſt ab omnibus ſervari ſine ulla indecentia, vèl iniuſto Eccleſiaſticorum gravamine. Quibus ſuppoſitis, ſit.

24 Conclus.: Eccleſiaſtici non obligantur legibus civilibus quoàd vim coactivam; nèc quoàd directivam directam; benè verò quoàd directivam indirectam. Eſt valdè communis quoàd omnes eius partes. Prob. primò quoàd 1.: lex proùt fert pœnam, ſeù quoàd vim coactivam, continet, ſeù includit ſententiam eo ipsò latam à Legiſlatore contrà delinquentem; ſed nulla poteſtas laica poteſt per ſententiam punire, aùt indicare Clericum propter aliquod delictum: ergo nec cogere, ſeù obligare ad pœnam per legem impoſitam ab ipſo. Prob. ſecundò quoàd 1., & 2. part. ſimul: nemo poteſt quoàd vim coactivam, aùt directivam directè obligari legibus alicuius Legiſlatoris, quin ſubiectus ſit eius juriſdictioni, & poteſtati quoàd materiam, circa quam verſantur illius leges; ſed Eccleſiaſtici non ſunt ſubditi juriſdictioni, & poteſtati Legiſlatoris civilis, ſivè quoàd eorum Perſonas, ſivè quoàd Eccleſias, ſivè quoàd ſtatum, & illorum bona: ergo non tenentur legibus civilibus, nèc quoàd vim coactivam, nèc quoàd vim directivam directam. Min. patet ex lib. 1. Decret. cap. 10. de conſtitut. ubi dicitur, quòd *Laicis ſuper Eccleſijs, & perſonis Eccleſiaſticis nulla ſit attributa facultas: quos obſequëdi manet neceſſitas, non authoritas imperandi &c.*

25 Prob. tertiò concluſ. quoad 3. part.: Eccleſiaſtici utpotè veri cives, & membra politica Reipublicæ, tenentur lege naturali concurrere ad eius bonam gubernationem, & felicitatem, in materia omnibus communi, & uniformi, ac neceſſaria ad talem finem; ſed hoc nequit fieri, quin ſe accommodent, & obſervent leges civiles in tali materia totam communitatem concernentes: ergo tenentur illis quoàd vim directivam indirecte, nempè ex æquitate naturali. Prob. 4. quoad eandem part.: Eccleſiaſtici obligantur illis legibus quæ per ſacros Canones acceptantur, & approbantur, ut ab illis obſerventur; ſed huiuſmodi ſunt leges civiles, latę pro toto corpore Reipublicæ, & ſtatui Eccleſiaſtico non repugnantes; ut conſtat ex pluribus locis Iuris Canon., in quibus tales leges acceptantur, & appro-

bantur etiàm pro Eccleſiaſticis: ergo. Conf.: diuturna conſuetudo, & communis Eccleſiæ uſus habet, ut huiuſmodi leges à Clericis obſerventur, non ob timorem pœnæ, quæ à ſuperioribus Eccleſiaſticis poſſet infligi ſed propter conſcientiam, quatenus ipſa ratio, & æquitas naturalis dictat, tales leges ab ipſis ſervari: ergo tenentur illis quoàd vim directivam indirectè.

26 Arg. 1. contra 1., & 2. part. concluſ.: Legiſlator Civilis habet poteſtatem directam in omnia membra Reipublicæ; ſed huiuſmodi ſunt Eccleſiaſtici: ergo habet poteſtatem directam in illos, & conſequenter, &c. Reſp. diſt. mai.: habet poteſtatem directam in omnia Reipublicę membra non privilegiata, conc.; etiàm privilegiata, ſeù exempta, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: Eccleſiaſtici ſunt Reipublicæ membra privilegiata, & exempta à juriſdictione, ac poteſtate civili, conc. min.; non privilegiata, nèc exempta, neg. min., & conſeq..

27 Arg. 2. contra 3. part.: leges civiles procedunt à juriſdictione temporali; ſed per nos Eccleſiaſtici ſunt exempti à juriſdictione Principum temporalium: ergo, & ab illorum legibus, ita ut ipſis nullo modo obligentur; quia leges unicè poſſunt obligare perſonas ſubditas poteſtati Legiſlatoris. Conf.: ſi clericus obligaretur, ſaltèm quoàd vim directivam indirectè, lege Regia, eſſet inobediens tranſgrediendo illam; & à Rege. vèl eius Miniſtro, aùt Iudice poſſet puniri propter eius tranſgreſsionem, & cogi ad illius obſervantiam; quia unuſquiſque Princeps eſt vindex ſuarum legum, & ideò omnis lex affert ſecum vim cogendi, ut ait Ariſtot.: nàm alioquin eſſet valde inefficax ad aſſequendum ſuum finem; ſed per nos Eccleſiaſtici non tenentur ad leges civiles ex virtute obedientiæ, ſeù quoàd vim directivam directè; nèc poſſunt puniri à ſæcularibus, aùt cogi ad obſervantiam ſuarum legum: ergo non tenentur ad illas ullo modo adhùc quoàd vim directivam indirectam.

28 Ad arg. diſt. maj.: leges civiles procedunt à juriſdictione temporali, & aliunde aliquę illarum ſunt neceſſariæ immediatè, & ſecundum ſe ad bonum publicum Reipublicæ, & ſunt communes, ac convenientes omnibus eius membris, etiàm privilegiatis, quorum obligatio oritur directè ex æquitate, & jure,

jure naturali, conc. mai.; & aliquæ illarum non ſunt huiuſmodi, ſeù ità præciſe procedunt à juriſdictione temporali, ut non ſint ocaſsio obligationis de jure naturæ, neg. mai., & conceſ. min.; diſt. conſeq.: Eccleſiaſtici ſunt exempti à legibus temporalibus, non ità immediatè, & per ſe neceſſarijs ad bonum publicum, nèc eorum ſtatui cōmunibus, conc. conſeq.; ſunt exempti etiàm à talibus legibus ſubdiſt.: quoàd vim coactivam, & directivam directam, conc.; etiàm quoàd indirectam, neg. conſeq. Ad conf. neg. mai. quoàd 1. part.; quia tranſgreſsio legis obligantis tantùm indirectè; non eſt ſtrictè inobedientia legi, aùt eius Legiſlatori, ſed potiùs legi, aut Authori naturę, obliganti directè occaſione illius legis violatæ. Neg. etiàm ipſam mai. quoàd 2. part.; quia licèt poteſtas directiva, & coactiva regulariter, & ordinariò ſint connexæ, & neceſſariæ ad efficaciam legis; non tamèn ità eſſentialiter, abſolutè, & ſimplicitèr, ut una ſine altera interdùm non detur, & ſufficiat ad efficaciam legis quoàd bonum publicum communitatis erga perſonas privilegiatas Reipublicæ maximè cùm etiàm Magiſtratus civiles poſsint, àc debeant implorare auxilium Prælatorum Eccleſiæ, ut ſuos ſubditos cogant ad prædictas leges civiles ſervandas.

29 Ex dictis infertur quòd quamvis peccet, & fiat reus culpæ Eccleſiaſticus tranſgrediens aliquam ex dictis legibus civilibus, v.g. taxantē prętium rebus, prohibentem extractionem mercium è civitate, vèl Regno, aùt vetantem delationem armorum, vèl aliam ſimilem; tamèn in conſcientia non tenetur antè proprij Iudicis ſententiam ſubire pœnam à civili lege taxatam; cęterùm obligatur ad reſtitutionem, ſi contraxit debitum ex lege iuſtitiæ, quę obligat independēter à quacumque ſententia ſuperioris. Unde ſi Clericus venditor accepit aliquid ultrà prętium lege taxatum, debito iuſtitiæ antè ſententiam Iudicis tenetur exceſsum prętij iuſti reſtituere emptori.

SECTIO IV.

Utrùm incolæ legibus proprijs ſui territorij obligentur quandò extra illud verſantur?

30 PRÆNOTAMUS primò quatuor modis poſſe aliquam perſonam comparari ad territorium, ſivè Diœceſim, ſive civitatem, aut Regnum

num. Primò, quia ibi eſt incola, ſeù habet domicilium, & ibi etiam habitat, ſeù exiſtit actù. Secundò per extremum oppoſitum, quia neutrum habet in tali territorio, ſcil. nèc domicilium, ſeù habitationem permanentem, nec tranſeuntem. Tertiò, quia ſit incola, ſeù habeat domicilium in allo territorio, actù tamèn verſetur in alieno. Quarto, quia in aliquo territorio actù verſetur, in eo tamèn non habeat domicilium. De primò, & ſecundo nulla eſt diſputatio; quia in primo concurrunt omnia neceſſaria ad actualem ſubiectionem, & conſequentèr ad obligationem legum erga ſubditos illius territorij; in ſecundo verò eſt manifeſtum, non poſſe obligare leges, quia nullus eſt titulus ſubiectionis; in tertio autem occurrit difficultas preſens; & in quarto occurrit diſcutienda in ſect. ſequenti. Prænot. 2. incolas alicuius territorij poſſe extra illud exiſtere, vèl phyſicè tantùm, id eſt, unicè quoad perſonas, non verò quoad res, circa quas operantur, aùt quoàd actiones, quas eliciunt, eò quia ipſæ ſint, aùt fiant in proprio territorio, etſi, ſubiectum operans ſit in alieno; vèl phyſicè, & moralitèr ſimul, ita ut tàm perſona, quàm res circa quam operatùr, aùt actio quam exercet, ſit, vèl fiat extra proprium territorium. His prænotatis.

31 Dicimus: incolæ alicuius territorij non tenentur proprijs legibus eiuſdem, dùm extra illud exiſtunt tàm phyſicè, quàm moralitèr; tenentur autèm, ſi extrà illud ſint purè phyſicè. Prima pars eſt valdè communis. Prob. primò. in Leg. ult. ff. *de juriſdict.* dicitur: *extra territorium jus dicenti non paretur impunè.* Et propter hoc in cap. *Ut animarum*, 2 de conſtit. in 6. dicitur: *ſtatuto Epiſcopi, quo in omnes, qui furtum commiſſerint, ſententia excommunicationis promulgatur, ſubditi eius extra Diœceſim furtum committentes, minimè ligari noſcuntur, cùm extra territorium jus dicenti non pareatur impunè*: ergo ſubditi alicuius Diœceſis, vèl civitatis, aùt Regni non tenentur legibus ſui territorij, quandò extrà illud exiſtunt tàm phyſicè, quàm moralitèr. Nèc valet reſpondere; ibi non agi de obligatione directiva legis, ſeù præcepti, ſed de coactiva, & punitiva cenſurę, de quibus diverſa eſt ratio quoàd extendi extra territorium; quia ſuperior, vèl Iudex non poteſt extra illud punire, licèt poſsit præcipere, vèl obligare.

32 Nam contra eſt; tùm, quia

quia ſenſus Legis,& mens Pontificis ſine dubio fuit,declarare, tale ſtatutū nō violari à ſubdito in illo caſu, & ob eam cauſam non incurrere cenſuram : ergo tale ſtatutum non obligat illum etiàm quoàd vim directivam. tùm, quia ſubditus in eo caſu non ſervans ſtatutum, non eſt contumax contrà obedientiam Eccleſiæ:ergo ſignum eſt,illum non obligari per tale ſtatutum etiam quoàd vim directivam. Antec. patet; quia ſi eſſet contumax, poſſet etiàm excommunicari, & conſequenter incurrere cenſuram legis; nàm excommunicatio, iuxtà veriorem ſententiam, poteſt ferri in abſentem, etiamſi in alieno territorio verſantem, dummodò ſupponatur ſufficiens cauſa cenſuræ, uti eſt contumacia, iuxta illud Math.18.: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi tanquàm ethnicus, & publicanus*: ergo ſicut cenſura non ligat abſentem in illo caſu; ita nèc præceptum. Tùm denique,quia ratione additę cenſuræ non extenuatur, aùt coactatur juriſdictio, quin potiùs cenſura ſupponit, & iuvat juriſdictionem, & poteſtatem, ad obligandum; nèc vis directiva extenditur plùs quàm coactiva, & punitiva, quin potiùs hæc aliquo modo extenditur plùs quam illa, ut conſtat ex dictis ſuprà: ergo ſi ſubditus non ſervans illud ſtatum extra territorium, non obligatur ad pœnam, ſeù quoàd vim coactivam,nèc etiàm quoàd culpam, ſeù vim directivam.

33 Prob. ſecundò eadem pars: Legiſlator, tàm Eccleſiaſticus, quàm civilis non habet juriſdictionem extra ſuum territorium, quod eſt quaſi ſphæra ſuæ activitatis, ſeù poteſtatis legiſlativæ: ergo nèc eius leges habent vim obligandi eos, qui licèt habeant domicilium intra proprium territorium, tamen pro tempore morantur extra illud;quia leges non feruntur in perſonas abſolutè, ſed dependenter à territorio, ut conſtat ex Leg. *omnes populi*,ff. *de Iuſt. & Iure*; & in eo diſtinguitur lex à præcepto, quòd iſtud adhæret ipſis perſonis, lex autèm affigit locum, ſeù territorium Legiſlatoris.Conf.1.: lex eſt quędam regula communis inſtituta, & lata pro bona territorij gubernatione : ergo non debet, nèc poteſt extendi ad ſubditos alibi exiſtentes. Conf. 2.: agentia Phyſica non poſſunt vim agendi extendere ultrà ſphæram ſuæ activitatis, ut docetur à Philoſophis : ergo nèc agentia moralia, cuiuſmodi eſt Legiſlator, qui proindè nequit tranſilire limites ſui territorij, nèc ad eius leges obligare ſubditos extra illud exiſtentes.

34 Secunda pars noſtræ concluſ. docetur ab Exim. Suarez, Maſtrio, Holzmann. & alijs. Prob. primò: ſi leges territorij non obligarent ſubditos extrà illud exiſtentes tantùm phyſicè, moralitèr autem præſentes, Legiſlator illius territorij non haberet poteſtatem obligandi ad illa, quæ pro bona gubernatione ſui territorij ſunt neceſſaria, & præcavendi ea, quæ illi ſunt noxia; ſed hoc eſt abſurdum: ergo incolæ abſentes præcisè phyſicè, moralitèr autem præſentes tenentur legibus ſui territorij. Prob. mai.: tùnc caſus Epiſcopus non poſſet ad reſidentiam obligare Parochũ extrà Diœceſim vagantem, nèc præcavere damna orta ex omiſsione illorum, quæ illi incumbunt pro officio parochiali; nèc etiam poſſet per cenſuras impedire occiſionem hominis exiſtentis in ſuo territorio factam ab alio emittente ſagittam ex alieno ad occidendum illum: ergo.

35 Prob. ſecundò: quandò ſubditus eſt tantum phyſicè abſens; ſed moralitèr præſens proprio territorio, ſeù quandò materia circa quam operatur, àc actio quam exercet, eſt in illo; tùnc tranſgreſsio legum videtur fieri, & fictione juris fit intra tale territorium; ſed eius leges obligant, ne ipſarum tranſgreſsio a ſuis ſubditis committatur intra illud; nàm obligant ut ſerventur intrà ipſum: ergo. Prob. mai.: ibi videtur aliquis delinquere, & tranſgredi legem, ubi non facit quod debet, vèl è contra ubi facit quod non debet, iuxta Leg. *Qui non facit* ff. *de diverſis Reg. Iuris*; ſed quando materia erga quam operatur, vel actio quam exercet exiſtens in territorio alieno, eſt in eius proprio territorio, tùnc non facit quod debebat facere in eo, vèl facit quod debebat non facere in ipſo; ut patet de Parocho non reſidente ſuę Parochiæ, & de alio cauſante mortem emiſsione ſagittæ: ergo.

36 Arg. 1. contta 1. part.: quamvis ſubditus verſetur actu extrà proprium territorium, ſemper manet ſubditus dùm non mutat domicilium; ſed lex obligat omnes ſubditos, ſeù partes communitatis: ergo etiam obligat abſentes, tàm phyſisè, quam moralitèr. Conf. 1. peregrinantes, extra proprium territorium obligantur præcepto ſui Superioris: ergo etiam lege. Conf. 2. ſuperior Regularis, ſi polleat poteſtate ferendi leges, poteſt illis ligare ſuos ſubditos ubicumque exiſtentes: ergo etiam Epiſcopus, & alij Legi-

giſlatores.

37 Ad arg. diſt. mai.: manet ſubditus quaſi habitualitèr, ſeù radicalitèr, conc.; actualitèr, & in uſu quoad leges territorij, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: lex obligat omnes ſubditos actualitèr tales, & in uſu ſubiectionis quoàd illius juriſdictionem conc.; obligat omnes ſubditos purè habitualitèr, ſeù radicalitèr tales, neg. min., & conſeq.. Ad 1. conf. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia præceptum utpotè conſtitutio, quę procedit à poteſtate dominationis, & dirigitur immediatè ad perſonas ſingulares afficit illas ſecundùm ſe, & independentèr à loco; lex vero, utpote conſtitutio prodiens à poteſtate juriſdictionis, & directa primario ad communitatem, ligat dependentèr à loco, ſeù territorio, & ideò obligat tantum ſubditos exiſtentes intrà eius terminos; è contra verò præceptum obligat eos ubicumque exiſtentes; & in eo ſtat ratio diſparitatis. Ad 2. conf. conceſ. etiàm antec., neg. conſeq.; quia ſuperior Regularis obtinet juriſdictionem immediatè in perſonas ſubditorum, & non ratione loci; cùm dicta juriſdictio radicetur in voto perſonali obedientiæ, & non poteſt reſtringi ad aliquod territorium, à quo eſt independens. Aliud eſt de Legiſlatoribus, tàm Eccleſiaſticis, quam civilibus, quibus juriſdictio cõpetit immediatè in territorium, & ratione huius in perſonas; unde iſtæ non ſunt illis ſubiectæ immediatè, & per ſe, ſed tantùm ratione domicilij, & habitationis actualis, vèl materiæ, aùt actionis quam exercent, ità ut ſint præſentes phyſicè, vèl moraliter; quod etiàm inde patet, quia poſſunt illud territorium deſſerere, & in aliud permanentèr migrare, ubi ſtatim deſinent eſſe ſubditi ſuo priori Legiſlatori.

38 Arg. 2. poteſt Epiſcopus v. g. ligare ſubditum extrà Diœceſim exiſtentem cẽſura excommunicationis per ſententiam generalem, imò, & ſpecialem, ſi non latam, ſaltem ferendam dùm ad territorium redeat: ergo etiàm poteſt ipſum obligare per legem, cuius tranſgreſsio faciat ipſum contumacem, & obnoxium cenſuræ, & conſequentèr, &c. Reſp. diſt. antec.: poteſt Epiſcopus ligare cenſura ſubditum extrà exiſtentem tantùm phyſicè, ſed præſentem moraliter ratione materiæ, vèl actionis, quæ eſt intrà Diœceſim, conc. antec.

(ſicut dùm quis extrà territorium exiſtens iaculatur feram intrà territorium exiſtentem, poteſt, & debet ſubire pœnam latam in ferarum iaculatores); poteſt ligare ſubditum abſentem tàm phyſicè, quàm moralitèr, ſeù tàm ratione Perſonæ, quam ratione materiæ circa quam operatur, vèl debet operari; aùt ratione actionis quam exercet, vèl omittit, neg. antec.; & neg., vèl diſt. ſimilitèr conſeq..

39 Arg. 4. ex noſtra ſententia ſequeretur, quòd etiam ille, qui ex induſtria relinqueret proprium territorium, imò intrà illud ſe diverteret ad locum exemptum, ut fugeret à lege propria, & ſpeciali ſui territorij non teneretur illa, nèc peccaret non adimplendo ipſam; ſed hoc videtur abſurdum, ſiquidèm ille agit ex malitia, & in fraudem legis; malitia autèm, & fraus nequit ulli patrocinari, nèc aliquem eximere ab obligatione, quam aliundè habet, ut conſtat ex Iure: ergo. Reſp. quòd poteſt negari mai. cùm aliquibus aſſerentibus, noſtram ſententiam unicè intelligi de illis, qui ex cauſa honeſta, vèl utili, ſeù proptèr alium finem quàm ut fugiant obligationem legis ſui territorij tranſeunt de illo in aliud; non autem de illis, qui egrediuntur eo fine ut fugiant talem obligationem, quia iſti agunt ex malitia, & in fraudem legis. Vèl conceſ. mai. cum alijs Authoribus noſtræ ſententiæ, neg. min.; quia illi uruntur ſuo jure, quod habent exeundi à ſuo territorio, & accedendi ad aliud; & non agunt in fraudem legis, ſed unicè fugiunt eius obligationem; quæ fuga non militat contra legem; ſiquidem nemo lege ieiunij tenetur manere in loco, ubi præcipitur ieiunare, ſed unicè ſervare ieiunium manendo intra locum, ubi viget præceptum; & licèt quaſi in fraudem legis exeat ab illo, tamen fraus illi non patrocinatur, ſed conditio loci, ad quem habet jus accedendi.

40 Ad illud de loco exempto dicimus; eandem rationem eſſe de illo, àc de territorio alieno, ut probant Authores ex jure Canon.; quia talis locus perinde ſe habet, àc ſi extra territorium exiſteret. Requiritur tamèn, ut locus ſit verè exemptus localitèr, ſivè ſecundum ſe, uti ſunt aliquæ Parochiæ, Monaſteria, vèl oppida immediatè ſubiecta Pontifici, aùt Epiſcopo extraneo, vèl Abbati exempto, in quibus ceſſat juriſdictio ordinarij illius territorij, & eſt conceſſa alteri, quaſi foret aliena Diœceſis. Si verò locus

ſit

ſit tantùm exemptus perſonaliter, ſeù ratione perſonarum, prout ordinariè ſunt loca Regularium exemptorum; tùnc ſubditi Ordinario territorij, in tali loco exiſtentes, non excuſantur ab obſervantia legum territorij eiuſdem.

SECTIO V.

Utrùm Advenæ, & Vagi obligentur legibus, & conſuetudinibus territorij, in quo exiſtunt?

41 ADvertimus primò, per Advenas ſeu Peregrinos intelligi eos, qui habentes domicilium in aliquo loco, tranſeunt per aliud, ſeù per brevem moram abeunt in illud, ubi domicilium non habent, nèc illud acquirunt, eò quia accedant cùm animo ibi ſempèr permanendi, nàm eò ipſo fiunt incolæ, & ligantur legibus illius territorij; ſicùt etiàm alij, qui acquirunt quaſi domicilium, eò quia habitare incipiant cum animo commorandi ſaltèm per maiorem anni partem, ut faciunt Scholaſtici in Univerſitatibus, ſolicitatores, ſeù Litigantes in curijs, Famuli, Ancillæ, &c.; ſiquidem iſti fiunt reſpectivè ſubditi propter aſsiduam, & diuturnam habitationem, & tenentur legibus territorij. Per vagos autèm intelliguntur illi, qui nullibi domicilium habent, nec illud acquirunt per diuturnam habitationem, ſed exiſtunt modò in hoc, modò in illo territorio, abſque animo permanendi, ſed tantùm commorandi per aliquot dies, aùt minorem anni partem. De his igitur, àc de Advenis, ſeù Peregrinis procedit difficultas præſens. Pro cuius reſolut. ſit.

42 Conclus. 1.: Advenæ, Hoſpites, ſeù Peregrini per ſe tenentur legibus, ſpecialibus loci, in quo verſantur. Ita plurimi, & graviſsimi Authores, àc ex N.N. Fraſſen, Maſtrius Herincx, Reiffenſtuel Panger, Dupaſquier, & alij, contrà plures alios, quos ſequitur N. Holzmann. Prob. primò ex cap. *Quæ contrà* diſt. 8. ubi dicitur: *Quæ contrà mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate ſunt vitanda, ut pactum inter ſe, gentis, aùt civitatis conſuetudine, vèl lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur.* Et can. *Illa*, diſt. 12. ubi ex M. P. Aug. Epiſt. 118. refertur ſententia D. Ambroſij dicentis: *cùm Romam venio, ieiuno ſabbato; cùm Mediolam ſum, non ieiuno.* Ubi Gloſa ℣. ſocietate, ait: *Quilibet tenetur vivere ſecundùm conſuetudinem illorum, intèr quos verſatur.* Unde eſt illud commune, adagium, contentum in his verſibus:

Si

Si fueris Romæ, Romano vivito more:
Et ſi ſis alibi, vivito ſicut ibi.

43 Prob. 2.: leges immediatè afficiunt locum, ſeù territorium Legiſlatoris, & hinc tranſeunt ad perſonas ibi exiſtentes, ut conceditur etiàm ab Adverſarijs: ergo eò ipsò quòd Peregrinus reperiatur in aliquo loco, tenetur legibus eius particularibus, àc cenſetur ſubditus Domini territorij illius. Conſ.: incola diſcedens à proprio territorio ſtatim deobligatur legibus, & conſuetudinibus eius particularibus: ergo è contrario accedens ad alium locum, ſtatim obligatur legibus, & conſuetudinibus ipſius. Prob. conſeq.: tùm, quia hoc poſtulat ratio naturalis, & æquitas juris, ut proportio ſervetur in utroque, & ne contingat, talem vivere ſine omni lege, ſi non generali, & communi, ſaltèm propria, & ſpeciali, ita ut ſi eſſet aliqua lex particularis, tàm proprij territorij, quàm alterius, per quod tranſit, ab illa fieret prorſus immunis. Tùm, quia ideò, incola diſcedēs à proprio territorio deobligatur ſtatim legibus, & conſuetudinibus eius, quia deficit actualis ſubiectio defectu exiſtentiæ in tali loco, quem leges immediatè afficiunt, & cui eſt affixa, àc limitata juriſdictio: ergo pariter ratione exiſtentiæ in alio loco incipit ſubiectio, & obligatio ad ſervandas leges illius.

44 Prob. 3. lex propria fertur generaliter pro toto territorio, ut ſupponimus: ergo obligat omnes ibi degentes pro tempore, quo commorantur ibi. Prob. conſeq. primò ex parte cauſæ finalis: ad rectā gubernationem, bonum publicum, & pacem populi, maximè conducit, imò moraliter neceſſarium eſt, quòd hoſpites, ſeù forenſes conformentur moribus, uſibus, & legibus civium quandò, & quamdiù cùm illis converſantur, & civiliter convivunt, ùt ſæpè in jure inſinuatur, & experientia convincitur; nàm ex difformitate conviventium oritur confuſio, pacis perturbatio, & morum corruptio: ergo cùm leges ferantur propter bonum commune loci, & præcipuè intendant pacem, & bonos mores commorantium ibi, neceſſe eſt, quòd ferantur generaliter, ita ut obligent omnes ibi degentes, etiàm tranſeuntes commorantes.

45 Prob. ſecundò illa conſeq. ex parte cauſæ efficientis: unuſquiſque Legiſlator, &

Gu-

Gubernator Reipublicæ habet potestatem necessariam ad bonum regimen, conservationem, pacem, & bonos mores communitatis: ergo habet potestatem obligandi, & cogendi omnes ibi morantes ad servandas eius leges. Prob. hæc conseq.: habet potestatem puniendi iuxtà leges sui territorij advenas ibi delinquentes; quia etiam ex titulo delicti ibi sortiuntur forum, & Magistratui talis loci subijciuntur, prout ex Iure probat N. Holzmann: ergo eàdem ratione habet potestatem obligandi omnes ibi operantes ad servandas suas leges. Conseq. patet; tùm, quia utrumque est necessarium ad bonum suę Reipublicę. Tùm, quia idem intervenit titulus potestatis quoàd vim directivam, àc coactivam, imò hæc fundatur in illa, & est ad præstandam illi efficaciam.

46 Prob. tertio illa 1. conseq. ex parte subiecti: datur in advenis sufficiens titulus subiectionis, ratione cuius possint obligari legibus territorij: ergo manent illis obligati. Prob. antec.: tùm, quia potestas in uno, & subiectio in altero sunt correlativa; sed in Principe datur potestas in Advenas, ut probavimus: ergo. Tùm, quia sicùt illa obligatio est quasi transiens, & secundùm quid, ita ad illam sufficit subiectio quasi transitoria, ad quam satis est commoratio actualis, & non requiritur permanens, vèl diuturna. Tùm, quia sicut ille, qui transfert domicilium, eò ipso vult obligari permanentèr, vèl ex consequenti obligatur legibus loci, etiamsi nolit ita qui alicubi vult ad breve tempus morari, eò ipso vult, aut velle debet, subdi pro tunc regimini illius loci quoàd ea, quæ spectant ad generales mores, & leges: ergo datur in Advenis sufficiens titulus subiectionis, ratione cuius obligentur ad leges territorij suæ existentiæ.

47 Prob. 4. nostra concluſ.: Advenæ obligantur legibus particularibus territorij, quæ specialitèr feruntur ob bonum eius commune; uti sunt quæ prohibent, nè quædam merces ex illo extrahantur; nè peregrini ultrà præfixos dies ibi commorentur; nè deferant certum genus armorum &c.: ergo etiàm tenentur alijs legibus generalitèr latis propter eius bonum commune. Antec. conced. ab Arvers., specialitèr à N. Holzmann. Prob. conseq.: ideò obligantur legibus specialitèr latis propter bonum commune, quia peculiaritèr intendunt talem finem; & quia sub tali onere,

vel

vèl conditione, àc non alitèr, meritò cẽſentur Principes tranſitum, vèl manſionem indulgere advenis in ſuis territorijs; ſed etiàm leges generalitèr latæ propter bonum commune, intendunt abſolutè, & ſimplicitèr, quàmvis non ità ſpecialitèr, illum finem, ad quem maximè conducit, & neceſſaria eſt obſervatio talium legum etiàm ab Advenis; àc ſub illa conditione, & non alitèr, meritò cenſentur Principes tranſitum illis indulgere; ſiquidèm alias magnum præiudicium fieret bono communi, ut conſtat ex 3. probat.: ergo.

48 Conf.: iuxta Adverſ., tenentur Advenæ illis legibus particularibus territorij, quæ dant formam iudicijs, contractibus, aut alijs actionibus ſimilibus, & quæ irritant illas factas alio modo, ut conſtat ex Iure in cap. ult. *de Foro competenti*: ergo etiam alijs legibus tenentur. Prob. conſeq.: ideo tenentur legibus quoàd tales actiones, quia illæ utpote ibi executę, ſunt illis legibus ſimplicitèr ſubiectæ, & ratione ipſarum conſequentèr ſubijciuntur Perſonę illas exercentes; ſed etiàm quælibet aliæ actiones à cæteris quibuſcumque legibus præſcriptæ utpote in tali loco exequendæ, ſimplicitèr ſubijciuntur legibus eiuſdem & ratione illarum ſubijciuntur perſonæ illas exequentes: ergo ſi Advenæ tenentur legibus territorij quoàd contractus, vèl alios actus ſimiles, etiàm obligãtur reliquis quoàd alias actiones.

49 Concluſ. 2. Advenæ tenentur conſuetudinibus territorij, in quo exiſtunt, ità ut debeant obſervare leges, & conſuetudines totius Eccleſiæ ibidem vigentes, quamvis ipſæ in illorum domicilio, ex ſpeciali privilegio, aùt conſuetudine non obſerventur, nèc obligent: Eſt communis inter Doctores, pancis exceptis; & prob. à fortiori ex dictis in concluſ. antec., quæ etiàm poteſt confirmari ex hac ſententia communi. Prob.: Ius commune univerſos per ſe obligat, & ſi alicubi ratione ſpecialis privilegij, vèl conſuetudinis contrariæ non obliget, hic eſt favor localis, ſivè loco cohærens, non verò perſonalis, ſeù ſequens perſonas quocumque ierint: ergo. Conf.: tales conſuetudines exorbitant à iure communi; ſed eò ipsò ſunt reſtringendæ, ut patet ex reg. 28. Iuris in 6. ergo. Quarè per oppoſitum Advenæ, & Peregrini non tenentur ſervare conſuetudines in eorum Patria vigentes circa præcepta iuris communis, ſi

hæc

hæc non ſint in uſu in loco, ubi morantur tranſeunter, ut tenent communiter Doctores; quia quilibet poteſt ſe accommodare rationabilibus conſuetudinibus locorum, in quibus exiſtit.

50 Concluſ. 3. Vagi obligantur legibus; & conſuetudinibus particularibus locorum, in quibus exiſtunt. Eſt ſatis communis, & deducitur à fortiori ex dictis in concluſionibus præcedentibus; nàm ſi Advenę alicubi domicilium habentes, & alibi tranſeunter commorantes, obligantur legibus territorij in quo exiſtunt actualiter; potiori jure Vagi, qui nullibi domicilium habent, debent adſtringi legibus illius loci, in quo actù extiterint. Prob. ulteriùs: ſi Vagi non obligarentur legibus loci, in quo inveniuntur; nullis legibus proprijs, & particularibus tenerentur; ſed hoc non videtur conſentaneum eorum ſaluti, nèc rectę gubernationi Reipublicæ; ergo. Prob. 2. conſuetudo dat juriſdictionem, iuxtà cap. 4. de arbitr.; ſed praxis, & generalis conſuetudo tenet, quòd Vagi puniantur, ſi tranſgrediuntur particularia ſtatuta locorum, in quibus exiſtunt, quamvis talis trangreſsio non ſit coniuncta cum ſpeciali ſcandalo, aut perturbatione Reipublicæ: ergo. Conf.: Vagi à Iudicibus, qui eos capiunt, puniuntur etiàm ob delicta alibi commiſſa; ſaltem ſi Iudex loci, in quo deliquerunt, eos ſibi remitti non petat: ergo forum ſortiuntur in quovis loco, & ſubduntur juriſdictioni ſuperiorum, in quorum territorijs exiſtunt, àc proinde eorum legibus.

51 Arg. 1. lex per ſe non obligat niſi ſubditos, & membra communitatis, cui fertur, & ad quam dirigitur; ſed vagi, & multò minus Peregrini, non ſunt ſubditi, nèc membra communitatis, per cuius territorium duntaxat tranſeunt, vèl per breve tempus commorantur: ergo non ſubduntur legibus, nèc conſuetudinibus territorij, in quo exiſtunt. Prob. min.: tùm, quia brevis mora habetur pro nulla, ex cap. 3. *de verb. ſignif.*. Tum, quia nemo ſortitur forum; aùt ſit ſubditus; niſi ratione domicilij, aùt quaſi domicilij, vel ratione delicti, vèl ratione contractus; ſed Peregrini, & Vagi nullo ex iſtis modis ſunt ſubditi, ut ſupponitur: ergo nèc ratione præſentaneæ habitationis, àc proinde nullatenùs ſunt ſubditi, aùt membra communitatis, in cuius territorio ſunt tranſeuntèr.

52 Reſp. neg. min. (propter

tèr dicta in probat. noſtrarum concluſ.), cuius primam probat. explic.: brevis mora habetur pro nulla in ordine ad acquirendum domicilium, aùt quaſi domicilium, vèl ad alium ſimilem effectum, conc.; in ordine ad fieri membrum communitatis quoàd ſubiectionem ad eius leges, neg. Ad 2. probat. expic. mai.: nemo fit ſubditus &c, vèl ratio delicti commiſsi, aùt comiſsibilis per tranſgreſsionem legum, quibus ibi exiſtens eſt obligatus, & juriſdictioni coactivè, ac proindè directivè ſubiectus, conc.; niſi ratione delicti præcisè commiſsi, neg. mai., & ſimiliter diſtincta min.; neg. conſeq..

53 Arg. 2. in cap. 21. *de ſentent. Excomũn.* propoſita quæſtione: àn Epiſcopus in ſua Diœceſi ferens generalem ſententiam: *Si quis furatus fuerit, excommunicatus ſit*: obliget forenſes, ſeù advenas, hoſpites, aùt peregrinos? Reſpondet Pontifex, tantùm obligare ſubditos: ergò illi non cenſentur ſubditi, nèc obligantur legibus territorij manſionis tranſeuntis. Reſp. cum Suarez, Herincx, & alijs in illo cap. non agi de pœna excommunicationis impoſita per legem, ſed per ſententiam generalem, & præceptum, quod cùm non reſpiciat immediatè locum, ſed perſonas, ideò non comprehendet niſi eas, quæ ſunt ſimpliciter ſubditæ; lex autèm quia immediatè reſpicit locum, cui eſt affixa poteſtas legiſlativa, & eo mediante reſpicit perſonas, ideò poteſt obigare illas, quę ſunt ſecundum quid ſubditæ nempè ratione præſentaneæ habitationis, nàm hæc ſufficit ut ipſæ obligentur ad leges; ſiquidèm aliàs nec Vagos comprehenderent, quod eſt contrà plures Adverſarios, in quos poteſt retorqueri argum..

54 Advertendum eſt tamèn, quòd licet noſtra ſententia ſit valdè communis, ſimùl que videatur probabilior, & aliunde ſit tutior, ac proindè nedùm conſilianda, ſed etiàm in praxi ordinariè tenenda; nihilominùs cùm ſententia oppoſita ſit certò practice probabilis, & eam teneant graves Authores, ideò poterunt Advenæ licitè ſe illi conformare, iuxta dicta de opinione probabili in tract. præcedenti; Hic occurrebat difficultas de tributis, nempè: an Advenæ teneantur illa ſolvere? Verum ſatis patet ex dictis; quòd ſi tributum debeatur ratione rei exiſtentis in loco, aùt ratione actionis exercitæ in ipſo, etiam Advenæ per ſe tenentur ſolvere illud in alieno territorio; ſi verò

tri-

tributum ſit perſonale, non debent illud ſolvere, niſi in loco ſui domicilij, & ita videtur eſſe in praxi.

SECTIO VI.

An Pueri, Amentes, & Ebrij teneantur legibus humanis?

55 SUpponimus, pueros, amentes, & ebrios obligari per ſe lege naturali, quia hęc radicatur in natura intellectuali de ſe rationis capaci, qualis etiam ineſt ſubiectis prædictis, atque adeò comprehenduntur ſub tali lege, & contrà illam delinquunt ſaltèm materialitèr, imò & formalitèr, ſi pro tunc habeant uſum rationis. Supponimus etiam, pueros habentes uſum rationis, etſi nondùm ſeptennes, obligari lege Divina poſitiva; quia hęc procedit immediatè ab ipſo Deo, ut authore gratiæ, & verſatur circa magis neceſſaria ad ſalutem, quàm leges humanæ, nèc fundatur in pręſumptione ex eo quod regulariter accidit, ſed in eo quod reverà eſt à parte rei; atquè adeò obligat ſemèl àc adſit uſus rationis, quamvis non pervenerit tempus, in quo ſolet regularitèr advenire. His ſuppoſitis.

56 Dicimus 1.: pueri nondùm ſeptennes, ſaltèm ſi nec-dùm habeant uſum rationis, non comprehenduntur ſub legibus humanis, etiàm pręceptivis; uti nèc perpetuò amentes. Eſt commune. Prob. utraque pars ſimùl: lex, utpote rationalis regula humanorum actuum, ſupponit capacitatem illorum, & rationis uſum; ſed talis capacitas non adeſt in pueris (vèl ſaltèm non præſumitur ad eſſe antè ſeptennium) neque in perpetuò amentibus: ergo. Diximus, *ſaltèm ſi pueri nedum habeant uſum rationis*; nàm eſt controverſia inter D. D.: àn pueri antè ſeptennium habentes uſum rationis, ſeù quàdò malitia ſupplet ætatem, teneantur legibus humanis? Circa quod licet probabile ſit, eos in tali caſu teneri legibus Eccleſię, quarum materia eſt illi ętati conveniens, & licet talis ſententia ſit ſaltèm conſulenda in praxi; tamen communior, & probabilior nobis videtur ſententia aſſerens, illos neqùe tùnc caſus talibus legibus obligari, neque ſub illis comprehendi. Prob.: leges humanæ non attendunt ad ea quæ irregularitèr accidunt, aùt raro contingunt, ſed ad ea quæ communiter eveniunt, ut conſtat ex Leg. *Nam ad ea*, ff. *de Legibus*; nec fundantur in eo quod per accidens aliquando eſt, ſed in præſumptione regularitèr contingentium;

ſed

ſed communitèr contingit, pueros antè ſeptennium non habere uſum rationis, nèc lex eos illum priùs habere præſumit: ergo licèt aliquandò ante completum ſeptennium eis irradiet, tamèn non comprehenduntur ſub lege, nèc Legiſlator illos intendit obligare.

57 Diximus etiam, *pueri necdum ſeptennes*; nàm ſi compleverint ſeptennium, & habeant uſum rationis, qui tùnc præſumitur, comprehenduntur, & obligantur omnibus Eccleſiæ præceptis, quorum materia eſt conſentanea illi ætati; quia ſupponuntur capaces actionis humanæ, àc proinde obligationis humani præcepti circa materiam conſentaneam illi ætati, v. g. audiendi ſacrum, abſtinendi à carnibus, & alijs ſimilibus; non verò ieiunandi, & communicandi in Paſchate, quia hęc non congruunt eorum ætati ſtatim àc habent aliqualem, & ſufficientem uſum rationis ad alias actiones humanas, & morales. Diximus denique, *legibus humanis etiàm præceptivis*; nàm de pœnalibus diſputant D. D.: àn pueri ſeptennio maiores, ſed adhuc impuberes (quales ſunt maſculi uſque ad annum 14. completum, & fœminæ uſquę ad 12. ſimilitèr abſolutum) ligentur cenſuris, & pœnis Eccleſiaſticis?

58 Circa quod certum eſt, eos incurrere ſententiam latam in eos, qui indebitè ingrediũtur monaſteria Monialium, ſiquidèm Trident. ſeſ. 25. cap. 5. expreſsè dicit: *cuiuſcumque ætatis fuerint*; ſicut etiam incurrere excommunicationem latam in perculſores Clericorum, & cap. 58. *de ſent. excommun.*; uti & irregularitatem ortam ex homicidio, ex Clement. unic. *de homicid.*. De alijs autèm cenſuris dicimus. eos incurrere cenſuras à Iure, vèl ab homine latas, non autèm ferendas. Ratio primæ part. eſt; quia de ſe ſunt capaces talium cenſurarum, & nullo jure probantur exempti, neque eſt ratio illos eximendi, ſi verè commiſſerint culpam, & habeant contumaciam, ob quam infligitur cenſura. Ratio 2. partis eſt; quia pro ferenda tali cenſura debent moneri, & citari; illa autèm ætas non eſt ſufficiens ad intelligendum ordinem iudicarium, & ideò de jure citari non poſſunt; nèc admmittuntur ad agendum, vel defendendum ſe in iudicio; neque in tali materia tenentur comparare per Procuratorem, cùm ſit res concernens conſcientiam, & interna ipſorum.

59 Dicimus 2. ebrij, & amentes ad tempus comprehen-

henduntur ſub legibus humanis; tempore tamen amentiæ, & ebrietatis excuſantur per accidens ab imputabili eorum tranſgreſsione. Eſt etiam commune. Prob. 1. pars: ſub lege comprehenditur ſubiectum capax actionis humanæ, & obligationis legis; ſed huiuſmodi ſunt ebrij, & amentes ad tempus, utpotè qui abſolutè pollent uſu rationis, quo carent unicè temporaneè, & per accidens, non autem ſtabiliter, aùt permanenter: ergo legibus humanis per ſe obligantur, & ſub illis comprehenduntur. Prob. 2. pars: ad culpabilem tranſgreſsionem legis requiritur actualis uſus rationis neceſſarius ad liberum exercitium morale voluntatis: ergo tempore amentiæ, aùt ebrietatis pro quo carent uſu rationis, & libero exercitio morali voluntatis excuſantur ab imputabili tranſgreſsione legis. Aliundè tamen talis tranſgreſsio poterit eſſe culpabilis; & libera virtualitèr, & in cauſa voluntaria amentiæ, aut ebrietatis, iuxta dicta in tract. de Actibus humanis, & iuxta dicenda in tract. de Peccatis.

*** *** ***
*** *** ***

QUÆSTIO VIII.

Quibus modis poſsit lex humana, aùt eius obligatio ceſſare?

SECTIO I.

An, & quomodò ceſſet lex humana ex parte materiæ, atque ex parte finis?

1 AD 1. difficult. dicimus lex humana ceſſat quoàd eius obligationem ex parte materiæ, quotiès hęc ità mutatur, ut fiat penitùs impoſsibilis, vèl adeò ardua, & intolerabilis ut moraliter nequeat exerceri, vèl ſi ex mutatione ſtatus, ſeù conditionis rerum fiat iniqua, aùt talitèr vana, & inutilis, ut ad bonum commune, & rectam gubernationem evadat impertinens. Prob.: lex eſſentialitèr petit eſſe de materia nedùm phyſicè, ſed etiàm moraliter poſsibili, iuſta, & expedienti ad bonum commune: ergo ſi materia legis humanæ, utpotè de ſe indifferens, contingens, & mutabilis, mutetur, ſeu fiat impoſsibilis, iniuſta, vel inutilis, eò ipſo lex ex ſe ipſa ceſſabit, ac proindè non inducet obligationem. Hoc autèm ita intelligendum eſt, ut ſi materia legis habeat plures

partes, & quoàd unam tantùm fiat impoſsibilis, iniuſta, vèl inutilis, non verò quoàd aliam; tùnc unicè ceſſabit quoàd illam, non tamèn quoàd alteram, quæ remanet poſſibilis, iuſta, & utilis; ſi verò ſimpliciter mutetur quoàd omnes partes, tùnc abſolute, & totaliter ceſſabit. Cæterum totum hoc intelligi debet, quando adeò certa eſt talis mutatio materiæ, ut communi iudicio cenſeatur lex ceſſaſſe ex toto, vèl ex parte, nam ſi res dubia ſit, lex adhùc retinet ſuum jus, & eſt veluti in poſſeſsione, atque adeò pro illa iudicandum eſt, ut tenent communiter Doctores.

2 Pro reſolut. ſecundæ diffic. ſciendum eſt primò, finem legis unum eſſe *intrinſecum*, qui eſt honeſtas ipſius materiæ præceptæ; & alium *extrinſecum*, qui eſt honeſtas intenta à Legiſlatore, ſuperaddita, & diſtincta ab honeſtate materiæ præceptę. Sic dùm lex præcipit eleemoſinam, & Legiſlator intendit, quòd ſubditi ſatisfaciant pro peccatis, tùnc finis intrinſecus legis eſt honeſtas miſericordiæ, quæ reperitur in elargitione eleemoſinę, & extrinſecus eſt honeſtas pœnitentiæ, quæ reperitur in ſatisfactione pro peccatis. Qui duo fines ſunt per accidens coniungibiles, atque adeo etiam ſeparabiles. Sciend. eſt 2. finem legis poſſe ceſſare vèl *contrariè* ſeù *poſitivè*, vèl *negative* tantùm. Dicitur ceſſare contrariè, ſeù poſitivè, quando redditur illicitus, aùt impoſsibilis; negativè verò ceſſare dicitur, quandò eſtò ſit licitus, & poſsibilis, tamèn amplius non eſt neceſſarius, nèc utilis ad bonum commune.

3 Sciend. eſt 3. finem legis poſſe ceſſare *adæquatè*, vel *inadæquatè*, tàm ex parte motivi, quam ex parte ſubiecti. Ex parte motivi adęquatè ceſſat, quando deficit tota ratio, ob quam lex fuit condita; & inadæquatè, quandò deficit ratio partialis. Ex parte ſubiecti ceſſat adæquate finis legis, quandò ratio eiuſdem ceſſat pro tota Communitate; & inadæquate, quando ceſſat ratio pro una, vèl altera communitatis parte in particulari. Sciend. eſt 4. quòd quando finis intrinſecus legis ſeù honeſtas materiæ præceptę coniungitur cùm fine extrinſeco, ſeù honeſtate intenta à Legiſlatore, non ceſſat lex, etiamſi finis extrinſecus ceſſet. Ita Exim. Suarez lib. 6. de Leg. cap. 9. num. 9. Ratio eſt, tùm quia tùnc caſus ceſſante fine extrinſeco, materia legis manet per ſe honeſta, & capax legis proptèr ſolum finem intrinſecum, ſeù honeſ-

neſtatem actus, quæ ſemper à Legiſlatore intenditur. Tùm, quia in tali caſu non ceſſat cauſa adæquata legis; nàm potiſsima cauſa, finis, & ratio quaſi proxima illius legis eſt honeſtas materiæ præceptæ. Tùm, quia durante materia præcepta cum ſua ratione formali, permanet obligatio præcepti; in illo igitur caſu ità contingit, cùm duret honeſtas materiæ præceptæ. Tum, quia aliàs qui non indigeret maceratione carnis, quia eam habeat ſubiectam ſpiritui, non tenererur ieiunare ob finem eius intrinſecum, nempè temperantiæ; quod eſt falſum, & abſurdum. His ſcitis pro reſolut. ſecundæ diffic. propoſitæ.

4 Dicimus 1. quandò finis adæquatus legis generalitèr, ſeù frequentius in tota Communitate ceſſat, ſivè contrariè, ſivè negativè; ipſo facto, & nulla expectata Principis declaratione, vèl revocatione, ceſſat lex, eius que obligatio. Ita communiter A.A. contrà paucos. Prob.: lex ſuapte natura debet eſſe iuſta poſsibilis, & ordinata ad bonum commune, ita ut eo deficiente nequeat habere rationem legis, quamvis adſit voluntas Legiſlatoris; ſed fine legis adæquatè, & univerſaliter ceſſante contrariè, deſinit eſſe iuſta, aùt poſsibilis; àc illo ceſſante negativè deſinit eſſe neceſſaria vèl utilis ad bonum commune, ut conſtat ex dictis: ergo ipſo facto, & independenter à declaratione, vèl revocatione Legiſlatoris, ceſſat lex quandò clarè conſtat, eius finem adæquatum generaliter ceſſare, ſivè contrariè, ſivè negativè. Conf. 1. Tùm ex communi Iuris axiomate, quòd ceſſante cauſa, ceſſat effectus; ſeù quòd ceſſante legis ratione, ceſſat etiam diſpoſitio legis; quòd intelligitur de ceſſatione ipſo facto. Tùm à paritate voti, quod non obligat, ceſſante adæquatè eius cauſa: ergo. Conf. 2. hic modus ceſſationis legis per ceſſationem finis eſt peculiaris, & diſtinctus ab illius declaratione, vèl revocatione; ſed hoc eſſet falſum, ſi non ceſſaret ipſo facto; ſiquidem ad ſummum aſsignaretur per hoc quędam cauſa legitima abrogandi legem, ſicut poſſunt etiàm aſsignari aliæ plures: ergo.

5 Dicimus 2.: ceſſante contrariè fine legis in particulari, ceſſat obligatio legis reſpectu illius particularis; non verò ſi ceſſet tantum negativè; niſi ſit lex fundata in prę ſūptione particularis facti. Ita etiàm communiter A.A. quoàd omnes partes. Prob.

quoad 1. : non poteſt dari obligatio ad illicitum , aùt impoſsibile ; ſed quandò finis legis ceſſat contrariè , & poſitivè , tunc eius obiectum propter mutationem circuſtantiarum redditur illicitum , aùt impoſsibile : ergo ita ceſſante fine adhùc in caſu , vèl ſubiecto particulari , ceſſat in illo obligatio legis. Prob. 2. pars: non deficiente ratione primaria legis , non ceſſat obligatio eiuſdem ; ſed ceſſante tantum negativè fine legis in aliquo caſu , vèl ſubiecto particulari , non ceſſat ratio primaria legis : ergo tunc casùs non ceſſat eius obligatio adhùc reſpectu illius particularis. Mai. patet ; quia omnis actus pendet à ſolo obiecto , vèl ratione primaria, ita ut ſubſiſtat deficiente ſecundaria. Prob. min. : motivum , vèl ratio primaria legis eſt bonum commune , directio Communitatis , uniformitas operandi in materia ſimili , evitatio periculi generalis , &c. ; ſed hæc ratio non deficit , quàmvis in aliquo caſu , vèl ſubiecto particulari ceſſet negativè finis legis , ut per ſe patet : ergo. Tertia pars concluſ. conſtat ex dictis in quæſt. 6. huius diſput. num. 26.

6 Arg. 1. contra 1. concluſ. : tum , quia eadem videtur eſſe ratio , & proportio totius ad totum , ac partis ad partem ; ſed ceſſante tantum negativè fine legis in particulari , non ceſſat reſpectu illius obligatio legis : ergo nec ceſſante in generali tota lex perit. Tùm , quia ceſſante negativè ratione adæquata legis adhùc in generali , non conſtat ſtatim ceſſare voluntatem Principis : ergo nec ceſſat obligatio legis , quæ ab illa obtinet ſuam efficacitatem. Prob. antec. : voluntas Legiſlatoris poteſt pluribus rationibus moveri , & poteſt non omnes , ſed præcipuam , vèl notiorem exprimere , quæ videatur , non tamèn ſit ratio adæquata legis ; vèl poteſt antea una ratione moveri , & poſteà alia continuari , ut diximus de tributis : ergo. Tùm denique , quia quandò finis legis ceſſat tantum negativè, adhùc poteſt ſine peccato ſervari , & videtur eſſe obligatio ad eius obſervationem ; quia contra debitum ordinem eſt, ut lex à ſuperiore poſita non ſervetur ſine conſenſu illius, dùm licite , & facile ſervari poteſt ; & aliàs nimia licentia daretur populo , unde ſcandala , perturbationes , vèl fraudes oriri poſſent in ipſo : ergo ceſſante negativè fine adæquato legis adhùc in generali , non ceſſat obligatio legis

ipſo

ipſo facto, & ſine declaratione Principis.

7 Ad 1. in arg. propoſitum reſp. neg. mai. in ſenſu argum.; quia cùm lex primo, & per ſe reſpiciat utilitatem ad bonum commune, ac totius Communitatis directionem, & ad id quod frequentius accidit; non autem ad utilitatem, vel directionem particularis, nèc ad id quod per accidens, & aliquandò contingit; ideò non eſt eadem ratio, nèc proportio totius ad totum, ac partis ad partem quoàd ceſſationem legis per defectum negativum finis, nàm quādò iſte prædicto modo ceſſat generalitèr, & reſpectu totius, vèl maioris partis Communitatis, ceſſat ratio primaria, ac proindè lex, & obligatio eiuſdem; ſecùs verò quandò tali modo ceſſat eius finis reſpectu alicuius præciſè particularis. Ad 2. de voluntate Principis diſt. antec.: ceſſante negativè ſine adæquato legis in generali, non conſtat ſtatim ceſſare voluntatem illicitam, iniuſtā, & inefficacē qualis non eſt præſumenda in Principe, nèc ſufficit ad inducendam obligationem, & conſtituendam veram legem, conc.; non conſtat ſtatim ceſſare voluntatem licitam, iuſtam, & efficacem ad inducendam obligationem, uti præſumi debet in Principe, neg. antec.; ad cuius probat. dicimus, quòd ſi velit Princeps obligare ad eundem actum propter rationem novam, vèl antea non expreſſam, debebit aliam legem ferre, ſeù illam voluntem cùm nova ratione promulgare; nàm aliàs non poterunt ſubditi obligare ex vi prioris legis.

8 Ad 3. dicimus, quòd quamvis illa lex poſſet licitè ſervari, non tamèn ſub obligatione, quia contra debitū ordinem non eſt, quòd lex reddita inutilis, & vana, non ſervetur ſine conſenſu declarativo, aùt revocativo ſuperioris, cùm neceſsitas, vèl utilitas ſit de ratione legis; nèc nimia licentia daretur populo in non ſervando legem, de cuius ceſſatione publice, & evidentèr conſtet per evidentiam facti generalitèr notā in illa Republica, ſeù Communitate; neque ex tali non obſervatione legis, quę iàm evidenter, & publice ceſſavit, poſſunt ſequi moralia incommoda, ſicut non timentur ex eo, quòd non ſervetur lex evidentèr, & publicè iniuſta; imo ex contraria obligatione ſequerentur maiora.

9 Arg. 2. contra 2. part. conclus. 2.: iuxta commune Iuris axioma, *ceſſante cauſa, ceſſant effectus*: ergo ceſſante

negativè cauſa, ſeù fine legis in particulari, reſpectu illius ceſſat obligatio legis. Conf.: ita ſe habet lex in univerſali ad cauſam generalem reſpectu omnium, ſicut lex in particulari ad cauſam ſpecialem reſpectu perſonæ ſingularis; ſed quandò cauſa legis ceſſat univerſalitèr, ceſſat obligatio legis reſpectu omnium: ergo etiam quandò ceſſat cauſa legis in particulari, ceſſat obligatio legis reſpectu particularis perſonæ. Urg.: ſi conderetur lex obligans totum Regnum, vèl totum Epiſcopatum, & finis legis ceſſaret in una Civitate, ibi ceſſaret obligatio legis: ergo quamvis lex obliget omnes ſubditos, ſi eius finis ceſſet in uno, in eo etiam ceſſabit obligatio.

10 Ad arg. explic. axioma: *ceſſante cauſa* adæquata, vèl etiam inadæquata primaria, & per ſe, *ceſſat effectus*, conc.; ceſſante tantum cauſa inadæquata ſecundaria, & per accidens, neg. antec., & conſeq.; quia unicè bonum commune, & directio, àc uniformitas Communitatis eſt cauſa per ſe, & primaria legis; bonum autèm particulare, & directio ſingularis perſonæ eſt cauſa tantùm ſecundaria, & per accidens. Ad conf. neg. mai.; quia eſt maxima differentia inter cauſam univerſalem legis reſpectu omnium, & cauſam ſpecialem eius reſpectu alicuius, vèl ſingulorum, ut conſtat ex reſponſ. ad argum., & ex dictis ad 1. propoſitum in primò argum.. Ad arg. admiſſo antec., neg. conſeq.; quia lex in caſu antecedentis eſſet virtualitèr multiplex, reſpiciens plures Communitates perfectas; unde ſi ceſſaret finis reſpectu unius communitatis, ceſſaret generaliter finis adæquatus illius legis, in quantùm reſpicit talem communitatem. Attamèn in caſu conſequentiæ lex non poteſt dici virtualiter multiplex, quia relate ad perſonam privatam non obtinet rationem legis quæ neceſſario communitatem reſpicit, nec reſpectu particularis perſonæ poteſt dici, quòd generaliter, aùt univerſalitèr ceſſet finis legis.

SECTIO. II.

An, & quomodo lex humana ceſſet per eius abrogationem, àc derogationem?

11 SUppoſitò ex dictis diſp. 2. quæſt. 4. num. 4., quòd abrogare legem eſt eam in totum tollere; derogare autèm eſt illam tollere ex aliqua parte, & quia illud poteſt fieri vel per Principis diſpoſitionem, vel per con-

conſuetudinem ; hìc ſolum agimus de abrogatione , àc derogatione facta à Principe ; nàm de ea , quæ fit per conſuetudinem , loquemur infra. Abrogatio autem poteſt fieri à Principe, vèl per ſimplicem revocationem legis ; vèl per conſtitutionem legis novæ repugnantis antiquæ, nàm ſi lex poſterior priori repugnat , deſtruit illam , ſiquidem poſterior voluntas Principis tollit priorem illi repugnantem , iuxta Leg. *Sed poſteriores* ff. *de Legibus.* Tùm tamen abrogatio legis antiquæ , dùm non adſit expreſſa revocatio eiuſdem, reſtringenda eſt quantum fieri poſsit; quia communitèr odioſa eſt , & de ſe nociva Reipublicæ , niſi neceſsitas , vèl maior utilitas poſtulet abrogationem ; quare tales leges quantùm fieri poſsit, ſunt inter ſe conciliandæ , & concordia prę ferenda abrogationi. Hoc ſuppoſito.

12 Dicimus 1.: leges humanæ poſſunt derogari , & abrogari valide,& iuxte, ita ut earum obligatio ceſſet in totum , vèl in partem. Ita communitèr Theologi , & Iuriſtę. Prob. 1.: Deus , qui immutabilis eſt , abrogavit legem Veterem , & Novam conſtituit, propter hominum , & temporum mutationem : ergo multo magis Legiſlatores humani, qui mutabiles ſunt , poterunt valide , & iuſte leges ſuas derogare, vèl abrogare , propter rerum, & circunſtantiarum viciſitudines illud exigentes. Prob. 2. : in lege humana inveniuntur omnia principia mutationis,vèl deſitionis per abrogationem , vèl derogatione m: ergo.Prob. antec.: eius autho t proximus, nempè ſuperior humanus , eſt mutabilis, & in intellectu , qui paulatim cognitionem acquirit , & in voluntate , quæ vanabilis eſt: deinde actiones, circa quas proximè verſantur leges humanę, ſunt mutabiles , quia nèc ſunt intrinſecè malę , neque ità per ſe bonæ , ut ſint omninò neceſſariæ ad morum honeſtatem; & ideò lex humana non eſt immutabilis ex hoc capite ſicut lex naturæ : aliunde etiàm quoàd utilitatem poſſunt variari tales actiones per temporum mutationem ; nàm quæ in uno tempore expediunt,in alio fiunt inutiles , aùt nimis graves : denique ex parte ſubiectorum , quibus tales leges imponuntur , habet locum illa mutatio; quia etiàm ipſi homines ſunt mutabiles , & propter morum, àc aliarum rerum mutationem , nùnc expediunt leges , quæ anteà non expediebant ipſis : ergo.

13 Dicimus 2.: ad validam abrogationem , vèl derogatio-

nem legis, requiritur poteſtas legiſlativa, & voluntas auferendi illam. Eſt etiam commune. Prob.: *res per quas cauſas naſcitur, per eaſdem diſſolvitur*, ut ex regula juris eſt manifeſtum; ſed poteſtas, & voluntas Legiſlatoris ſunt cauſæ, ſeù principia, à quibus pendet lex, àc eius obligatio: ergo per ea poteſt diſſolvi, ſeù eadem requiruntur ad eius validam abrogationem. Pro cuius declaratione: Dicimus 3. ipſe Legiſlator, eius ſucceſor, àc ſuperior legitimus, poſſunt abrogare ſuas proprias leges, & ſui Anteceſſoris, àc Inferioris; nullus autèm Inferior poteſt abrogare legem ſui ſuperioris, niſi ab illo habeat delegatam poteſtatem. De ipſo Legiſlatore patet ex probat. aſſert. præcedentis. De Succeſſore conſtat; quia æqualem juriſdictionem obtinet cùm Prædeceſſore, & quia par in parem non habet imperium, ideò unus non potuit ligare alium, ne abrogaret leges latas ab illo. De Superiore etiàm patet; quia ſicut Inferior ſubditur, & ſubordinatur Superiori, ita quælibet eius poteſtas ſubditur ipſi; & per quandam eminentiam poteſt Superior quidquid poteſt Inferior, unde ſicut iſte poteſt revocare legem à ſe latam, ita Superior poterit revocare illam; quod quidem poſtulat rectus gubernationis ordo, ut Inferior ſit Superiori perfectè ſubiectus. De Inferiore denique eſt manifeſtum; quia ipſe nullum jus, aùt poteſtatem habet in Superiorem, àc proindè nèc in eius conſtitutiones, aùt leges; niſi iſte ſuam poteſtatem illi delegaverit, prout poteſt.

14 Ex quibus infertur, Summum Pontificem poſſe abrogare leges Concilij Generalis, iſtud verò non poſſe abrogare leges Pontificis; quia Pontifex eſt ſuperior Concilio Generali, & habet poteſtatem immediatè à Chriſto D., ei que tanquam ſupremo Paſtori ſunt ſubiecti omnes cæteri ut oves, ex inſtitutione ipſius Chriſti. Itèm poteſt Concilium Nàtionale, àc Provinciale abrogare leges Archiepiſcopi, & Epiſcopi; quilibet autem ex iſtis nequit illius leges abrogare, quia Concilium Nationale, & Provinciale, compoſitum ex Prælatis votum deciſivũ habentibus, eſt ſupra Archiepiſcopum, & quemlibet coepiſcoporum. Synodus autem Diœceſana nequit abrogare leges, & ſtatuta Epiſcopi, iſte verò poteſt leges illius abrogare; quia Clerici, in tali Synodo congregati, non alitèr concurrunt, quàm conſultivè ad condendam legem, quæ à ſolo Epiſcopo, tanquàm unico

Le-

Legiſlatore, vim obligativam obtinet.

15 Circa abrogationem autèm legis latę ab Inferiori, & ab eius Superiori confirmatæ; àn ſcil. poſsit eam abrogare ipſe Inferior, qui illam condidit? Variant A.A.. Nos vero cùm Averſa, Suarez, & alijs ſub diſtinctione reſp., nempè quòd ſi confirmatio illa ſit eſſentialis, & veluti forma dans eſſe legi, ut quandò Inferior non habet poteſtatem ferendi leges, quæ habeant vim obligandi, niſi priùs confirmentur à Superiore; vel quandò in verbis confirmationis eſt aliqua particula denotans Superiorē propria authoritate legem de novo ſtatuere, aùt illam non debere immutari; tùnc Inferior nequit illam abrogare ſine beneplacito, & confirmatione Superioris. Si autèm confirmatio ſit tantùm accidentalis, ut quandò Inferior habet poteſtatem ferendi veram legem, quæ à ſolo ipſo habeat vim obligandi, & confirmatio ſolùm petitur, àc datur ad maiorem ſolemnitatem, ſeù authoritatem, tùnc Inferior ſe ſolo poteſt illam abrogare. Ratio 1. partis eſt; quia tùnc lex illa eſt verè lata a Superiore; atquè adeò niſi authoritate ipſius nequit revocari. Ratio verò 2. eſt; quia illa eſt verè lex inferioris, & confirmatio ſolum addit quandam ſolemnitatem accidentalem, quæ relinquit legem in ſua ſpecie legis latæ ab inferiori poteſtate; & ideò ab ea ſola poterit revocari.

16 Dicimus 3.: lex non debet abrogari ex mero Principis arbitrio, ſed ex iuſta, & rationabili cauſa, nempè ex neceſsitate, vèl maiori utilitate Reipublicæ. Eſt commune Theologorum, & Iuriſtarum, & habetur in Iure Canon. cap. *Alma* Mater, & Iure Civ. Leg. 2. ff. de conſtit. Princip.. Prob.: Tùm, nè contemnantur leges frequēti mutatione. Tùm, quia facilius obſervantur leges antiquæ, quę ſunt conſuetudine firmatæ. Tùm, quia ſicùt lex non debet poni niſi propter bonum commune, ità nèc auferri: ergo. Dicimus 4.: abrogatio legis facta ſine iuſta cauſa eſſet valida, quamvis non licita, nèc iuſta. Eſt etiam ſatis commune. Prob.: lex humana habet vim obligandi à voluntate Legiſlatoris: ergo ipſa revocata, ſeù ceſſante, quamvis iniuſtè, & illicitè, ceſſat obligatio legis.

17 Dices contra 1. & 3. aſſert.: lex abroganda vel ſupponitur iniuſta, & inutilis vel utilis, & iuſta; ſi primum ceſſat ipſo facto, & ſine declaratione Principis, ut conſ-

tat

tat ex ſect. preced.; ſi ſecundum, erit iniqua, & iniuſta abrogatio: ergo vèl non eſt poſsibilis abrogatio legis, vèl poteſt fieri ſine cauſa iuſta, & rationabili. Reſp. quod lex abroganda debet priùs ſupponi vera lex, àc proindè iuſta, rationabilis, & utilis; nec ut abrogetur, debet reddi ſimpliciter, & abſolutè iniuſta, vèl prorsùs inutilis, nàm tùnc ceſſaret ipſo facto, & ſine declaratione Principis; ſed unicè debet reputari ſecundum quid, & comparativè iniuſta, ſeu minùs iuſta, expediens, & utilis, ſivè quòd maior convenientia ex eius revocatione ſperetur, quàm ex permanentia illius; & hæc minor utilitas legis eſt ſufficiens, & iuſta cauſa ad eius revocationem, non verò ad hoc ut ceſſet ipſo facto, & ſine revocatione Principis per quod patet ſolutio in forma ad argum..

18 Dices contra 4. aſſert.: voluntas ferendi legem ſine iuſta cauſa non facit legem veram; licèt ex parte Legiſlatoris abſoluta ſit, quia non poteſt quidquid vult: ergo ſimilitèr voluntas auferendi, ſeù abrogandi legem ſinè iuſta cauſa non tollet illam, nec ſubditos deobligavit à lege ſervanda. Reſp. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia ad ponendum aliquem effectum requiritur concurſus omnium conditionum, ad deſtruendum verò, vèl auferendum illum, ſufficit defectus unius; quarè ut conſtituatur lex valida, & vera, prætèr voluntatem Principis requiritur cauſa iuſta, & materia obligationis capax: attamèn ut deſtruatur, ſeù abrogetur validè, ſufficit voluntas Principis; quia materia per ſe, & intrinſecè non inducit obligationem legis humanæ, quę eſt contingens, & dependens à libera voluntate Legiſlatoris, atque adeò ſola iſta deficiente ceſſat obligatio legis.

19 Dicimus 5. quandò lex abrogatur, non requiritur talis ſolemnis intimatio abrogationis, qualis ad conſtitutionem, ſeu actualem obligationem legis; requiritur tamen publicatio ſufficiens, ut revocatio Legiſlatoris aliquomodo manifeſtetur Subditis. Ità N.N. Maſtrius, & Panger, contrà alios diverſimodè opinantes. Ratio 1. partis eſt; quia, ut diximus, plùs requiritur ad ſtatuendam legem, & imponendam obligationem, quàm ad eam auferendam; quarè licèt ad conſtitutionem legis, vèl ad inducendam eius obligationem requiratur intimatio ſolemnis, non autem ad eius ablationem, vel abrogationem. Ratio 2. partis eſt;

tùm

tùm ; quia lex ſemèl publicata ſempèr viget, & ſubditi illa adſtringuntur, donèc revocatio eis manifeſtetur. Tùm quia rectus gubernandi modus expoſcit, ut Princeps revocationem ſuæ legis ſubditis aliquomodo externè manifeſtet, nè ſcandala, & publica incommoda oriantur, dùm unus ſervat legem, alijs impunè illam non ſervantibus.

SECTIO III.

Quomodò lex humana ceſſet per diſpenſationem ?

20 EX dictis diſp. 2. quæſt. 4. num. 5. & 12. ſatis conſtat, quòd propria, & formalis diſpenſatio eſt relaxatio juris, ſeù obligationis legis pro aliqua perſona, vèl caſu particulari, facta ab habente legitimam poteſtatem, manente legis vigore ex parte materiæ, & reſpectu communitatis: in quo planè differt ab abrogatione, & derogatione, quæ ſunt ablatio legis ex toto, vel ex parte reſpectu totius communitatis. Et quidem legem humanam poſſe ceſſare per diſpenſationem factam à Superiore legitimo, ſupponimus tanquàm certum; nàm ſicùt illa per voluntatem legitimã ſuperioris inducitur, ita poterit diſpenſari ab ipſo; & ſicùt ex rationabili cauſa poterit Legiſlator ſuam legem totaliter, vèl partialitèr revocare, & ſic omnes ſubditos ab eius obligatione liberare, multò meliùs poterit unum tatùm eximere, quod eſt cum ipſo diſpenſare. Inſuper certum eſt, Legiſlatorem ipſum, & eius ſucceſorem, ac ſuperiorem ipſius poſſe in legibus cùm ſuis ſubditis diſpenſare, ut conſtat ex dictis de abrogatione. His ſuppoſitis tanquàm certis, reſtant non millę difficultates enodandæ per aſſert. ſequentes.

21 Aſſerimus 1. ſuperior poteſt ſecum directè diſpenſare in legibus, in quibus poteſt cum ſuis ſubditis. Ita Suarez, Holzmann, Panger, & alij. Prob.: diſpenſatio eſt actus juriſdictionis voluntariæ, non contentioſæ, vèl coactivæ; ſed ad actum talis juriſdictionis, ſaltèm ſemper, & ex natura rei, non requiritur diſtinctio perſonarum, nempè dantis, & accipientis, ut patet in concedente indulgentias, qui ſibi poteſt applicare illas; cùm ipſe non ſit deterioris conditionis, quàm alij: ergo. Conf. 1. ſupremus Princeps poteſt diſtribuere bona communia inter membra communitatis, comprehendẽdo etiam ſe ipſum; & ita ipſe tributa ſibi ſolvenda imponit, prout

ratio

ratio iuſtitiæ exigit; ſed diſpenſatio in lege eſt quaſi bonum commune diſtribuendum, ſeù aplicandũ membris, prout expedierit: ergo non minùs poteſt ſuperior hoc facere circa ſe ipſum, quàm circà alios.

22 Conf. 2. Princeps ſe ipſum ligat ſua lege: ergo multò meliùs poteſt ſe ſolvere. Prob. conſeq.: ligare magis ſpectat ad juriſdictionem involuntariam, & coactivam; at que adeò nequit ſe ipſum immediatè, & (ut ità dicamus) privatim, & directè per ſuam legem ligare, ſed ſolùm concomitanter cum communitate, cui legem imponit, & id non ſola voluntate proptia, ſed adminiculo juris naturalis; ſolvere autem poteſt ſe ipſum directè, & privatim, quia diſpenſatio, & eſt actus, qui per ſe exercetur erga particularem perſonam, & eſt juriſdictionis voluntariæ: ergo ſi poteſt ſe ipſum indirecte ligare, meliùs poteſt ſe ipſum immediatè eximere ex iuſta cauſa ab obligatione ſuæ legis.

23 Dices 1. actus juriſdictionis ex ſui ratione petit exerceri à ſuperiore erga ſubditum: ergo diſpenſatio, quæ actus juriſdictionis eſt, nequit exerceri à ſuperiore erga ſe ipſum. Conf.: nemo poteſt in cauſa propria eſſe ſui iudex; ſed diſpenſare eſt actus iudicis; cùm debeat ſupponere cognitionem cauſæ, propter quam diſpenſet: ergo. Ad arg. diſt. antec. actus juriſdictionis involuntariæ debet exerceri à ſuperiore erga ſubditum, conc. antec.; actus juriſdictionis voluntariæ, neg. antec., & conſeq.; quia diſpenſatio eſt actus voluntariæ juriſdictionis. Ad conf. diſt. mai.: nemo poteſt eſſe ſui Iudex quoàd vim coactivam, vel ferendo ſententiam, per quam dicitur jus inter partes, conc. mai.; quoàd vim directivam, maximè voluntariam, neg. mai.; & ſimiliter diſtincta min.; neg. conſeq..

24 Dices 2.: actus juriſdictionis etiam voluntariæ requirit diſtinctionem perſonarum: ergo nullus Superior poteſt diſpenſare ſecum. Prob. antec.: in cap. fin. *de inſtitut* dicitur, quod is, qui beneficium conferre poteſt, nequit ſe ipſum inſtituere; & ſubditur ratio, quod *inter dantem, & accipientem debeat eſſe diſtinctio perſonalis*; ac; ſimiliter diſponitur in alijs locis utriuſque Iuris, in quibus agitur de actu juriſdictionis voluntariæ: ergo. Conf. 1.: Superior non poteſt ſe ipſum abſolvere à cenſuris: ergo nec ſecum diſpenſare in legibus. Conf. 2.: nemo poteſt ſecum ipſo diſpẽſare in

irregularitate, licèt in ea poſsit diſpenſare cùm ſuis ſubditis: ergo nec in lege.

25 Ad arg. diſt. antec.: actus juriſdictionis voluntariæ, aliquandò, ſeù dùm Ius poſitivum Eccleſiaſticum, vèl civile ità diſponit, requirit diſtinctionem perſonarum, conc. antec.; ſemper, generalitèr, in omni materia, & quando Ius non ita diſponit particulariter in aliqua, neg. antec.; ad cuius probat. concedimus, quòd in mareria beneficiorum, & in alijs, in quibus propter cavendà incommoda eſt illud ſpecialiter diſpoſitum, requiritur diſtinctio perſonarum; ſecùs verò quandò non adeſt talis diſpoſitio Iuris, proùt evenit in diſpenſatione Ad 1. confirmat. conceſ. antec.; neg. conſeq.; quia abſolutio eſt quædam ſententia, & actus juriſdictionis contentioſæ, quã nemo erga ſe ipſum exercere valet, cùm nemo poſsit à ſe ipſo cogi, ſententiari, abſolvi, vèl condemnari. Diſpenſatio autèm eſt actus juriſdictionis voluntariæ, quæ non neceſſario requirit realem perſonarum diſtinctionem, ut patet ex dictis. Ad 2. conf. diſt. antec.: nemo poteſt ſecum diſpenſare impropriè, ſeù potiùs abſolvere in irregularitate incurſa per ſententiam Iudicis, quæ tollitur etiàm per ſententiam abſolutoriam, procedentem à poteſtate coactiva, conc. antec.; nequit ſecum diſpenſare proprie in irregularitate incurſa ipſo jure, quę licet originem traxerit à poteſtate, & juriſdictione coactiva, tamèn tollitur per poteſtatem directivam, & juriſdictionem voluntariam, neg. antec.; & conſeq..

26 Dices 3. Legiſlator ſua lege tenetur indirectè ſolùm: ergo dùm in ea diſpenſat ſecum, exercet diſpenſationem indirectam tantùm. Reſp. conceſ. antec.: neg. conſeq.; nàm illa diſpenſatio eſt directa, quæ per ſe primò relaxat legis obligationem, ſivè directam, ſivè indirectam; & illa diſpenſatio eſt indirecta, quæ legis obligationem, etiam directam, relaxat conſecutivè ſolùm, ſeù ad ablationem alterius, quod per ſe primò tollit. Legiſlator igitur, dùm ſecum diſpenſat in ſua lege, per ſe primò relaxat obligationem talis legis, & conſecutivè obligationem legis naturalis; quare in iſta ſolum indirecte diſpenſat, directè verò in illa.

27 Aſſerimus 2. Inferior vi ſuæ poteſtatis ordinariæ nequit diſpenſare in lege ſuperio-

rioris, niſi in caſibus expreſsè, vèl tacitè conceſsis. Eſt ſententia communior, & media inter negantem abſolutè Inferiorem ex vi ſui muneris poſſe diſpenſare in aliqua lege ſuperioris, ſed unicè per poteſtatem delegatam, & peculiarem conceſsionem expreſſam; ac inter abſolutè affirmantem, Inferiorem ex vi ſui muneris poſſe diſpenſare quamlibet legem ſuperioris, ſemper ac ſpecialiter non prohibetur, ſeu diſpenſatio ſoli ſuperiori non reſervatur. Prob. 1. pars. primo: in clementina, *Ne Romani*, de lect., & in cap. *Cùm inferior*, *de Maiorit.*, *& obed.*, ac in alis locis deciditur, quod inferior non poſsit tollere, vel mutare juſſa, ſeù leges ſuperioris, & explicatur *abrogando*, *diſpenſando*, &c: ergò Inferior ex vi ſui muneris nequit univerſaliter diſpenſare in lege ſuperioris, etiamſi hoc ſpecialiter non reſervetur ipſi, aùt prohibeatur illi.

28 Prob. ſecundò eadem pars: Inferior non poteſt revocare, vèl impedire voluntatem ſuperioris, non ſolùm iſto invito, ſed etiam poſitivè non conſentiente: ergo nequit diſpenſare in eius lege propter ſolam non prohibitionem ſpecialem, ſed neceſſaria eſt poſitiva conceſsio per voluntatem expreſſam, vèl ſaltèm tacitam, & aliquo modo ſufficienti ſignificatam. Antec. patet, tùm ratione phyſica, quia virtus inferior nequit impedire ſuperiorem; tùm ratione morali, quia rectus ordo gubernationis expoſcit, ut voluntas ſuperioris prævaleat cõtra voluntatẽ Inferioris, niſi ſuperior ipſe cedat. Conſeq. eſt clara; quia diſpenſatio aufert voluntatẽ ſuperioris, ſeù impedit eius effectum in materia, ſeù caſu particulari. Conf.: diſpenſatio eſt actus juriſdictionis; ſed Inferior, prout ſic, non habet juriſdictionem circa legem ſuperioris, nèc circa perſonas prout formaliter ipſi ſubiectas: ergo Inferior non habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi in lege ſuperioris, ſemper ac hoc ſpecialiter illi non prohibetur, ſeù quin ei aliquo modo poſitivè concedatur.

29 Prob. 2. pars aſſert.: rectus ordo gubernationis poſtulat, ut Inferior ex vi ſui muneris, ſeù poteſtatis ordinariæ, & annexæ ipſi, habeat juriſdictionem diſpenſandi in lege ſuperioris in caſibus, nedum expreſsè, ſed etiam tacitè conceſsis: ergo habet poteſtatem ordinariam diſpenſandi in illis; quia eò ipsò quod juriſdictio eſt perpetuò conceſſa, & annexa muneri, ſeù dignitati, in ea manet radi-

cata

cata, & confertur cùm illa, àc relinquitur ordinaria, ut ait Suarez; vèl trahitur in ordinariam, ut inquit Sporer; vèl æquiparatur ordinariæ, ut loquitur Laimann. Prob. antec.: rectus ordo gubernationis poſtulat, ut nedùm quando in lege ſuperioris additur, quod in ea poſsit diſpenſari; ſed etiàm quandò nulla tali facta additione, verſatur lex circa materiam levem, & parvi momenti; vèl circa ea quæ frequenter occurrunt, & ſunt neceſſaria ad ordinarium regimen; vèl urgente gravi neceſsitate, in qua eſt valde difficilis recurſus ad ſuperiorem; vèl quando adeſt conſuetudo de eo quod Inferior diſpenſet; tùnc iſte conferat diſpenſationem, ex voluntate tacita ſuperioris, & iuxta rectam rationem ità interpretantē illius voluntatem: ergo.

30 Antec. quoàd 1. part. conſtat; tùm, quia cùm per ſe pateat, legem ſuperioris eſſe ab ipſomet diſpenſabilem, ſuperflua eſſet illa additio, quod *in ea poſsit diſpenſari*, ſi hoc non concederetur inferiori; tum, quia amplè eſt interpretanda poteſtas diſpenſandi. Secunda, & tertia pars etiam conſtat; quia nimis rigidum, vèl oneroſum, tàm ſubditis, quàm ſuperiori, eſſet ad ipſam recurrere pro minimis, aùt frequenter occurrentibus, & neceſſarijs ad ordinarium regimen. Ex quo etiàm patet 4. pars. illius antec., nempè quod in caſibus extraordinarijs, quandò neceſsitas revera magna eſt, & periculum in mora, aùt impotentia adeundi ad ſuperiorem, tùnc enim ex rationabili interpretatione ſuę voluntatis cenſetur Inferior habere poteſtatem diſpenſandi. Quinta denique pars conſtat; quia conſuetudo eſt optima legum interpres, & ea ſufficit ad acquirendam juriſdictionem. Ex quibus generaliter patent caſus, in quibus Inferior poteſt ordinariè diſpenſare legem ſuperioris.

31 Dices 1. in cap. *Nuper, de ſent. Excom.* Innocentius III. decernit, ab Epiſcopo abſolvendum eſſe illum, qui Papalem excommunicationem non reſervatam incurrerat, & aſsignat rationem, quæ eſt etiã communis cùm diſpenſatione: *Quia conditor Canonis, cùm eius abſolutionem ſibi ſpecialitèr non retinuit, eò ipsò conceſsiſſe videtur facultatem alijs relaxandi.* Unde Gloſſa V. non *retinuit*, inquit: *Et eſt hic articulus, Epiſcopos poſſe diſpenſare, ubi diſpenſatio ſpecialitèr non eſt inhibita*: ergo univerſalitèr; ubi ſpecialis inhibitio non eſt, Inferior ex vi

muneris poteſt diſpenſare in lege ſuperioris. Reſp., quòd in illo cap. agitur de abſolutione à cenſuris, de quibus eſt longe diverſa ratio, ac de diſpenſatione legis; tùm, quia poteſtas abſolvendi à caſibus, & cenſuris non reſervatis conceditur abſolute, cùm talis abſolutio non ſit contrà, aùt præter, ſed ſecundum jus, & legem ſuperioris, à quo præcipitur ut ritè diſpoſitus abſolvatur; diſpenſatio verò eſt contrà jus, nàm eo ipſo quod ſuperior per ſuam legem præſcribit, aut prohibet aliquid particulare, excipit illud ab ordinaria juriſdictione Inferioris, & ideò iſte ſine illius conceſsione, ſaltem tacita nequit in eo diſpenſare. Tùm, quia abſolutio ordinatur ad bonum animæ, & tollit vinculum impediens bonum ejuſdem, & ideò merito conceſſa intelligitur, dùm non reſervatur; diſpenſatio non ità neceſſaria eſt, & tollit vinculum per ſe promovens hominem ad virtutem, uti eſt vinculum legis præſcribentis actum virtutis, aùt vitium prohibentis; atque ideò reſervata intelligitur, dùm ſaltèm tacitè non conceditur. Gloſſa autèm intelligenda eſt in caſibus expreſsè, vèl tacitè conceſsis, iuxta 2. part. noſtræ aſſert..

32 Dices 2. iuxta communiter axioma, Epiſcopus poteſt in ſua Diœceſi, quidquid Pontifex in Eccleſia univerſali, niſi per ſacros canones, aùt ab ipſo Papa ſit prohibitum illi: ergo poteſt diſpenſare in qualibet lege Pontificia, ſemper àc non ſit ſpecialiter reſervata. Reſp. explic. axioma: poteſt Epiſcopus in ſua Diœceſi, &c. quoàd ea quæ non ſunt conſtituta per legem Pontificiam, vèl pertinent ad gubernationem ordinariam, & moralitèr neceſſariam, aùt convenientem ad animarum ſalutem, conc.; etiàm quoàd illa, quæ ſunt ſtatuta per legem Pontificiam, & non pertinent ad talem gubernationem ordinariam, & moralitèr neceſſariam neg. axioma in hoc ſenſu; quia eò ipsò quòd Pontifex ſtatuit aliquam legem, vi eiuſdem prohibetur, & limitatur juriſdictio Inferioris, ut non poſsit circa illam ſe intromittere; niſi aliundè ei concedatur ſaltèm tacitè, eò quia ſit in his, quæ pertinent ad ordinariam, & moraliter neceſſariam gubernationem, iuxtà dicta probat. ſecundæ part. noſtræ aſſert.

33 Dices 3.: plus eſt diſpenſare in votis, & juramentis, quę ſpectant, vèl attingunt jus Divinum, quàm in legibus Superioris, quę merè pertinent ad humanum; ſed

Epiſ-

Epiſcopus poteſt cum ſuis ſubditis diſpenſare in votis, & juramentis non reſervatis Pontifici : ergo multò meliùs in eius lege. Conf. 1. : leges feſtorum, & ieiuniorum univerſalium ſunt Pontificiæ ; ſed in eis diſpenſant Epiſcopi, quia non ſunt reſervatæ : ergo in omnibus poterunt univerſalitèr. Conf. 2. : diſpenſatio in his legibus eſt unus ex actibus moralitèr neceſſarijs ad gubernationem populi : ergo Inferiori, cui hęc gubernatio committitur, conſequentèr datur talis poteſtas, niſi ſpecialitèr excipiatur, ſeù reſervetur. Conf. 3. Pontifex in aliquibus legibus ſibi expreſsè reſervat earum diſpenſationem; ſed hoc eſſet fruſtrà, ſi ex vi ſuæ inſtitutionis intelligeretur reſervata : ergo quia è contrà intelligitur conceſſa, ſemèl ac non ſit ſpecialitèr prohibita.

34 Ad arg. neg. mai. ; tùm, quia vota, & iuramenta communia, ſeù non reſervata, occurrunt frequentèr, & eorum diſpenſatio eſt neceſſaria ad rectam, & ſuavem gubernationem ordinariam, quæ nimis gravis, & difficilis redderetur, ſi frequens recurſus ad ſuperiorem foret neceſſarius ; quod non contingit in univerſali diſpenſatione legum. Tum, quia iuxtà aliquos, Prælatus diſpenſans in voto, non diſpenſat propriè in ipſo. Tùm, quia diſpenſat tantùm in lege privata, qua homo ſe Deo obligavit, & ideò ſolum tollit legem, quæ poſita fuit ab ipſo vovente, in cuius voluntatem Prælatus habet perfectã juriſdictionem. Ad 1. conf. ſimilitèr diſt. mai. : leges feſtorum, & ieiuniorum ſunt Pontificiæ, circa ea quæ frequenter occurrunt, & quarum diſpenſatio eſt neceſſaria ad ordinariam gubernationem, conc. mai. ; alitèr, neg. mai. ; & diſt. min. : in eis diſpenſant Epiſcopi, quia non ſunt reſervatæ, & aliàs earum diſpenſatio eſt tacite conceſſa ex prudenti interpretatione voluntatis Superioris proptèr talis diſpenſationis neceſsitatem, conc. min. ; quia non ſunt reſervatæ præciſe, neg. min., & conſeq..

35 Ad 2. conf. diſt. antec. : diſpenſatio in his legibus, procaſibus in quibus ſaltèm tacitè conceditur iuxta dicta in 2. parte noſtri aſſerti, eſt unus ex actibus moralitèr neceſſarijs ad rectam gubernationem, conc. ; generaliter, & pro quibuslibet caſibus, in quibus prę-cisè non adſit ſpecialis reſervatio, neg. antec., & conſeq. Ad 3. conf. conceſ. mai., neg. : quia licèt ex vi inſtitutionis legis Pontificiæ prohibeatur Inferiori poteſtas illã diſpenſandi; tamen Pontifex non fruſtrà aliquas

ſibi reſervat, tùm ut Inferior eò minus præſumat diſpenſare in illis propter ſpecialem reſervationem; tùm ut magis declaret efficatiam ſuæ voluntatis; tum, ut ſpecialitèr illas extrahat à poteſtate generali, quam forsàn aliquibus conceſsit.

36 Aſſerimus 3.: ad licitam, & iuſtam diſpenſationem, faciendam à quolibet Superiore, ſemper neceſſaria eſt iuſta cauſa, & proportionata legi diſpenſatæ. Ita communiter Theologi. Prob. 1.: Concil. Trid. ſeſſ. 25. in Decreto *de reformatione*, cap. 18. ait, quòd leges ſine iuſta cauſa diſpenſare, *nihil aliud eſt, quam unicuique ad leges tranſgrediendas aditum aperire.* Et infra: *Quod ſi urgens, iuſta que ratio, & maior quandoque utilitas poſtulaverit, cùm aliquibus diſpenſandum eſſe; id cauſa cognita, ac ſumma maturitate :: erit præſtandum*: ergo. Prob. 2. quilibet Superior, eſtò ſit author legum, non eſt abſolutus dominus, ſed diſpenſator illarum, ità ut tam in earum conſtitutione, quàm diſpenſatione, debeat ſe gerere ut fidelis diſpenſator, & prudens; ſed liberando quemlibet ſine iuſta cauſa ab obligatione legis, nèc prudenter; nèc fideliter diſpenſaret: ergo iniuſtè, & illicitè. Mai. conſtat; quia Superior non eſt abſolutus dominus communitatis ſibi ſubditæ, ſed paſtor, rector, & procurator eius communis boni. Prob. min. illa diſpenſatio non reſpiceret bonum commune, ſed affectum, & commodum particulare, cum perſonarum acceptione, & ſubditorum difformitate; ſed hoc eſt adminiſtrare infidelitèr, & imprudentèr: ergo.

37 Prob. 3. poteſtas legiſlativa, cuius actus eſt etiàm diſpenſatio legum, à Deo conceſſa eſt ſuperioribus in ædificationem, non in deſtructionem; iuxta Apoſt. in Epiſt. 1. ad cor. cap. 10.; ſed diſpenſare ſine iuſta cauſa foret in deſtructionem: ergo Prob. min.; talis diſpenſatio aperiret aditum ad leges tranſgrediendas, & præberet cauſam ad iurgia, & querelas ortas ex inæquali regimine, & perſonarum acceptatione: ergo. Quæ verò ſit cauſa iuſta, & rationabilis ad diſpenſandum in lege, dicunt Doctores communitèr, non poſſe certam, & generalem aſsignari, ſed prudenti arbitrio diſcernendum eſſe pro caſuum varietate, & materiæ gravitate maiori, vel minori; eſt etiàm communior ſententia; quòd in dubio ſpeculativo de iuſtitia cauſę ſuperior licitè diſpenſare poſsit; ità enim exigit ſuave regimen; né ſuperiores exponantur pluri-

bus

bus anxietatibus, & ſcrupulis. Circa peccatum verò quod committitur, quando lex ſine iuſta cauſa diſpenſatur, conveniunt illud eſſe, vel contra iuſtitiam diſtributivam, qua tenetur ſuperior rationabiliter; & uniformiter diſtribuere, & diſpenſare beneficia, àc onera communia; vèl contra iuſtitiam legalem, qua tenetur procurare bonum commune Reipublicę; vel contra ipſammet legem, quæ ſicùt obligat ad ſui obſervantiam, ita etiam ad hoc ut ſine cauſa non diſpenſetur in ea. Quoad qualitatem autèm talis peccati variant Doctores, quorum aliqui ſentiunt, eſſe per ſe peccatum mortale, alij verò dicunt, eſſe per ſe veniale. Nos tamèn cum Maſtrio, & alijs dicimus, id iudicandum eſſe ex qualitate legis, & diſpenſationis, iuxta capacitatem, àc gravitatem materiæ; atque alia huiuſmodi.

38 Dices 1. Gloſſa in Leg. *Relegati*, ff. *de pœnis*, ait: ſolam Principis voluntatem eſſe iuſtam cauſam diſpenſationis. Et in cap. *Cum noſtris, de conceſſ. prębendæ*, voluntas Pontificis comparatur iuſtę cauſæ: ergo ſufficit talis voluntas, ut diſpenſatio ſit licita, & iuſta. Conf.: Pontifex ſæpè diſpenſat ſcienter, & expreſsè, abſque intervention cauſæ; ſed non eſt prę-ſumendum, ipſum malè facere: ergo. Urg.: lex poſita eſt ex ſola voluntate ſuperioris: ergo per eandem abſque alia cauſa poteſt vèl auferri, vèl diſpenſari licite; quia ſicùt potuit illam non ponere, ità etiàm auferre.

39 Ad arg. explic. antec.: ſola Principis voluntas prudens, & rationabilis (qualis ibi ſupponitur, & ex jure prę-ſumitur) eſt cauſa iuſta; & iuſtæ cauſæ comparatur, conc. antec.; ſola volũtas imprudens, & irrationabilis (de qua ibi non eſt ſermo, nèc eſt præſumenda de illo), neg. antec., & conſeq.; quia ſine iuſtitia cauſæ non inducitur voluntas rationabilis, & prudens. Ad conf. diſt. mai.: Pontifex diſpenſat abſque cauſa intrinſeca ex parte materiæ, & præcedente ipſam diſpenſationem, conc. mai.; abſque omni cauſa, ſaltèm extrinſeca ex parte ſuperioris ad oſtendendam ſuã benignitatem, & miſericordiam in occaſióne opportuna; vèl ſine cauſa concomitante, & impoſita per ipſam diſpenſationem in aliqua ſatisfactione per pium opus, aùt in aliam communem Eccleſiæ utilitatem, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſeq.. Ad urgent. admiſſo antec. (quod poterat negari in ſenſu arg.; quia

poſitio legis non ita pendet ex ſola voluntate Legiſlatoris, ut non teneatur illam ponere, ſi adſit neceſsitas, vèl cauſa iuſta illam ponendi), neg. conſeq.; quia licèt ex ſola Principis voluntate pendeat poſitio legis, non tamèn exemptio ab eius obligatione; ſicut ex ſola Principis voluntate pendet, quòd lex ponatur, vèl non ponatur, non tamen quòd ſemèl poſita non obliget: ad modum quo in noſtra poteſtate eſt emittere votum, non tamèn ſervare, vèl non ſervare illud ſemèl emiſſum.

40 Dices 2. ubi adeſt iuſta cauſa, non eſt opus authoritate ſuperioris diſpenſantis: ergo ſine illa poteſt diſpenſatio concedi licitè. Prob. antec.: iuſta cauſa per ſe eximit ab obligatione legis, vèl ad ſummum erit neceſſaria interpretatio authentica ſuperioris declarantis, talem cauſam eſſe ſufficientem ad excuſandum à lege: ergo ſuperior tùnc casùs non tolleret obligationem, & conſequentèr non diſpenſaret, nèc eſſet opus eius diſpenſatione. Reſp. diſt. antec.: ubi adeſt cauſa iuſta per ſe ſufficiens ad excuſandum, ſeù eximendum à lege, vèl certo, vel ſub dubio, non eſt opus diſpenſatione, conc. antec.; ubi adeſt cauſa iuſta per ſe non excuſans, ſivè inſufficiens per ſe ad excuſandum, neg. antec.; ad cuius probat. diſt. antec.: iuſta cauſa per ſe reddens obſervantiam legis illicitam, & contrariam fini, ac intentioni Legiſlatoris, aùt omninò inutilem ad bonum commune, per ſe eximit ab obligatione legis, ſi ſit certa; vèl ſi ſit dubia, & dubium expelli non poſsit per doctrinam, aùt aliam diligentiam, ad ſummum erit neceſſaria interpretatio authentica ſuperioris, conc. antec.; quælibet cauſa iuſta, quæ nèc certò, nèc ſub dubio ita ſe habeat, neg. antec., & coſeq..

41 Aſſerimus 4. ut diſpenſatio præſtita ab Inferiori in lege ſuperioris ſit valida requiritur cauſa iuſta, & legitima. Eſt commune. Prob.: qui abſolutè tranſgreditur limites ſuæ poteſtatis, agit invalide; ut conſtat ex cap. 22. *de Reſcript.*, & ex Leg. 5. ff. *mandati*; ſed Inferior ſine iuſta cauſa diſpenſans in lege ſuperioris, abſolutè tranſgreditur limites ſuæ poteſtatis: ergo diſpenſat invalidè. Prob. min.: talis Inferior non habet poteſtatem diſpenſandi in lege ſuperioris, niſi quatenùs eſt illi conceſſa, ſaltèm tacitè; ſed veroſimile non eſt, quòd ſuperior ei conceſſerit poteſtatem diſpenſandi, niſi rationabilitèr, & prudenter; qualitèr nequit fieri

ſine

ſine iuſtitia cauſæ : ergo.

42 Aſſerimus 5.: valida eſt diſpenſatio ſuæ legis, vèl Inferioris, præſtita ſine iuſta cauſa à Superiore, ſciente, & volente ſine illa diſpenſare. Eſt communis Theologorum ſententia contrà aliquos Iuriſtas. Prob. 1. : lex tàm in fieri, quàm in conſervari pendet ex voluntate Legiſlatoris, à qua habet vim obligandi : ergo ſi ipſemet Legiſlator, vèl ſucceſor, aut Superior, velit etiàm ſine iuſta cauſa illam auferre reſpectu alicuius, ſeù eam diſpenſare, re ipſa ablata manebit, etſi aliàs Superior ita diſpenſando peccet ; nàm ut ait Gloſſa in Leg. *Relegatum*, ff. *de pœnis*, ut lex non obliget, eſt in Principe pro ratione voluntas, quia ab eius voluntate pendet lex, ſicùt in fieri, ità, & in conſervari. Conf. : ideò licèt Princeps peccet abrogando legem ſine cauſa, tamen ſubditi iam non obligantur illa, quia à voluntate Legiſlatoris pendet eius efficatia : ergo ſimiliter de diſpenſatione ſine cauſa iuſta.

43 Prob. 2. : ſi diſpenſatio non eſſet cum aliqua perſona particulari, ſed cum tota communitate pro una, vèl altera vice, diſpenſatio etiàm ſine cauſa iuſta valeret, eò quia eſſet ablatio præcepti pro tali occaſione : ergo idem dicendum eſt, ſi ſit diſpenſatio, ſeù ablatio præcepti pro tali perſona particulari. Prob. 3. : ſi Princeps ab initio tuliſſet legem, ab illa excipiendo aliquem particularem, ille nunquam eſſet obligatus lege, ſivè Legiſlator cùm iuſta cauſa, ſive ſine ipſa illum exceperit : ergo idem videtur, ſi ſemel poſita auferatur. Prob. 4. : valet abſolutio ab excommunicatione, quam ſine iuſta cauſa confert Author cenſuræ ; ut conſtat ex cap. *Venerabilis*, §. *ſanè* de ſent. excom. in 6. : ergo idem eſt de diſpenſatione legis ; nàm quoad hoc eſt par ratio de utraque.

44 Diximus, validam eſſe diſpenſationem legis ſine iuſta cauſa præſtitam à Superiore *ſciente, & volente ſine illa diſpenſare* ; nàm ſi diſpenſet ex ignorantia, ſeù errore orto ex falſa narratione cauſæ, quæ reverà non eſt, vèl ex reticentia alicuius veritatis, quam ſi ſciret, non diſpenſaret ; tùnc diſpenſatio eſt irrita, & nulla iuxtà omnes ; quia tùnc casùs deeſt voluntas diſpenſandi, quæ nequit eſſe ſine cognitione, ac proindè diſpenſatio eſt nullius momenti. Diſpenſatio autem, in cuius petitione reticetur veritas neceſſariò exprimēda, dicitur à Theologis, & Iuriſperitis *ſubreptitia* ; & illa, in cuius petitione exprimitur falſitas, qua cogni-

ta, negaretur diſpenſatio, dicitur *obreptitia* ſtrictè loquendo, & eſt nulla in utroque caſu; ſi tamèn in petitione diſpenſationis reticetur veritas, cuius expreſsio non eſt ſimpliciter neceſſaria ad illam obtinendam, vèl exprimitur falſitas, qua cognita adhùc diſpenſaretur, vèl diſpenſari rationabiliter poſſet, aùt etiam deberet; tùnc ad ſummum vocaretur diſpenſatio latè obreptitia, vèl ſubreptitia, & valeret, ſi foret obtenta.

45 Dices 1. ideò per nos diſpenſatio ſine iuſta cauſa valeret, quia lex tàm in conſervari, quàm in fieri pendet ex voluntate Legiſlatoris ſed ad ſtatuendam legem non ſufficit voluntas Legiſlatoris, ſed requiritur etiàm cauſa rationabilis ità ut ſine ipſa eſſet nulla: ergo ſimilitèr ad eam auferendam, vèl diſpenſandam. Conf.: talis diſpenſatio eſſet iniuſta, ut ex dictis conſtat: ergo ſemper eſt nulla. Prob. conſeq.: lex iniuſta non eſt lex: ergo nec diſpenſatio iniuſta eſt diſpenſatio vera, & valida; iuxta D. Bernardum lib. 3. de Conſid. cap. 4. in fine, ubi numeratis cauſis iuſtę diſpenſationis, ait: *Cùm nihil horum eſt, non planè diſpenſatio, ſed crudelis diſſipatio eſt.*

46 Ad arg. diſt. mai.: ideo &c., quia lex tàm in conſervari, quàm in fieri pendet ex voluntate Legiſlatoris, tanquàm cauſa neceſſaria ad utrũque, conc.; tanquàm cauſa totali, ſubd.: quantùm ad negativum utriuſque, nempè non faciendi, vèl non conſervandi, ſeù auferendi legem, conc.; quantùm ad poſitivum tàm faciendi, quàm conſervandi, neg. mai.; quia licèr ſola voluntas Legiſlatoris ſine cauſa rationabili non poſsit validè facere, nèc conſervare legem; tamèn ſicùt ſtante tali cauſa poteſt legem non facere, ità è converſo ſine cauſa iuſta poteſt illam non conſervare, ſeù auferre; ſiquidem ad poſitionem, & conſervationem effectus requiritur cauſa ſimùl cum conditionibus exactis ad agendum, & conſervandum; è contrà autèm ut non fiat, vèl non conſervetur, aut tollatur effectus, ſufficit quod deficiat ſola cauſa, à qua neceſſariò dependet fieri, & conſervari illius. Ad conf. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia multa iniuſtè fiunt, quæ tamèn facta tenent, ſeù valida ſunt, donec annullentur. Ad probat. conces. antec., neg. conſeq.; quia cùm lex inducat obligationem, & nemo poſsit ad iniuſtũ obligari, ideo lex iniuſta nõ eſt lex, d ſpenſatio autèm cùm ſit ablatio obligationis, quæ in lege humana eſt extrinſeca, & con-

tin-

tingens reſpectu materiæ, ideo poteſt iniuſtè, & validè fieri, ſi quidèm non obligat ad iniuſtum faciendum, ſed tantùm de obligat à faciendo iuſtum, quod non niſi dependenter à voluntate Principis habet eſſe obligatorium.

47 Dices 2. ſtat, quod in poteſtate voluntatis ſit ponere, vèl non ponere actum, & tamèn non ſit in eius poteſtate tollere effectum, ſeù obligationem illius; uti in noſtra voluntate eſt promittere, vèl non promittere, non verò tollere obligationem, quę eſt effectus promiſsionis: ergo licèt in voluntate Legiſlatoris humanis ſit ponere, vèl non ponere legem; non tamèn ipſam diſpenſare, vèl auferre, niſi ex cauſa iuſta, & rationabili, quæ ab illius obligatione excuſet. Conf.: licèt eſſe, vèl non eſſe legem pendeat abſolutè ex voluntate Legiſlatoris, ita ut in eius poteſtate ſit illam ponere, vèl non ponere, imò & poſitam auferre totalitèr; tamèn in eius poteſtate non eſt ponere, àc conſervare legem, ipſam non reſpicere totam communitatem, ſeù non obligare uniformitèr omnes, qui ſunt de communitate, & in quibus reperitur eadem cauſa, & ratio legis: ergo quamvis Legiſlator poſsit iniuſtè, & valide abrogare legem, non tamèn illam diſpenſare. Prob. antec.: tùm quia implicat velle obligare totam communitatem, quã lex per ſe primò reſpicit, & ſimùl velle non obligare, ſeù eximere aliquem de tali cõmunitate, in quo reperitur eadem ratio, vel cauſa iuſta legis. Tùm, quia læditur jus naturalè, ſi obligatio legis non comprehendat uniformiter omnes, in quibus reperitur cauſa æqualis: ergo. Urg.: ideò valet abſolutio cenſuræ conceſſa ſine iuſta cauſa, quia illa non verſatur erga communitatem, ſed circa particularem perſonam: ergo è contra invalida erit diſpenſatio iniuſta legis, quia lex verſatur erga communitatem.

48 Reſp. ad arg. diſt. antec.: ſtat, quòd in poteſtate voluntatis ſit ponere, vèl non ponere actum, quo ipſum ponens ſe obligat alteri, & tamèn non ſit in eius poteſtate tollere obligationem inducentem debitum ex fidèlitate, vèl iuſtitiæ commutative, ut contingit in promiſsione facta alteri, vèl in lege taxante pretium æquale rei, conc.; ſtat, quod in poteſtate voluntatis ſit ponere, vèl non ponere actum, quo ipſum ponens obligat alios, & tamèn non ſit in eius poteſtate tollere obligationem, cuius ablatio ſit unicè contra iuſtitiam diſtributivam,

vèl legalem, ut contingit in legibus regulariter neg. antec.; & conſeq..

49 Ad conſ. neg. antec. in ſenſu arg.; quia lex non eſt aliqua indiviſibilis regula, quæ, ſemèl poſita, neceſſariò, & quaſi naturaliter obliget omnes, & ſingulos diſtributivè ſine exceptione alicuius de communitate; quin potius utpote pendens à voluntate Legiſlatoris libera in obligando tam communitatem totam, quàm ſingulos de communitate, ideò eſt diviſibilis ex parte obiecti, & habet extenſionem, ratione cuius poteſt ſtatui, & permanere circa communitatẽ, ac excipi, ſeù eximi aliquis ab eius obligatione. Per quod patet ad 1. probat. antec., ad quã dicimus: non implicare, quod Legiſlator velit obligare communitatem, ſeù reliquos Reipublicæ, excipiendo aliquem, quamvis in eo militet eadem ratio legis, cuius obligatio non eſt neceſſaria, vèl naturalis, ſed contingens, & dependens à voluntate libera ipſius Legiſlatoris, qui licet ità diſpenſans agat iniuſtè, & aliquomodo ladat jus naturale, dictans æquitatem, & conformitatem ſubditorum, in quibus reperitur eadem ratio, tamen habet ſufficientem poteſtatem ad illud validè faciendum, quod quidem jure naturæ non irritatur; & ſic manet reſponſum ad 2. prob. antec.. Ad urgent. neg. antec.; ideo enim iniuſta abſolutio cenſuræ eſt valida, quia eſt conceſſa à ſuperiore qui ſua voluntate poteſt tollere, ſicut ponere illam, non autèm quia ſit actus verſans circa particularem perſonam.

50 Dices 3. omnis actus excedens limites poteſtatis eſt nullus, utpote ſine poteſtate factus; ſed diſpenſatio facta etiam à ſupremo Principe in propria lege excedit limites ipſius poteſtatis: ergo. Prob. min.: ſuperior diſpenſans etiàm in ſua lege non operatur ut dominus, ſed ut diſpenſator, & per poteſtatem acceptam, vèl immediatè à Deo, vèl à communitate; ſed data eſt illi talis poteſtas adſtricta legibus iuſtitiæ; potiori ratione quàm poteſtas diſpenſandi à Principe ſuperiore conceſſa Inferiori, qui diſpenſans ſine cauſa in lege ſuperioris excederet limites ſuæ poteſtatis: ergo. Conf. 1. illa diſpenſatio non redderet tutum diſpenſatum, ſi illi conſtet de defectu cauſæ; ſiquidem peccaret ſubditus utens tali diſpenſatione, ut ferè omnes fatentur: ergo non eſt valida talis diſpenſatio, quia aliàs tolleret obligationem legis, diſpenſatus non peccaret utpotè non violans legem.

Conf.

Conf. 2. ſi ſuperior poſſet ſine cauſa diſpenſare validè cùm ſubdito ipſius, multò magis ſecum; ſed hoc eſt falſum; quia alias ſuperior nunquam teneretur ſua lege; poſſet ſe eximere ſola ſua voluntate: ergo.

51 Ad arg. diſt. mai.: omnis actus abſolutè, & ſimpliciter excedens limites poteſtatis, eſt nullus, conc.; excedens tantùm ſecundum quid, ſeù quoàd debitum modum utendi poteſtate, ſeù illam adminiſtrandi, neg. mai.; & diſtincta ſimilitèr min.; ad eius probat. diſt. mai.: Superior diſpenſans non operatur ut dominus abſolutus deſpoticus, & omninò exemptus ab obligatione ſervandi modum debitum ad licitè diſpenſandum, conc.; non operatur ut dominus habens ſupremam reſpectivè poteſtatem gubernativam, & ſufficientem ad validè pro ſuo velle ſtatuendas leges, vèl revocandas, neg. mai.; & diſt. min.: data eſt illi talis poteſtas adſtricta legibus iuſtitiæ, quoàd debitum modum illam licitè adminiſtrandi etiam in diſpenſanda propria lege, conc.; adſtricta legibus iuſtitiæ abſolutè, & ſimpliciter, ita ut nèc valide poſsit illam alitèr exercere, ſeù ita ut leges condere, vèl revocare non ſit ſimplitèr pendens ex eius voluntate; nèc habeat talem poteſtatem aliter ac Inferior illam habet conceſſam à ſuo reſpectivè Superiore, neg. min., & conſeq.

52 Ad 1. conf. neg. antec.; quia (ut docet exim. Suarez cùm alijs) per ſe loquendo, & ſecluſo ſcandalo, non peccaret ſubditus utens tali diſpenſatione aliàs illicita ex parte diſpenſantis; nàm cùm reſpectu illius auferretur obligatio legis, non apparet unde redderetur illicitus uſus talis diſpenſationis, ſeù non obſervantia legis illum ampliùs non obligantis. Ad 2. conf. neg. mai.; quia cùm ſubditi obligentur per ſe, immediatè, & directè ipſa lege, & volùtate hominis, qui quacumque ex cauſa poteſt efficacitèr illam mutare reſpectu particularis perſonæ; ideò erga illos poteſt eſſe valida diſpenſatio ſine cauſa iuſta. At cùm Legiſlator eius officio, & dignitate ligetur altiori obligatione, quę per ſe, immediatè, & directe non provenit à ſua propria lege, nèc ab ipſius voluntate, ſed ex jure naturę, & ab eius Authore, ideo niſi auferat ſuam legem reſpectu cōmunitatis, nequit ſola ſua voluntate auferre à ſe obligationem, quæ in ipſo naturalitèr reſultat poſita tali lege, atque adeò nequit validè, & iniuſtè ſecum diſpenſare: ſicut ſi à principio vellet ſine iuſta cauſa

ſe eximere ab obligatione legis à ſe latæ, maneret nihilominùs obligatus ex vi legis naturæ. Poteſt autèm ex iuſta cauſa ſe eximere, & ſecum diſpenſare; quia id illi concedit jus naturæ, & in hoc non eſt peioris conditionis quàm ſubditi, & ita ſervatur magis debita proportio, & conformitas preſcripta à ratione naturali.

53 Aſſerimus 6.: diſpenſatio ſemèl impertita, & abſolutè collata, non ceſſat, quamvis ceſſet cauſa finalis antequàm illius effectus, & utilitas ſit executa. Ità N. Holzmann cùm alijs pluribus, contrà plures alios. Prob. 1.: *factum legitimè retractari non debet, licet caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari*, iuxta Regul. 73. *de Reg. Iuris* in 6.; ſed diſpenſatio fuit legitimè facta, ut ſuponitur: ergo ſemèl abſolutè conceſſa cum iuſta cauſa quamvis iſta ceſſet ante executionem diſpenſationis, iſta non debet ceſſare. Prob. 2. legitimè, & abſolutè diſpenſatus ita eximitur ab obligatione legis, ut hæc illum non adſtringat, niſi reproducatur per aliquam cauſam moraliter efficientem; ſed iſta non poteſt aſsignari in caſu præſenti: ergo. Prob. min.: talis cauſa foret voluntas diſpenſantis revocata, & non ſe extendens ad illud tempus, à quo non potuit inchoari ſine peccato; ſed hoc eſt falſum, tùm ex Reg. Iur. cit.; tùm, quia illa diſpenſatio ſupponitur abſolutè conceſſa, & non limitata ad tempus, ſeù ſub conditione quòd non ceſſet cauſa iuſta: ergo. Conf. à pari: ſi Princeps hodie tributum ſibi dibitum alicui remittat pro hoc anno ob eius inopiam, remiſsio non ceſſat, licèt inopinata inventione theſauri dives fiat: ergo nec ceſſat diſpenſatio conceſſa v. g. duobus conſanguineis ſuper tali impedimento in ordine ad contrahendum matrimonium, quamvis antè eius contractionem moriatur proles, cuius legitimatio fuit cauſa motiva diſpenſationis.

54 Diximus: *diſpenſatio ſemèl impertita*; quia ſi poſt conceſſam facultatem, ſeù indultum, àc mandatum acceptum à commiſſario, ſeù delegato ad diſpenſandum, ità ceſſet cauſa finalis, àc motiva ipſius, ut non reviviſcat antè tempus impertiendæ diſpenſationis, tunc iſta erit invalida, ut tenent D. D. communitèr; quia commiſsio, ſeù mandatum diſpenſandi datur ſub hac conditione: *ſi preces veritate nitantur*; àc proinde dùm deficit talis conditio (ſicut deficit dum ceſſat cauſa finalis diſpenſandi), expirat facultas, ſeù mandatum, & conſequenter

tèr commiſſarius nequit exequi illud, & conſequentèr foret invalida diſpenſatio; ſicùt etiam ſi ceſſaſſet antè conceſſam diſpenſationem ab ipſo ſuperiore. Diximus etiam: *diſpenſatio abſolutè collata*; ſi enim diſpenſaretur expreſsè ſub conditione, *donec*, *vèl niſi cauſa diſpenſationis ceſſet*, tùnc manifeſtum eſt, ceſſare diſpenſationem cauſa ceſſante. Imò ſi talis conditio, licèt non exprimatur, tamèn colligitur ex circunſtantijs, uti eſt quandò proptèr neceſsitatem præſentem diſpenſatio eximit ab obſervatione præcepti, quòd extēditur per tempus, v.g. à ieiunio Quadrageſimæ, ab Horis Canonicis &c.; tùnc enim ceſſante cauſa ceſſat diſpenſatio, quæ fuit cōditionata. Talis autèm conditio, quando nèc exprimitur, nèc colligitur ex circunſtantijs (uti eſt, quando diſpenſatio auferit aliquod legale impedimentum), tùnc non debet præſumi adiecta, nèc diſpenſatio conditionata, ſed abſoluta, de qua loquitur aſſert. noſtra.

55 Dices: omnis iuſta diſpenſatio debet includere hanc conditionem, *ſi permaneat cauſa, proptèr quam conceditur*: ergo nulla eſt diſpenſatio ità abſolutè conceſſa, ut permaneat, ceſſante cauſa. Prob. antec.: non minùs perſeverantia diſpenſationis eſt effectus moralis voluntatis iuſtè diſpenſantis, quàm prima productio, ſeù conceſsio eiuſdem; ſed hæc non alitèr fit, niſi dependentèr à conditione, ſi cauſa ſubſiſtit: ergo nèc perſeverantia diſpenſationis alitèr conceditur à ſuperiore iuſtè diſpenſante, niſi quatenus cauſa finalis ſubſiſtit; àc proindè includit talem conditionem. Conf.: ſuperior non præſumitur eximere aliquem ab obligatione legis, non ſubſiſtente cauſa iuſta; cùm recta ratio dictet, tùnc partem debere ſe conformari toti quoàd obſervationem legis: ergo ceſſante cauſa, deſinit valor diſpenſationis.

56 Ad arg. diſt. antec.: omnis iuſta diſpenſatio debet includere hanc conditionem, *ſi permaneat pro tempore conceſsionis cauſa, proptèr quam conceditur*, conc. antec.; *ſi permaneat in poſterum*, neg. antec.; nàm quando diſpenſanti non poterat ſuboriri rationabile dubium de ceſſatione cauſæ, tùnc nequit cenſeri voluiſſe alligare diſpenſationem ceſſationi cauſæ; cùm nihil ſit volitum, quin præcognitum. Ad probat. antec. neg. mai.; quia magis, vèl alitèr prima productio, ſeù conceſsio diſpenſationis eſt effectus voluntatis iuſtè diſpenſantis, àc perſeverantia eiuſdem; cùm illa ſit

effec-

effectus voluntatis præſentis, quæ non debet fieri ſine iuſta cauſa ſubſiſtente; perſeverantia autèm eſt effectus voluntatis præteritæ, quæ non debet retractari, licèt eveniat caſus, à quo inchoari non potuerit, ut conſtat ex cit. Regula Iuris. Ad conf. diſt. antec.: ſuperior non præſumitur eximere &c., ſi non ſubſiſtat cauſa dùm concedit diſpenſationem, conc. (nàm alitèr ageret illicitè, quod præſumendum non eſt); ſi non ſubſiſtat cauſa, poſtquàm diſpenſatio legitimè, & abſolutè conceſſa iàm eſt, neg. antec.; ſimilitèr diſt. eius probat.: recta ratio dictat, partem non diſpenſatam debere ſe conformare toti, conc.; partem diſpenſatam, neg..

SECTIO IV.

An, & quomodò ceſſet lex humana per interpretationem, & EpiKejam?

57 EX dictis in 1. diſp. queſt. 4. num. 5. conſtat, quid ſit interpretatio, quid que epikeja; & ibi num. 38. diximus, interpretationem unam eſſe authenticam; & aliam doctrinalem, quæ explicatæ ſunt ibidem; & licèt addatur interpretatio *uſualis*, quæ introducitur per uſum, & conſuetudinem, quę eſt optima legum interpres, imò ſi ſit legitimè introducta habet vim legis; tamèn proùt ſic interpretatio confunditur cùm conſuetudine, de qua in ſect. ſequenti. Ad interpretationem autèm, maximè doctrinalem, iuſtam, & prudentem, obſervandę ſunt iſtę regulæ. Prima, quod attendatur, & ſervetur proprietas verborum legis, ità ut nunquàm ad improprium ſenſum debeant trahi, aùt detorqueri, niſi cogat ratio, vèl neceſsitas urgens; ut ſi lex aliàs eſſet illuſoria, vèl iniuſtitiam, nimium rigorem, præiudicium innocentis, aùt aliam ſimilem abſurditatem contineret, quam à conſtitutione ſuperioris excludi oportet.

58 Regula 2. eſt, interpretationem legis potiùs debere convenire, & ſumi ex mente Legiſlatoris: quàm ex verbis, ut docent communiter D.D, & conſtat ex Leg. *ſcire*, ff. *de Legibus*, ubi dicitur: *ſcire leges non hoc eſt, verba earum tenere, ſed vim, ás poteſtatem* Et Regula 88. Iuris in *6.* ait. *certum eſt, quod is committit in legem, qui legis verba complectens, contra legis nititur voluntatem.* Mens vero Legiſlatoris cognoſcitur præcipue ex ratione poſita in lege, ut patet ex cap. *Intelligentia, de verb. ſignific.* ubi dicitur; *Intelligentia dictorum ex*

cau-

cauſis eſt aſſumenda dicendi, quia non ſermoni res, ſed rei eſt ſermo ſubiectus. Unde eſt illud proloquium: *Ratio eſt anima legis.* 3. Regula eſt, quod verba generalia legis ſunt intelligenda generaliter; ſivè jus generaliter; & indiſtinctè loquens, generaliter, & indiſtictè eſt intelligendum, niſi per aliud diſtinguatur: unde eſt axioma receptiſsimum: *Ubi lex non diſtinguit, neque nos diſtinguere debemus.* Si autèm una lex generalis diſtinguatur per aliam ſpecialem, aùt per diverſitatem rationis, àc circunſtantiarum, tùnc utique debemus diſtinguere, ſeù eius verba non intelligere generaliter.

59 Quarta regula eſt, quod lex pœnalis, & odioſa eſt in dubio ſtrictè interpretanda, nèc facilè extendēda ultrà caſum, & perſonas expreſſas; ut conſtat ex reg. 15. Iur. in 6.: *odia reſtringit, & favores convenit ampliari.* Et Reg. 49. ibidem: *in pœnis benignior eſt interpretatio facienda.* Dicitur *in dubio*; nàm ſi verba legis pœnalis, aut alterius odioſæ, eius que mens ſint adeò clara, ut ſalva ratione recti ſermonis non poſsint aliam interpretationem habere, tûnc lex erit obſervanda, non obſtante quòd odioſa, & durior appareat; proùt deſumitur ex Leg. *Proſpexit*, ff. *Qui, & à quibus manumiſsio*, ubi dicitur: *Quod quidem perquàm durum eſt, ſed ita lex ſcripta eſt.* 5. denique regula eſt, quod leges favorabiles ſunt amplè interpretandæ; ſeù in mareria favorabili verba legis debent accipi ſecundùm amplam ipſorum ſignificationem; ut conſtat ex cit. reg. 15. Iuris. His igitur ſcitis.

60 Dicimus 1. lex humana poteſt corrigi, reſtringi, àc ceſſare per interprætationem, & epichejam. Eſt commune. Prob. quoàd 1. part.: interpretatio nihil aliud eſt, quàm declaratio, ſeù explicatio verborum legis quoàd eorum ſignificatum; vèl ſenſum à Legiſlatore intentum, àn ſcil. ad hunc, vèl illum caſum extendatur, aùt non extendatur, ſeu an comprehendant, vèl non, hunc, aùt illum caſum; ſed verba legis humanæ poſſunt non eſſe ita clara, & manifeſta, ut aliquam declarationem admittant, imo expoſcant; ſivè authenticam, quæ habeat vim legis, & inducat obligationem; ſivè doctrinalem, cui ſaltem poſsimus nos conformare, quin teneamur ſtricta, & dubia legis obligatione: ergo poteſt per interpretationem reſtringi, vèl ceſſare. Prob. aſſert quoàd 2. part. Epicheja iuxta Ariſt. lib. 5. Ethic. cap. 10. nihil aliud eſt, quàm *emendatio legis ex ea par-*

te, qua deficit ob aliquem peculiarem eventum, in quo ſi Legiſlator adeſſet, ità dixiſſet; ſed lex humana poteſt ſæpiùs deficere a ſua univerſali obligatione in una, vèl altera parte, ſeù caſu particulari: ergo. Prob. min.: materia legis humanæ ſubeſt innumeris mutationibus, circunſtantijs, & caſibus contingentibus, quos Legiſlator humanus non potuit prævidere, & ſi pręvideret illos excluderet, ab univerſali legis obligatione; ſed hoc ipſo eius generalis expreſsio corrigitur per iudicium prudentiæ, quod particularia reſpicit, & quo iudicatur, mentem Legiſlatoris non fuiſſe, talem caſum comprehendere ſub lege, quę eſt de univerſalibus, ut inquit ſubt. Doct. in 1. d. 44. q. un.: ergo.

61 Dicimus 2. lex quoàd vinculum obligationis in conſcientia, quod per ſe imponit, non eſt per interpretationem extendenda propter ſolam ſimilitudinem, vel paritatem rationis ad caſum omniſſum, & nullo modo ſub ſignificatione verborum legis comprehenſum. Ita Exim. Suarez cùm alijs, contra plures diverſimodè opinantes. Prob.: interpretatio purè extenſiva non ſufficit, ut diſpoſitio legis obliget in caſu, ad quem fit extenſio ex vi talis legis; ſed interpretatio, quæ fit per ſimilitudinem rationis ad caſum non comprehenſum ſub ſignificatione verborum legis, eſt pure extenſiva: ergo. Prob. mai.: formalis ratio conſtitutiva legis, & inductiva obligationis, eſt mens, ſeù voluntas Legiſlatoris ſignificata per verba ipſius legis: ergo quod non fuit comprehenſum ſub mente Legiſlatoris, quæ ſignificatur per verba legis, ſeù non fuit comprehenſum ſub talium verborum ſignificatione, nequit cadere ſub obligatione talis legis. Nunc ſic: ſed interpretatio purè extenſiva eſt erga illud: quod ſub ſignificatione verborum legis, non eſt comprehenſum; ad differentiam extenſionis comprehenſivæ, per quam declaratur, talem caſum, vèl perſonam fuiſſe comprehenſam in mente Legiſlatoris, & ſub ſignificatione verborum legis licet verbis non ſatis expreſsis eam declaraverit: ergo interpretatio pure extenſiva non ſufficit, ad obligationem legis.

62 Prob. min. primi ſyllogiſmi: ſola ſimilitudo rationis non ſatis oſtendit, ſub voluntate Legiſlatoris fuiſſe comprehenſa omnia, quæ ſimilitudinem rationis inter ſe habent quia poteſt Legiſlator velle unum, & non aliud, vèl pro

ſola

ſola libertate, vèl proptèr aliquam rationem notam ſoli ipſi: ergo purè extenſiva eſt interpretatio facta per ſimilitudinem rationis ad caſum non comprehenſum ſub verborum legis ſignificatione, denotante voluntatem Legiſlatoris. Conf. 1. ipſa determinatio expreſſa ad unum caſum, & taciturnitas ad alium, potiùs indicat, Legiſlatorem voluiſſe, unum, & non alium comprehendere, ſeù præcipere, vèl prohibere; ex illa coniectura juridica, *quia ſi voluiſſet, expreſſiſſet*, ex cap. 2. de tranſlat. Epiſcop. *Ad audientiam*, de Decim.: erg. Conf. 2.: ſimilitudo rationis non eſt tanta, ut non admittat aliquam diſſimilitudinem, quæ poſsit aſsignari: ergo non eſt ſufficiens ad extendendã obligationem ultra totam ſignificationem verborum legis, quæ non eſt facienda ſine neceſsitate, aut ratione cogente.

63 Diximus in aſſert. *quoàd vinculum obligationis in conſcientia, quod per ſe imponit*; nam quoàd uſum legum in ordine ad externa iudicia, ordinem in eis ſervandum, & ferendam ſententiam, poſſunt, imò forsàn debebunt Iudices extendere legem (niſi ſit pœnalis, quia *pœnę legum interpretatione molliendæ ſunt potiùs, quàm exaſperandæ*, ex Leg. 44. ff. *de pœnis.*) ad caſus ſimiles, in quibus reperitur ſimilitudo rationis; ut conſtat ex Leg. 12. ff. de Leg. ubi dicitur: *Non poſſunt omnes articuli ſigillatim aùt legibus, aùt ſenatus conſultibus comprehendi, ſed cum in aliqua cauſa ſententia horum manifeſta eſt, is qui juriſdictione præeſt, ad ſimilia procedere, atque ita jus dicere debet.*

64 Dicimus 3.: per interpretationem extendenda eſt lex (ſaltèm non pœnalis) ad caſus non comprehenſos ſub eius forma verbali, quando in eis reperitur identitas rationis, & conſtat ipſam eſſe adæquatam, eam que ſolam induxiſſe animum Legiſlatoris; quod eſt inſpiciendum ex materia, circunſtantijs, & verbis legis.. Eſt commune. Prob. ex illo axiomate: *ubi eſt eadèm ratio, ibi debet eſſe eadem juris diſpoſitio*; quod deducunt D.D. ex varijs locis utriuſque Iuris: ergo. Conf.: interpretatio comprehenſiva ſufficit, ut diſpoſitio legis obliget in caſu, ad quem fit extenſio ex vitalis legis; ſed interpretatio quæ fit per identitatem rationis ad caſum non comprenſum ſub verbali forma legis, eſt comprehenſiva, & non purè extenſiva: ergo. Mai. conſtat; quia forma legis eſt voluntas Legiſlatoris, ſignificata per verba, non purè materialitèr ſumpta, ſed formalitèr

ſub

ſub ratione legis in illis expreſſa, & voluntatis Legiſlatoris manifeſtativa: ergo quod fuit comprehenſum ſub mente Legiſlatoris ſignificata per verba, ipſam declarantia per rationem legis, cadit ſub eius obligatione. Min. etiàm patet; quia licèt talis caſus non ſit comprehenſus ſub expreſſa, & materiali ſignificatione verborum legis, tamèn comprehenditur ſub eorum ſignificatione formali exprimente rationem legis, manifeſtantem voluntatem Legiſlatoris; ac proindè talis interpretatio non purè extenſivà, ſed comprehenſiva eſt. Argumenta, quæ fieri ſolent contra 2. aſſert., probant unicè de ratione omnino pari, vèl potiùs eadem; atque adeò nō procedunt contra illam, ſed confirmant 3. aſſert. noſtram.

SECTIO V.

An, & qualitèr lex humana ceſſet per conſuetudinem?

65 PRocedit dificultas de ſola lege humana, non autèm de naturali, nèc Divina poſitiva; quia contra iſtas nequit eſſe conſuetudo legitima, ſed unicè abuſus, & corruptela. Prænotandum igitur primo, quod conſuetudo poteſt accipi duplicitèr. Primò, *materialitèr, cauſalitèr*, ſeù *in fieri*, nempè pro ipſo uſu diuturno, ſivè pro actibus longo tempore frequentatis, & ſic vocatur *conſuetudo facti*. Secundò ſumitur *formalitèr*, ſeù *in facto eſſe*, ſcil. pro jure, quod reſultat ex uſu diuturno, & frequētatione huiuſmodi actuum; in quo ſenſu vocatur *conſuetudo juris*, de qua præcipuè agimus in præſenti, ac ſic ſolet definiri: *jus non ſcriptum, diuturnis populi moribus introductum.*

66 Prænot. 2. quòd conſuetudo generatim ſumpta dividitur in tria membra, nempè *Secundum legem, præter legem, & contra legem.* Conſuetudo ſecundum legem eſt, quæ legem iam exiſtentem ſupponit, eam que vèl deducit in uſum, vèl ſi ambigua eſt, interpretatur: undè dum dicitur: *Leges firmantur, cùm moribus utentium comprobantur: &, conſuetudo eſt optima legum interpres*; de conſuetudine *iuxta legem* intelligitur. Ex quo patet, hanc conſuetudinem potius vocari *obſervantiam*, vèl *interpretationem* legis, quàm conſuetudinem, quia non conſtituit jus, ſeù legem non ſcriptam; Authores tamèn conſuetudinem facti illam appellant. Conſuetudo prēter legem (quæ, & *juris conſtitutiva* dicitur) eſt

que

quę inducit novum jus in illa materia; de qua nihil disponit lex scripta, seù expressa sanctione statuta. Consuetudo contra legem (quæ, & *desuetudo*, ac *consuetudo legi contraria* dicitur) est illa, per quam lex vèl nunquàm in usu recepta est, vèl iàm recepta tollitur, & abrogatur usu contrario. His prænotatis, difficultas procedit de *consuetudine juris*, & in quantùm comprehendit consuetudinem *præter*, & *contra legem*, ac de ista præcipuè; nàm de *consuetudine facti*, & *juxta legem* nihil speciale resolvendum occurrit.

67 Dicimus igitur primò: consuetudo legitima, seù debitis circunstantijs affecta, habet vim abrogandi legem humanam, & inducendi novam. Ita Theologi, & Iurisperiti communissime. Prob. 1. pars: Iur. Can. cap. fin. de consuetud. dicitur: *possit consuetudo juri positivo* (humano) *prejudicium generare, si rationabilis fuerit, & legitimè præscripta.* Et in Iur. civ. Leg. *de quibus* ff. *de Legibus* habetur: Rectissimè etiàm illud receptum est, ut non solo suffragio Legislatoris, *sed tiam tacito consensu omnium per desuetudinem leges abrogentur*: ergo ex utroque Iure, potest lex humana abrogari consuetudine legitima. Conf. 1.; eadem est vis consuetudinis; àc legis, ut constabit ex probat. secundæ part.: ergo sicut lex posterior potest abrogare priorem, ita & consuetudo, si sit legitima, & aliunde nihil obstet, proùt nihil obstat in abrogatione legis humanæ sivè Canonicæ, sive Civilis. Conf. 2.: plerumque minus utilis est Republicæ, lex cui constantèr contradicitur moribus populi: ergo. Conf. 3.: ex D. Isidoro, & Theologis, lex debet esse secundum consuetudinem Patrię, conveniens loco, & tempori; sed per contrariam consuetudinem non est amplius secundum morem Patriæ; nèc loco, ac tempori conveniens: ergo.

68 Prob. 2. pars. affert.: Tàm in Iure Can., quàm Civ. dicitur, quòd consuetudo sit *jus quoddam moribus constitutum, quod pro lege suscipitur, cùm deficit lex.* Et M. P. Aug. in Epist. 86. ad Casulanum ait: *Mos populi Dei, & institutæ Maiorum pro lege sunt tenendæ, & sicut prævaricatores legum Divinarum, ita & contemptores consuetudinum Ecclesiasticarum coercendi sunt*: erg. consuetudo legitima habet vim inducendi legem novam. Conf.: praxis, & usus communis populorum in gubernatione politica, & Christifidelium in Ecclesiastica, ut legem habet consuetudinem legitimam: ergo,

Urg.: in conſuetudine legitima reperiuntur omnia, quæ deſiderantur ad legem inducendam, ut conſtabit in aſſert. ſequentibus: erg.

69 Argues: in Iur. Can. cap. 7. de conſuetud. dicitur: *Non tàm conſuetudo, quàm corruptela ſit cenſenda, quæ ſacris eſt Canonibus inimica*: ergo nulla conſuetudine poteſt abrogari lex Eccleſiaſtica; cùm reprobatur ut corruptela omnis conſuetudo ſacris Canonibus inimica, ſivè contraria. Et in Iur. Civ. Leg. 2. Cod. *Quæ ſit longa conſuetudo*, conſuetudini negatur vis, quæ aut *rationem vincat, aùt legem*: ergo nequit prævalere contra legem Civilem, nèc eam abrogare. Conf.: ex Iure Can. habetur quòd *Nemo conſuetudinem veritati, & rationi præponat; quia veritas ſemper, & ratio excludit conſuetudinem*; ſed omnis lex nititur ratione, & veritate: ergo nulla conſuetudo poteſt contra ipſam prævalere, vèl eam abrogare. Urg.: ratio non opponitur rationi, nèc iuſtum iuſto; ſed conſuetudo contraria legi, opponitur rationi, & iuſto: ergo nequit legem abrogare, nec novam inducere.

70 Ad arg. reſp., illos, & ſimiles textus intelligendos eſſe de conſuetudine illegitima, ſeu carente conditionibus debitis, ut conſtat ex alijs textibus à nobis allegatis. Deinde ad illum ex Iur. Civ. poteſt dici, quòd ibi nihil aliud interdicitur, quàm quòd per conſuetudinem particularem alicuius loci non tollitur lex generalis, & pro omni loco. Quarè videtur moralitèr impoſsibile, introduci conſuetudinem contra totum Ius Gentium; cùm ad talem conſuetudinem introducendam requiratur conſenſus, & uſus omnium Nationum, quod eſt moralitèr impoſsibile, cùm illud jus ſit maximè conſentaneum juri naturæ. Ad conf. explic. mai.: Nemo conſuetudinem illegitimam præponat rationi, & veritati ſubſiſtenti, & vigenti; quia veritas, & ratio ſubſiſtens, & vigens excludit conſuetudinem tunc casùs illegitimam, conc.; Nemo conſuetudinem legitimam præponat rationi, & veritati ceſſanti, aùt languenti, quia talis ratio, & veritas excludit conſuetudinem legitimam, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: omnis lex nititur ratione, & veritate vèl ſubſiſtente, vèl ceſſante, conc.; ſubſiſtente præcise, ſubdiſt.: omnis lex vigens & ante introductam legitimè conſuetudinem, conc. min.; omnis lex languens, vèl ceſſans poſt introductam legitimè conſuetudinem, neg. min., & conſeq.. Ad urg. diſt. mai.: ratio

tio non opponitur rationi, nec iuſtum iuſto, uniformitèr ſumptis, ſeù ſimul verificatis, con.; difformitèr aùt diviſim acceptis, neg. mai.; & diſt. min.: conſuetudo contraria legi opponitur rationi, & iuſto, quod fuit vigente lege, conc.; quod actu eſt, languente lege, & introducta contraria conſuetudine, neg. min.; quia lex, quæ prius erat iuſta, & rationabilis, deſinit eſſe talis poſt introductam legitimè contrariam conſuetudinem.

71 Dicimus 2.: ad hoc ut conſuetudo ſit legitima, & poteſt abrogare legem antiquam, àc inducere novam, debet habere conditiones quaſi genericas, ſeù communes in ratione legis, nempè quod ſit rationabilis, communitati utilis, & profecta ab aliquo conſenſu Legiſlatoris. Ita D. D. communiſsimè. Prob. 1. pars: ad legem, ſaltèm licitè abrogandam, & ad ipſam; etiàm valide, inducendam, requiritur cauſa iuſta, & rationabilis: erg. etiàm ad hoc ut conſuetudo habeat vim abrogandæ, vèl inducendæ legis. Ea autem conſuetudo, generalitèr loquendo, cenſetur rationabilis, quæ nèc iuri naturali, aùt Divino poſitivo opponitur; nèc humano iuri, ipſam reprobanti, adverſatur; nec alia ratione perniciosa eſt. Illa verò, quę in aliquo iſtorum deficit, cenſetur iniuſta, & irrationabilis, & conſequentèr nunquam poteſt induci per actus contrarios legi. Ita N. Reiffenſtuèl cùm Laimann, & alijs.

72 Prob. 2. pars aſſert.: ad inductionem legis novæ, & abrogationem antiquæ requiritur quòd ordinetur ad bonum commune, ſeù conducat ad utilitatem communitatis: ergo ſimiliter ad hoc ut conſuetudo deroget legem antiquam, & novam inducat. Talis autèm utilitas conſuetudinis præſertim ſtabit dùm lex contraria peccandi occaſionem præbeat, & populo difficile ſit obſervare illam, aùt removere conſuetudinem inchoatam, quæ etiàm ob aliàs rationes poterit cenſeri bono publico conveniens. Prob. 3. pars aſſert.: nemo poteſt legem ſtatuere, nèc ſtatutam abrogare, quin gaudeat legislativa poteſtate; & legis conſtitutio, àc eius abrogatio pendet à Legiſlatoris voluntate, & arbitrio: ergo nequit conſuetudo habere vim legis novæ, nec abrogationis antiquæ, quin proficiſcatur ab aliquo Legiſlatoris conſenſu; nàm Populus adhùc politicus, (niſi ſit communitas Democratica) non habet poteſtatem legiſlativam, cùm eam tranſtulerit in Principem, vèl Magiſtratum; àc proinde nequit tribuere

consuetudine authoritatem legalem, & consequenter est necessarius cõsensus Legislatoris.

73 Etsi quæratur: quisnam Legislatoris consensus sit necessarius? Supponimus, triplicem dari consensum. Primus est personalis, sivè specialis expressus, quo Legislator sciens, introduci in populo aliquem usum, explicitè approbat illum. Secundus est personalis, seù specialis tacitus, quo sciens, introduci talem usum cõtra suam legem, silet, & dissimulat non contradicens, cùm commodè posset. Tertius est legalis, sivè generalis, & juridicus, qui habetur per leges, & canones, generaliter approbantes consuetudinem affectã debitis circunstantijs; ex cap. fin. de consuetud., & Leg. 32. ff. *de Legibus*; nàm etiam ipsa generalis approbatio consuetudinis est à Legislatore competente. Quo supposito.

74 Ad quæsitum resp.: ad vim consuetudinis propriè talis, seù introductæ per viam præscriptionis, vel quasi præscriptionis, non requiritur scientia, nèc personalis, seù specialis consensus Legislatoris; sed sufficit legalis, generalis, & juridicus. Ita Exim. Suarez, & N. Hozlmann cùm multis, contra alios aliter sentientes Prob. Princeps potest sua lege statuere, ut quoties populus aliquam rationabilem consuetudinem per sufficiens tempus continuaverit, ea suscipiatur pro lege proùt factum esse nosci tur à Legislatore competente, ut constat ex locis cit. utriusque Iuris; sed ille est sufficientissimus modus declarandi suam voluntatem absque ulteriori consensu, vel scientia Legislatoris; quia lex semper loquitur, & non minùs efficax est voluntas Principis per legem loquens, quàm immediate per se volens, aùt præcipiens: ergo.

75 Conf. 1.: consuetudo proprie talis, seù introducta per viam quasi præscriptionis, habet quandam analogiam ad propriam præscriptionem, ad cuius similitudinem dicitur hæc consuetudo præscripta; sed in præscriptione non requiritur scientia eius contra quem præscribitur: ergo nèc in consuetudine præscripta contra legem seu Principis determinationem; ac proinde non requiritur consensus personalis. Conf. 2.: ideò ad consuetudinem late talem, seu non præscriptam, sed introductam per viam conniventiæ, sive cùm scientia, & consensu saltem tacito Legislatoris, requiritur talis consensus personalis; quia de illa non datur dispositio juris, seù lex vi cuius declaretur juridice voluntas Principis; & quia illa inf a longum

gum tempus, v. g. infra decennium, prævalet contra legem; non quidèm vi conſuetudinis, ſed vi conſenſus perſonalis Legiſlatoris legem tacitè revocantis: ergo è contra non requiritur talis ſcientia, nèc conſenſus ad conſuetudinem præſcriptam; quia de illa datur lex, vi cuius verificatur conſenſus ſufficiens, & juridicus, atque vi conſuetudinis contra legem prævalet poſt, & non infra longum tempus à Iurè ſtatutum.

76 Argues contra 1. part. ſecundę aſſert.: omnis lex debet eſſe rationabilis, & iuſta: ergo quælibet conſuetudo contra legem erit iniuſta, & irrationabilis; àc proindè nequit habere rationem legis. Conf.: actus, quibus inducitur conſuetudo contra legem, ſunt irrationales, cùm poſsint eſſe formalitèr peccaminoſi, & iuxta aliquos debeant elici ex ſcientia contrariæ legis obligantis: ergo etiam erit irrationabilis conſuetudo, quæ ex illis acquiritur; ſicut quia actus blaſfemandi ſunt irrationabiles, etiàm conſuetudo eſt ſimilis. Urg.: conſuetudo debet eſſe *legitimè præſcripta*, ex cap. fin. *de conſuetud.*; atque adeò debet introduci cùm bona fide, qualem omnis præſcriptio exigit; ſed bona fides nequit ſtare cùm actibus formalitèr malis, & elicitis cùm ſcientia legis contrariæ ipſis, quales videntur requiri ad introducendam conſuetudinem, abrogantem legem contrariam, & inducentem legem novam: ergo nunquam conſuetudo poteſt eſſe legitima, rationalis, & iuſta.

77 Ad arg. diſt. antec.: omnis lex humana debet eſſe rationabilis, & iuſta mutabilitèr, conc.; immutabilitèr, neg. antec.; & diſt. conſeq.: conſuetudo in fieri erit irrationabilis, conc. conſeq.; in facto eſſe, ſeù ſemèl legitimè introducta, neg. conſeq.; quia ſicut lex poſterior eſt rationabilis licèt ſit contraria legi antecedenti, cuius vigor, & iuſtitia ceſſavit: ita conſuetudo in facto eſſe, ſeù poſt eius legitimam introductionem eſt rationabilis quamvis ſit contra legem, cuius vigor, & iuſtitia ceſſavit per contrariam conſuetudinem. Ad conf. dato antec.; neg. conſeq.; quia actus precedentes ipſam conſuetudinem juris ſunt contra legem, & voluntatem Legiſlatoris, & ideò ſunt peccaminoſi, & irrationabiles; è contra verò ipſa conſuetudo, & actus poſt ipſam eliciti, ſunt conformes conſenſui legali, ſeù voluntati Legiſlatoris, quo tanquam cauſa efficiente, abrogatur lex præcedens, & approbatur conſuetudo per modum legis, ad quam ſe habent actus præce-

dentes unicè per modum conditionis; atque adeò ipſa conſuetudo, & actus poſt eam eliciti ſunt rationabiles. Per quod poteſt ad exemplum de conſuetudine blasfemandi, quę eſt tantùm facti, & non juris, ac ſemper eſt contra legem, & voluntatem ſupremi Legiſlatoris, quin adſit ad illam conſenſus legalis; àc proinde ſemper ipſa, & eius actus ſunt peccaminoſi, & irrationàbiles. Ad urgent. explic. mai.: conſuetudo debet eſſe legitimè præſcripta, præſcriptione largè ſumpta, id eſt, debet præſupponere actus diuturno tempore à maiori parte communitatis, & ſine interruptione frequentatos, conc.; præſcriptione proprie dicta, id eſt, exigente bonam fidem, & aliàs conditiones requiſitas ad præſcriptionem propriè talem, neg. mai., ut conſtabit in fine ſect., & conceſ. min., neg. conſeq..

78 Dicimus 3.: ad firmitatem, & valorem conſuetudinis propriæ, & præſcriptæ requiritur frequentia, & qualitas actuum, vèl omiſsionum, continuata per certum, & definitum tempus. Ita communiter D. D.; diſsidentes tamèn in explicandis conditionibus in particulari, præſertim in aſsignando tempore. Prob. primò de frequentia: ex Leg. 1. C. *quæ ſit longa conſuetudo*, & C. 5. diſt. 1. dicitur: *vocatur autèm conſuetudo, quia in communi eſt uſu*: ergo requirit frequentiam actuum. Conf. 1.: unus, duo, vèl tres actus extraiudiciales non probant communem uſum: ergo debent eſſe plures, vèl frequentati. Conf. 2.: conſuetudo debet eſſe moribus utentium inſtituta; ſed mores non ſunt ſine actuum frequentia: ergo. Quot verò actus requirantur, arbitrio prudentis communitèr relinquitur; quia nulla ratio poteſt inveniri ad certum numerum definiendum, nèc jura illum præſcribunt; eò quia pro diverſitate materiæ, & circunſtantiarum exiguntur plures, vèl pauciores actus, ut conijciatur firmus populi conſenſus, & inducatur conſuetudo.

79 Prob. ſecundò de qualitatibus actuum: primò actus debent eſſe publici; ſeù notorij, & manifeſti; tùm ut omnes de populo, vèl maior pars ipſius poſsit convenire in præſtando conſenſu circa talem conſuetudinem: tùm ut conſuetudo, quantùm eſt ex ſe, poſsit eſſe nota Principi, cuius conſenſus ſaltem legalis requiritur; tùm quia cùm conſuetudo legalis, ſeù jus conſuetudinarium non indigeat alia promulgatione, ideò per actus notorios debet ſortiri rationem publicæ, & communis regulæ, abrogantis,

&c.

legem, aùt actualitèr obligantis. Sufficit tamen; quod actus sint notorij, & publici publicitate facti, & non requiritur publicitas juris, id est, publica authoritate per sententiam Iudicis, vel alio modo simili. Secundò debent actus esse *liberi*, quia debent indicare cõmunem populi consensum, sine quo vim legis non habet consuetudo; quare ista non inducitur per actus factos ex ignorantia, vèl errore versante circa ea, quæ sunt de substantia consuetudinis, nèc per actus elicitos ex vì, vèl metu gravi, qui licèt non tollat voluntarium simpliciter, tamèn tollit intentionem introducendi consuetudinem, quæ sit abrogatoria legis antiquæ, & inductiva novæ; qualis intentio requiritur necessariò ad cuiusmodi effectum, ut infrà dicemus.

80 Tertiò debent tales actus esse *uniformes*, *& non interrupti*, sed continuati; tùm, quia debent significare firmum stabilem, & communem consensum populi; tum, quia ita communiter intelligunt D. D. consuetudinem debere esse *legitime præscriptam*, nempe debere esse continuatam, eò modo quo ad præscriptionem requiritur secundum leges continuatio temporis. Quartò debent illi actus esse *exerciti maiori saltèm parte populi*; quia consuetudo debet induci ex consensu populi, qui censetur consentire, dùm aliquid fit, & intenditur à maiori parte, ut constat ex Iure. Quintò debent actus esse *frequentati animo abrogandi legem antiquam, aut etiàm simùm inducendi novam*, si consuetudo sit contra illam; *vèl unicè inducendi novam legem, seù obligationem*, si sit consuetudo præter legem. Undè multi actus à populo publicè frequentantur, qui nullam legis necessitatem inducunt, quia absque animo se obligandi, & ex mera devotione peraguntur, ut salutatio Angelica ad æternum pulsum campanæ; aspersio aquę benedictę ad ingressum templi; & alij huiusmodi.

81 Prob. denique assert. quoàd tempus: tùm, quia consuetudo debet esse legitimè præscripta, ita ut cùm præscriptione conveniat saltem analogicè, & quoàd aliquid dispositum in ipso Iurè; sed ipsum nomen præscriptionis significat determinationem certi temporis, nàm quod est arbitrarium non potest dici certum, vel præscriptum; & aliundè si consuetudo non conveniret cùm præscriptione in diuturnitate temporis, per quod dicitur firmari, seu præscribi, non conveniret cùm præscriptione in aliquo dispositio ab ipso Iurè, ut ex se patet: er-

go tempus, ad legitimam consuetudinem requisitum, non est arbitrarium, sed definitum; & certum. Tum, quia ad introductionem consuetudinis requiritur tempus longum, seù longævum, prout constat ex Iur. cit.; sed tempus longum, seù longævum non est in Iurè indefinitum, nèc relinquitur prudentis arbitrio, sed definitur, & determinatur ad decennium, ita ut infra illud non æstimetur longum tempus: erg.

82 Quæritur hic: quantùm temporis requiratur, & sufficiat, ut consuetudo censeatur legitimè præscripta, ità ut contrariam legem aboleat, vèl novam inducat? Resp. generaliter loquendo, requiritur, & sufficit decennium, seu tempus decem annorum. Ità Exim. Suarez N. Reiffenstuel, & alij, contra p u es distinguentes inter consuetudinem contrà leges Civiles, & Ecclesiasticas, receptas, & non receptas. Prob.: non est inducenda discrepantia inter Ius Civile, & Canonicum, ubi non habetur expressa Iuris dispositio in cõtrarium, ex cap. 1. *de novi operis nunciat.*, sed ad abrogandam legem Civilem per contrariam cõsuetudinẽ sufficit decenium, ut cõstat ex Leg. *super lõgi*, Cod. *de Præscript.*, ubi dic tur: *super longi temporis præscriptione, quę ex decem annis introducitur*, & in Iure Canon. non reperitur quoad hoc expressa dispositio in contrarium: ergo ad præscriptionem consuetudinis contra legem, tàm Civilem, quàm Ecclesiasticam sufficit decennium. Prob. min. quoad 2. part.: si aliqua esset contraria dispositio in Iure Canon., maximè illa, quam allegant Adversarij ex cap. *Auditis, de Præscript. &c. cùm Ecclesia de causa possess.*, ubi ad præscribendum contra bona, & jura Ecclesiastica requiritur spatium quadraginta annorum; sed hęc non est contraria dispositio; tùm, quia ibi agitur de præscriptione proprie tali contra bona immobilia, & jura Ecclesiarum, non autem de quasi præscriptione cõtrà leges Ecclesiasticas; tùm, quia cum contrà Romanam Ecclesiam non currat nisi centenaria præscriptio, ex cap. *Cùm vobis, de præscript.*, & alijs; etiàm contra leges Pontificias esset necessaria consuetudo centenaria, quod est contra communem sentẽtiam: erg.

83 Conf. 1.: ubi jus non distinguit, neque nos distinguere debemus; sed jus quoàd præscriptionem consuetudinis non destinguit inter legem Civilem, & Canonicam, usu receptam, & non receptam: ergo. Conf. 2.: acceptatio populi non requiritur ad intrinsecam cõstitutionem legis humana-

manæ, quæ ex ſe habet vim obligandi, & obligationem inducit: ergo parum, vèl nihil refert, num lex Pontificia ſit uſu recepta nèc ne. Loquimur autèm de conſuetudine propriè tali, & præſcripta; nàm ad nō præſcriptā ſeù per viam cōniventię introductam cùm ſciētia, & perſonali conſenſu ſaltèm tacito Principis, minùs quam decennium ſufficit, iuxtà plures. Quantum autèm temporis infrà decennium ſufficiat ad talem conſuetudinem inducendam? Reſp., non poſſe determinari; quia nèc eſt definitum in Iure, nèc commodè potuit, cùm pendeat, & conſiſtat in factis, quæ ſint ſufficiens ſignum novæ voluntatis, ſeù conſenſus Principis, circa quod non poteſt generalis regula aſsignari.

84 Ex dictis colliges, conſuetudinem differre à lege dupliciter. Primò ratione conſenſus Legiſlatoris, qui, dùm conditur lex, debet eſſe expreſſus, non autèm dùm introducitur conſuetudo. Secundò ratione modi obligandi, & introducendi; quia lex vim obligandi habet à voluntate Legiſlatoris, quin prærequirantur actus ſubditorum, & ut obligationem actualiter exerceat, debet ſolemniter promulgari; conſuetudo autem ad ſui introductionem requirit actus frequentatos à maiori parte populi, atque uſu, & moribus hominum invaleſcit, ac actu obligat, quin ſit ſolemniter, aùt ſpecialiter promulgata. Item cōſuetudo à præſcriptione differt multipliciter. Primò, quia conſuetudo reſpicit communitatem quà talem; præſcriptio autem perſonas privatas, vèl communitatem, quatenus ſpectatur ut perſona ficta, & privata. Secundò ad conſuetudinem requiritur conſenſus, ſaltèm legalis, & juridicus ſuperioris, cuius legi derogatur per illam; ad præſcriptionem verò non eſt neceſſarius conſenſus eius, contra quem præſcribitur. Quartò, preſcriptio habet locum in rebus corporalibus, & incorporalibus, conſuetudo tantùm in incorporalibus, ut in obligatione, juriſdictione, electione ſervitutibus, &c. Quintò, præſcriptio minuit, & tollit dominiū, aùt jus alterius; non verò conſuetudo. Sextò, præſcriptio requirit bonam fidem; conſuetudo autèm etiàm mala fide poteſt induci.

SECTIO VI.

An lex humana ceſſet per privilegium; quid que oporteat ſcire circa iſtud?

85 PRivilegium, iuxtà aliquos, nomen ſumpſit à *privatione legis*, ita ut idem ſignificet, ac *privatio legis*, ſeù *privans legem*, quia concedit ut aliquid fiat contra, vel

vèl præter communem legem, à cuius obligatione eximit; iuxta alios, & verius derivatur à vocibus *privata*, *& lex*, ita ut idem sonet, àc *privata lex*, seù *privatum legium*, ut ex dicendis colligitur. Privilegium igitur, ex Iure Can. cap. *Abbate, de verb. signif.*, communiter describitur, quod sit *lex privata aliquid speciale indulgens*, *verbo*, *vèl scripto* concessum *ab eo*, *qui potestatem habet*. Dicitur *lex*, quia aliquomodo imitatur legis naturam; tùm, quia habet aliquam stabilitatem, ità ut non expiret ad mortem concedentis; sicut præceptum vim obligandi deperdit in morte præcipientis, & sicùt dispensatio, quæ non habet stabilitatèm. Tùm, quia per modum legis dirigit, & ordinat eos, quibus conceditur, àc prohibet nè aliquid contrà concessum intèntetur seù eius usus impediatur. Dicitur *privata*, quia non respicit communitatem perfectam, sed particulares personas, vel etiàm communitatem integram, cæterum ut partem alicuius superioris communitatis subditæ Legislatori; per quod differt à lege, quæ de se respicit totum, seu perfectam communitatem.

86 Dicitur *aliquid speciale indulgens*; quia ea est natura, & vis privilegij, ut per illud concedatur privilegiato aliquid speciale contra, vèl ultra jus commune; & privilegiatum per se non obliget, nisi casu quo privilegium sit concessum alicui statui, vel communitati; sine cuius prejudicio usus privilegij non possit declinari, & prætermitti; uti contingeret si Clericus citaretur, & compareret ad tribunal sæculare. Dicitur *verbo*, *vel scripto*; quia sicùt non est de essentia legis, quod sit scripta, ita nèc ad essentiam, aùt valorem privilegij est necessaria scriptura; attamèn ad fidem in iudicio faciendam necessarium est, quod scribatur; nisi sit per consuetudinem acquisitum, proùt acquiri potest instar aliorum jurium, legum, & bonorum. Additur denique *concessum ab eo*, *qui potestatem habet*; sivè hæc potestas sit legislativa, uti requiritur ad concedendum privilegium contrà legem, quòd à solo Legislatore, & sui subditis concedi potest; sive talis potestas sit dominativa, vel alicuius superioritatis in certo quodam genere, saltem ratione materiæ, quę debet esse subiecta privilegianti, cum nemo possit disponere, vel remittere de rebus, aùt juribus alienis: cuiusmodi potestas sufficit ad concedenda privilegia præter legem, quæ possunt conferri non subditis; quia talis concessio non includit actum jurisdictionis, sed merę,

& liberæ facultatis, quæ licet dicat quandam inferioritatem in accipiente, quatenùs tali, reſpectu concedentis; tamèn iſte poterit eſſe maior, & ſuperior ſub alia ratione; prout advertit N. Holzmann.

87 Dividitur primò privilegium in *reale*, quod directè, & principalitèr conceditur rei, nempe loco, officio, dignitati, vèl alteri qualitati communi, ac indirectè, & conſequentèr conceditur perſonis, quibus annectitur illa res; & in *perſonale*, quod proximè, directè, & principalitèr conceditur certæ perſonæ ſingulari, quà tali, & in favorem ipſius, abſque intuitu, vèl contemplatione rei, aùt qualitatis communis. Primum tranſit ad ſucceſſores, & poſſeſſores rei; ſecundum autèm extinguitur cum perſona, cui conceditur: ex cap. 7. de Reg. Iur. in 6. Secundo dividitur in *locale*, quo unicè licet, & valet uti in loco, pro quo conceſſum eſt; & in *generale*, quo licèt uti ubique. Tertiò dividitur privilegium in *ſcriptum*, quod per ſcripturam conceditur; & in non ſcriptum, quod vèl oretenus conceditur, & vocatur *vivæ vocis oraculo*, vèl introducitur per conſuedinem, aùt præſcriptionem; hoc autem habet id ſpeciale, quod licèt revocentur à Principe privilegia per ſcripturam, vèl oretenùs conceſſa, tamen privilegia conſuetudinaria, vèl præſcripta non cenſentur revocata, niſi eorum fiat mentio ſpecialis, & expreſſa; ut plures notant.

88 Dividitur 4. in *conceſſum motu proprio*, & *conceſſum ad inſtantiam*. Primum eſt, quod Princeps à ſe motus concedit independentèr à qualibet inſtantia, vèl petitione, licèt fortè aliqua præceſſerit, ſi tamèn non datur quia petitur, ſed ſicut poſtulatur; attamèn clauſula *motu proprio* debet exprimi in previlegio, maximè ſi præceſsit petitio; quia talis conceſsio continet in ſe excluſionem, & negationem omnis alterius motivi, quæ non niſi ex terminis illam exprimentibus poteſt conſtare. Secundum eſt, quod habuit pro motivo petitionem privilegiati, vèl alterius gerētis partes eiuſdem, ità ut aliàs non concederetur à privilegiante. Dividitur 5. in *favoravile*, quod ita favet privilegato, ut nèc deroget, nèc redundet in gravamen, aùt præiudicium tertij; & in *odioſum*, quod licèt faveat privilegiato, tamèn derogat legem, vèl redundat in præiudicium tertij. Sextò dividitur in *merè gratuitum*, quod ex mera liberalitate, & benevolentia Principis conceditur; & in *remuneratorium*, quod confertur in compenſationem

præ-

præcedentium meritorum ipſius privilegiati, aùt aliorum ad ipſum attinentium.

89 Dividitur 7. in *purum* privilegium, quod continet favorem ſine onere annexo; & in *oneroſum*, ſeù conventionale, quod confertur ſub certa quadam obligatione, & onere. Octavò in privilegium *primò per ſe*, quod alicui confertur ſpecialiter, & ſine reſpectu ad privilegium priùs alteri conceſſum; & *ad inſtar*, quod datur ad ſimilitudinem, ſeù exemplum privilegij iàm alteri collati. Dividitur 9. in privilegium *pro foro interno*, quod unicè favèt privilegiato in foro conſcientiæ, non autèm in foro externo, & contentioſo, in quo ità ſe gerere debet privilegiatus, ac ſi nullo gauderet privilegio; & *pro foro externo*, quod favet privilegiato, & liberat ipſum pro foro contentioſo, & licet detur pro iſto, tamèn prodeſt etiam pro foro interno, quia ſententia fori externi valet etiàm pro illo, niſi falſa præſumptione nitatur; ut ait exim. Suarez lib. 8. de Leg. cap. 12. Denique dividitur in privilegium *clauſum in corpore Iuris, & ſpeciali indultum conceſſione*. Primum eſt, quod ſedem obtinet in corpore Iuris communis; ut privilegium canonis, & Fori, aliaque conceſſa Perſonis Eccleſiaſticis, aùt Eccleſijs. Secundum eſt, quod per ſpeciale reſcriptum, diploma, litteras, vèl oretenus collatum eſt. His ſcitis, ad præcipuas difficultates incluſas in titulo ſect.

90 Dicimus 1. lex humana reſpectu privilegiati ceſſat per privilegium ab ipſo Legiſlatore, ſucceſſore, vèl ſuperiore, contrà ipſam collatum. Eſt commune. Prob.: iuxta dicta, lex humana reſpectu diſpenſati ceſſat per diſpenſationem, quæ eſt relaxatio juris, ſeù ablatio obligationis reſpectu talis ſubditi, & pro tali caſu particulari: ergo etiàm reſpectu privilegiati ceſſat per privilegium contra legē, quod eſt lex privata eximens à jure communi, ſeù obligatione univerſali. Conf.: lex humana, utpote pendens à voluntate Legiſlatoris, poteſt per abrogationem ceſſare, ſeù tolli reſpectu totius communitatis: ergo etiam per privilegium, quę eſt lex privata, & particularis, poteſt ceſſare reſpectu alicuius partis.

91 Dicimus 2. ſolus Legiſlator, eius ſucceſor, aùt ſuperior, & ſolis ſubditis poteſt concedere privilegium contrà legem; privilegium autem præter legem poteſt concedi etiam non ſubditis à quolibet habente aliquam ſuperioritatem, aùt poteſtatem reſpectu materiæ ipſius privilegij. Prob. 1. pars: privilegium

con-

contra legem est quędam revocario eiusdem, & institutio alterius particularis contrarię; sed solus Legislator potest revocare suam legem, & aliam instituere, quod est actus jurisdictionis, & potestatis legislativæ, quæ non nisi in subditos potest exerceri: ergo solus Legislator: & solis subditis potest concedere tale privilegium. Prob. 2. pars: concessio privilegij præter legem non includit actum jurisdictionis, sed est actus meræ facultatis, seu permissionis materiæ subiectæ privilegianti: ergo potest etiàm non subditis concedi à quolibet habente aliquam superioritatem, aut potestatem respectu materiæ ipsius privilegij. Unde fit, quòd Princeps, minor Rege, possit huic conferre privilegium v.g. venandi in territorio sibi privative subiecto: quod Clerici, non subiecti Principibus laicis, possint ab istis aliquod privilegium obtinere, v.g. per eorum territorium transeundi &c.

92 Dicimus 3. privilegium sine iusta causa confertur valide, non verò licite. Est commune. Prob. 1. pars: privilegium vel est contrà, vel præter legem; sed utrumque sine iusta causa confertur validè: ergo. Prob. min. quoad 1. part.: Legislator absque iusta causa potest valide tollere legem respectu omnium, & ipsam relaxare respectu unius in aliquo casu: ergo etiàm per privilegium contra legem potest validè unum, vel aliquos ab illius obligatione eximere. Prob. eadem min. quoad 2. part.: concessio privilegij præter legem est actus meræ, & liberæ facultatis similis donationi; sed donatio sinè causa iusta, & prodigè facta valet, saltèm per se loquendo, & regulariter: ergo etiam similis concessio privilegij præter legem. Prob. 2. pars. assert.: concessio privilegij contrà legem sine iusta causa militat adversus iustitiam, tùm legalem, tùm distributivam; & concessio privilegij præter legem militat contra virtutem liberalitatis, instar prodigæ donationis: ergo concessio privilegij sine iusta causa est illicita.

93 Dicimus 4. privilegium acquiritur triplici præcipuè modo. Primò per *actualem legitimi superioris concessionem privilegiato factam specialiter*: ad cuius valorem regulariter non requiritur scriptura, sed sufficit concessio coretenùs facta, ut tenent communiter. D. D.; quia valor privilegij dependet à voluntate concedentis, quæ non minus viva voce, quam scripto potest innotescere. Inservit tamen scriptura ad hoc, ut facilius, & plenius possit constare de tenore privilegij, præsertim relate ad iudicium,

&

& forum externum ; quarè privilegium ſolet dici informe antè expeditionem litterarum. Diximus *regulariter* ; nam Ius aliquando exigit ſpecialiter ſcripturam ad valorem privilegij, vèl alterius gratiæ ; ut ſi concedatur facultas non reſidendi in Beneficijs Curitatis, ex Trid. ſeſ. 23. cap. 1. *de Reformat.*, vèl ingrediendi monaſterium Montalium, ex eodem ſes. 25. cap. *de Regular.*. Secundo acquiritur privilegiũ *per communicationem*, ſeu participationem, qua privilegium iàm priùs uni, vèl pluribus conceſſum extendit ſuperior ad alium, vèl ad alios : qualem privilegiorum communicationem, ſaltèm generalem, habent mutuò inter ſe Regulares ordinum Mendicantium. Tertio acquiritur privilegium *per præſcriptionem*, vèl *conſuetudinem*, non ſolùm immemorialem, ſed etiam minoris temporis, dummodo adſint conditiones ad præſcriptionem, vèl conſuetudinem requiſitæ; ut tenent aliqui D.D.

94 Dicimus 5. privilegium non ſtatim à tempore conceſſionis, ſed acceptationis, ſivè formalis, & explicitæ, ſivè implicitæ, & æquivalentis, habet ſuum effectum ; ita ut privilegiatus nèc licitè, nèc validè poſsit illo uti antè talem acceptationem. Ita Exim. Suarez, N. Holzmann, & alij. Prob. : tùm ex cap. 17. de Præb. in 6., ubi ſtatuitur, non acquiri jus in Beneficio, quod confertur abſenti, donèc iſte ratam habuerit collationem: ergo nèc alia Principis beneficia acquiruntur donèc acceptentur. Tùm, quia privilegium eſt quædam donatio ; ſed hæc non eſt perfecta, nèc operatur ſuum effectum, niſi compleatur acceptatione donatarij, ex Leg. 35. cod. *de Donat.* : ergo. Diximus *acceptationis formalis, & explicitæ, vèl implicitæ, & æquivalentis* ; nàm ſi Princeps cõcedat privilegium motu proprio, tùnc requiritur formalis acceptatio ; ſi autèm privilegium concedatur ad inſtantiam petentis, tùnc non requiritur acceptatio formalis, ſiquidem in ipſa petitione involvitur quędam acceptatio anticipata, & conditionata, *ſi Princeps conceſſerit* ; quam acceptationem appellamus æquivalentem, & implicitam, eam que dicimus ſufficientem ad conceſsionem privilegij petiti conſtituendam in ratione donationis perfectæ.

95 Dicimus 6. : uſus privilegij, abſolutè, & ſine reſtrictione conceſsi, regulariter eſt validus, & licitus etiàm extra territorium concedentis. Et ſatis commune. Prob. : conceſsio privilegij, vèl non eſt actus juriſdictionis propriæ dictæ, ſi ſit præter legem, vèl ſi ſit contra legem, eſt quidem actus iuri-

dic-

dictionis, ſed unicè voluntariæ ſed exercitium talis juriſdictionis, cùm fiat ſine ſtrepitu, eſt validum, & licitum in alieno territorio: ergo. Diximus *abſolutè, & ſine reſtrictione*; nàm ſi privilegium conceſſum ſit limitate, ſeù cùm reſtrictione ad certum locum, vèl certam cauſam, quæ non datur in alio loco, tùm privilegium ceſſat in illo. Diximus etiam *regulariter*; nàm ſi actus tibi per privilegium indultus, in alieno territorio ſit interdictus aliqua lege ſpeciali, qua etiàm ut peregrinus teneris, tùnc privilegium in eo loco nihil tibi ſuffragatur. Similitèr contingit, quando uſus privilegij indiget ſpeciali permiſsione, & conſenſu Superioris alieni territorij; veluti indiget actus excipiendi confeſiones, vèl concionandi, ad cuius exercitium neceſſaria eſt licentia Epiſcopi, Parochi, &c..

96 Dicimus 7.: privilegium ceſſat per legitimam revocationem, expreſſam, vèl tacitam concedentis, vèl Succeſſoris, aùt Superioris; àc etiàm per renuntiationem expreſſam, vèl tacitam privilegiati, dummodo renunciatio non cedat in præiudicium alterius. Prob. 1. pars: privilegium à concedente dependet, tàm in fieri, quàm in conſervari: ergo ceſſat per eius revocationem legitimam, ſaltèm validam; licet forte ob defectum iuſtæ cauſę ſit illicita. Diximus *expreſſam*, id eſt, factam per verba ſufficientèr exprimentia revocationem, ſeù ceſſationem privilegiorum in ſpecie, aùt in genere; vèl *tacitam*, nempè per actum Principis directe contrarium privilegio, quod ignoraſſe ex circuſtantijs non præſumatur, v. g. ſi condat legem univerſalem contrariam privilegio contento in jure, communi. Prob. 2. pars: quilibèt poteſt renunciare ſuo juri, & favori pro ſe principalitèr introducto, ex cap. 6. *de Privileg.*, & ex leg. 29. Cod. *de Pactis*: ergo privilegium ceſſat per renunciationem privilegiati. Dicimus *liberam*, id eſt, non dolo, aùt iniuſto metu extortam.

97 Diximus etiàm *per renunciationem expreſſam*, quæ fit verbis expreſsis; vèl *tacitam*, id eſt, per non uſum, non quidem negativum, dùm quis non utitur quia uti non poteſt privilegio, ſed privativum, ſeù omiſsivum, dùm non utitur potens uti privilegio ſi iſtud ſit conceſſum cum conditione, aut reſtrictione ad uſum quia expirat ſi finiatur tempus ad quod fuit reſtrictum, aùt non impleatur conditio, ſub qua fuit conceſſum; imò ceſſat privilegium per non uſum omiſsivum, àc per abuſum ſeu uſum contrarium, ſit illud

ſic-

redundet in gravamen, aut prę-iudicium tertij; quia jus acquiſitum tali privilegio poteſt præſcribi, & extingui via tacitæ renunciationis, quę arguitur ex diuturno non uſu privativo privilegij oneroſi. Si autem privilegium non redundet in præiudicium tertij, tùnc non ceſſat ex non uſu privativo, quia iſte ex præſumptione juris non habetur pro tacita renunciatione. Diximus denique *dummodo non cedat renuntiatio in præiudicium tertij*, uti cõtingeret, ſi privilegium ſit primario conceſſum in favorem alicuius communitatis, vèl etiàm alterius privati hominis; quia tùnc renunciatio non valet.

98 Dicimus 8.: privilegium abſolutè conſeſſum non amittitur, quandò eius cauſa finalis ceſſat merè negative, id eſt, dùm præcisè amplius non exiſtit, ut patet ex dictis de diſpenſatione; amittitur verò quandò fuit condicionatè conceſſum; vèl quandò eius cauſa ceſſat contrariè, ita ut uſus privilegij ex mutatione materiæ, vèl circunſtantiarum evadat illicitus, aut cedere incipiat in præiudicium alterius, diverſum à præiudicio legis, vèl tertij, quod in ipſa conceſsione involvebatur; quia nullum poteſt exiſtere jus ad id, quod eſt illicitum. Dicimus 9.: privilegium, & gratia illimitate, & abſolutè conceſſa nõn expirat morte phyſica, nec morali concedentis expirat verò ſi fuit conceſſa cum clauſula *ad beneplacitum meum, vèl quandiu voluero*. 1. pars eſt communis, & conſtat ex varijs locis, àc ex leg. 15. Iuris in 6. quod *gratia ſemèl obtentat non ceſſat per mortem concedentis*. 2. pars eſt communior, & conſtat ex cap. 5. *de Reſcriptis*, in 6. ubi dicitur: *Si gratioſè tibi à Romano Pontificè concedatur, ut beneficia, quæ tempore tuę promotionis obtinebas, poſſes uſque ad ſua voluntatis beneplacitum retinere, huiuſmodi gratia per eius obitum* (per quem definit eius beneplacitum) *ex ipſo expirat ſecus autèm ſi uſque ad Apoſtolicæ Sedis beneplacitum gratia prædicta concedatur; tùnc enim* (quia Sedes ipſa non moritur) *durabit perpetuo, niſi à Succeſſore fuerit revocata*.

99 Dicimus 10.: privilegium perſonale ceſſat in morte privilegiati, reale verò ceſſat unicè per deſitionem rei privilegiatę, penitus, & ſinè ſpe reparationis deſtructæ. Prima pars conſtat ex cap. 7. de Regul. Iuris in 6., ſecunda verò conſtat ex cap. 25. *de Verbor. ſignif.* in fine. Hæc pro præſenti tractatu dicta ſufficiant, omnia que in Dei laudem cedant.

AMEN.

TRAC-

TRACTATUS XIV.

DE PECCATIS.

PROÆMIUM.

POstquàm egimus de Actibus Humanis generatim, de cõscientia, & Legibus, quæ sunt illorum regulæ; meritò subiungimus tractatum de Actibus Humanis Malis in specie, seù de Peccatis, quę fiunt per recessum à memoratis actionum nostrarum regulis, ab ipsa que lege Dei, quæ totius moralitatis prima regula est; nàm, ut inquit D. Ambrosius lib. de Paradyso cap. 8. *Quid est peccatum, nisi prævaricatio legis Divinæ, & cælestium inobedientia mandatorum?* Profunditas huius materiæ indicatur à M. P. Aug. dicente: *Magnus puteus est profunditas iniquitatis humanæ.* Eius latitudo extenditur ad peccatum personale, & originale, nèc non ad præcipuas circà illa solitò scholasticè exagitatas difficultates, discutiendas per sequentes disputationes.

DISPUTATIO I.

De Peccatis in genere, ac de Perſonali Actuali in ſpecie.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Peccatum?

1 NON loquimur de peccato largiſſimè, & impropriè ſumpto, prout ſignificat quemlibet defectum ſivè in phyſicis, & naturalibus, qualiter monſtra ſolent dici peccata naturæ; ſivè in artificialibus, quorum defectus vocatur peccatum artis: ſivè in moralibus, humanis, & liberè factis, in quibus deviatio à regulis moris dicitur peccatum animi, & culpa, ac malum morale. Nec etiàm loquimur de peccato minùs propriè, quatenùs etiam in moralibus dicitur de cauſis, vel effectibus peccati: qualiter concupiſcentia ab Apoſtolo vocatur peccatum, eò quia ab illo eſt orta, & ad ipſum inclinat; & de Sacerdotibus dicitur Oſeæ cap. 4. *peccata populi comedent*, id eſt, victimas offerri ſolitas pro peccatis. Sed agimus de peccato propriè ſumpto pro actu libero creaturæ intellectualis illicito, ſeù deviante à regulis moris. Eius exiſtentia eſt ita omnibus nota, ſicut definitio; varia nobis verò ſufficiat una, quæ ſit legitima.

2 Ad 1. igitur part. quæſt. dicimus: *Peccatum eſt dictum, factum, vèl concupitum contrà legem Dei æternam.* Eſt communis, & traditur à M. P. Aug. lib. 22. *contra Fauſtum* cap. 27.; admittitur que ab Angel. & Subt. Doct., qui in 2. d. 37. q. 1. §. *ad argumenta* illam explicat ſic: peccatum eſt quoddam concretum accidentale dicens pro materiali *dictum, factum, & concupitum*, ac pro formali *contra legem Dei*. Ex quibus ſic oſtenditur bonitas prædictæ definitionis: concreta propriè definiuntur per ſubiectum gerens vices generis, & per formam loco differentiæ; ſed peccatum eſt quoddam concretum; ac ly *dictum, factum*, vel *concupitum* eſt ſubiectum, & quaſi genus, per quod convenit cum actibus bonis, & indifferentibus; atque ly *contra legem* eſt formale peccati, & quaſi differentia, per quam diſtinguitur ab alijs actibus humanis: ergo illa eſt recta definitio peccati. Aliter efformatur hæc ratio: definitio concreti accidentalis, tradita per materiale, & formale illius, eſt recta definitio; ſed talis eſt definitio peccati tradita ex M. P. Aug.; ut exprese docent Angel., & Subt.

in-

intelligentes per ly *dictum* &c. materiale peccati, & per ly *contra legem æternam* formale illius: ergo. Conf.: illa definitio, in qua includuntur actu, vel ex qua deducuntur aliæ assignabiles definitiones veræ, & propriæ peccati, à fortiori debet haberi ut propria, & magis legitima definitio illius; sed talis est definitio tradita ex M. P., ut patebit discurrendo per alias, quæ solent assignari: ergo. Licèt autem prædicta definitio specialius conveniat peccato personali actuali, quod est causa, principium, vèl radix, undè derelinquitur peccatum personale habituale, àc deribatur, seù traducitur in posteros peccatum originale; tamèn potest competere peccato in communi, si ly *dictum* &c. intelligatur nedum ut actû elicitum, & physicè existens; sed etiàm prout in ipso peccatore moraliter permanens; vel quatenùs in posteris est eos inficiens, àc per originem durans moraliter.

3 Argues 1. prædicta definitio datur per disiunctionem; sed hoc est contrà leges Dialecticæ: ergo talis definitio non debet admitti. Resp. 1. dist. mai.: datur per disiunctionem significantem aliquid unum, & determinatum, seù plura ut convenientia in aliquo uno, nempè in oppositione ad Divinam legem, conc. mai. (nàm illa disiunctiva æquivalet huic universali: *peccatum est quidquid fit contrà legem Dei*); datur per disiunctionem significantem plura ut plura, neg. mai.; & aplicata distinctione ad min., neg. conseq.. Resp. 2. admissis præmissis neg. conseq.: Tum, quia S. S. P., & Theologi in assignandis hac, & alijs definitionibus, non tàm attendunt ad rigorem Dialecticum, quàm ut omnes possint percipere quid sit definitum; & illa definitione clarè percipitur, quid sit peccatum: Tùm, quia sicut peccatum non servat leges naturæ, nec regulas morum, ita nec eius definitio rigorosis Dialecticę legibus adstringitur.

4 Argues 2.: datur peccatum omissionis, ut constabit ex dicendis; sed illud non comprehenditur in assignata definitione: ergo hæc non convenit omni definito, atque adeò non debet admitti. Resp. concess. mai, dist. min.: non comprehenditur explicitè, & formaliter, conc. min.; adhùc implicite, æquivalenter, & quantum sufficit ad inductionem, neg. min.: tum, quia, iuxta Aristot., affirmatio, & negatio reducuntur ad idem genus, ac proinde explicato uno, per oppositum explicatur etiam alterum: tùm, quia

ſicut omiſsio eſt interpretativè actus, ita eſt quid dictum, factum, vèl concupitum: tùm, quia nemo eſt tam cœcus, aùt hebes, qui ſciens ſe peccare loquendo, agendo, vèl concupiſcendo prohibitum, etiàm non ſciat ſe peccare non loquendo, non agendo, vèl non concupiſcendo quod eſt præceptum. Undè peccatũ omiſsionis ſufficientèr comprehenditur in illa definitione; quæ ut illud comprehendat etiàm explicitè, ſic debet apponi: *eſt dictum, vèl non dictum; factum, vèl non factum; concupitum, vèl non concupitũ contra legem Dei æternam.* Quod conſonat ipſi M. P. Aug. ibi dicenti: *Lex æterna eſt ratio, vèl voluntas Dei ordinem naturalem conſervari iubens, perturbari vetans:* ubi ponit præceptum affirmativum *iubens*, cui opponitur peccatum omiſsionis; & negativum *vetans*, cui adverſatur peccatum commiſsionis; atquè adeò utrumque comprehendit.

5 Argues 3. multa dantur peccata, quæ non ſunt contrà legem Dei æternam: ergo prædicta peccati definitio non eſt bona. Prob. antec. primo: plura ſunt intrinſecè mala præciſivè à prohibitione legis æternæ: ergo. Prob. ſecundò: multa ſunt peccata, quia ſunt tranſgreſsiones legis humanæ; ergo. Prob. 3. illud antec.: dantur peccata ex conſcientia erronea, proponente obligationem legis æternæ, ubi reverà non adeſt: ergo. Reſp. diſt. antec.: multa peccata non ſunt precisè immediatè, & proximè contrà legem æternam, conc.; ſaltem remotè, & mediatè, neg. antec. Ad eius 1. probat. diſt. antec.: plura ſunt intrinſecè mala phyſicè, vèl etiàm moraliter exigitivè, & fundamentaliter, præciſivè à prohibitione, conc.; ſunt moraliter mala formaliter, neg. antec., ut conſtat ex dictis in tract. de Actibus humanis, & ampliùs conſtabit ex dicendis. Ad 2. probat. antec. diſt. antec.: multa ſunt peccata, quia ſunt tranſgreſsiones legis humanę, tanquam regulæ immediatæ, & particularis, atque etiàm legis æternæ veluti regulæ mediatę, & univerſalis, præcipientis obedire legibus humanis, conc. antec.; quia ſunt ità præcisè tranſgreſsiones legis humanæ, ut nullatenùs ſint traſgreſsiones legis æternæ, neg. antec.; ideò enim ſola lex æterna ponitur in definitione peccati, quia ipſa ſola eſt regula ultimata, & univerſalis, cui opponitur omne peccatum. Ad 3. probat. diſt. antec.: dantur peccata ex conſcientia erronea proponente obligationem legis æternę ubi reverà non

ad-

adeſt, exiſtimativè tamen adeſt, & aliunde lex æterna obligat ad conformitatem cùm conſcientia intimante illam legem exiſtimatam, conc.; ubi reverà, nèc exiſtimativè adeſt lex erga illam materiam, nèc aliunde lex æterna obligat ad conformitatem cùm tali conſcientia, neg. antec., & conſeq..

6 Ad 2. part. quæſt. dicimus: Peccatum primo dividitur in *Perſonale*, *& originale*. Perſonale eſt, quod à propria cuiuſque voluntate committitur, & à propria (ut ſic dicamus) Perſona contrahitur; unde, & perſonale dicitur, ac priùs de ipſo ſermo inſtituetur. Originale eſt, quod trahitur à primò Parente per carnalẽ propagationem, & originem; de quo agemus in ultima diſput.. Secundò dividitur Perſonale in *Actuale*, quod eſt ipſa præſens, ſeù actualis tranſgreſsio legis, ſivè præcepti; & in *Habituale*, quod eſt malitia, vel macula in anima peccatoris ex peccato actuali derelicta, & moraliter permanens: unde dicitur habituale, quia ſe habet adinſtar habitus permanentis. Dividitur 3. in *Mortale*, *& veniale*: Mortale eſt tranſgreſsio legis obligantis ad aliquid neceſsarium pro conſecutione ultimi finis, & infert mortem ſpiritualem animę, ſeù privat vita gratiæ ſanctificantis, ac peccatorem reddit reum pœnæ æternæ. Vèniale eſt tranſgreſsio legis obligantis ad aliquid tantum utile pro aſſecutione ultimi finis, & ſolùm diminuit fervorem charitatis, ac peccatorem conſtituit unice obnoxium pœnæ temporali.

7 Dividitur 4. in peccatum *commiſsionis*, quod eſt actus poſitivus contrarius præcepto negativo, v. g. furtum oppoſitum præcepto non furandi; & in peccatum *Omiſsionis*, quod eſt omiſsio, ſeù non poſitio actus obligantis ex præcepto affirmativo, v. g. omiſsio Sacri præcepti in die feſto. Dividitur 5. in *Carnale*, quod conſiſtit in concupiſcentia, ſeù inordinata delectatione externa, ut luxuria, gula &c.; & in *Spirituale*, quod perficitur, & conſiſtit in concupiſcentia, ſeù inordinata delectatione interna, ut ſuperbia, invidia &c. Dividitur 6. in peccatum *Cordis* quod ex ſe completur in cordè, ſeù anima, ut hæreſis, odium &c. *Oris*, quod perficitur locutione, ut detractio, blaſphemia &c. & *Operis*, quod conſiſtit in opere, ut *furtum*, *homicidium &c.* Hæc autem diviſio poteſt aliter formari, nempe peccatum unum eſt *purè internum*, quod dicitur peccatum *cordis*; aliud

ſimùl externum; & iſtud ſubdividitur in peccatum *Oris*, & *operis*; id verò poteſt intelligi vel reſpectu diverſorum peccatorum, ut in exemplis ſuprà poſitis, vèl reſpectu eiuſdem peccati, ut in vindicta, quæ priùs corde concipitur; deinde ad os per verba contumelioſa progreditur; àc tandèm ad opus percuſsionis, vèl occiſionis perducitur.

8 Dividitur 7. in peccatum *contrà Deum*, *contra proximum*, & *contrà ſe ipſum*. Sed hoc intelligitur *ſpecialitèr*; nàm *generaliter* omne peccatum eſt contrà Deum, qui offenditur per quodlibet peccatum; & contrà ipſum peccatorem, qui ſe ſuis peccatis maximè lædit. Peccatum igitur contrà Deum eſt, quod opponitur alicui virtuti, qua rectè diſponimur in ordine ad Deum per noſtras operationes attingendum; qualia ſunt peccata infidelitatis, deſperationis, blaſphemiæ, periurij, & alia oppoſita virtutibus Theologicis, & Religioni. Peccatum contra Proximum eſt, quod adverſatur alicui virtuti, qua rectè diſponimur erga proximum, ut homicidium, furtum, detractio, & quælibet iniuſtitia. Peccatum contra ſe ipſum eſt, quod contrariatur alicui virtuti, per quam in moderatione noſtrarum paſsionum rectè diſponimur ergà noſmetipſos, ut luxuria, gula, timiditas &c.

9 Dividitur 8. in peccatum ex *infirmitate*, quod oritur ex gravi tentatione, & motione vehementi appetitus ſenſitivi præcedente actum voluntatis; *ex ignorantia*, quod procedit ex ipſa, culpabili quidèm, & vincibili, ſivè craſa, ſivè ſupina, ſivè juris, ſivè facti; & *ex malitia*, quod fit ex ſola malitioſa determinatione, àc perverſitate voluntatis. Unde iſtud peccatum non eſt ſolùm ex malitia voluntatis *communitèr* (nam ſic omne peccatum dicitur, & eſt ex malitia), ſed *ſpecialitèr*, nempè ex pura malitia, & quaſi ex induſtria; atque adeò eſt cæteris gravius, ſicut etiam peccatum ex infirmitate eſt gravius peccato ex ignorantia, non quidem affectata; nàm hoc etiam cenſetur, & dicitur ex malitia.

10 Hæc diviſio coincidit cum ea, qua unum dicitur eſſe peccatum *in Patrem*, aliud *in Filium*, & aliud in *Spiritum Sanctum*; nàm iuxta D. Bonav. in *Breviloquio* part. 3. cap. 11. licet generaliter omne peccatum ſit contra Deum trinum, & Unum; appropriatè tamen dicitur, unum eſſe contra unam Perſonam, & aliud contra aliam. Quod explicans ipſe Seraph. Doct. in *Centiloquio* part. 1. ſect. 25. art. 1. dicitur quis

peca

peccare in Patrem, cui attribuitur potentia, quandò peccat ex infirmitate; in Filium, cui attribuitur ſapientia, quandò peccat ex ignorantia; & in Spiritum Sanctum, cui attribuitur bonitas, dùm peccat ex certa malitia; nàm tale peccatum procedit ex improbitate liberi arbitrij, & directè impugnat gratiam Spiritus Sancti, per quam fit remiſsio peccati; atque adeò non habet colorem excuſationis, & dicitur irremiſsibile, non quia abſolutè non poſsit remitti, ſed quia, quantum eſt de ſe, eſt directè impugnativum remedij ad remiſsionem peccati.

11 Dividitur 9. in peccatum *ex paſsione*, vèl *fragilitate*, ad quod patrandū inclinat ipſa humana fragilitas, vèl paſsio aliqua, aùt concupiſcentia alicuius boni utilis, vel delectabilis; & in peccatū *ex cōtemptu*, quod perpetratur ex directa, ac formali intentione tranſgrediendi legem ac ſpernendi Legiſlatorem quà talem. Dividitur 10. in peccatum *Capitale*, quod eſt radix, & veluti caput aliorum plurium, qualia ſunt ſeptem recenſita in Catechiſmo; & in *non Capitale*, quod non eſt radix, nec caput aliorum, cuiuſmodi reputantur reliqua præter illa ſeptem. Dividitur 11. in peccatum *proprium tantùm*, quod eſt unicè actus, vèl omiſsio ipſius peccantis; ac in *proprium*, & *alienum ſimùl*, quod licèt commitatur ab alio, & ideò relatè ad nos dicatur *alienum*, tamèn nobis imputatur ratione mandati, conſilij &c. per quod efficimus illud etiàm nobis *proprium*.

12 Argues ſimùl contrà reſolut. primæ, & ſecundæ part. quæſt.: ultrà peccatum Theologicum datur etiam Philoſophicum; ſed iſtud non comprehenditur, quin potiùs excluditur à definitione, & diviſionibus peccati in communi: ergo. Mai. conſtat ex D. Thoma in 1a. 2æ. quęſt. 71. art. 6. in reſponſ. ad 5. dicente: *à Theologis conſideratur peccatum præcipuè ſecundùm quod eſt offenſa contrà Deum; à Philoſopho autèm Morali ſecundùm quòd contrariatur rationi.* Et ex Subt. Doct. in 4. d. 21. q. 1. in reſponſ. ad 1. arg. ubi ait: *non enim idem eſt, eſſe virtuoſum, vèl vitioſum moralitèr; & iuſtum, & peccatorem theologice.* Ac in Quodlibetis quæſt. 18. num. 17. ubi inquit: *Et hinc patet, quod non ſolum diſtinctio vitiorum loquendo philoſophicè, ſed etiam peccatorum Theologicè &c.* Min. etiam patet; quia peccatum Philoſophicum eſt tantum diſconveniens, & oppoſitum naturæ rationali, ſeu rectæ rationi, non verò eſt tranſgreſ-

ſio formalis legis æternæ, nèc offenſa Dei; atque adeò tàm longè abeſt, quòd comprehendatur in definitione, ac diviſionibus peccati in genere, quòd quin potiùs excluditur ab eis; cùm in ipſis aſſeratur, peccatum eſſe contrà legem Divinam, àc Dei offenſam.

13 Reſp. neg. mai.; quia Theologicum, & Philoſophicum non eſt peccatum duplex, ſed unicum, & ſimplex, àc unicè diſtinctum penes diverſas conſiderationes, ſeù eſt duplex conſideratio eiuſdem peccati. Vèl diſt. mai.: ultrà peccatum Theologicum datur etiàm Philoſophicum, quod in re eſt unicum, & idem peccatum, ac ſolùm penès conſiderationes diverſum, conc. mai.; quod in re ſit duplex, & diſtinctum peccatum, ita ut detur purè Philoſophicum, quod ſimùl à parte rei non ſit Theologicum, neg. mai.; ut conſtat ex Ang. Præcept., qui loquens de utroque tanquam de unico peccato, unicè aſſerit illud differre, quatenus ad Philoſophum pertinet cõſiderare ipſum ſecundùm quod contrariatur rationi, & virtuti morali, quæ ſpectat ad obiectum Moralis Philoſophiæ; ad Theologum autèm attinet cõſiderare præcipuè idem peccatum quatenùs eſt legis æternæ tranſgreſſivum, & offenſa contrà Deum, qui eſt Theologiæ obiectum. Idem etiam patet ex Subt. Doct., proùt exponit Hyqueus ſuper authoritatem relatam ex 4. ſent., dicens: *Duplicem hic tradi conſiderationem peccati; aliam moralem, & philoſophicam, quæ eſt ex oppoſitione, quam habet ad regulam proximam, & rectitudinem virtutis ex genere; aliam Theologicam, quæ convenit ei, ut includit rationem offenſæ, opponitur fini ſupernaturali, & amicitiæ Divinæ &c.* Verùm quia circà peccatum Philoſophicum eſt gravis, & valde utilis controverſia, partim dogmatica, & partim ſcholaſtica, ſeù purè ſpeculativa, ideò ſit.

QUÆSTIO II.

Utràm detur, vèl ſit poſſibile peccatum purè Philoſophicum?

1 SENSUS quæſt. eſt: an poſsit aliquis ita ſufficienter cognoſcere, & advertere difformitatem, ſeù diſſonantiam alicuius operationis cùm natura rationali, ſeù rectà ratione, ut ipſi contraveniens peccet philoſophicè, & contrà rationem virtutis moralis; attamèn quia ignoret, vèl actù non cogitet de Deo ut ſupremo Legiſlatore, àc de obligatione eius legis æternæ,

næ, non peccet Theologicè, ſeù contrà talem legem, nèc committat peccatum mortale, quod ſit Dei offenſa, diſſolvat eius amicitiam, àc mereatur pœnam æternam, propter illam ignorantiam, ſeù inadvertentiam? Ad modum quo non peccat contra Regis dignitatem, nèc ipſum offendit formaliter, nèc cenſetur reus læſæ Maieſtatis, qui purè materialiter offendit Regem non cognitum ut talem; nec dicitur ei inobediens qui violat eius legem, quam invincibiliter ignorat, vèl inculpabiliter non advertit. Ex quo patet, quæſtionem unicè habere locum circà actus ab intrinſeco malos, ſeù lege naturali prohibitos, qui ſunt ex ſe diſconvenientes naturæ rationali, & ut tales dictantur à naturali lumine rectæ rationis. Sed pro intelligentia, & reſolutione huius difficultatis oportet prænotare, & ſcire quandam propoſitionem, quę eſt ſecunda ex duabus damnatis ab Alexandro VIII. die 24. Auguſti ann. 1690.

2 Propoſitio igitur eſt hæc: *Peccatum Philoſophicum, ſeù morale eſt actus humanus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſſio libera Divinæ legis. Philoſophicum quantumvis grave, in illo, qui vel Deum ignorat, vèl de Deo actù non cogitat, eſt grave peccatum, ſed non eſt offenſa Dei, neque peccatum mortale diſſolvens amicitiam Dei, neque pœna æterna dignum.* Quam quidem propoſitionem ipſe ſummus Pontifex declaravit ſcandaloſam, temerariam, piarum aurium offenſivam, & erroneam, àc uti talem damnandam, & prohibendam eſſe, prout de facto damnavit, & prohibuit, ita ut quicumque illam docuerit, defenderit, ediderit, aùt de ea etiàm diſputaverit publicè, vèl privatim tractaverit, niſi forsàn impugnando, ipſo facto incidat in excomunicationem reſervatam ipſi Summo Pontifici. Inſuper diſtrictè prohibet omnibus Chriſti fidelibus, né prædictam propoſitionem ad praxim deducant.

3 Cui Decreto nos humiliter cùm omni debita reverentia ſubjicimus, & obedire velle proteſtamur; quod ut exactiùs præſtemus, prędictæ propoſitionis, ut jacet, ſenſum inquirimus. Iuxta P. Viva in *trutina Theologica Theſium damnatarum*, part. 3. ſuper propoſitionem relatam; & iuxta La-Croix in Summa Mor. lib. 5: cap. 1. dub. 1. quæſt. 12.; àc iuxtà N. Dupaſquier tomo 3. tract. 6. diſp. 2. quęſt. 8., ubi refert dictamina gravium

Doc-

Doctorum, qui aſtiterunt in Congregationibus, in quibus, decreta fuit illa cenſura, quos que conſuluit ſuper hac materia: talis propoſitio non eſt diveſivè damnata quoàd ſingulas partes; nàm illa de peccato Theologico ſcil. *Theologicum verò, & mortale eſt tranſgreſsio libera Divinæ legis*, non eſt Theologicè, per ſe, & ſeorſim, cenſurabilis, ſed ſolùm philoſophicè, vèl dialecticè, id eſt diminutionis, & inſufficientiæ, cùm non omne peccatum Theologicum ſit mortale; nec iſtud præcisè quà tale habet quòd ſit libera tranſgreſsio legis Divinæ, ſed quà Theologicum eſt, præſcindendo à mortali, & venali: nèc eſt cenſurabilis per ſe, & ſeorſim alia pars, in qua aſſerit, quòd peccatum Philoſophicum ſit actus diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi; nàm de facto omne peccatum, ſive philoſophicum, ſive Thelogicum eſt diſconveniens naturę rationali, & rectæ rationi, tàm Divinę, quàm humanæ.

4 Damnatur igitùr talis propoſitio complexivè ſumpta, nempè ſecundùm ſe totam, & quatenùs indiviſibilitèr tendit in alias duas partes aſſimatas ſimul cùm tertia, & ultima, in qua abſolutè, univerſalitèr; ſine aliqua hypoteſi, vel limitatione aſſeritur, quod *peccatum Philoſophicum, quamtumvis grave, in illo, qui Deum ignorat* (ſive vincibiliter, ſivè invincibilitèr) *vèl dè Deo actù non cogitat* (ſivè culpabilitèr, ſivè inculpabilitèr), *eſt gravè peccatum*; *ſed non eſt* (non ſolùm ſpeculativè, hypotericè, ſeù condicionalitèr, aùt in alia providentia metaphyſicè poſſibili, vèl in iſta per accidens; ſed ahùc practice, moralitèr, abſolutè, & in præſenti providentia, de facto, & per ſe) *offenſa Dei, neque peccatum mortale &c.* Hunc ergo ſenſum ita abſolutum, & univerſalem importat illa propoſitio, ut iacet, & ex terminis; àc in illo eſt damnata, & meritò confixa omnibus cenſuris relatis. Undè patet, quòd in vi illius dānatę propoſitionis non proſcribitur ſententia gravium Theologorū aſſerentium, peccatum pure Philoſophicum non dari, nèc eſſe poſsibile, abſolutè moralitèr, practicè, & in providentia præſenti ſaltem per ſe, & regulariter; cæterum non eſſe impoſsibile metaphyſicè, ſpeculativè, in alia providentia, & ſub hypoteſi quod cùm advertentia ad diſſonantiam peccati cùm natura rationali ſtaret ignorantia invincibilis, & incogitantia inculpabilis de Deo. Quod accuratè debet notari, ut simul ac per-

ci-

cipiatur ſenſus propoſitionis damnatæ, vitetur cenſura, & noſcatur diſtantia relatæ ſententiæ. His prænotatis, ſit.

5 Concluſ.: peccatum purè Philoſophicum de facto, & in præſenti providentia eſt moraliter impoſsibile; imò & repugnat metaphyſicè. Prima pars eſt communis, & prob.: ad peccatum purè Philoſophicum neceſſària erat invincibilis, & inculpabilis ignorantia Dei; nam vincibilis non excuſat ab eius offenſa, nèc à culpa Theologica; ſed de facto, & in præſenti providentia non eſt moraliter poſsibilis ignorantia invincibilis, aùt incogitantia inculpabilis de Deo in illo, qui utitur ratione, & advertit diſſonantiam peccati cùm natura rationali; nàm hoc ſaltem probant authoritates, & rationes adductæ in tract. *de Deo Uno*, diſp. 2. quæſt. 5. ergo de facto, & in præſenti providentia eſt moraliter impoſsibile peccatum purè Philoſophicum.

6 Secunda pars concluſ. eſt communior, quàm contraria ut inquit P. Viva; & prob. primò: de ratione eſſentiali peccati eſt, quòd ſit contra legem Dei æternam: ergo peccatum purè Philoſophicum eſt metaphyſicè repugnans. Antec. conſtat ex definitione peccati tradita ex M. P. Aug., approbata ab Angel., & Subt. Doct., àc recepta communitèr à Theologis; atque amplius conſtabit ex quæſt. ſequenti. Conſeq. patet; quia ſemèl àc de ratione eſſentiali peccati ſit, quod contraveniat, ſeù diſconveniat formaliter legi æternę, etiâm quod ſit offenſa Dei; àc proindè vèl non erit peccatum, vèl erit Theologicum, & conſequentèr metaphiſicè repugnat purè Philoſophicum. Conf. de ratione eſſentiali peccati eſt, quòd advertetur formalitèr naturæ rationali, ſeù rectæ rationi dictanti, illud eſſe vitandum ſub obligatione; ſed implicat, quod ità contraveniat tali dictamini, quin ſimul opponatur formaliter legi æternæ: ergo. Mai. conceditur ab Adverſarijs, & conſtat ex dictis in tract. *de Actibus Humanis; de Conſcientia, & de Legibus.* Prob. min.: dictamen rationis veluti præco indicens, & intimans nobis voluntatem Divinam, ſeù legem æternam, ut docetur communiſsime ex M. P. Aug. ſerm. 6. *de Verbis Domini*; & eſt veluti impreſsio Divini luminis, rationis, & voluntatis, ſivè legis, iuxtà illud Pſalmi 4.: *ſignatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*: ergo implicat, peccatum formaliter adverſari dictamini rationis, & non opponi

etia-

etiam formaliter voluntati Divinę, ſeù legi ęternę; aùt non eſſe culpam Theologicam, & formalem offenſam Dei.

7 Prob. 2. repugnat, peccatum attingit explicitè ut diſſonum naturæ rationali, & rectæ rationi, quin ſimùl attingatur, ſaltèm implicitè, & confusè, ut oppoſitum formaliter, & diſconveniens voluntati divinæ, ſeù legi æternæ; ſed talis implicita, & confuſa attingentia ſufficit ad formalem Dei offenſam, & culpam Theologicam: ergo. Prob. utraque pręmiſſa, & in primis maj.: per hoc præcisè quòd peccatum attingatur explicitè ut diſſonum naturæ rationali, & rectæ rationi, attingitur etiam, ſaltèm implicitè, ut prorsùs illicitum, omnino prohibitum, & nullatenùs eligendum: ergo etiam implicitè attingitur, ut contrarium Divinæ voluntati illud prohibenti, ſeù legi æternæ illud vetanti. Antec. patet; quia aliàs non ità attingeretur, ut fieret formale peccatum, & malum morale, ſed unicè phyſicum. Prob. conſeq.: quoties peccatum apparet ità prorsùs illicitum, & prohibitum, ut nullatenùs liceat, nèc ſit eligendum, apparet prohibitum ab ea voluntate, ſeù lege, quæ unicè poteſt illud ità prohibere; ſed ſola voluntas Divina, ſeù lex æterna poteſt ità prohibere peccatum, ut nullatenùs liceat quibuſcumque creaturis illud ſuadentibus, aùt præcipientibus; ut eſt manifeſtum: ergo ſemèl àc peccatum appareat ut omnino prohibitum, & nullatenùs eligendum, apparet etiam ſaltèm implicitè, & confusè, ut oppoſitum Divinæ voluntati, ſeù legi illud prohibenti.

8 Prob. iàm min. primi ſyllogiſmi: implicita, & confuſa attingentia pœnę æternæ annexæ culpæ Theologicę gravi, ſeù morali offenſæ Dei, ſufficit ad contrahendum reatum talis pœnæ; ſiquidem in omnium ſententia, qui in ſylvis nutritus nunquàm audivit de pœnæ ęternitate, aut ad illam non advertit, tamèn ſi vere advertit ad offenſam Dei, dùm peccat, fit reus talis pœnæ; quia conſentiendo in culpam, conſentit etiàm implicitè in pœnam illi annexam; quamvis non habeat eius claram, & expreſſam notitiam: ergo etiam implicita, & confuſa attingētia oppoſitionis peccati cùm voluntate Divina, ſeù lege æterna, ſufficit ad formalem Dei offenſam; ſiquidem ruſticus peccans cùm advertentia ad diſſonantiam culpæ cùm natura rationali, & cùm dictamine rationis, atque adeo ad prohibitionem ſibi factam ab aliquo ſuperiore,

ità

ita ut illa operatio nullatenùs posſit ei licere quibuſcumque creaturis illam ſuadentibus, aùt præcipientibus, adhùc ſit reus culpæ Theologicę, offenſæ Dei, & odij Divini; quia conſentiens in illam operationem ſibi prohibitam, conſentit etiam implicitè in violationem legis prohibentis, atque adeò in contemptũ, ſaltèm virtualem talis legis, ſeù voluntatis; quamvis careat clara, & diſtincta notitia de eo, quòd lex, ſeù voluntas illud prohibens ſit Divina, unde Deus contemnatur.

9 Prob. 3., & ſimùl conſ. præcedens ratio: peccatum purè Philoſophicum nequit ſtare cùm cognitione, ſaltèm confuſa, Dei ut Legiſlatoris; ſupremi illud prohibentis; ſed aliundè tale peccatum nequit verificari ſine huiuſmodi cognitione: ergo illud eſt implicatorium, & repugnans metaphyſice. Mai. patet; quia cùm illa cognitione iàm Deus virtualitèr contemnitur, & offenditur formaliter; ac proindè peccatum erit Theologicùm. Prob. min.: nequit verificari peccatum Philoſophicùm, quin peccans cognoſcat, illud eſſe ità diſconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi, ùt nullatenùs poſsit ei licere; ſed hoc ipſo cognoſcit, ſaltèm confuſè, Deum ut ſupremum Legiſlatorem: ergo. Prob. min.: eò ipſo quod cognoſcat, illud peccatum eſſe ità diſconveniens naturæ rationali, ut nullatenùs poſsit ei licere, cognoſcit etiàm, illud eſſe prohibitum, non quidem ab ipſomet operante, qui non eſt ſuperior ſibi; nèc à tota hominum collectione, quæ non poteſt prædicto modo prohibere; ſed ab aliquo omnium ſupremo Legiſlatore; ſed hoc eſt cognoſcere, ſaltem confuſè, Deum ſub tali ratione: ergo. Conf.: repugnat peccatum Philoſophicum ſinè cognitione legis naturæ in ratione talis, ſeù prohibentis illud fieri; ſed implicat cognoſci legem naturæ ſine cognitione, ſaltèm confuſa Dei, ut Legiſlatoris ſupremi: ergo. Mai. patet, quia repugnat peccatum ſine cognitione obligationis vitandi illud, àc proinde ſinè cognitione legis, ſeù præcepti prohibentis ipſum. Min. etiam conſtat, quia lex conſtituitur per hoc quòd à ſuperiore imponatur, & eſſentialitèr dicit relationem ad ipſum, àc proinde implicat cognoſci legem ut talem, & non cognoſci, ſaltèm confuſè legitimum ſuperiorem ipſam conſtituentem, qui nequit eſſe, aùt cognoſci alius, quam Deus reſpectu legis naturæ.

10 Arg. 1. contra 1. part.

concluſ.: implicat, Deum formaliter offendi ab eo, qui habet ignorantiam invincibilem de ipſo; ſed poteſt dari, ſaltèm ad breve tempus, & per accidens, ac in aliquo ſpeciali caſu, ignorantia invincibilis Dei in aliquo rationis compote: ergo ſi iſte advertat, ut poteſt, ad diſſonantiam peccati cùm natura rationali, ſe difformando ipſi, peccabit pure Philoſophicè; & conſequenter tale peccatum erit poſsibile, adhùc practicè, moraliter, & in providentia præſenti, ſaltèm per accidens, & in aliquo homine enutrito in ſylvis.

11 Reſp. conceſ. mai., diſt. min.: poteſt moraliter, practicè, & in præſenti providentia dari ignorantia invincibilis Dei, adhùc per breve tempus, & per accidens in habente uſum rationis, neg. mai. (nàm ut docet M. P. Aug. tract. 106. in Ioannem: *Hæc eſt vis veræ Divinitatis, ut creaturæ rationali, tam ratione utenti non omninò, ac penitus poſsit abſcondi*); poteſt metaphyſicè, ſpeculative, & in alia providentia poſsibili, ſub diſt.: poteſt dari ignorantia invincibilis Dei ſub conceptu expreſſo Deitatis, aùt entis ſimplicitèr infiniti, quo melius excogitari non poteſt, permit; ſub conceptu, ſaltem confuſo, & implicito, Legiſlatoris ſupremi, cui eſt ſummè parendum, iterùm ſubdiſt.: in eo, qui invincibilitèr ignoret diſſonantiam peccati cùm recta ratione, tanquàm regula, cui eſt ſummè parendum (ſi hoc poſsit ignorare qui habeat uſum rationis & diſcretionis inter bonum, & malum, licitum, & illicitum, proſequendum, & vitandum; quod nobis videtur implicatorium) conc.; in illo qui advertat diſſonantiã peccati cum recta ratione, neg. min. propter dicta in probat. concluſ.; ac etiàm neg. conſeq., imò ſuppoſitum, nempè quod ad diſſonantiam peccati cùm natura rationali, ſeù recta ratione, poſsit advertere ille, qui habeat omnimodam ignorantiam invincibilem Dei, adhùc ſub conceptu confuſo, & implicito ipſius ut Legiſlatoris ſupremi; qualis ſola ignorantia excuſaret ab offenſa Dei, verùm cùm illa repugnat quodvis peccatum formale.

12 Arg. 2. contrà 2. part. concluſ.: poteſt peccatũ apparere diſſonum naturæ rationali, vel dictamini rationis, quin appareat prohibitum à Divina voluntate, ſeù lege: ergo ſaltèm in alia providentia, vel hypoteſi ignorantiæ invincibilis Dei, & legis æternæ, poſſet quis peccare purè Philoſophicè; ac proinde iſtud non repugnat metaphyſicè. Prob. an-

antec. primò : Apoſt. Epiſt. ad Roman. cap. 2. ait. : *Gentes, quæ legem nòn habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt; eiuſmodi legem non habentes, ipſi ſibi ſunt lex : ergo.* Prob. 2. idem antec. : peccatum proùt eſt Dei offenſa, ſuperaddit novam malitiam, quam non importat quatenùs eſt contrà rationem creatam, ſeù eſt diſſonum naturæ rationali : ergo poteſt apparere, & attingi ſecundùm unam malitiam, & non ſecundùm alteram ; & conſequenter &c. Prob. 3. quamvis duæ formalitates ſint realiter identificatę, poteſt intellectus unam ab altera præſcindere : ergo poterit etiam in peccato attingi diſconvenientia cum natura rationali, præſcindendo ab oppoſitione cum Divina voluntate, ſeù lege, & ab offenſa Dei. Prob. 4. illud primum antec. : ſi peccatum ex eo præcisè, quod appareat diſſonum naturæ rationali, appareret ut prohibitum à Divina voluntate, & offenſivum Dei, ſequeretur, quod Philoſophi Gentiles non ſolùm cognoſcerent peccatum, prout rationi diſſonum, ſed etiàm prout Dei offenſivum ; ſed hoc eſt contra Angel., & Subt. Doct. cit. in quæſt. antec. nun. 12. erg.

13 Ad arg. diſt. antec.: poteſt peccatum apparere diſſonum naturæ rationali, quin ſpeculativè, explicitè, clarè, & diſtinctè appareat prohibitum à Divina lege, qualiter non præcisè requiritur ad culpam Theologicam, & offenſam Dei, conc. antec. ; quin adhùc practicè, implicitè, & confusè ſaltem, appareat prohibitum à Divina lege, qualiter ſufficit ut ſit offenſivum Dei, neg. antec. Ad 1. eius probat. explic. textum D. Pauli: *Gentes, quæ legem* poſitivam *non habent, naturaliter ea, quę legis* naturę *ſunt, faciunt; eiuſmodi legem* poſitivam *non habentes, ipſi ſibi ſunt lex*, id eſt, dictamen rationis, quod eſt quaſi præco, vèl tuba Divinę legis, proponit ipſis ea, quę ſpectant ad legem naturę, ſcriptam in cordibus ſuis, conc. ; *Gentes, quæ legem, adhùc* naturalem *non habent, ipſi ſibi ſunt lex*, id eſt, poſſunt quidquam ſibi præcipere, ut nullatenùs ſibi liceat propriam legem tranſgredi, neg. hunc eſſe ſenſum Apoſtoli, quia ipſemèt proſequitur : *qui oſtendendum opus legis ſcriptum in cordibus ſuis* ; atque adeò etiam inquit in cap. 1. : *ita ut ſint inexcuſabiles*, nempe ab offenſa Dei. Et in Pſalm. 88. dicitur : *effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt, & in regna, quæ nomen tuum non invocaverunt.*

14 Ad

14 Ad 2. prob. antec. neg. antec.; quia licèt peccatum eò ſit gravius, quo clariùs cognoſcitur Deus offenſus, & ideò graviùs peccet ille, qui explicitè attingit, & advertit ad Divinam legem prohibentem, quàm alter, qui illam attingit ſolùm implicitè, & confusè, attamèn non ſuperadditur nova, & ſpecialis malitia, niſi quandò contemptus Divinæ legis eſt formalis; quandò verò contemptus eſt virtualis, quia eſt virtualis, quia eſt ratio communis cuiuſvis culpæ, nequit illi refundere malitiam ſpecialem; & ſic dùm peccatum explicitè aprehenditur ſolùm ut diſconveniens naturæ rationali, tùnc implicitè, & obſcurè attingitur etiam ut à Deo prohibitum, & Dei offenſivum, ideò tùnc etiam imbibit rationem genericam inobedientiæ, & contemptus virtualis Dei. Ad 3. probat. diſt. antec.: quamvis duæ formalitates ſint realiter identificatæ, connexę, aùt una alteram includens, poteſt intellectus eas præſcindere ſpeculativè, & explicitè, conc.; etiam practicè, & implicitè, neg. antec.; & conſeq., imo & ſuppoſitum, nempe quòd diſconvenientia peccati cum natura rationali, & eius oppoſitio cùm Divina lege ſint proprie duæ formalitates; ſiquidem ſunt unicè duæ connotationes, vèl reſpectus, qui nequeunt exercitè, & practicè ità præſcindi, ut unus non attingatur in altero ſaltem implicitè, & confusè. Ad 4. denique probat. illius antec. diſt. mai.: ſequeretur, quòd Philoſophi Gentiles non ſolùm ſpeculativè, explicitè, & clarè cognoſcerent peccatum, proùt rationi diſſonum, ſed etiàm exercitè, practicè, implicitè, ſaltèm, & confusè cognoſcerent illud prout Dei offenſivum, quantùm ſufficit ut dicantur inexcuſabiles ab Apoſtolo, conc.: ſed etiàm ſpeculativè, explicitè, & clarè, àc in quantùm præcisè attinet ad conſiderationem Philoſophiæ Moralis, illud cognoſcerent proùt Dei offenſivum, neg. mai.; & min. ſub eàdem diſtinctione.

15 Arg. 3. ſecluſa omni cognitione Dei, adhuc poſſet homo operari benè, vèl malè moraliter, ſi nempe pro libertate ſui arbitrij eligeret operari iuxtà, vèl contra prima principia rectæ rationis evidentiſſima, & nobis indita à natura, qualia ſunt: *bonum eſt faciendum, malum eſt vitandum; quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris; conlendi ſunt benefactores &c.*; ſed ſuppoſita omnimoda ignorantia, vèl incogitatia invincibili de Deo, nequit eſſe peccatum Theologicum,

gicum, ac Dei formaliter offenſivum, ut eſt manifeſtum: ergo ſaltem metaphyſicè, & in hypoteſi talis ignorantiæ, poſsibile eſt peccatum purè Philoſophicum. Prob. mai.: operans iuxtà, vel contrà talia principia mereretur laudem, vèl vituperium, quia ageret iuxtà, vèl contrà dignitatem naturæ ſuæ rationalis ergo. Conf.: inter propoſitiones 31. damnatas ab Alexandro VIII. die 7. Decemb. an. 1690. proſcribitur hęc, quæ eſt 9. *Revera peccat, qui odio habet peccatum, merè ob eius turpitudinem, & diſconvenientiam cùm natura rationali ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu*: ergo ſecluſo omni reſpectu ad Deum, ac proindè ſine cognitione ipſius, attenta præcisè convenientia, vèl diſconvenientia actus cum natura rationali, poterit eſſe bonus, vèl malus moralitèr, conſequentèr peccatum purè Philoſophicum non eſt repugnans metaphyſicè. Urg.: eò præcisè quòd quis agit contrà rectam rationem, non impræſcindibiliter operatur, adhùc virtualitèr, & interpretative, contrà legem æternam: ergo ità poſſet ignorare ipſam, ut non committeret culpam theologicam, ſeu Dei offenſam. Prob. antec.: operans poſſet ità eſſe paratus, ut nollet agere contrà rectam rationem, ſi cognoſceret legem æternam illud prohibentem: ergo non agit contrà illam virtualitèr, & interpretativè.

16 Ad arg. diſt. mai.: ſecluſa omni cognitione expreſa, & clara Dei ſub conceptu entis, quo melius excogitari non poteſt, adhùc poſſet homo operari bene, vèl male moraliter, conc.; ſecluſa omni cognitione ſaltèm implicita, & confuſa Dei ſub conceptu ſupremi Legiſlatoris, neg. mai.; ad cuius probat. diſt. antec.: operans iuxtà, vel contra prima principia mereretur laudem, vèl vituperium, quia ageret iuxtà, vèl contra dignitatem ſuæ naturæ rationalis, proùt moralitèr regulatæ à dictamine rationis intimante obligationem legis ęternæ; ſeù præceptum ſupremi Legiſlatoris, conc.; quia ageret contrà dignitatem ſuæ naturæ, vel phyſicè ſumptæ, vèl à ſe moralitèr regulatæ, & pręcipientis ſibi, neg. antec.. Ad conf. reſp. ex P. Viva cit. in trutina Theolog. ſuper illam propoſitionem damnatam, quòd hæc utroque pede claudicat, tùm in eo quod implicitè videtur ſupponere, tum in eo quod explicitè aſſerit. Videtur enim implicitè ſupponere, quòd poſsit peccatum aliquod attingi ut diſconve-

niens naturæ rationali abſque ullo reſpectu ad Deum offenſum; quia cùm advertere ad diſſonantiam peccati cum natura rationali ſit impreſcindibiliter advertere, quod peccatum illud ſit prorsus illicitum, atque adeò prohibitum à Deo, ut Legiſlatore ſupremo; ideò impoſsibile eſt odiſſe peccatum ob eius turpitudinem, & diſconvenientiam cum natura rationali, quin ſimùl odio habeatur ut prohibitum a Deo, & conſequenter ut Dei offenſivum, ſeù cum reſpectu ſaltèm implicito ad Deum offenſum.

17 Verum hoc tranſmiſſo, de quo eſt inter Theologos diſſentio; prædicta propoſitio claudicat in eo quod explicitè aſſerit, nempè quod peccet qui odio habet peccatum propter eius fœditatem, & diſconvenientiam cùm natura rationali præſcindendo ab eo quod ſit offenſa Dei: ſicùt etiàm peſsimè audit propoſitio afferens, non eſſe bonum odiſſe peccatum qua eſt inductivum gehennæ, præſcindendo ab alio motivo præſtantiori, nempè quia eſt offenſivum bonitatis Divinæ; quia utrumque conſonat rectæ rationi, atque adeò non ſolum non eſt peccatum, ſed eſt poſitivè honeſtum, cùm motivum utriuſque actus, quamvis non ſit præſtantiſsimum, tamen ſit poſitivè rectum. Conceſſo igitur antec. poſito in conſ., diſt. conſeq.: ſecluſo omni reſpectu explicito ad Deum ut infinitum bonum ſuper omnia diligendum, àc proinde ſine cognitione clara ipſius ſub tali cõceptu, explicitè attenta pręcisè convenientia, vel diſconvenientia actus cùm natura rationali, poterit ille eſſe bonus, vel malus moraliter, conc. conſeq.; ſecluſo omni reſpectu etiàm implicito ad Deum ut Legiſlatorem ſupremum, àc proinde ſine cognitione adhuc confuſa ipſius ſub tali conceptu, attenta, tam explicitè quã implicitè præcisè cõveniẽtia, vel diſconveniẽtia cum natura rationali, neg. conſeq.. Ad urgent. neg. antec., ad cuius probat. permiſ. antec., neg. conſeq.; quia etiàm tranſgrediens legem Divinam poſſet ſic eſſe comparatus, ut ſi actù cogitaret de ęterna pœna, non tranſgrederetur illam; & tamẽn tranſgrediens ipſam, vult virtualiter, & interpretative pœnam tali tranſgreſsioni annexam: unde ſimiliter operans contrà rectam rationem, licet poſsit eſſe ſic comparatus, ut non operaretur contra illam, ſi actù explicitè cognoſceret legem æternam, nihilominùs agit virtualiter, & interpretativè contra illam, utpotè per rec-

tam

tam rationem intimatam, & implicitè saltem, ac confusè cognitam.

QUÆSTIO II.

Utrùm de ratione omnis peccati sit esse contrà legem?

1 SUpponimus, quæstionem non procedere de eo quod de facto contingit; nam certum, & indubitatum est, quòd de facto omne peccatum est contra legem Dei, seù eius voluntatem præcipientem, vèl prohibẽtem; siquidem etiàm peccata, quæ dicuntur prohibita, quia mala, seù appellantur talia ab intrinseco, & ex natura sua, sunt prohibita per legem Dei æternam, tùm naturalem, tum positivam. Quarè difficultas solùm est de possibili, vèl de ratione metaphysica, seù essentiali peccati, nempè: àn de ratione peccati, formaliter quà talis, sit esse contra aliquam legem, ità ut omne peccatum sit formaliter tale, quia à lege prohibitum; adeo ut si per possibile, vèl impossibile non daretur, vèl invincibiliter ignoraretur lex prohibens illud, non esset formaliter peccatum, rèc in linea mali mortalis formaliter constitutum? Pro cuius retolut. sit.

2 Conclus.: de ratione formali peccati est esse contrà legem; ità ut lege secluſsa, vèl præcisa, non intelligatur ratio formalis peccati. Est communis Thomistarum, & Scotistarum cùm Angel., & Subt. Doct., contrà alios. Prob. 1. authoritate Sacræ Script., & S. S. P. P.: Psalm. 118. vers. 119. dicitur: *Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ*; sed prævaricatio est contra legem, seù recessus, & declinatio ab illa, sive transgressio illius; undè ait Apost. Ep. ad Rom. cap. 4.: *ubi non est lex, nèc prævaricatio legis*: ergo est essentiale omni peccato esse contrà aliquam legem, & consequenter contra legem Dei æternam, à qua derivatur, & vim obligandi habent omnes aliæ, quibus illa præcipit obedire. Hac ratione utitur M. P. Aug. conc. 25. dicens: *Si prævaricantes sunt omnes peccatores terræ, nullum est utiquè sinè prævaricatione peccatum; nulla est autem prævaricatio sine lege: nullum est igitur nisi in lege peccatum.* Simili discursu utitur D. Ambros. lib. 1. de Parad. cap. 8.. Præterea Apost. Epist. ad Rom. cap. 3. ℣. 20. ait: *Per legem enim cognitio peccati.* Et cap. 7. ℣. 7. inquit: *peccatum non cognovi, nisi per legem.* Item in Epist. 1. D. Ioan. cap. 3. dicitur: *Peccatum est iniqui-*

tas :: *declinatio à lege* : vertit translatio Græca. & M. P. Aug. lib. 2. de peccat. meritis : & remiſ. cap. 16. inquit: *Neque peccatum erit, ſiquid erit ſi non divinitùs iubeatur, ut non ſit.* Et lib. de libero arbit. cùm Evodius diceret : *aliqua eſſe vetita, quia mala* ; probat ipſe M. P. cap. 3., & ſequentibus *nihil eſſe malum, niſi quia prohibitum lege æterna*: ergo non ſolùm de facto, concomitanter, & à poſteriori, (prout reſpondent Adverſ.), ſed etiàm de poſsibili, formaliter, & à priori omne peccatum eſt contra legem, ità ut præciſivè ab illa nequeat intelligi peccatum formaliter; tale ut ex prædictis textibus,& authoritatibus infertur ſatis manifeſtè, àc etiàm ex dictis in quæſt. 1. huius tract.

3 Prob. 2. ex N. Subt. Doct. quem immeritò citant contrarij pro ſua opinione : in 2. d. 37. q. 1. §. *concedo igitur*, referens authoritatem M. P. Aug. lib. 1. *de duabus animabus*, nempè *Peccatum eſt voluntas conſequendi* ; *vèl retinendi quod iuſtitia vetat, & à quo liberum eſt abſtinere* : inquit Subt. Doct. : *Hoc eſt dictum brevitèr ; peccatum eſt velle vetitum* ; *ità quòd ipſa voluntas eſt ibi materialis, & pro tanto totum imputatur voluntati, quia totum eſt in poteſtate eius. Vetitum autem, vèl prohibitum, eſt ibi formale, quod ſignificat diſcordiam à regula ſuperiori.* Et in 4. d. 50. q. 2. n. 9. ait : *Quilibet ſecundùm rectam rationem tenetur ſervare Divinum præceptum, quandiù non eſt revocatum, & per conſeq. non facere peccatum in quocũque caſu; quia quodcumque peccatum eſt peccatum, quia eſt contrà præceptum Divinum*: ergo de ratione formali peccati, iuxta Subt. Doct., eſt eſſe contrà legem Dei ; ſeù eius præceptum.

4 Prob. 3. ratione: peccatum, formaliter quà tale, conſiſtit in privatione rectitudinis debitę ; ſed hoc debitum, ſeù obligatio, nequit eſſe niſi ab aliqua lege formaliter, & propriè tali: ergo ideò omne peccatum eſt formaliter tale, quia eſt contrà legem. Mai. probabitur in quæſt. ſequenti. Prob. min. : nullum eſt debitum morale, ſeù obligatio, quę non oriatur ab aliqua ratione ſuperiori, inducente illam obligationem ; ſed talis ratio ſuperior eſt intranſitivè, & formaliter lex : ergo. Conf. 1., ideò actus humanus eſt in genere moris formaliter rectus, & bonus, quia eſt conformis legi, ipſum regulanti : ergo ab oppoſito, ideo eſt moraliter malus, & formaliter peccaminoſus, quia eſt contra legem.

Conf.

Conf. 2.: ideò malum, tàm naturæ, quàm artis, eſt formaliter tale, quia deviat, recedit, ſeu dicit oppoſitionem cùm regulis artis, vel naturæ; ità ut nullum poſsit inveniri malum, niſi quatenus dicit talem deviationem, vèl receſſum: ergo ſimiliter peccatum, ſeu malum in genere moris, ideò eſt formaliter tale, quia eſt contrà regulas moralitatis. Sed iſtæ ſunt dictamen rectæ rationis, ſe habens *ut quo*, ſeù tanquàm intimatio legis, & ipſa lex, ſe habens veluti obligans, & regulans *ut quod*: ergo malum in genere moris, ſeù peccatum formaliter quà tale, conſtituitur per receſſum, ſeù deviationem à lege.

5 Prob. 4. odium Dei, mendacium, & ſimilia, non ſunt formaliter peccata, niſi recta ratio dictet hic, & nunc e ſe peccata; ſed recta ratio non dictat; hic & nùnc eſſe peccata, niſi quia prohibentur, & intimantur prohibita per aliquam legem: ergo. Mai. patet, tùm quia recta ratio eſt proxima regula moralitatis, ut conſtat ex tract. *de Actibus Humanis*; tùm, quia ſiquis erronèe invincibiliter iudicaret, mendacium, hic & nùnc non eſſe peccatum, non peccaret mentiendo Prob. min. primò: recta ratio non dictat, illa hic & nùnc eſſe peccata, niſi quia proponit obligationem vitandi illa, ſed non poteſt aliquid concipi ut obligans ad illud vitandum, niſi concipiatur ut prohibitum ab aliquo ſuperiore iubente illud vitare; nemo enim obligatur, niſi à Superiore: ergo. Prob. ſecundò illa min.: recta ratio non dictat, mendacium v. g. eſſe malum, & vitandum utpotè peccaminoſum, niſi medio hoc iudicio practico: *omne malum eſt fugiendum*; *mendacium eſt malum*: *ergo eſt fugiendum*; ſed ſic proponere, eſt dictare mendacium eſſe malum, quia ab aliqua lege prohibitum: ergo. Prob. min.: illud iudicium eſt unum ex principijs legis naturalis; cùm ſit regula practica nobis naturaliter indita, & ad quam obſervandam obligamur naturaliter: ergo cùm recta ratio dicter, mendacium eſſe peccatum, quia contrariatur illi principio, dictabit illud eſſe malum, quia eſt contra legem naturalem. Sed hæc eſt vera, & propria lex, ut conſtat ex tract. de Legibus: ergo.

6 Conf.: in tantùm aliquid eſt peccatum formaliter, ſivè malum in genere moris, in quantum eſt contrà conſcientiam, ſeù dictamen practicum rationis, utpotè regulam proximam moralitatis ſed conſcientia non eſt regula pro-

xima actionum humanarum, niſi in quantùm applicat, & intimat legem ſuperioris, quam ſequi tenemur, ſivè talis lex ſit naturalis, ſivè poſitiva, ſivè Divina, ſivè humana; ſiquidèm conſcientia non eſt propriè lex, nèc obligat ratione ſui, ſed ratione legis æternę, cuius eſt participatio, & intimatio applicans ipſam legem: ergo peccatum conſiſtit formalitèr in deviatione à lège æterna, quæ eſt prima regula moralitatis, & a qua derivantur aliæ leges, quæ que proponitur, & intimatur per dictamen rationis.

7 Prob. 5., & ſimùl impugnatur reſponſ. Adverſ.: ideò iuxtà illos, non eſt de ratione formali omnis peccati eſſe contrà legem quia aliqua ſunt formaliter peccata, eo quia præcisè diſconvenientia naturæ rationali, & prout talia oſtenduntur à recta ratione; ſed hoc eſt falſum in ſenſu, quem intendum Adverſarij: ergo. Prob. min.: ut aliquid ſit peccatum formalitèr, & malum in linea moris, non ſufficit, quòd ſit diſconveniens naturæ rationali ſecundùm ſe nude ſumptę, àc prout tale oſtendatur à dictamine rationis; ſed requiritur quòd ſit diſconveniens ipſi naturæ prout ſubiectæ legi ſuperioris, àc proùt ſic intimetur à recta ratione præcipiente, ſeù dictante obligationem: ergo nullum poteſt eſſe formaliter peccatum, eò quia præcisè diſconveniens naturę rationali ut nuda natura conſideratæ, àc ut tale præcisè oſtenſum à ratione, proùt intendunt Adverſarij; ſed quia diſconveniens ipſi naturæ ut ſubiectæ legi, ſeù prȩcepto ſuperioris, àc proùt tale intimatum à dictamine rationis, quòd eſt aſſumptum noſtræ ſententiæ. Prob. antec.: diſconveniens naturæ rationali ſecundùm ſe nudè ſuptæ, & proùt ſic prȩcisè oſtenſum à ratione, eſt purè malum phyſicum; ſeù naturale, non verò in linea moris: ergo. Prob. antec.: natura rationalis ſecundùm ſe nudè ſumpta, & non ſubiecta legi extrinſecæ ſuperioris, manet in ſtatu naturæ, quę non alitèr conſideratur quoad mores, quàm natura non rationalis, & quatenùs poteſt habere actiones ipſi convenientes, aùt diſconvenientes phyſicè, ſeù naturalitèr, quæ nèc bonæ, nèc malæ ſint in genere moris; nàm aliàs non haberet tales operationes naturales: ergo. Conf.: natura rationalis nequit eſſe ſibi ipſi regula primaria ſuarum operationum moralium, nèc Legiſlatrix, à qua oriatur eius moralis obligatio reſpectu talium

lium operationum ; proùt eſt manifeſtum : ergo bonitas, vèl malitia formalis ſuorum actuum in genere moris nequit conſiſtere in convenientia , vèl diſconvenientia cùm ipſa natura ſecundum ſe conſiderata; ſed proùt ſubiecta alicui legi extrinſecæ , & propriè tali, ſcil. legi æternæ Dei ; & conſequenter &c.

8 Arg. 1. D. Paulus in Epiſt. ad Rom. cap. 2. ℣. 12. ait : *Quicumque ſine lege peccaverunt , ſine lege peribunt:* ergo ſecluſa lege intelligitur formaliter peccatum. Conf. 1. ab Innoc. XI. damnatur hæc propoſitio , quę eſt 48. in ord., nempe : *Tàm clarum videtur, fornicationem ſecundùm ſe nullã involvere malitiam , & ſolùm eſſe malam , quia interdictam, ut contrarium omnino rationi diſſonum videatur* : ergo fornicatio ſecundum ſe , & præciſivè à lege interdicente , eſt formaliter peccaminoſa , & mala in genere moris. Conf. 2. M. P. Aug. *de lib. arb.* cap. 3. fatetur , adulterium non eſſe malum , quia prohibitum; ſed è contrà eſſe prohibitum, quia malum : ergo eius malitia præſupponitur ad omnem legem prohibitam. Conf. 3. iuxta omnes Theologos, aliqua obiecta ſunt mala quia prohibita , ut comeſtio carnis in die Veneris , omiſsio confeſsionis , & communionis in tempore Paſchatis , & alia huiuſmodi ; alia autem ſunt prohibita , quia ex ſe ſunt intrinſecè mala : ergo licèt illa ſint formaliter mala per oppoſitionem cùm lege ; iſta tamèn ſunt formaliter talia independentèr ab omni lege ; & conſequenter non eſt de ratione omnis peccati eſſe contrà legem.

9 Ad arg. explic. textum. *Quicumque ſine lege* poſitiva , nempe Moſayca , *peccaverunt , ſine* tali *lege peribunt* , conc. ; *quicumque ſine lege* etiam naturali *peccaverunt*, neg. hunc eſſe ſenſum ; cùm D. Paulus ibi expreſsè dicat, quod Gentiles , qui legem Moſaycam non habuerunt, naturaliter faciebant ea , quæ ſunt legis naturalis , & oſtendebant opus legis ſcriptum in cordibus ſuis. Unde diſt. conſeq.: ſecluſa lege poſitiva intelligitur formaliter peccatum contrà legem naturæ , conc. conſeq. , ſecluſa omni lege, tàm poſitiva ; quàm naturali, quæ eſt vere , & propriè lex, neg. conſeq.. Ad 1. conf. conceſ. antec., diſt. ſimiliter conſeq. : fornicatio ſecundum ſe, ut neceſſario ſubiecta juri, ſcilicèt legi naturali , & præciſive à lege poſitiva interdicente , eſt formaliter mala in genere moris , conc. conſeq. ; ſecundum

ſe nude ſumpta, ſeù non ſubiecta juri, ſivè legi naturali, & præciſivè à tali lege ipſam neceſſariò interdicente, eſt formaliter mala in genere moris, neg. conſeq.; quæ in hoc ſenſu non infertur ex damnatione illius propoſitionis, quę aſſerebat fornicationem ſecundùm ſe, ſivè attento ſolo jure naturæ, ac ſecluſſa lege poſitiva ipſam prohibente, nullam malitiam involvere; quod toto cœlo diſtat à noſtra opinione. Ad 2., & 3. conf. ſimiliter explic. antec.: iuxta M. P. Aug., adulterium non eſt malum, quia prohibitum lege poſitiva, ſed prohibitum tali lege, quia malum ex jure, & lege naturali; ac iuxtà omnes Theologos, aliqua ſunt mala, quia prohibita jure poſitivo, & alia ſunt prohibita tali jure, quia mala ex lege naturæ, conc. antec.: iuxta M. P. Aug., & Theologos, adulterium non eſt malum, quia prohibitum lege naturali, ſed prohibitum tali lege, quia malum in ſe, & independenter à tali lege, ſubdiſt: quia malum in linea naturæ, conc.; quia malum in genere moris, iterùm ſubdiſt.: exigitivè, & fundamentaliter, conc.; completè, & formaliter, neg. antec.; & conſeq. ſub eadem diſtinct..

10 Replic.: odium Dei, periurium, & alia quæ ſunt mala ab intrinſeco, antecedenter ad omnem prohibitionem legis, etiàm naturalis, ſunt quid formaliter malum in genere moris: ergo nulla eſt ſolutio. Prob. antec. primò: antè omnem actum Divinæ voluntatis odium Dei à Divino intellectu cognoſcitur ut formaliter malum in genere moris; ergo eſt tale ante omnem prohibitionem legis, etiàm naturalis. Antec. patet; quia Divinus intellectus cognoſcit res prout ſunt in ſe, & non ſunt bona, vèl mala, quia ità cognoſcuntur à Deo, ſed è contrà ideò ità cognoſcuntur, quia in ſe bona, vèl mala ſunt. Conſeq. eſt legitima; quia per nos lex, etiàm naturalis, eſt actus voluntatis Legiſlatoris. Prob. ſecundo illud antec.: odium Dei antecedenter ad omnem prohibitionem factam per quamlibet legem, eſt diſſentaneum naturæ rationali, & difforme rectę rationi; ſed hoc ipſo eſt formaliter malum in genere moris; tum, quia eò præcisè iàm adeſt debitum ut vitetur odium Dei; tùm quia ex dictis in tract. *de Actibus Humanis*, malitia formalis in genere moris conſiſtit in difformitate actus ad dictamen rectæ rationis: ergo. Prob. tertiò illud primum antec.: *oppoſitorum eadem eſt ratio per*

op-

oppoſitum; ſed amor Dei eſt formaliter bonus in genere moris independenter à quacumque lege præcipiente: ergo odium eſt malum ſimiliter. Prob. min.: ideò Deus indicat, ſe eſſe honeſtè amandum in genere moris, quia talis amor eſt debitus, & honeſtus ſecundùm ſe, & independenter ab omni præcepto, ſeù lege: ergo.

11 Ad replic. neg. antec.; ad cuius 1. prob. neg. antec.; quia odium Dei antecedenter ad actum Divinæ voluntatis illud prohibentis cognoſcitur à Divino intellectu proùt in ſe intrinſecè eſt, nempè ut malum in linea naturæ, ac exigitivè, & fundamentaliter tale in genere moris, ſeù dignum, & exigens prohiberi à Divina voluntate ſtatuente legem naturæ; ac proindè antecedenter ad ipſam nequit cognoſci ut formaliter malum in genere moris, ſicùt nèc devians ab obligatione legis, atque à regulis moralitatis. Ad 2. probat. antec. diſt. mai.: odium Dei antecedenter ad omnem prohibitionem eſt diſſentaneum naturę rationali ſecundùm ſe nudè ſumptæ, & ut natura eſt, ac difformè rationi ſpeculativè rectæ, purè oſtendenti malitiam naturalem talis actus, conc. mai.; eſt diſſentaneum naturæ rationali ut ſubiectæ regulis moralitatis, & difformè rationi practicè rectę, præcipienti, aùt intimanti obligationem talis actus vitandi, neg. mai.; & diſt. min.: hoc ipſo, quod odium Dei ſit diſſentaneum naturæ rationali ut ſubiectæ regulis moris, & difformè rationi practicè rectæ, præcipienti, ſeù intimanti obligationem, ſeù debitum morale vitandi talem actum, proùt à lege prohibitum, iſte eſt in genere moris formaliter malus, conc. min.; hoc ipso, quod odium Dei ſit præcisè diſſentaneum naturæ rationali ſecundùm ſe nudè ſumptæ, & difformè rationi ſpeculativè rectę, purè oſtendenti malitiam naturalem talis actus, iſte in genere moris eſt formaliter malus, neg. min.; & conſeq.. Ad 3. probat. primi antec. conced. mai., neg. min.; nàm ut ait M. P. Aug. *de lib. arb.* cap. *6. nihil eſt iuſtum, vèl legitimum, quod non ex lege æterna derivatur*: ex quo ad probat. min. diſt. antec.: ideò Deus indicat, ſe eſſe honeſtè formaliter amandum in genere moris, quia talis amor eſt fundamentaliter, & exigitivè debitus, & honeſtus ſecundùm ſe, ac ſimùl completè, & formaliter in linea moris ex lege, conc.; quia talis amor præcisè ſecundùm ſe eſt comple-

tè, & formaliter debitus, & honeſtus in linea moris, neg. antec.; & conſeq..

12 Inſtabis 1. malitia fundamentalis, & dignitas ut prohibeatur odium Dei, non eſt mera capacitas ut prohibeatur; nàm alias non differret ab actibus ab extrinſeco malis, ſeù malis quia prohibitis; ſed ultrà meram capacitatem prohibitionis nequit eſſe aliud, quàm malitia formalis talis actus in genere moris: ergo eam habet pro priori ad omnẽ prohibitionem. Inſt. 2. per nos odium Dei, & ſimilia, pro priori ad legem æternam non ſunt peccata, nèc mala moraliter: ergo poſſet Deus velle illa, cùm poſsit velle ea, quæ non ſunt moraliter mala. Inſt. 3. ex noſtra ſententia ſequeretur, quod odium Dei, & alia huiuſmodi poſſent licitè fieri; ſed hoc eſt abſurdum: ergo. Prob. ſequela; ideò per nos nequeunt illa licitè fieri, quia ſunt à Deo prohibita; ſed prohibitio eſt actus liber, qui poteſt non poni: ergo.

13 Ad 1. inſtant. conceſ. mai., neg. min.; quia malitia fundamentalis, & dignitas ut prohibeatur odium Dei, eſt aptitudo proxima, & exigentia neceſſaria talis prohibitionis, per quam ponitur complete, & formaliter in ratione mali moralis; & per illam exigentiam diſtiguitur ab actibus ab extrinſeco malis, & habentibus meram capacitatem, & congruentiam ad prohibitionem. Ad 2. inſt. conceſ. antec. neg. conſeq.: quia odium Dei, & alia huiuſmodi; licèt pro priori ad legem æternam non ſint formaliter peccata, nèc mala complete in genere moris, tamèn ſunt ex ſe talia fundamentaliter, & exigitivè, àc oppoſita Divinis Attributis; atque adeò nullatenùs poteſt Deus illa velle, & non poteſt non illa prohibere. Ad 3. inſt. neg. ſequelam, & diſt. mai. probat.: ideo nequeunt illa licitè fieri quia ſunt à Deo prohibata lege naturali, quę eſt verè, & propriè lex aliunde neceſſario lata ex ſuppoſitione conditionis creaturę rationalis, conc. mai.; quia ſunt à Deo prohibita præcisè lege poſitiva, & contingenti, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: prohibitio facta per legem poſitivam eſt actus liber, qui poteſt non poni, conc. min.; prohibitio facta per legem naturalem, ſubdiſt.: eſt actus liber abſolutè, ſimpliciter, & antecedenter, ſeù præciſivè à conditione creaturæ rationalis, conc.; eſt actus liber conſequenter, & eſt ſuppoſitione creationis naturæ rationalis, neg.

neg. min.; ut conſtat ex tract. antec. loquendo de lege naturali.

14 Arg. 2. fingatur hypoteſis (uti fingitur ad inveſtigandas rerum eſſentias) quod exiſteret creatura rationalis, & Deus nihil ei preciperet, aùt prohiberet. Inquiro: *Si Deum odio haberet, blaſphemaret &c. tùnc caſus peccaret, vèl non?* Si primum: ergo lex æterna non eſt primum principium, à quo pendet bonitas, vèl malitia moralis, ſeù non eſt de eſſentia, ſive ratione formali omnis peccati eſſe contra legem. Si ſecundum videtur abſurdè dici; tùm, quia illa eſſentialitèr, & ex terminis ſunt mala moraliter; tùm quia nequit negari, quòd illa tùnc forent vituperabilia, in quo apparet proprietas moralitatis; tùm, quia illa eſſent offenſa Dei, & ideò formalitèr mala in genere moris: ergo: Conf.: lex æterna, invincibilitèr ignorata, perindè ſe habet, ac ſi non eſſet; cùm lex non intimata, aùt non ſcita, non obliget; ſed laborans tali ignorantia, & operans contrà conſcientiam, vèl Deũ contemnens, aùt quemlibet alium ſuperiorem, peccaret; cùm omne quod non eſt ex fide, nempè contrà conſcientiam, ſit peccatum: ergo.

15 Ad arg. reſp. 1. neg. hypoteſim, utpotè repugnantem per locum intrinſecum, & ex proprijs terminis, nẽpè quod exiſteret creatura rationalis, compos rationis, & ordinata ad ſuum ultimum finem, & quòd careret omni lege, ſeù regula, & menſura neceſſaria ſuarum operationum ad ſe convertendum ad talem finem, & ad illius affecutionem; nàm tùnc eſſet ordinata, & non ordinata ad talem finem; eſſet compos rationis practicæ applicantis regulam ſuarum operationum, & non eſſet compos talis rationis, utpotè carens omni lege, quæ eſt regula neceſſaria illarum. Reſp. 2. admiſſa hypoteſi, quòd tùnc caſus homo non peccaret; quia, iuxtà Apoſt., ubi non eſt lex, nèc prævaricatio; & ubi non eſt prævaricatio, nèc peccatum, ut conſtat ex noſtris probat.; nèc actus odij Dei, blaſphemiæ &c. ſunt formalitèr mali in genere moris, vituperabiles, & offenſivi Dei, niſi quatenùs intimantur à recta ratione ut vitandi ſub obligatione, & debito morali orto ex lege, quæ eſt regula directiva, & obligatoria ad ſui conformitatem. Ad conf. neg. ſuppoſitum mai., ſcil. quòd lex æterna naturalis poſsit penitùs invincibilitèr ignorari ab homine rationis compote, & capace peccati, ut conſtat ex tract. an-

antec.. Cæterùm conceſ. mai. neg. min., quæ plura falſa includit, nempè quòd laborans ignorantia invincibili omnis legis, etiam naturalis, poſſet operari contrà conſcientiam, quæ eſt dictamen practicum rationis dictans, aliquid hic & nunc eſſe ſub obligatione faciendum, quod nequit ſtare cùm invincibili ignorantia omnis legis, à qua oriatur obligatio; ſicùt etiam eſt falſum, quòd ille poſſet contemnere Deum, vèl alium ſuperiorem, cùm ſupponatur invincibiliter ignorans omnem legem, per cuius tranſgreſsionem poſſet ille contemptus verificari; ac demùm falſum eſt, quòd ignorans invincibiliter legem naturalem peccaret, ut patet ex 2. propos. damnata ab Innoc. XI. ſcil.: *tametſi detur ignorantia invincibilis juris naturæ, hæc in ſtatu naturæ lapſæ operantem ex ipſa non excuſet a peccato mortali.*

16 Arg. 3.: ſi de ratione omnis peccati foret eſſe contra legem, nullum eſſet peccatum, quòd non haberet malitiam inobedientiæ; ſed hoc non eſt dicendum: ergo. Mai. conſtat; quia malitia inobedientiæ eſt receſſus à lege, ſeù non adimpletio eiuſdem. Min. etiam patet; quia aliàs omnia peccata eſſent eiuſdem ſpeciei, aùt haberent duplicem malitiam, unam contra illam virtutem, cui unumquodque adverſaretur, & aliam contrà obedientiam, cui omnia opponerentur. Conſ.: ſi lex æterna eſſet prima regula moralitatis, omnis actus virtutis in nobis eſſet ſtricta obedientia; ſed hoc eſt falſum, cùm obedientia ſit ſpecialis virtus: ergo. Mai patet; quia actus à Deo lege æterna præceptus, & aliunde cum cognitione legis honeſtè elicitus eſt actus obedientiæ

17 Reſp. 1., quòd arg. nimis probat, ſcil. nullum fore actum ab extrinſeco malum, ſeù quià prohibitum, qui non haberet ſpecialem malitiam inobedientiæ; quod non concedent Adverſarij, vèl ſi hoc non eſt inconveniens contrà illos concedentes, actus ab extrinſeco malos eſſe peccaminoſos quia prohibitos, nèc etiàm contrà nos affirmantes, actus ab intrinſeco malos eſſe formaliter peccaminoſos, quia prohibitos. Reſp. 2. directè diſt. mai.: nullum foret peccatum, quod non haberet malitiam inobedientiæ generaliter ſumptæ, indiſtinctam, & implicitam in malitia peculiari uniuſcuiuſque peccati, cõc. mai.; haberet malitiam inobedientiæ ſpecialis, ſeù ſpecialiter ſumptæ, diverſam à malitia propria, & ſpeciali

uniuſcuiuſque peccati, neg. mai.; & applicata diſtinct. ad min., neg. conſeq. Ad conf. neg. mai.; & diſt. eius probationem: actus lege æterna præceptus, & aliunde cùm cognitione legis; ac ex directa intentione propter authoritatem præcipientis elicitus, eſt obedientia, conc.; cùm ſola cognitione legis, ac ſine directa intentione eliciendi illam propter authoritatem præcipientis, ſubdiſt.: eſt actus obedientiæ generaliter, & latè ſumptæ, conc.; obedientiæ ſtrictæ, & ſpecialis, neg..

18 Solutio eſt Angel. Doct. in 2. d. 35. q. 2. art. 2., & Subt. Mag. in 4. d. 22. q. un. art. 3. verſ. *ad 2. dico*, ubi ait: *poſſibile eſt, recidivantem* (*ſeù iterum* in peccatum labentem) *peccare pluribus peccatis, vèl quaſi pluribus, ſi ex deliberatione agat contrà legem communem, & contrà legem gratitudinis, & contrà legem promiſsi; ſed communiter non ſic peccatur, quia peccans communiter non appetit niſi delectationem, licèt inordinatè, & vellet illi delectationi non eſſe annexas tot prohibitiones; & iſto modo omni peccato coniungitur inobedientia, & contemptus, odium Dei, & ingratitudo, & huiuſmodi; non quòd peccator habeat tunc actum elicitum pertinentem ad ſingula iſtorum, ſed implicitè, in quantum vult aliquid, ad quod quodammodò concomitantur hæc omnia.* Ex quibus patet, quòd ſicut faciens eleemoſinam ſibi à lege præceptam, non tamèn reduplicativè quia præceptam, nèc intentione directa, & expreſſa obediendi legi, & obſequendi Legiſlatori, ſed ex motivo ſolo miſericordiæ, ille quamvis adimpleat præceptum, tamèn non elicit actum obedientiæ ſtrictæ, & proùt eſt virtus ſpecialis; ità nèc ille, qui tranſgreditur præceptum ſine animo directo, & expreſſo tranſgreſsionis illius, & non obſequendi præcipienti, committit peccatum ſpecialis, & ſtrictę inobedientiæ.

19 Replic.: ideò; iuxta ſolutionem, in quolibet peccato, quamvis ſit contra legem, non reperiretur ratio inobedientię ſpecialis, quia ad contrahendam huiuſmodi malitiam eſſet neceſſaria intentio formalis, expreſſa, & directa; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min.: iuxta dicta in tract. *de Actibus Humanis*, licèt ad refundendam bonitatem in actum requiratur intentio formalis, & expreſſa, iuxta illud: *bonum ex integra cauſa*; tamèn ad refundendam malitiam ſufficit intentio virtualis, & indirecta, iuxtà illud: *malum ex quocumque defectu*: ergo,

go. Resp. ex Subt. Doct. proximè cit. ; & in eodem 4. d. 17. q. un. num. 20. conces. mai. , neg. min. ; ad cuius probat. dist. antec. quoad 2. part. : ad refundendam malitiam alicuius circunstantiæ specialis, quæ non includitur in quolibet peccato , & prohibetur prohibitione speciali, & distincta, ac obiectum , cui per accidens coniungitur , sufficit intentio virtualis , seù voluntarium indirectum , conc. antec. ; ad refundendam malitiam circunstantiæ generalis, quæ includitur in omni peccato , & non prohibetur prout sic speciali prohibitione distincta ab ea , qua prohibetur obiectum , uti sunt inobedientia , ingratitudo, offensa , contemptus Dei , & aliæ similes, neg. min. : nàm de his non intelliguntur dicta in tract. *de Actibus Humanis* , cùm de illis non verificetur eadem ratio , ac de circunstantijs specialibus , de quibus ibi loquebamur.

20 Arg. 4. : peccatum veniale est proprie peccatum; sed istud non est contra aliquam legem , vel præceptum: ergo. Prob. min. : quod est unicè contra consilium non est contra verum præceptum , ut est notum ; sed peccatum , veniale est unicè contra consilium ; ergo. Prob. min. : Subt. Doct. in 2. d. 21. q. 1. §. *Dico ergo , ait : Sed alia est deordinatio , quæ potest esse respectu finis sequendi , quæ non est necessaria , sed utilis , quæ non est de præcepto , sed potiùs de consilio , & deordinatio opposita huic est peccatum veniale* : ergo iuxta Sub. Doct. , peccatum veniale non est contrà præceptum , sed unicè contrà consilium. Conf. : eadem per oppositum debet esse ratio formalis peccati , & actus recti ; sed opera consilij sunt recta moraliter , quin regulentur lege æterna , siquidem non sunt præcepta , nec prohibita, ergo similiter non est de ratione omnis peccati , quod sit contrà legem æternam.

21 Resp. ad arg. ex ipso Subt. Doct. conces. mai. , dist. min. : peccatum veniale non est contra aliquam legem , vel præceptum ità rigorosum , ut obliget ad aliquid necessarium ad consecutionem ultimi finis, sicùt est peccatum mortale, conc. ; non est contrà aliquam legem , vel præceptum minùs strictum , obligans saltèm ad aliquid utile pro consecutione finis ultimi , neg. min. ; ad cuius probat. dist. mai. : quod est unicè contra consilium stricte, & absolute sumptum pro monitione libera ab omni obligatione materiæ etiam utilis ad finem consequendum , non

est

est contrà præceptum, conc.; quòd est unicè contrà consilium latè, & comparativè captum pro monitione obligante ad aliquid utile ad finem, subdist.: non est contrà præceptum rigorosè acceptum pro obligatione simpliciter ad aliquid necessarium ad finem, conc.; non est contra præceptum minùs strictè sumptum pro obligatione secundùm quid ad aliquid utile ad finem, neg. min.. Per quod patet ad probat. ex Subt. Doct., iuxtà quem, sicùt datur duplex præceptum, quorum unum est simpliciter, & strictè tale, obligans ad aliquid simpliciter necessarium, cuius transgressio est peccatum mortale; & aliud est secundùm quid, & minùs stricte tale, obligans ad aliquid utile, cuius transgressio est peccatum veniale: ità etiam datur duplex genus consilij, quorum unum est absolutè, & simpliciter tale, absque ulla prorsus obligatione ad aliquid etiam aliunde utile ad finem; alterum vero secundùm quid, & comparativè tale, quod est liberum ab obligatione simpliciter ad aliquid necessarium ad finem, sed obligat ad aliquid utile; & in hoc secundo sensu sumitur consilium à Subt. Doct. dicente, peccatum veniale esse contrà consilium comparativè ad peccatum mortale, quod est contra rigorosum præceptum simpliciter obligans ad aliquid necessarium.

22 Ad conf. dist. mai.: eadem per oppositum proportionaliter, & cùm aliqua disparitate, debet esse ratio peccati, & actus recti, conc.; eadem cùm omnimodà paritate, neg. mai.; quia ad rationem peccati requiritur, quod sit contrà legem prohibentem, & obligantem, seù inducentem debitum morale; attamèn ad rationem actus recti non requiritur, quod sit conformis præcisè legi præcipienti, & obliganti, nàm si adimplere id quod illa præcipit est bonum, melius erit exequi etiàm id, quod cùm non sit debitum, conducit ad magis exactam eius adimpletionem, & ad assecutionem finis. Sed neg. absolutè min.; quia licet opera stricti consilij non sint præcepta, nèc prohibita, tamèn regulantur lege æterna, utpotè ibi contenta tanquàm conducentia ad melius observandam legem, & securius assequendum finem.

23 Ex dictis colligitur 1. quòd in omni peccato includitur aliqua aversio à Deo, simpliciter quidem in peccato mortali, & secundùm quid, quæ vocatur diversio, in peccato veniali; cæterum talis aver-

averſio non eſt formalis, ſed tantùm virtualis; quatenùs peccator avertens ſe ab illo neceſſario, vèl utili ad ultimum finem, præcepto per Divinam legem, ab ipſo Deo ſe avertit virtualitèr, & interpretativè; ut inquit Subt. Doct. in 2. d. 27. q. 1. §. *Ex illa ſolutione.* Sed quia ideò peccator ſe avertit virtualitèr à Deo, quia ſe convertit ad bonum utile, vèl delectabile creatum; propterea ultra averſionem à Deo, ſeù bono incommutabili; ut inquit M. P. Aug., regulariter etiàm reperitur in peccato converſio ad creaturam, ſeù bonum commutabile, iuxta illud Ieremiæ cap. 2. *Duo mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ vivæ*: (dicit Dominus, & ecce averſionem ab ipſo) *& fecerunt ſibi ciſternas diſſipatas, quæ continere non valent aquam* (ecce converſionem ad creaturam).

24 Collig. 2. omne peccatum eſſentialiter includere rationem offenſæ, & injuriæ contrà Deum, ut conſtat ex ſacra Script., S.S. P.P.; & ulterius patet ex eo, quod cùm omne peccatum eſſentialiter ſit prævaricatio, & tranſgreſſio Divinæ legis intimatæ per dictamen practicum rectæ rationis, & qui contradicit formaliter legi, offenſam committat, ac injuriam faciat Legiſlatori; ideò omne peccatum eſt offenſa, & injuria contrà Deum, cognitum ſaltèm implicitè, & confusè, ut Legiſlatorem ſupremum. Inſuper peccatum includit rationem *ingratitudinis* ergà Deum beneficum; *rebellionis* in Dominum ſupremum; *inobedientiæ* in præceptorem, & legiſlatorem; *iniuſtitiæ, ac iniquitatis* in eum, cui negat debitum obſequium; & *ſuperbiæ*, cùm peccator velit virtualitèr, aùt interpretativè, ſe Deo æquare, imò, & præferre, quia vult, voluntatem ſuam præferri voluntati Dei, non obediendo ipſi; ut inquit Subt. Doct. in 2. d. 21. q. 2. in fine.

QUÆSTIO IV.

In quo conſiſtat formalitèr peccatum actuale?

1 CUM nihil notius ſit apud Theologos, & Philoſophos Morales, quàm quòd peccatũ actuale eſt quoddam malum morale, tamèn nihil ignotius, & magis controverſum apud ipſos, quàm conſtitutivum formale illius. Hæc autèm controverſia eſt adeò antiqua, ut referatur exagitata inter D. Petrum Apoſt., & Simonem Magum in illa ſolemni diſputatione Romæ habita

bita inter utrumque; ea tamen despecta fuit ab Apost., qui Simoni Mago interroganti: *Quid est peccatum? Est ne natura aliqua positiva, an verò solùm privatio naturæ?* Respondit: *Non præcepit nobis Dominus requirere naturam peccati; sed docere, quomodo fugiendum sit.* Cæterum non solùm Philosophi Morales, sed etiàm Theologi, sequentes vestigia Patrum, illam acritèr disputant, & ità inter se discordant, ut eam valdè difficilem reddant; ut autèm claritate, & brevitate possibili procedamus in illa.

2 Supponimus 1., quòd licèt difficultas præsens præcipuè sit circà peccatum commissionis; nàm de peccato omissionis omnes concedunt, consistere formalitèr in privativo; per hoc enim quòd homo nō eliciat actum præceptum, nèc voluntas se conformet legi præcipienti, seù præcepto affirmativo, peccat peccato omissionis; verum quia in isto possunt considerari plures negationes, ideò circa ipsum potest etiam esse difficultas, in quanam illarum formalitèr consistat. Supp. 2., quod in peccato commissionis reperiuntur plura, de quibus potest procedere difficultas proposita. Primo ipsa entitas Physica actus liberè à voluntate eliciti circà obiectum lege prohibitum, quæ quid positivum est, fundat que respectum positivum, tùm ad voluntatem elicientem actum deformem legi, tùm tendentię positivæ ad obiectum dissonum ipsi, quæ quidem tendentia appellatur conversio ad creaturam, seù bonum commutabile, & supponit, vèl infer aversionem, saltèm interpretativam, & virtualem à Deo, seù bono infinito, & incommutabili. Secundò reperitur deformitas ad legem, cùm qua actus debebat conformari. Tertio reperitur privatio rectitudinis debitæ ipsi actui; voluntas namque ex lege est debitrix, & obligata ad rectè operari. Quartò reperitur in peccato mortali privatio gratiæ, & aliorum donorum, cùm quibus tale peccatum non compatitur. Quinto reperitur dignitas, debitum, seù reatus pœnæ. Et cum ex his aliqua sint privativa, alia verò positiva, dubitatur: àn consistat in aliquo positivo, an in privativo, àn verò in otruque simùl? Et supposito, quòd in privativo consistat, quale sit illud privativum, seù in cuius privatione consistat formalitèr peccatum? Pro cuius clariori resolutione seorsim tractabimus utramquè difficultatem in duplici sect., quarum sit.

SECTIO I.

An peccatum actuale consistat formaliter in positivo: an autem in solo privativo?

3 CONCLUS. : peccatum, etiàm commissionis, seù eius malitia moralis consistit formaliter in solo privativo. Sic quàm plures Thomistæ, tàm ex antiquis, quàm ex modernis, quos refert Mag. Ferre, & sequitur Mag. Aliaga, citantes D. Thomam; àc etiam plures Iesuitę, & omnes Scotistę (exceptis Poncio, Boivin, & Durand) cum NN. D. Bonav., Alexandro Alensi, & Subt. Doct.; contra alios tàm ex Thomistis, quàm ex Iesuitis. Prob. 1. authoritate S.S. Patrum: M. P. Aug. in Enchiridio cap. 9. ait: *Quid est autem aliud, quod malum dicitur, nisi privatio boni? nam sicùt corporibus animalium nihil aliud est morbis, & vulneribus affici, quàm sanitate privari, ità etiàm animorum quæcumque sunt vitia, naturalium sunt privationes bonorum.* ergo universalitèr loquendo, iuxta M. P. Aug., malum consistit formaliter in privatione; & consequentèr ratio formalis peccati, seù eius malitia moralis consistit formaliter in privatione. Itèm ipsè M. P. lib. 12. de civ. Dei cap. 7. inquit: *Nemo ergo efficientem causam malæ voluntatis quærat; nèc enim est causa efficiens, sed deficiens*: sed si ratio formalis peccati esset quid positivum, posset, & deberet assignari causa efficiens illius pro formali; cùm nulla sit entitas positiva, quæ causam efficientem non habeat: ergo. Prętereà ibi docet: idem esse velle invenire causam efficientem peccati, àc si quisquam vellet videre tenebras, vèl audire silentium; sed illa non possunt in se videri, nèc audiri, quia sunt purę privationes: ergo nèc peccatum effici, quia in privativo consistit. Totus discursus est Aug. dicentis: *Causas porro defectionum istarum, cùm efficientes non sint, sed deficientes, velle invenire tales, idem est, àc si quisquam vellet videre tenebras, vèl audire silentium; quod tamen utrumque nobis notum est, neque illud nisi per oculos, neque hoc nisi per aures, non sanè in specie, sed in speciei privatione cognosci potest.*

4 Concordant alij P.P. nàm D. Dionys. de Divin. Nom. cap. 4. ait: *nèc enim malum est appetitus, sed veri appetitus declinatio; atque ut summatim dicam, malum (quemadmodùm sæpè diximus) infirmitas, imbecillitas, privatio est,*

eſt, aùt ſcientiæ, aùt fidei, aùt appetitus, aut bonæ actionis. Greg. Nyſen. orat. Cathechetica cap. 5. 6., & 7. inquit: *vitium omne, & improbitas in boni privatione ſuam habet formam.* Baſil. in Conſtit. Monaſt. cap. 3. aſſerit: *vitium nihil aliud eſt, quam virtutis deſſertio.* Et Hom. 6. *malum boni privatio eſt.* Nazianzen. orat. 3. ait: *malum boni privatio eſt, ſicut tenebræ lucis abſentia.* Fulgentius lib. *de fide ad Petrum* cap. 21.: *Malum nihil aliud eſt, niſi boni privatio.* D. Anſelmus lib. *de conceptu virg.* cap. 5. *ſicut iniuſtitia non eſt aliud, quàm abſentia debitæ iuſtitiæ, ità malum non eſt aliud, quàm abſentia debiti boni.* Et lib. *de concordia præcientiæ cum lib.* arb. cap. 1. inquit: *Non eſt iniuſtitia qualitas, aut actio, aut aliqua eſſentia, ſed tantum abſentia debitæ iuſtitiæ*: D. Bonav. in 2. d. 34. art. 2. q. 3. aſſerit: *malum, ſivè peccatum in recto, ſivè prædicatione formali non eſt aliquid, ſed nihil, quia non eſt ens, nec bonum, ſed privatio boni*: ergo iuxtà ipſos, formalis ratio, ſeù malitia moralis peccati conſiſtit in privatione.

5 Reſp. primò Adv., Patres ſic loqui contrà Manichæos, qui exiſtimabant, peccatùm eſſe aliquam ſubſtantiam, vel naturam; quarè contrà illos aſſerunt, peccatum eſſe nihil, ſeù non eſſe ſubſtantiam, vèl naturam; non verò dicunt, non eſſe actum poſitivum, ſeù operationem accidentalem naturæ ſubſtantialis. Contra 1.: non omnes P.P. allegati agebant contra Manichæos; nam D. Dionyſ. illos præceſſit, & tamen aſſerit, peccatum eſſe privationem: ergo reſpons. non tenet. Contrà 2.: P. P. contrà Manichæos ponebant Deum authorem omnium rerum; non verò peccati, quia nihil eſt: ergo loquuntur non ſolum de natura, ſeù ſubſtantia, ſed etiàm de qualibet re, aùt entitate poſitiva. Antec. patet ex Aug. ſuper illud Ioan. cap. 1.: *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*: ubi ait: *peccatum per ipſum factum non eſt; & manifeſtum eſt, quòd non eſt*; nempe non eſt aliquid poſitivum. Conſeq. eſt legitima; quia per ly *omnia* intelligitur quælibet res, aùt entitas poſitiva.

6 Contra 3.: Patres per naturam, aùt ſubſtantiam intelligebant id, quòd habet eſſe, ſeù eſſentiam in ſuo genere; ſed actus poſitivus, ſeù operatio accidentalis habet eſſentiam in ſuo genere: ergo P.P. illud negantes de peccato, id cõſtituebant in negativo. Prob. mai.: Aug. lib. 1. *de moribus*

Manich. cap. 2. ait: *Nam & ipſa natura nihil eſt aliud, quàm id quod intelligitur in ſuo genere aliquid eſſe; itaque ut nos iam novo nomine ab eo quod eſt eſſe vocamus eſſentiam, quàm plerumque ſubſtantiam vocamus* (ſumit ſubſtantiam latè pro qualibet eſſentia, ſeù eſſe), *ita veteres, qui hæc nomina non habebant, pro eſſentia, & ſubſtantia, naturam vocabant*: ergo. Contra 4.: P. P. aſſerunt, malitiam moralem eſſe privationem boni, ſicut tenebræ ſunt privatio lucis, & ſilentium eſt carentia ſonus; ſed iſtæ ſunt privationes entitatis poſitivæ, etiàm accidentalis: ergo.

7 Reſp. 2.: P. P. non fuiſſe loquutos de ratione formali peccati in eo rigore, in quo nùnc diſputatur à S. holaſticis; ſed explicaſſe illius naturam per privationem conſequentem illud poſsitivum, in quo conſiſtit formaliter peccatum. Contra 1.: quotieſcumque P. P. agunt de peccato, ſemper aſſerunt in recto, & prædicatione formali, quod peccatum eſt nihil, & pura privatio boni: ergo loquuntur de eius ratione formali; nàm aliàs valdè impropriè illud explicarēt, loquendò ſemper conſequenter, & à poſteriori, nunquàm verò formaliter. Contra 2.: M. P. Aug. cit. in Enchir. inquirens, *quid ſit malum, ſeù peccatum, aùt quę eius natura?* Dicit: *Quid eſt autem aliud, quod malum dicitur, niſi privatio boni?* Et lib. 11. *de Civ. Dei* cap. 9. ait: *Mali enim nulla natura eſt, ſed amiſsio boni mali nomen accepit*, ſed hoc eſt manifeſtè excludere ab eius ratione formali omnem prorsùs entitatem poſitivam, & aſſerere quòd ſola priratio eſt ratio formalis, in qua conſiſtat: ergo nulla eſt reſponſ. data, ſicut & aliæ, quæ coincidunt cùm ipſa, & facile impugnari poſſunt ex dictis ad illam.

8 Reſp. 3. alij. cùm Cayetano, & diſtingunt duplex malum, quorum unum eſt ſimpliciter, & abſolute tale, ac oppoſitum bono tranſcēdētali, & utpote formaliter importans carentiam omnis bonitatis, dicunt conſiſtere in mera privatione; aliud verò ſolùm reſpectivè tale, quod licèt in ſe ſit abſolutè bonum, tamen eſt malum alteri, quatenùs ab eo removet aliquam bonitatem, & ideò dicunt conſiſtere in aliquo poſitivo contrariè oppoſito bonitati particulari, quamvis ex conſequenti importet aliquam privationem. Inſuper aſſerunt, peccatum, & eſſe malum abſolutè, & ſimpliciter, ac prout ſic conſtitui per privationem; & eſſe malum reſpectu naturæ rationalis, qua ratione, dicunt,

eſſe

esse propriè malum morale, & constitui per tendentiam positivam ad obiectum dissonum rationi. Iuxta quam doctrinam resp., P.P. loqui de malo simpliciter, & absolute, non autem de malo respectivè, qualiter peccatum est propriè malum morale.

9 Contrà 1. P.P. non agnoscunt aliud malum, nisi illud quod est privatio boni, sicut mors est privatio vitæ, & tenebræ privatio lucis; ut constat ex eorum testimonijs: ergo prædicta respons. est contraria ipsis. Contra 2: malum morale, quod est malum respectivè, quale est peccatum (ut ipsi dicunt), est malum absolutè, & simpliciter tale; sed istud, iuxtà ipsos, in sola privatione consistit: ergo peccatum consistit in sola privatione; ac proinde eorum doctrina non tenet. Mai. conceditur ab Adverss., qui conquęruntur de eo, quod ipsis attribuatur, peccatum, quatenùs malum morale, esse malum tantùm secundùm quid; cùm afferant esse maximum malum, displicens simpliciter Deo, & nullatenùs caulabile ab ipso. Ulteriùs prob. illa mai.: quod est natura sua malum, est absolute, & simpliciter tale; sed huiusmodi est malum morale, quod est peccatum; ut constat ex D. Basilio hom. 9. ad Populum, dicente: *Aliud est malum natura sua, quod est peccatum; aliud, quod durum, & triste est sensibus nostris.* Et subdit: *Nosce, unum omninò esse malum, quod est peccatum: ergo.*

10 Contra 3.: id, quod unicè est malum alteri, seù respectivè, est malum inducens carentiam bonitatis seù perfectionis debitæ, non sibi, sed alteri; sed peccatum commissionis, quatenùs malum moraliter, seù eius malitia moralis inducit carentiam bonitatis debitæ non solùm naturæ rationali sed ipsi actui, qui est malus moraliter: ergo quatenus malum morale, est malum simpliciter, absolutè, & secundum se. Mai. constat; quia malum, quod non est in se tale, sed solùm alteri, non causat privationem perfectionis in se ipso, sed unicè in altero, respectu cuius est malum; ut patet in igne, qui cùm non sit in se malus, sed tantùm aquæ, non causat privationem frigiditatis in se, sed in aqua; & similiter in malo positivo pœnæ, quod quia tantùm est malum respectu subiecti pœnam patientis, non inducit privationem perfectionis in se ipso, sed in altero. Min. etiàm patet, & conceditur ab Adverss.; siquidem peccatum commissionis, quatenùs malum moraliter,

tèr, eſt verè privatum rectitudine debita ipſi actui : imò hæc privatio eſt, quàm primò, & per ſe inducit, ſeù in qua conſiſtit malitia moralis peccati. Contra 4. : id, quod verè, & propriè eſt in ſe, ac ſubiectivè malum, eſt tale ſimpliciter, & abſolutè, ſed actus humanus, quatenùs malus moraliter, eſt verè, & propriè in ſe ſubiectivè malus; cùm malitia moralis, quę eſt verè, & propriè talis, conveniat ſubiectivè, & in ſe actui moraliter malo : ergo.

11 Prob. 2. concluſ. ratione deducta ex Subt. Doct. in 2. d. 37. q. 1. §. *iſtæ quæſtiones* : ratio formalis conſtituva peccati eſt illa, qua præcisè poſita ponitur formaliter peccatum, & qua præcisè ablata deficit formaliter illud ; ſed poſita præcisè privatione bonitatis moralis, vel conformitatis ad legem, aùt poſita præcisè carentia rectitudinis debitæ in eſſe actui, ponitur formaliter peccatum, & ea præcisè non poſita non ponitur formaliter peccatum : ergo. Prob. min. : poſita tota entitate poſitiva actus cùm libera tendentia ad obiectum prohibitum, cognitum ut tale, non intelligitur formaliter peccatum, ſeu malitia moralis illius, quin intelligatur oppoſitio; deviatio, ac defectus conformitatis talis actus cùm lege ſuperioris, cui poterat, & debebat conformari ; intellectio que tali defectu, ſeù privatione conformitatis, aùt carentia rectitudinis debitæ, intelligitur formaliter peccatum; ergo. Prob. antec. ideò actus commiſsionis v. g. furti cùm tendentia poſitiva ad furtum prohibetur, eſt formaliter peccaminoſus, & moraliter malus, quia opponitur præcepto negativo *non furaberis*, ſeù quia deviat, deficit, & caret rectitudine ; ſive conformitate ad talem legem ; ita ut talis oppoſitio, deviatio, ſeù defectus conformitatis, & rectitudinis ſit tota ratio formalis malitiæ moralis illius actus : ergo. Prob. antec. : ideò, iuxta Adverſ., talis actus eſt formaliter peccaminoſus, quia tendit in furtum ut prohibitum ; ſed nequit ità concipi, niſi ſub privatione conformitatis ad præceptum negativum, tali privatione ſe habente tanquam ratione formali, per quam à priori, & per locum intrinſecum talis actus intelligitur moraliter malus, & oppoſitus actui recto, cùm quo convenit per tendentiam poſitivam in obiectum à prohibitione præciſum : ergo.

12 Conf. 1. non datur peccatum, niſi per oppoſitionem cùm lege, ut conſtat ex quæſt.

antec., & concedunt Thomistæ, ac Scotistæ contrarij; sed pro priori ad privationem, seù illa secluſſa, non intelligitur oppoſitio cùm lege: ergo. Prob. min.: per id opponitur furtum v. g. cùm lege, per quod opponitur non ut furto præcepto, & in eſſe moris; ſed illud non opponitur iſti ſecluſſa privatione: ergo. Prob. min.: ſecluſſa privatione conformitatis ad legem furtum ſolùm opponitur phyſicè, & in linea naturæ non furto; moraliter autem opponuntur, quia unum habet conformitatem cùm lege, alterum verò non eſt conforme: ergo. Conf. 2. actus non conſtituitur formaliter peccaminoſus per tendentiam in obiectum prohibitum, niſi quatenùs talis tendentia eſt formaliter defectuoſa in genere moris; ſed hęc non intelligitur ut talis, non intellecta privatione conformitatis, & rectitudinis: ergo. Prob. min.: tendentia defectuoſa ut formaliter talis non intelligitur, niſi intelligatur dificientia formalis; ſed hæc intranſitive eſt carentia, ſeù privatio conformitatis, & rectitudinis: ergo. Reſponſiones, quas adhibent contrarij, impugnabuntur ex argum. ſolutione.

13 Prob. 3. ratione deſumpta ex Angel., & Sab. Doct.: malum ut ſic & tranſcendens ad genus naturæ, artis, & moris, conſiſtit in ſolo defectu, aùt privatione; ſed peccatum eſt malum in genere moris: ergo. Prob. mai.: malum in communi nequit conſiſtere formaliter in aliquo poſitivo, nèc in aliquo præſcindente à poſitivo, & privativo: ergo formaliter conſiſtit in privatione. Prob. antec. quoad 1. part.: ſi malum in communi conſiſteret in aliquo poſitivo, tùnc quodbet malum eſſet quid poſitivum; quia omnis ratio poſitiva contrahibilis debet convenire cuilibet inferiori, ac debet habere rationem differentialem intrà eundem ordinem, tanquam complementum eiuſdem; ſed hoc non concedunt Adverſ., dicentes, quod malum abſolutè, & ſimpliciter conſiſtit in pura privatione: ergo. Prob. illud antec. quoad 2. part.: tùm, quia nequit dari ratio à parte rei prętcindens à poſitivo, & privativo, quia quodlibet eſt, vèl non eſt, ſeu non datur medium inter eſſe, & non eſſe. Tùm, quia ſi malum in communi diceret aliquid præſcindens à poſitivo, & privativo, tùnc contraheretur ad privativum per puram privationem, ſed hæc, cùm ſit pura negatio, ſeu carentia, aut purum nihil, nequit eſſe con-

contractiva alicuius rationis communis: ergo. Prob. min. ratio contrahens debet perficere ſuum ſuperius, ſeù contrahibile, ùt de ſe patet; ſed pura negatio nequit perficere, quin potiùs omninò deſtruit quamlibet perfectionem permiſsivè talem, repertam in illa ratione communi: ergo.

14 Conf. 1. peccatum in ratione propria mali moralis conſiſtit formalitèr in privatione boni moralis: ergo peccatum ſub tali ratione conſideratum, imò & quomodocumque ſumptum, conſiſtit in privativo. Prob. antec. primò.: malum ſimpliciter, & abſolutè tale conſiſtit in pura privatione, ſaltèm in eo genere in quo habet rationem mali; ſed peccatum, quod eſt malum morale, nedùm in ſe eſt malum ſimpliciter, & abſolute, ut concedunt Adverſ., ſed etiàm ſub ratione propria mali moralis: ergo. Min. conſtat ex dictis num. 9. & 10. ulterius prob.: peccatum eſt malum abſolutè, & ſimpliciter ſub ea ratione, ſub qua pugnat cum Deo ut ſummo bono, & avertit ab eo ut fine ultimo; ſed peccatum ſub ratione propria mali moralis ita pugnat cum Deo, & avertit ab ipſo: ergo. Mai. conſtat; quia ſicut Deus converſivè inſpectus eſt regula, & menſura omnis bonitatis abſolutè, & ſimpliciter; ita averſivè inſpectus eſt regula, & menſura omnis malitiæ, & defectus. Min. etiàm patet; quia malitia moralis eſt, quæ talitèr conſtituit peccatum in eſſe mali, ut ſub tali ratione pugnet cum Deo ut ſummo bono, & avertat ab eo ut fine ultimo, prout eſt manifeſtum.

15 Prob. ſecundo illud 1. antec.: malum ut ſic conſiſtit in privatione boni ut ſic: ergo, & malum morale in privatione boni moralis; quia quodlibet inferius includit rationem ſui ſuperioris, & proportionatur ipſi. Prob. antec.: iuxta Adverſ., malum ut ſic dividitur in malum abſolutè tale, & reſpectivè tale, ſed tàm primum, quàm ſecundum conſiſtit in privativo: ergo. Min. quoàd 1. part. conceditur à contrarijs. Prob. igitùr quoad 2. in tantùm aliquid eſt formalitèr malum alteri, ſeù reſpectivè, in quantum eſt ei nocens, & diſconveniens; ſed proùt ſic conſiſtit formalitèr in privativo: ergo. Prob. min.: in tantùm aliquid eſt alteri nocens, & diſconveniens formaliter, in quantum eum privat aliquo ipſi utili, aùt convenienti, ut docet M. P. Aug. lib. 2. *de moribus Manichæor.* cap. 3. ubi ſic interrogat Manichæos. *Percontor vos*

vos, quid ſit malum? Si dixeritis, id quod nocet; neque hic mentiemini; quia quidquid nocet, bono aliquo privat; nàm ſi nullum bonum adimit, nihil prorsùs nocet: ergo.

16 Prob. 4. concluſ.: peccatum pro formali, ſeù eius malitia moràlis verè, & propriè terminat diſplicentiam Divinam: ergo conſiſtit formalitèr in mera privatione. Antec. patet; quia inhoneſtas, turpitudo, & deformitas, uti eſt malitia moralis, ſeù peccatum pro formali, nequit non diſplicere Deo. Prob. conſeq.: id, quod verè, & propriè pugnat cum ratione entis, & eius bonitate tranſcendentali, conſiſtit formalitèr in privatione, ſeù in non eſſe; ſed ſi malitia moralis terminat verè, & propriè diſplicentiam Divinam, pugnat vere, & propriè cum ratione entis, & eius bonitate entitativa, & tranſcendentali: ergo. Mai. conſtat; nàm enti ſolum propriè opponitur non ens ſeù nihil; cùm quodlibet ens particulare contineatur eſſentialitèr ſub ente, atquè adeò nequit propriè cùm illo pugnare. Prob. min.: id, quod verè, & propriè terminat diſplicentiam Divinam, verè, & propriè opponitur cum ratione terminandi complacentiam Dei, ſed ratio terminandi amorem complacentiæ Dei eſt ratio entis, ſeù bonitas tranſcendentalis, ut probatum manet in tract. *de Voluntate Dei*, diſp. 3. q. 1.: ergo. Conf.: ideò malitia moralis terminat diſplicentiam Dei, quia opponitur ipſius ſummæ bonitati, participabili, & communicabili à creaturis; ſed quod ita opponitur Divinæ bonitati, nequit eſſe quid reale poſitivum: ergo eſt quid purè privativum. Mai. patet; quia ideò res bonę terminant complacentiam Dei, quia ſunt participationes eius ſummæ bonitatis, atquè adeò è converſò malitia moralis ideò terminat diſplicentiam Dei, quia opponitur eius ſummæ bonitati participabili, & communicabili creaturis. Prob. min.: omne ens reale poſitivum, quà tale, gaudet bonitate participata ex ſumma bonitate Dei; ſed quod gaudet bonitate, quę ſit participatio ſummę bonitatis Dei, nequit opponi ſummæ bonitati, ut participatæ à creaturis: ergo.

17 Prob. 5. conclut.: Deus eſt cauſa propriè, & per ſe omnis entitatis poſitivæ; ſed non ita eſt cauſa malitiæ moralis, ſeu peccati pro formali: ergo iſtud conſiſtit in mera privatione. Mai. conſtat; quia omnis entitas creata dicit eſſentialem dependentiam ad

Deum,

Deum, ut ad cauſam primam, ſine cuius cauſalitate vera, propria, & per ſe nequit aliquà illarum exiſtere; quarè D. Cyrilus, & alij S. S. P. P. aſſerunt: *Quod à Deo factum non eſt, id aut Deus aut nihil eſt*: iuxtà illud D. Ioan cap. 1. *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*: ubi a cauſalitate Divina ſolùm removet ipſum *nihil*, ſicuti ſub termino prædictę cauſalitatis compræhendit *omnia*, quæ verè ſunt aliquid. Mm. docerur ab omnibus Catholicis, & expreſsè definitur in trid. ſeſ. 6. can. 6.: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera ita, ut bona, Deum operari, non permiſsivè ſolum, ſed etiàm propriè, & per ſe, adeò ut ſit proprium eius opus non minùs proditio Iudæ, quàm vocatio Pauli, anathema ſit.* Conſ.: ideò iuxta M. P. Aug. de lib. arb. cap. ult., iuxta D. Thomam, D. Bonav., & Subt. Doct., peccatum non cauſatur à Deo, quia eſt defectus, carentia, nihil, ſeù privatio: ergo quia ſentiunt, quòd ſi eſſet quid poſitivum, cauſaretur proprie, & per ſe à Deo; & id negant, quia eſt quid privativum.

18 Reſp. Gonet cùm alijs, peccatum cauſari quidem à Deo ſub ratione entitatis poſitivæ, non autèm ſub ratione deformitatis; & ex hoc non ſequi, Deum abſolutè dicendum eſſe cauſam peccati, quia hæc locutio appellat ſuprà formale peccati ſub expreſſo deformitatis conceptu, ſub quo non eſt a Deo: ſed ſolum ſequi, Deum poſſe dici cauſam peccati, quatenus ens poſitivum eſt. Quia licèt malitia, ſeù deformitas peccati taliter identificet ſibi eius entitatem, ut intellectus humanus non poſsit unam ſine altera concipere; tamen quia malitia, ſeù deformitas ſub tali conceptu formali, & explicito non continetur ſub obiecto Divinæ efficientiæ, ideo hæc terminatur ad entitatem peccati, non verò ad deformitatem includentem entitatem: ad modum quo in generatione Verbi Divini producitur Filiatio, & non eſſentia, quamvis hæc ſit ſummè identificata cum illa. Contra 1. implicat, aliquid includere ſeù imbibere rationem entis, & non terminare cauſalitatem Omnipotentiæ, ſeù contineri ſub obiecto cauſalitatis Divinæ; ſed iuxta Adverſ., deformitas, ſeù malitia peccati includit formaliter; ſeù imbibit rationem entis: ergo ipſa deformitas terminat cauſalitatem Omnipotentiæ. Prob. mai.: implicat imbibere rationem formalem alicuius po-

tęn-

tentię, & non contineri ſub obiecto eiuſdem, ac terminare eius actionem, ſed ratio entis eſt ratio formalis Omnipotentię, ſub illa quę omnia attingit: ergo. Mai. patet; nàm omnes potentiæ attingunt aliqua obiecta, quia iſta imbibunt, ſeù includunt rationem formalem *ſub qua* talis potentiæ, ut patet de colore reſpectu viſus, & ſic de alijs.

19 Contrà 2.: malitia, ſeù deformitas peccati, iuxtà Adverſ., implicite dicit entitatem, ſeù illam imbibit, quamvis eam non exprimat: ergo verè, propriè, & per ſe ipſa malitia cauſatur directè à Deo, non aliter ac rationalitas, vèl alia differentia, aùt modus entis cauſatur ab ipſo. Prob. conſeq. primò: ideò Deus verè, propriè, per ſe, & directè cauſat rationalitatem, & alias differentias, ac modos entis, quia licèt ſub proprio cuiuslibet conceptu, & quatenùs cauſantur à Deo, non exprimant rationem entis, quæ eſt ratio *ſub qua* cauſalitatis Divinæ, tamen illam imbibunt, & eam ſecum identificant: ergo licèt malitia, prout talis, non exprimat entitatem, ſi tamèn illam imbibit, cauſatur a Deo verè, proprie, & directè, non aliter, ac rationalitas, vèl alia differentia, aùt modus entis. Prob. ſecundo illa conſeq.: ut aliqua ſit verè, propriè, & directè cauſa alicuius effectus, vèl formalitatis illius, non requiritur, quod exprimat; ſed ſufficit, quod ſecùm identificet, vèl includat al quam formalitatem, ratione cuius, vèl ſub qua producitur à tali cauſa: ergo ſi peccatum pro formali, ſeù eius malitia, aùt deformitas ſecum identificat, & imbibit entitatem, ſub qua producitur à Deo, licèt illam non exprimat; Deus erit illius cauſa vera, propria, & directa. Antec. patet in obiecto, vel ſpecie impreſſa, quæ eſt vera, & propria cauſa intellectionis, quamvis ita non exprimat, quia tamen indentificat, & imbibit conceptum repræſentationis, ſub qua producitur ab obiecto, vèl ſpecie, & ſic in alijs.

20 Prob. tertio illa 1. conſeq., & ſimùl impugnatur ratio ſolut. Adverſ.: ideò, iuxta illos, à Deo non cauſatur abſolutè, & directe peccatum ſub ratione diformitatis, ſeù malitiæ, quia hæc eſt extra ſphæram cauſalitatis Dei; ſed ultrà quòd eſt petitio principij, etiam dicitur voluntariè, imò pugnat cùm eo, quòd ipſa malitia ſit ens poſitivum, ſeù imbibat rationem entis: ergo. Min. quoad 1. part. patet; nàm hoc eſt quod quærimus, & litigamus, cur formalitas expli-

cans

cans deordinationem à Deo prout eſt ultimus finis, ſeù cur ipſa deordinatio à Deo, ſi eſt quid poſitivum, & imbibit rationem entis, eſt extrà ſphæram Divinæ cauſalitatis; cùm rationalitas imbibens, & non explicans rationem entis cauſetur à Deo? Secunda pars min. etiam conſtat, tum, quia iuxtà D. Thomam 1. part. q. 25. in corp. *quidquid* (cum ampliſsima univerſalitate, abſque ulla reſtrictione) *poteſt habere rationem entis, continetur ſub poſsibilibus, reſpectu quorum Deus dicitur omnipotens*; atque adeo voluntarie dicunt, quod non omne ens, ſed tantum illud quod non explicat deordinationem à Deo, cauſetur ab ipſo. Tum, quia voluntarie dicitur, quod formalitas imbibens, & non explicans rationem formalem *ſub qua* alicuius potentiæ, non attingatur ab ipſa; nam aliàs quilibet pro libito poſſet dicere, quod licet paries habeat in ſe rationem formalem *ſub qua* reditur viſibilis, tamen videri non poſsit. Prob. igitur min. quoad 3. part.: ſi ratio deformitatis, ſeù malitiæ eſt incauſabilis à Deo, ipſa eſt non ens oppoſitum enti, quod eſt terminus Omnipotentiæ; ſed implicat, quod ſit non ens oppoſitum enti, & quod ſit ens poſitivum, ſeù includat rationem entis: ergo. Mai. eſt D. Thomæ loco cit. dicentis: *Enti, quod continetur ſub poſsibilibus Omnipotentiæ, ſolum opponitur non ens*: ubi etiam docet, quod ſolùm non ens, vel illud quod implicat contradictionem, eſt extra ſphæram Omnipotentiæ. Min. patet ex terminis; quia implicat idem eſſe, & non eſſe, vel eſſe oppoſitum ſibi ipſi.

21 Contra 3. ſi malitia conſiſtit in poſitivo, licèt non exprimat entitatem, tamèn id, quod exprimit, ſub quavis præciſione, aùt reduplicatione eſt ens; ſed hoc ipſo verè, propriè: & directè cauſatur à Deo etiam ipſa malitia, ſeù deformitas peccati pro formali: ergo. Mai. patet; quia cum ens ſit ratio ſuperior, & tranſcendat (adhùc formaliter, iuxtà Thomiſtas) quancumque differentiam poſitivam implicat, quod malitia conſiſtat in poſitivo, & quòd non ſit ens ſub quavis præciſione, aùt reduplicatione. Min. etiàm patet; nam eò ipſo quod rationalitas, aut quævis alia differentia entis, ſub quavis reduplicatione eſt ens, quamvis non exprimat entitatem, cauſatur à Deo per ſe, & directè. Quin valeat repetere, quòd quia malitia eſt deordinatio à Deo, ideò eſt incauſabilis ab ipſo ſub tali conceptu, quam-

vis

vis causetur sub alio ; nàm hoc est petere principium, & respondere per idem quod controvertitur, & impugnatur. Contra 4. non est dubium : an Deus causet malitiam, quà malitia est? Sed an illam causet, qua est ens? quia nullam differentiam entis causat Deus sub expresso talis differentiæ, seù quà talis est, sed qua est ens, seù sub universalissima ratione entis correspondenti universalissimæ causæ, uti est Deus; sed semèl ac concedatur, Deum causare malitiam, in positivo consistentem, licet non quà malitia est, sed quà est ens ; conceditur, Deum esse causam malitiæ cum tanta proprietate, quanta est causa rationalitatis, & cuiusvis differentiæ entis: ergo.

22 Contrà 5.: defformitas, seù malitia peccati, iuxtà Advers. dicit implicitè entitatem, seù illam imbibit : ergo peccatum absolutè, & directè causatur à Deo, imò illius defformitas sub expresso defformitatis conceptu. Prob. conseq. : ut aliquis effectus absolutè, & directè causetur à Deo, & quælibet illius formalitas sub expresso conceptu talis formalitatis sit verè terminus *qui*, sivè *ut quod* producatur à Deo, sufficit quod imbibat rationem entis : ergo si defformitas peccati imbibit rationem entis, adhùc sub expresso deformitatis est vere terminus *qui* Omnipotentiæ ; seù in re producitur *ut quod* à Deo, ita ut peccatum pro formali dicatur absolutè, & directè causari ab ipso. Prob. antec.: rationalitas v. g. non exprimit, sed solum imbibit rationem entis; sed eò ipso adhùc sub expresso rationalitatis est terminus *qui* Omnipotentiæ, sivè *ut quod* producitur à Deo, ita ut homo dicatur absolute, & directè causari ab ipso etiàm quà rationalis est : ergo. Contra 6. dùm dicitur, Deum non causare malitiam, seù defformitatẽ sub tali expresione, vèl dicitur, relinqui à Deo aliquid positivum incausatum vere, & realiter, vèl solum excluditur à Divina causalitate aliquid acceptum præcisivè, & non in sensu physico, àc reali simpliciter? Si hoc secundum, habemus intentum, nempè nihil esse in peccato, quod in sensu vero, & reali non causetur à Deo; quidquid sit de sensu præcisivo, sub quod res, sicùt realiter entitativè physicè non existunt, ità nèc realiter physicè producuntur, sed tota earum entitas indivisibiliter causatur. Si primum : ergo iam datur aliquod ens positivum, à Deo realiter improductum; quod non est dicendum : ergo.

23 Con-

23 Contrà 7. impugnando paritatem aſſumptam ex productionibus in Divinis: tum, quia ad explicandam malitiam, & deformitatem peccati videtur valdè improprius recurſus ad myſterium inefabile Santiſsimæ Trinitatis. Tùm, quia ſi paritas teneret in creatis, ſequeretur, quod ex duobus realitèr identificatis poſſet unum produci, & alterum non produci; quod nequit admitti. Tùm, quia ex præciſa identitate malitiæ poſitivæ cùm ratione entis utcumque non probamus, illam debere cauſari à Deo, ſed eo quod malitia poſitiva includit, tanquàm inferius ipſam rationem entis, quæ eſt ratio *ſub qua* quodlibet ens particulare eſt à Deo cauſabile; ſed eſſentia Divina, quæ non producitur productâ Filiatione, non eſt aliquid inferius contentum ſub Filiatione, aùt ſub perſonalitate, quæ eſt ratio principiandi, aùt terminandi Divinam productionem; quin potiùs penes hoc contradiſtinguitur eſſentia, àc omnia eius prædicata eſſentialia, & abſoluta, à perſonalitatibus, & prędicatis relativis: ergo nulla eſt paritas de productione in Divinis. Tum quia ſi ens Divinum ut ſic produceretur realitèr in generatione verbi, non ſolum eſſentia, ſed etiam omnia alia Divina prædicata producerentur; ſed iuxta Adverſarios, à Deo cauſatur ratio entis, quę, iuxtà illos, per modum prædicati ſuperioris tranſcendit formaliter malitiam peccati: ergo illa paritas potiùs eſt contrà, quam pro illis.

24 Reſp. P. Amicus ad noſtram probat.; omnem entitatem realem poſitivam cauſari à Deo, quà entitas phyſica eſt, quæ eſt obiectum Divinę Omnipotentiæ; non verò quà moralis eſt, quia ens morale non eſt obiectum cauſalitatis Divinæ: unde cùm peccatum pro formali, ſeù eius malitia non ſit ens phyſicum, ſed morale, ideò proùt ſic eſt extrà ſphæram Divinæ cauſalitatis. Sed contrà 1.: vel malitia, qua moralis eſt, includit, eſtò non explicet rationem entis realis, vel non? Si primum, uti videtur ſignificare ſolutio; omnia argumenta contrà prędecedentem reſponſ. militant contrà iſtam. Si ſecundum: ergo eſt quid oppoſitum enti reali, ſeu non ens, aùt privatio entis, & habemus intentum principale noſtræ aſſertionis. Contra 2. actus moraliter bonus cauſatur à Deo, nedùm qua entitas phyſica eſt, ſed etiàm quà moralis eſt: ergo quod malitia ſit quid morale non impedit, quod cadat ſub obiec-

to

to Omnipotentiæ: ergo impeditur præcise per id, in quo malitia contraponitur bonitati morali, nempè quod hæc eſt rectitudo, ſeù conformitas ad regulas moris, illa autem eſt irrectitudo, ſeù deformitas ad tales regulas. Sed id eſt formaliter privatio: ergo non conſiſtit in aliquo poſitivo adhùc morali, ſed privativo.

25 Denique reſp. N. Durand, Deum eſſe cauſam omnis entitatis poſitivæ, quæ per ſe producitur, & eſt naturalis; non verò illius, quæ eſt moralis, & habet eſſe per aliud tantùm, uti eſt formale peccati, quod eſt tendentia actus liberi ad obiectum, ut deforme regulis morum, ſeù relatio ad illud, quæ producitur, non per ſe, ſed ad productionem actus liberi, qui eſt res naturalis, ad quàm Deus concurrit. Contrà 1.: bonitas moralis utpotè relatio de genere moris, non producitur per ſe, nèc eſt naturalis: ergo non cauſabitur à Deo; quod eſt abſurdum. Contrà 2. relatio eſt ens reale poſitivum: ergo ſuo modo cauſatur à Deo. Contra 3.: relatio extrinſecus adveniens, ſeù quæ non ſtatim, & neceſſariò reſultat poſitis extremis, cauſatur per ſe, ut docetur in Philoſophia; ſed malitia moralis foret relatio extrinſecus adveniens, cùm moralitas ſit accidens extrinſecus adveniens actui, ut conſtat ex tract. *de actibus Humanis*: ergo. Contrà 4.: etiàm relatio intrinſecus adveniens, licèt per ſe non cauſetur propria, & peculiari actione immediatè terminata ad ipſam, tamèn dicitur propriè cauſari ab illo, qui eius fundamentum producit: ergo malitia cauſaretur propriè à Deo, producente eius fundamentum, nempè actum peccati; admodum quo creatura dicitur per ſe cauſa peccati, quia cauſat fundamentũ relationis malitiæ. Sed hoc non eſt dicendum: ergo.

26 Arg. 1.: plurimæ ſunt authoritates, Script., & S. S. P. P., in quibus peccatum, maximæ commiſsionis, explicatur per converſionem ad bonum commutabile, ſeù creatum; ſed talis converſio eſt quid poſitivum, nempè tendentia ad obiectum inordinatũ: ergo peccatum commiſsionis formaliter conſiſtit in poſitivo. Conf.: peccatũ, ex M. P. Aug., eſt dictũ, factũ, vèl concupitũ contrà legem Dei: ergo pecc atum commiſsionis conſiſtit, non in privativo, ſed in poſitivo. Prob. conſeq. primò: dicere, facere, vèl concupiſcere ſunt quid poſitivum: ergo. Prob. 2.: lex, quæ prohibet peccatum, non prohibet quid pri-

va-

vativum, ſed poſitivum: ergo tale eſt peccatum. Prob. antec.: lex prohibens furtum, vel odium Dei, non prohibet privationem furti, vel odij; nàm aliàs furari, odire &c. eſſet adimplere legem: ergo. Prob. tertio illa conſeq.: peccare peccato commiſsionis v. g. *occidere* eſt producere aliquid oppoſitum huic legi; ſed non producit aliquid privativum; quin potiùs non occidendo, ſeù adimplendo præceptum, manet ſub privatione, ſeù carentia peccati: ergo iſtud non conſiſtit formaliter in privatione, ſed in aliquo poſitivo reali. Prob. 4.: odium Dei (& idem de quolibet peccato commiſsionis) conſtituitur peccatum formaliter per id, per quod immediatè, & directè opponitur legi negativè prohibenti ipſum; ſed hoc habet formaliter ſuum eſſe poſitivum: ergo. Prob. min.: tale odium immediatè, & directè opponitur legi ipſum prohibenti per id, per quod directè, & immediatè excludit illud, quod præcipitur per legem negativam; ſed illud ita excludit per ſuum eſſe poſitivum: ergo. Prob. min.: id, quod præcipitur per legem negativam eſt carentia odij; ſed excluſio immediata, & directa talis carentiæ eſt eſſe poſitivũ ipſius odij: ergo.

27 Ad arg. diſt. mai.: explicant peccatum per converſionem defectuoſam, ſeù deformem ad bonum commutabile, proùt inordinatum, & prihibitum à lege, conc.; per converſionem præcisè entitativè ſumptam, ad bonum commutabile, præciſivè à prohibitione, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: talis converſio, materialitèr, & entitativè accepta, eſt quid poſitivum, conc.; proùt formalitèr defectuoſa, & inordinata, neg. min.; & conſeq.. Ad conf. reſp. ex Angel., & Subt. Doct. citatis in 1. quæſt., explic. mai.; *peccatum eſt dictum &c.* ità ut ly *dictum*; *factum, vèl concupitum* ſit ſubſtractum, & quaſi materiale peccati, & ly *contra legem*, ſeù oppoſitio, defectus, ſeù deviatio à lege, ſe habeat de formali, conc.; ità ut ly *dictum, factum, vèl concupitum* ſit formale, ſivè ſe habeat veluti forma peccati, neg. antec., & conſeq.. Ad cuius 1. probat. diſt. antec.: dicere, facere, vèl concupiſcere, ſecundùm ſe entitativè, & in linea naturæ, ſunt quid poſitivum, conc.; conſiderata in genere moris, nempè ut prohibita, ſeù contrà legem, vel ut oppoſita, & diſcordantia ipſi, neg. antec.. Ad 2. probat. conſeq. neg. antec., & diſt. antec. probat.: lex pro-

hi-

hibens furtum non prohibet privationem furti entitativè, & in eſſe naturæ, conc. (quia ſic poſitio entitatis furti eſt materia prohibita per legem); non prohibet privationem moralem furti, ſeù eius oppoſitionem, & defformitatem ad ipſam legem, neg. antec.; nam talis privatio, ſeù oppoſitio eſt obiectum formale illius prohibitionis, ſeù legis prohibentis.

28 Ad 3. probat. conſeq. diſt. mai.: peccare fundamentalitèr, & materialitèr peccato commiſsionis eſt producere aliquid poſitivum, oppoſitum etiam fundamentalitèr, & materialitèr legi prohibenti, conc.; peccare formalitèr, neg. mai.; nam iſtud non intelligitur niſi per oppoſitionem, & defformitatem illius actus ad talem legem, & dictamen practicum rectæ rationis; quę oppoſitio, & defformitas eſt quid privativum; & diſt. min.: occidens v. g. non producit quid privativum entitativè, & in linea naturæ, quin potiùs non occidendo manet ſub privatione entitativa, & naturali actus peccaminoſi, conc. min.; non producit (eo modo quo privatio produci poteſt) quid privativum morale, neg. min.; quia ponit oppoſitionem, ſeù defformitatem illius actus ad legē prohibentem. Ad 4. denique probat. conceſ. mai., neg. min.; ad cuius probat. diſt. mai.: tale odium immediatè, & directè opponitur legi ipſum prohibenti per id, per quod directè formalitèr in genere moris excludit illud, quod præcipitùr per legem negativam, conc.; per quod directè tantùm entitativè ex natura rei, ſeù in linea naturæ excludit illud neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: illud ità excludit, nempè entitativè ex natura rei, ſeù in linea naturæ, conc.; ita nempè formalitèr in genere moris, neg. min.; & conceſ. mai probat., diſt. min.: excluſio entitativa ex natura rei talis carentiæ, ſecundùm ſe præcisè ſumptæ in linea naturæ, eſt eſſe poſitivum odij, conc. min.; excluſio moralis talis carentiæ, ut præcepto, & conformis tali legi negativæ, neg. min.; nàm prout ſic excluditur per oppoſitionem, & defformitatem ipſius odij ad talem illud prohibentem. Quod tenentur admittere omnes feré Adverſ., qui nobiſcum aſſerunt, furtum, vel odium Dei non eſſe malum moraliter, nèc conſtitutum formalitèr in genere moris, niſi per oppoſitionem ad legem illud prohibentem, pro priori ad quam intelligitur unicè malus fundamentalitèr, & in linea naturæ.

29 Arg. 2. peccatum debet conſtitui eſſentialiter per id, quod primo reperitur in actu malo, & per quod primò diſtinguitur ab actu bono; ſed tendentia poſitiva actus libera ad obiectum defforme regulis morum, eſt quod primò reperitur in actu malo, & per quod primò diſtinguitur à bono: ergo in tali tendentia poſitiva conſiſtit formaliter peccatum. Prob. min.: talis tendentia poſitiva eſt ratio à priori cuiuſvis privationis in actu malo repertæ; ſed aliundè per talem tendentiam in obiectum diſſonũ differt primo ab actu recto, qui ideò eſt talis, quia tendit in obiectum conſonum: ergo. Mai. patet; nàm ideo actus malus eſt privatus conformitate ad legem, rectitudine debita ipſi &c., quia tendit in obiectum defforme regulis moris. Conf.: antè omnem privationem intelligitur in peccato comiſsionis tendentia poſitiva ad obiectum diſſonum legi, & rationi; ſed illa tendentia pro illo priori eſt mala moraliter: ergo. Prob. min. primò: omnis actus ſpecificatur à ſuo obiecto; ſed talis tendentia pro illo priori eſt ad obiectum malum moraliter: ergo. Prob. 2. illa min.: illa tendentia pro priori ad omnem privationem, quam cauſat, eſt in genere moris; ſed non in ſpecie bonitatis, aùt indifferentię: ergo eſt in ſpecie malitiæ moralis.

30 Reſp. ad arg. diſt. mai.: peccatum debet eſſentialiter conſtitui per id formale in genere moris, quod primò reperitur in ipſo, & diſtinguitur ab actu bono, conc.; per id tantùm materiale, & fundamentale, quod primò reperitur in ipſo, neg. mai.; nàm licèt qualitas, vel unitas in qualitate ſit illud fundamentale, quod primò reperitur in ſimili, & per quod primò diſtinguitur à diſsimili; tamen non illa, ſed relatio ſimilitudinis eſt illius conſtitutivum in ratione talis; & applicata diſtinct. ad min.; diſt. mai.: talis tendentia poſitiva eſt ex natura rei, & in linea naturæ ratio à priori illarum privationum, conc.; in genere moris, neg. mai.; liquidèm è contrà privatio rectitudinis, & conformitatis ad legem eſt ratio, per quam illa tendentia conſtituitur in genere moris, & per quàm in eò differt ab actu bono, qui habet talem rectitudinem, & conformitatem; cùm uterque conveniat in eo, quod eſt tendere poſitivè in obiectum præciſivè à tali conformitate, vel privatione.

31 Ad conf. neg. mai.: quia non eſt intelligibilis ten-

den-

dentia ab obiectum diſſonum legi, & rationi, quin intelligatur privatio conformitatis ad legem; ſicut non eſt intelligibile obiectum malum in genere moris, ſeu diſſonum legi, & rationi, niſi ut dicens privationem conformitatis ad legem, ſeu eius prohibitionem, vel diſt. mai.: ante omnem privationem intelligitur tendentia ad obiectum utcumque, ſeu nudè, & præcisè entitativè, conc. mai.; ad obiectum formaliter in eſſe moris, prout diſſonum, & diſconveniens, ſeù carens conformitate ad legem, neg. mai., & min.; ad cuius 1. probat. conceſ. mai., neg. min.; quia talis tendentia pro illo priori eſt unicè ad obiectum ſecundum ſe entitativè inſpectum, non autem prout ſubeſt prohibitioni, vel ut privatum conformitate ad legē, qualitèr conſtituitur malū in genere moris, & terminat illam tendentiam ut prohibitā, & privatam ſimili conformitate. Ad 2.: probat. min. neg. mai.; quia ſicut obiectum præciſivè à prohibitione, ſeu privatione conformitatis ad legem, non eſt formaliter in genere moris, ut conſtat ex dictis; ità nèc tendentia ad ipſum pro priori ad talem privationem.

32 Arg. 3.: moralitas ut ſic, & quatenus dividitur in bonitatem, & malitiam, eſt aliquid poſitivum: ergo nedùm bonitas, ſed etiam malitia moralis conſiſtit formaliter in aliquo poſitivo. Conſeq. patet; quia implicat, rationem genericam, ut participatam a ſpeciebus, eſſe quid poſitivum, quin ſpecies participantes ipſam ſint etiam aliquid politivum. Prob. antec.: moralitas conſiſtit in tendentia libera ad obiectum, prout ſubeſt regulis morum; ſed talis tendentia, eſt quid poſitivum: ergo. Conf.: genus univocè diviſibile in veras ſpecies, & contrahibile per differentias, eſt quid poſitivum ſicùt etiàm ſpecies, in quas dividitur, & differentię per quas contrahitur; ſed moralitas ut ſic dividitur in bonitatem, & malitiam, tanquàm in veras ſpecies, & contrahitur per conſonantiam, & diſſonantiam ad regulas morum, veluti per differentias: ergo moralitas ut ſic eſt quid poſitivum, ac etiàm malitia, in quam dividitur, nec non diſſonantia, per quam ad ipſam contrahitur. Mai. patet; ſiquidem non ens nequit eſſe genus, nèc ſpecies, nèc differentia, ſiquidèm perfectibile, & perficiens, ſeù contrahibile, & contrahens debent habere poſitivam entitatem, & perfectionem; ut ex ſe liquet.

Min. etiam conſtat; quia tàm bonitas, quàm malitia moralis formaliter ſunt verè, & propriè intrà genus moris, ac proindè ſunt verè ſpecies moralitatis, quæ ad eas contrahitur per conſonantiam, & diſſonantiam, tanquàm per differentias eſſentiales.

33 Urg. bonitas, & malitia moralis, ſicùt etiàm virtus, & vitium opponuntur contrariè, non verò privativè; ſed contraria ſunt ſub eodem genere, ità ut utrumque ſit quid poſitivum, nullum autèm ex eis ſit pura privatio; nàm aliàs opponerentur privativè, non verò contrariè: ergo bonitas, & malitia moralis ſunt ſub eodem genere moralitatis, tanquàm veræ ſpecies illius, ità ut utraque ſit quid poſitivum: Prob. mai.: Tùm ex Ariſt. cap. de Quantitate, & de oppoſitis; & ex Subt. Doct. quodlib. 18. docentibus, bonum, & malum opponi contrariè. Tùm ratione: ſolùm inter contraria, non verò inter privativè oppoſita, utpotè contradictoria, datur medium; ſed hoc datur inter bonitatem, & malitiam, nempè indifferentia, iuxtà noſtra principia.

34 Ad arg. reſpondetur variè ab A.A. noſtræ ſententiæ, tam Thomiſtis, quam Scotiſtis; Nos verò, iuxtà dicta in tract. *de Actibus Humanis*, diſp. 2. q. 6. à num. 6., reſp. ex D. Bonav. in 2. d. 34. art. 2. quæſt. 3. in ſolut. ad 2. argum., neg. antec.; & diſt. mai. probat.: moralitas ut ſic conſiſtit in tendentia libera, vèl formali, ſeù poſitiva, vel virtuali, & interpretativa, ſeù omiſſiva, ad obiectum prout ſubeſt regulis morum, præciſivè à conformitate, vèl privatione conformitatis ad ipſas, conc. mai.; conſiſtit in tendentia libera, tantùm formali, & poſitiva, ad obiectum prout ſubeſt præcisè cùm conformitate ad regulas morum, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: talis tendentia, nempè formalis, & poſitiva actus ad obiectum cùm conformitate ad regulas morum eſt quid poſitivum, conc.; talis tendentia, nempè in communi ad virtualem, & interpretativam omiſsionis, ac formalem actus erga obiectum cùm carentia conformitatis ad regulas morum, neg. min.; nàm aliàs liberum in communi ad actum, & omiſsionem, eſſe quid poſitivum; & naturale, vèl artificiale ut ſic, & indifferens ad bonum, & malum, ſeù defectuoſum, eſſet quid poſitivum, quod non eſt dicendum; ſicut nec quod moralitas ut ſic, & in communi ad actum, vèl omiſsionem,

& ad bonũ, vèl malum, ſit quid poſitivum, proùt exemplis, & ratione videtur manifeſtum.

35 Ad conf. conceſ. mai. neg. min. cum eius prob.; nam ut inquit Seraph. Doct. cit.: *Malum eſt in eodem genere cùm bono, ſed hoc non eſt propriè, & ſecundum rectam ordinationem; ſed hoc eſt per quandam reductionem, & ex hoc non ſequitur quòd malum ſit aliquid; nàm privationes ad idem genus cùm ſuis habitibus* (vèl formis) *reducuntur, & tamèn ipſæ, formaliter loquendo, nihil ſunt.* Ad urgent. cùm eodem Seraph. Doct. reſp. diſt. mai.: bonitas, & malitia, ſumptę materialiter, & pro ſubſtracto, ſicùt etiàm virtus, & vitium, ſi ſumantur pro habitibus, aùt pro materiali actuum, opponuntur contrarie, & non privativè, conc.; bonitas, & malitia, ſumptæ formaliter, ſicut etiam virtus, & vitium opponuntur contrariè rigoroſè, & non privativè neg. mai.; & ſimiliter explicatis Ariſt., & Doct. Subt.; ad prob. à ratione diſt. mai.: inter privativè oppoſita non datur mediũ per participationẽ utriuſque extremi, uti datur inter propriè contraria, conc.; non datur medium per negationem utriuſque extremi, ſubd.: penes id quod privativè oppoſita dicunt in recto, nempè, habere, & non habere abſolutè, & ſimpliciter formam, conc.; penes id quod important etiam de connotato, aùt in obliquo, nempè aptitudinem, ſeù debitum habendi formam, neg. mai.; nàm ut inquit Ariſt. cit.: *Quod enim nondum natum eſt habere viſum, nequè cæcum, neque habens viſum dicitur; quarè non erunt hæc* (nempè privativè oppoſita), *ut ea contraria* (ſcil. contradictoria ſtricta), *quorum nihil eſt medium.* Per quod patet ad min.; ſiquidèm indifferentia in genere moris eſt carentia rectitudinis non debitæ actui, & ideò mediat modo dicto inter bonitatem, & malitiam, quæ eſt privatio rectitudinis debitæ.

36 Arg. 4.: idem eſt conſtitutivum, & diſtinctivum; ſed peccata differunt ſpecie per ordinem poſitivum ad diverſa obiecta, non autèm per puram privationem rectitudinis, aùt conformitatis, quæ eſt eadem in omnibus illis: ergo. Conf. 1.: ſi peccatum conſiſteret in privativo, ſequeretur, quòd vitia oppoſita eidem virtuti, v. g. avaritia, & prodigalitas, quæ opponuntur liberalitati; præſumptio, & deſperatio, quæ opponuntur ſpei, non diſtinguerentur ſpecificè; ſed hoc eſt inconveniens: ergo. Prob. mai.: talia peccata con-

veniunt in privatione eiuſdem rectitudinis, ſeù eiuſdem virtutis, aùt conformitatis ad eandem legem: ergo. Conf. 2.: ſequeretur etiàm, quòd peccata commiſsionis, & omiſsionis contrà eandem virtutem non diſtinguerentur ſpecificè, nèc ſe excederent in gravitate; & ſic odium Dei, àc omiſsio amoris Dei; hæreſis, & omiſsio actus credendi, dùm adeſt præceptum eliciendi actus fidei, & charitatis, non diſtinguerentur in ſpecie; nèc odium Dei eſſet maius peccatum, quàm omiſsio amoris, nèc hæreſis eſſet gravius delictum, quàm omiſsio actus fidei; ſed hoc non eſt dicendum: ergo. Prob. mai.: per nos malitia actus odij Dei v.g. conſiſtit tantùm in privatione rectitudinis dilectionis Dei; ſed hæc privatio reperitur in omiſsione amoris: ergo.

37 Ad arg. conceſ. mai. diſt. min.: peccata diſtinguuntur ſpecificè fundamentaliter per ordinem ad obiecta, conc.; formaliter in eſſe moris, neg. min., imò ſuppoſitum, ſcil. quòd privatio rectitudinis, ſeù conformitatis debitæ in eſſe actui, ſit eadem in omnibus peccatis; quia cùm privationes diſtinguantur numericè, & ſpecificè ex diſtinctione numerica, vèl ſpecifica habituum, ſeù formarum, quarum privationes ſunt proùt docet Subt. Mag. in 2. d. 37. q. 1. §. *ex hoc patet ſecundum*; & cùm rectitudines debitæ, in eſſe actibus erga diverſa ſpecificè obiecta in eſſe moris, ſint ſpecificè diſtinctæ, ideò etiàm privationes talium rectitudinum, in quibus talia peccata formaliter conſiſtunt, & per quas ſimiliter diſtinguuntur, etiàm ſpecificè diverſificantur. Ad 1. conf. neg. mai.; & diſt. antec. prob.: talia peccata conveniunt in privatione eiuſdem rectitudinis, & virtutis, identitate ſubalterna, & adæquata; vèl modo ſpecificè diverſo, nempè unum per exceſsum, & aliud per defectum, opponuntur eidem virtuti, & privantur eius rectitudine, conc.; conveniunt in privatione eiuſdem rectitudinis, & virtutis, identitate atoma, & indiviſibili; vèl eodem modo opponuntur eidem virtuti, & privantur eius rectitudine, neg. antec.; quia cùm rectitudo virtutis moralis, v.g. liberalitatis, ſit mediocritas inter duo extrema vitioſa, quæ dictat vitanda, nempè inter exceſsum, qui fundat malitiam prodigalitatis, & inter defectum, qui fundat malitiam avaritiæ; ideò malitiæ talium peccatorũ differunt ſpecie, quia modo ſpecie diver-

ſo

ſo privantur rectitudine virtutis, quæ eſt formaliter una in ſpecie ſubalterna, ſed diviſibilis in duas partiales, vèl infime duplex propter illum duplicem modum oppoſitionis ad ipſam, & propter illa duo extrema diverſa, quæ dictat vitanda; ut conſtabit infrà dùm agamus de diſtinctione ſpecifica peccatorum.

38 Ad 2.: conf. neg. ſequelam cùm eius probat.; quia non dicimus, peccatum commiſsionis v. g. odij Dei, conſiſtere formaliter in ſola privatione ſui actus contrarij, nempè dilectionis Dei, quæ quidem privatio reperitur in ommiſsione talis dilectionis debitæ; ſed aſſerimus, illud peccatum commiſsionis conſiſtere in privatione rectitudinis ipſi debitæ, ſeù conformitatis ad legem ipſum prohibentem; & quia hæc eſt ſpecie diſtincta à lege præcipiente dilectionem Dei, etſi erga eandem virtutem; & quia odium, àc omiſsio dilectionis Dei modo ſpecificè diverſo opponuntur tali virtuti; ideò actus odij eſt privatus rectitudine peculiari, & ſpecie diſtincta à rectitudine actus amoris Dei, qua privatur iſtius omiſio, dùm ipſe debebat elici; atque adeò peccatum commiſsionis, v. g. odij Dei diſtinguitur ſpecificè in eſſe moris à peccato omiſsionis dilectionis Dei: & illud excedit iſtud in gravitate; quia illud peccatum eſt gravius, quod privat meliori rectitudine, ſeù immediatiori ad finem, vèl à quo tanquàm à magis repugnante, & avertente ab ultimo fine, debet homo magis ſe cavere, quàm ab alio minus repugnante, ut inquit Sub. Doct. ſupra cit., unde cùm odium Dei, utpotè averſio formalis contraria ab ultimo fine, privet meliori rectitudine, & immediatiore ad ipſum finem, aùt ſit magis repugnans, & avertens à tali fine, atque adeò magis cavendus ab homine, quàm ſola omiſsio amoris Dei, quæ eſt averſio tantùm negativa ab ipſo ultimo fine, proùt etiàm ibi docet ipſe Subt. Mag.; ideò peccatum odij Dei eſt gravius peccato omiſsionis amoris ipſius Dei; quamvis utrumque in privatione conſiſtat formaliter.

39 Arg. 5.: malum naturale reſpectivum, ſeù malum alteri, eſt quid poſitivum: ergo, & malum morale, ſeù peccatum. Prob. antec.: calor per ſuam entitatem eſt malus aquæ, ſimiliter error intellectui, & dolor corpori, præciſivè, & pro priori ad privationem alicuius boni debiti talibus ſubiectis: ergo. Prob. ant.: tùm, quia prius

eſt habere calorem, quàm privari frigiditate; habere errorem, quàm privari ſcientia; & habere dolorem, quàm privari voluptate. Tùm, quia ſi calor eſſet ſimùl cùm frigiditate, adhùc eſſet malus aquæ; & ſic de alijs. Tùm, quia calor dicitur malus aquę (& ſic de alijs) non ſolum quia ab ea excludit frigiditatem ipſi convenientem, ſed etiam quia per ſe repugnat, & eſt diſconveniens aquæ: ergo. Conf.: datur malum naturale reſpectu alicuius ſubiecti abſque privatione alicuius formæ ipſi connaturalitèr debitę: ergo per ſe conſiſtit in poſitivo, & non in privatione. Prob. antec.: magnus naſus dicitur malum faciei humanę, licèt ipſam nulla forma poſitiva privet; & eſt malum homini eſſe tripedem, quadrimanum &c. quin privetur aliquo connaturalitèr debito: ergo.

40 Reſp. 1. admiſſo antec., neg. conſeq.; quia etiàm iuxtà Adverſ., licèt malum reſpectivum includat aliquid bonitatis, tamèn malum abſolutè, & ſimplicitèr tale conſiſtit in ſola privatione; peccatum igitur, etiàm iuxtà ipſos, eſt malum ſimplicitèr, licèt non quatenùs propriè eſt malum morale; cœterum ex probat. patèt, eſſe malum ſimpliciter etiàm proùt eſt malum morale. Reſp. 2. neg. antec. ſi intelligatur in ſenſu, in quo eſt ad propoſitum, nempè de malo formaliter ut tali; nàm ſi intelligitur de malo fundamentaliter, & cauſalitèr, ſic certum eſt, poſſe, imò frequentèr eſſe quid poſitivũ. Ad 1. probat. antec. dicimus, quod eſto prius ſit, aquam habere calorem, quàm privari frigiditate (& ſic de alijs); tamèn impręſcindibile eſt habere calorem, & privari connaturali ſtatu, ſeù commenſuratione debita aquæ conformiter ad leges naturę, iuxtà quas exigit habere proprias qualitates in debita proportione, quã impedit calor, qui proinde eſt oppoſitus, & nocivus aquę, àc privativus frigiditatis connaturalitèr debitæ ipſi: undè impræſcindibilis à privatione eſt malitia caloris reſpectu aquæ, cui peius eſt habere formam oppoſitam, quàm præcisè carere ea, quæ eſt ipſi connaturalitèr debita.

41 Per quod patet ad 2. probat. antec., ſcil. utiquè calorem fore malum aquæ; licèt eſſet ſimùl cum frigiditate; quia adhùc privaret aquam ſuo connaturali ſtatu, & debita commenſuratione. Ad 3.: probat. dicimus, calorem (& idem de alijs) equidèm eſſe malum aquæ, non ſolum quia

exer-

exercitè privet aquam fi gi-ditate, ſed etiàm quia per ſe eſt repugnans, & diſconveniens illi, verùm hoc eſt intranſitivè privare aquam ſtatu connaturali, & debito ipſi, ac proindè eſt inintelligibile abſque privatione. Ad conf. neg. 1.: & 2. antec.; etenim falſum eſt, quod magnus naſus non privet hominem aliqua forma poſitiva, ſiquidem privat ipſum debita pulchritudine, & proportione partium conſtituta per leges naturę; ſicùt etiàm eſſe tripedem, quadrimanum &c., & univerſalitèr omnis defformitas, vèl monſtroſitas conſiſtit formalitèr in privatione, & deviatione à legibus naturæ, à quibus exorbitari poteſt, vèl per defectum, ut in monoculo; vèl per exceſum, ut in tricipiti.

42 Arg. 6. ideò per nos peccatum commiſsionis pro formali nequit conſiſtere in poſitivo, quia Deus tùnc cauſus eſſet cauſa malitiæ peccati; ſed hæc ratio non probat, vèl ſi probat, etiàm militat contrà noſtram ſententiam: ergo. Prob. min. quoàd 1. part.: datur entitas poſitiva, quæ non ſit propriè à Deo cauſata: ergo quòd peccatum pro formali ſit quid poſitivum, non probat, fore à Deo cauſatum Prob. antec.; habitus vitioſus, prout talis, conſiſtit formalitèr in aliquo poſitivo; ſed iſtud nequit à Deo propriè cauſari; nàm alias Deus eſſet cauſa vitij: ergo datur entitas poſitiva, nempè habens defformitatem annexam, quæ non ſit à Deo cauſata. Prob. prima min. quoàd 2. part.: ſi tenet noſtra probat., Deus eſt cauſa entitatis poſitivæ, quæ eſt fundamentum malitiæ formalis; ſet hoc ipſo eſt etiàm cauſa ipſius malitię, eſtò conſiſtat in privatione: ergo ſi noſtra ratio probat, militat contrà noſtram ſententiam. Mai. patet; etenim noſtra probat. fundatur in eo quòd omnis entitas poſitiva debet cauſari à Deo; & cùm aliundè privatio conſtituens malitiam formalem peccati commiſsionis debeat fundari in aliquo poſitivo, iſtud erit à Deo cauſatum. Prob. min.: cauſans fundamentum alicuius privationis cauſat etiàm ipſam privationem eo modo, quo ea poteſt cauſari: ergo eo ipſo quòd Deus ſit cauſa entitatis poſitivæ, quæ eſt fundamentum privationis conſtituentis malitiam formalem Peccati commiſsionis, eſt etiàm cauſa ipſius malitiæ formalis. Antec. cùm conſeq. conſtat; tùm, quia quod eſt cauſa alicuius antecedentis, eſt etiàm cauſa

con-

conſequentis ex illo infallibiliter ſequuti, & cùm eo connexi; tùm, quia non eſt alius modus cauſandi, nèc homo aliter cauſat privationem bonitatis, ſeu malitiam ſui actûs, quàm cauſando entitatem poſitivam, quæ eſt eius fundamentum; tùm quia cauſans fundamentũ cauſat etiam relationem connexam cùm illo, & reſultantem ad poſitionem illius, ſicùt etiàm privatio connectitur cum ſuo fundamento, & quaſi reſultat ad poſitionem eius. Conf.: ex eo præcisè quòd peccatum non ſit aliquid poſitivum, non probatur; Deum non eſſe cauſam illius; ſiquidèm Deus eſt cauſa plurium privationum: ergo noſtra probat. nihil valet, nèc in noſtra opinione vitatur illud inconveniens.

43 Ad arg. conceſſa mai., neg. min.; ad cuius probat. quoàd 1. part. neg. antec., & mai. Probat.; quia licèt habitus vitioſus, materialiter, & concretivè ſumptus, ſit qualitas poſitiva; tamen abſtractivè, & pro formali, nempè ſub ratione vitij ſeu inclinationis defectuoſæ, conſiſtit in privatione rectitudinis habitualis. Ad probat. min. quoad 2. part. reſp. ex Subt. Doct. cit. in 2. d. 37. q. 1. & 2., diſt. mai.: ſi tenet noſtra probat., Deus eſt cauſa, voluntate conſequenti, entitatis poſitivæ, quæ eſt fundamentum remoſum malitiæ formalis, conc.; eſt cauſa, voluntate antecedenti, entitatis poſitivę, quæ, ſivè proùt eſt fundamentum proximum malitiæ formalis, neg. mai.; & diſt. min.: hoc ipſo, nempè quòd Deus ſit cauſa entitatis poſitivæ prout eſt fundamentum proximũ malitiæ formalis, eſt etiàm cauſa huius malitiæ, conc. min. per negationem ſuppoſiti; hoc ipſo quòd Deus ſit cauſa talis entitatis, quę eſt tantùm fundamentum remotum malitiæ, eſt cauſa huius, ſubdiſt.: ſi ſit cauſa voluntate antecedenti, permit. min., ſi eſt cauſa tantùm voluntate conſequenti, neg. min.; & diſt. antec. probat.: cauſans fundamentum proximum privationis, cauſat etiàm ipſam privationem, conc.; cauſans tantùm fundamentum remotum, ſubdiſt.: cauſans illud voluntate antecedenti, permit.; cauſans illud voluntatè ſolùm conſequente, cauſat etiàm privationem, neg. antec.; per quod patet ad ipſius probationes.

44 Pro intelligentia ſolut. ſciendum eſt primo, quòd in Deo diſtinguitur duplex modus voluntatis, ſcil. antecedentis, & conſequentis, iuxta Damaſc. lib. 2. *de fide* cap. 19. ubi ait: *Antecedens eſt acceptio*

Dei

Dei in ſe ipſo (ſeù reſpectu illius, quod Deus vult directè, & ex primaria intentione); *conſequens eſt conceſsio ex noſtra cauſa* (ſivè reſpectu illius, quod licèt ſit contrà primariam, & directam intentionem ipſius Dei, tamèn nè impediat determinationem liberam creaturæ, vult illud fieri ex cauſa eiuſdem). Vel ut ipſe S. Doct. lib. contrà Manich. ad finem inquit: *Primaria voluntas eſt id, quod quiſpiam ex ſe ipſo vult; ſecundaria autèm* (ſeù conſequens) *quod earum rerum, quæ contingunt, cauſa vult.* Deus igitur voluntate antecedenti, vult ſolum actum rectum; illum verò cui annexa eſt malitia, ſeù privatio rectitudinis, vult ſolùm voluntate conſequenti, quatenùs abſolutè quantùm eſt ex parte ſui daret rectitudinem actui, ſeù actum rectum efficeret, ſi voluntas creata cooperaretur; ſivè abſolutè vult quantum eſt ex parte ſui, actum malum non fieri; attamèn quia ut univerſalis gubernator ſinit cauſas ſecundas agere motus ſuos, voluntate conſequenti vult, ex noſtra cauſa fieri illum actum, iuxtà illud ex conc. Arauſic. can. 23. *ſuam voluntatem homines faciunt, non Dei, quandò id agunt, quod Deo diſplicet.*

45. Sciendùm eſt 2., quod entitas poſitiva actus mali, ſecundùm ſe abſolutè ſupra, eſt unicè fundamentum malitiæ remotum, quia non includitur, aùt ſupponitur neceſſaria conditio, nempè connotatio, ſeù ordo ad voluntatem creatam efficientem illam entitatem actus cùm defectu libero ſubiectionis debitæ, ad regulas morum, per quem ordinem, ſeù connotationem illa entitas actus mali conſtituitur fundamentum proximum malitiæ formalis, ſeù privationis ipſam conſtituentis; ſiquidèm talis actus non alitèr eſt formaliter malus, niſi quatenùs elicitus à voluntate liberè deficientè à debita ſubiectione regulis moralitatis: undè ſicùt ipſa malitia, ſeù privatio rectitudinis debitæ non eſt aliud, quàm defectus, ſic etiàm fundamentum proximum, ſeù ratio proxima fundandi, aùt cauſa illius privationis non eſt quid efficiens, ſed deficiens, non utcumque, ſed liberè, & cum debito morali, ſeù obligatione non deficiendi, iuxta illud M. P. Aug. lib. 12. *de civ. Dei* cap. 7. cit. à Subt. Doct., nempè: *Nemo quærat efficientem cauſam malæ voluntatis; non enim eſt efficiens, ſed deficiens, quia nèc illa effectio eſt; ſed defectio; deficere namque ab illo quod ſummè eſt, ad id quod minus eſt, hoc eſt incipe-*

re

re habere malam voluntatem.

46 Ex quibus patet reſponſ. ad arg. , ſcil. Deum nullatenùs eſſe, nèc poſſe dici cauſam privationis conſtituentis malitiam formalem, quamvis ſit cauſa entitatis poſitivæ actus peccati commiſsionis, ad quam velati ad fundamentum conſequitur illa privatio; tùm quia licèt ille, qui voluntate antecedenti vult aliquid, vellit etiam , & cauſet omne neceſſariò annexum illi , tamèn qui ſolùm vult voluntate conſequenti , poteſt illud velle ſine annexo, proùt etiam docet Seraph. Doct. in 1. d. 46. art. 1. quæſt. 2. ad ultimum. Tùm , quia licèt ille qui cauſat fundamentum proximum proùt tale alicuius privationis (ſicùt etiam relationis), cauſet etiàm privationem ex modo quo poteſt cauſari ; non tamen ille , qui cauſat unice fundamentum remotum , quod ut fiat proximum , & conſtituatur tale indiget aliqua conditione omnino extra ſphæram ſuæ cauſalitatis , & ponibili ab alia cauſa reddente illud fundamentum proximum proùt tale , ac proinde cauſante annexam privationem. Et cùm hoc fiat à voluntate creata , non quatenùs efficiente ; ſed deficiente non utcumque , ſed moraliter , & cum obligatione non deficiendi ; ideo fit ab ipſa abſque cauſalitate Dei erga illam privationem. Ex his etiàm patet ad conf. ; nàm licèt Deus ſit cauſa privationum , quæ reſultant per carentiam efficientiæ Phyſicæ ; nequit tamèn eſſe cauſa privationis reſultantis per deficientiam moralè, cuiuſmodi eſt privatio , in qua conſiſtit malitia peccati , & ex eo, quòd ſit talis privatio , probamus Deum non eſſe cauſam illius ; fore tamèn eius cauſam, ſi talis malitia eſſet entitas realis poſitiva , quæ neceſſariò debet habere eſſe per poſitivam efficientiam , & terminare cauſalitatem Divinam.

SECTIO II.

In cuius boni privatione conſiſtat formaliter peccatum actuale?

47 QUAMVIS iàm ſtatutum ſit, peccatum actuale conſiſtere formaliter in privativo , tamèn reſtat ſcire , quænam ſit talis privatio , ſeù per cuius poſitivi , aùt boni privationem conſtituatur peccatum? Ex cuius difficultatis reſolutione clareſcent , & firmiora manebunt dicta in ſect. præcedenti. Circa hanc difficultatem Subt. Doct. in 2. d. 37. q. 1. §. *iſtæ queſtiones* refert,

fert, & reijcit tres opiniones. Prima aſſerebat, peccatum conſiſtere in privatione boni in quo eſt, ſeù naturę rationalis; quem modum dicendi impugnat Subt. D.: tùm, quia peccatum habet pro ſubiecto bonum naturale, ſcil. voluntatem hominis: ergo non eſt privatio eiuſdem, ſiquidem nulla privatio habet pro ſubiecto rem, qua privat, ſicùt tenebræ non habent pro ſubiecto lucem. Tùm, quia ſi per peccatum deperderetur aliquod naturale bonum, cùm hoc ſit finitum, tandem per continuatam repetitionem peccatorum totum naturale bonum deperderetur; quod eſt abſurdum. Tùm, quia certum eſt, hominem peccantem retinere adhùc totam ſuam naturam; undè Theologi communiter dicunt, poſt peccatum manere omnia naturalia integra, & peccatum corrumpere ſolùm gratuita, non verò naturalia.

48 Secunda opinio affirmabat, peccatum eſſe privationē habituum acquiſitorum; quam refutat Subt. Doct., tùm, quia contingere poteſt, quod peccans non habeat aliquem habitum virtutis acquiſitum. Tùm, quia habens habitum intenſum temperantiæ non illum ſtatim amittit per quodlibet peccatum intemperantiæ, & multò minùs per peccatum contrà aliam virtutem. Tùm, quia peccatum veniale, quod eſt verè peccatum, non privat habitu virtuoſo, nèc acquiſito, nèc infuſo: ergo peccatum non conſiſtit in privatione habituum acquiſitorum. Tertia denique opinio dicebat, peccatum eſſe privationem gratiæ, ſeù nitoris ſpiritualis, quam opinionem impugnat etiam Subt. Mag.; tùm, quia talis privatio deberet etiàm cōvenire peccato veniali, quod nequit dici. Tùm, quia indè ſequeretur, quòd omnia peccata eſſent eiuſdem ſpeciei, quia eſſent privationes eiuſdem formæ, nempè gratiæ. Tùm quia reliqua poſt primum non eſſent peccata, quia illud abſtulit totam gratiam. Tùm, quia privatio gratiæ eſt effectus, ſeù pœna peccati, àc proindè ſupponit illud conſtitutum in ratione mali culpæ tùm, quia peccatum veniale, quod eſt verè peccatum, non privat gratia. Tùm, quia in ſtatu puræ naturę eſſent propriè peccata, & tamèn non privarent gratia: ergo eius privatio non eſt conſtitutiva peccati. His igitur reiectis, ſit.

49 Concluſ.: peccatum actuale (etiàm omiſſionis) conſiſtit formaliter in privatione debitæ rectitudinis, ſeù con-

conformitatis ad regulas moris, quam voluntas tenetur procurare. Eſt communis apud A. A. tuentes, peccatum in privativo conſiſtere; & docetur expreſsè à Subt. Doct. ſuprà cit., & quodlib. 18. cùm quo advertimus, quòd peccatum non eſt privatio rectitudinis, quæ *ineſt*; nàm alias forma, & eius privatio eſſent ſimùl in eodem; nèc eſt privatio rectitudinis, quæ *inſicit*, quia actus non ſemper manet ita, ut poſsit mutari de oppoſito in oppoſitũ, ſcil. de rectitudine ad privationem eius; ſed eſt privatio rectitudinis, quæ deberet *ineſſe*, debito quidem morali orto ex lege: ad modum quo cæcitas eſt privatio viſus, non qui *ineſt*, quia ſi aliquis eſt videns, nequit eſſe cæcus; nèc qui *infuerit*, quia aliquandò non fuit; ſed eſt privatio viſus, qui iuxtà leges naturæ debebat *ineſſe*. Concluſ. igitur ſic explicata.

50 Prob. 1. à Subt. Doct. authoritatibus M. P. Aug., & D. Ambroſij, relatis in ſect. præcedenti, in quibus aſſeritur, peccatum formaliter eſſe defectum, ſeù privationem ordinis debiti ad ultimum finem, rectitudinis, & conformitatis ad legem: ergo iuxta S.S. P.P. conſiſtit formaliter in tali privatione. Prob. 2. ab eodem Doct.: omne peccatum eſt iniuſtitia formaliter, & tale peccatum eſt talis iniuſtitia, & per conſequens privatio iuſtitiæ: ergo peccatum actuale eſt iniuſtitia actualis, ſeù privatio actualis iuſtitiæ, ſcil. quæ deberet ineſſe. Prob. 3. peccatum ideò eſt in genere moris formaliter malum, quia prohibitum, ſeù contra legem (iuxta communem Thomiſtarum, & Scotiſtarum opinionem); ità ut oppoſitio, ſeù deviatio à lege ſit ratio formalis conſtitutiva peccati ut conſtat ex dictis; ſed talis oppoſitio, ſeù deviatio eſt intranſitivè privatio rectitudinis debitæ, ſeù conformitatis ad legem: ergo. Prob. 4. bonitas, & malitia opponitur privativè, ut patet ex dictis; ſed bonitas eſt formaliter rectitudo, ſeù conformitas ad regulas moris: ergo malitia, ei privativè oppoſita, eſt privatio talis rectitudinis, ſeù conformitatis.

51 Prob. 5. peccatum conſiſtit formaliter in privativo, ut in ſect. antec. manet probatum; ſed non conſiſtit in privatione boni naturæ, nèc habituum acquiſitorum, nequè in privatione gratię, ut conſtat ex num. 46.: ergo conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, vèl omiſſioni, & conformitatis ad legem, quam voluntas debet

ponere. Prob. conſeq. à ſufficienti partium enumeratione: nulla, præter aſsignatas, excogitabilis eſt privatio, in qua poſsit conſiſtere formaliter peccatum: ergo cùm non conſiſtat in aliqua ex tribus impugnatis, nequit non conſiſtere in privatione rectitudinis debitæ, ſeù conformitatis ad legem. Prob. antec.: ſi eſſet aſsignabilis alia privatio conſtitutiva peccati, vèl eſſet carentia rectitudinis ſubiectata in voluntate, quæ, ut ait Subt. Doct. cit., debitrix eſt, ut ſuum actum eliciat conformiter regulæ ſuperiori; vèl eſſet carentia, actus recti, qui non ponitur in peccato omiſſionis, ſeù tranſgreſsionis præcepti affirmativi, & qui contrariatur actui elicito in peccato commiſsionis, ſeù tranſgreſsionis præcepti negativi; ſed peccatum nequit formaliter conſiſtere in prima, nec in ſecunda privatione: ergo.

52 Prob. min. quoàd 1. part.: tùm, quia privatio conſtitutiva peccati, utpotè mali in ſe formalitèr, & ſubiectivè, debet in ipſo ſubiectari. Tùm, quia talis privatio rectitudinis nequit eſſe immediate in voluntate, ſicùt nèc ipſa rectitudo; ſiquidèm non eſt ſubiectum immediatum conformitatis, vel defformitatis ad legem, ſed unicè mediatu quatenùs mediante actu, vèl eius omiſsione, conformatur, aùt defformatur legi: ergo carentia rectitudinis ſubiectata in voluntate nequit eſſe ratio conſtitutiva peccati. Prob. illa min. quoad 2. part.: tùm, quia rectitudo debita, & ptivata in tranſgreſsione præcepti affirmativi, v. g. audiendi Miſſam, non eſt niſi materialiter ipſa auditio Miſſæ; ſiquidèm talis rectitudo formaliter eſt conformitas ad legem præcipientem, alioquin auditio Miſſæ, ſecluſſo ordine ad legem, eſſet formalitèr bonitas, quod eſt falſum: ergo privatio conſtitutiva illius peccari omiſsionis non eſt carentia actus præcepti, ſed carentia conformitatis ad legem illud præcipientem fundata in ipſa omiſsione. Tùm, quia quod per ſe intenditur à lege negativa, quæ violatur in peccato commiſsionis, non eſt actus poſitivus contrarius, qui plerumque habet aliud præceptum affirmativum, & poteſt per ſe non urgere pro illo tùnc eius adimpletio; ſed eſt negatio, ſeù non poſitio actus prohibiti: ergo carentia actus poſitivi contrarij nequit eſſe privatio conſtitutiva peccati commiſsionis.

53 Prob. 6. concluſ.: ideò

maximè non conſiſteret omne peccatum actuale, ſivè commiſsionis, ſivè omiſsionis, in privatione rectitudinis ipſi debitæ, quia non omne eſſet verè moralitèr privatum tali rectitudine; ſed quòdlibet eſt huiuſmodi: ergo. Prob. min.: actio; vèl omiſsio carens rectitudine ſibi debita ex lege; eſt verè privata moralitèr tali rectitudine; ſed huiuſmodi eſt omnis actio, vèl omiſsio peccaminoſa: ergo. Mai. conſtat; nàm ſicùt privatio phyſica conſiſtit in carentia formæ debitæ phyſicè ex lege naturæ, ità privatio moralis conſiſtit in carentia perfectionis debito morali orto ex lege. Prob. min.: omni actui, vèl omiſsioni procedenti liberè à voluntate, ut ſubiecta regulis morum, debetur quà tali rectitudo, quam illæ regulæ præſcribunt; ſed omnis actio, vèl omiſsio peccaminoſa procedit liberè a voluntate, ut ſubiecta regulis morum, nempè legi Divinæ, & rectæ rationi: ergo.

54 Prob. mai. primò: omni actui, vel omiſsioni procedenti ab aliquo principio ſubiecto regulæ, & menſuræ ſuarum operationum, eſt debita conformitas cùm regula, & menſura illarum, in qua quidem conformitate conſiſtit rectitudo; ſiquidem non ob alium finem principium activum ſubditur regulæ, niſi ut eius exercitia procedant cùm debita regulatione: ergo cum voluntas ut deliberate operans, vèl omittens, dicat ſubijcibilitatem ad regulas morum; omni actui, vèl omiſsioni ab illa prout ſic procedenti debetur rectitudo, & conformitas cum illis regulis. Prob. ſecundò illa min.: omni actioni procedenti ab homine, ut inſtructo, & ſubiecto regulis artis, debetur rectitudo artificialis, ſeù conformitas cum illis regulis; eò quia tenetur operari artificioſè in omni actu procedente ab illo, ut ſubdito illis regulis: ergo pariter omni actui, vèl omiſsioni liberæ procedenti à voluntate, ut ſubiecta regulis morum, debetur rectitudo, ſeù conformitas cùm talibus regulis.

55 Reſp. aliqui, tale debitum unicè reperiri propriè in ſubiecto operante, cùm obligatio propriè inſit ſoli ipſi, in actione verò non reperiri tale debitum niſi impropriè, & æquivocè, ac proinde carentiã rectitudinis non eſſe veram privationem reſpectu actionis, vèl omiſsionis. Contra 1. implicat, quod agens, ut ſubiectum alicui regulæ, teneatur ſe conformare in ſuis operationibus

cùm

cùm tali regula; & quod omni eius actioni non ſit debita conformitas cum illa regula: ergo ſolutio eſt falſa. Prob. antec.: agens teneri ſe conformare in ſua operatione cùm propria regula, eſt ipſum quaſi activè debere communicare, & apponere rectitudinem in ſua operatione; ſed hoc ipſo eſt paſsivè debita rectitudo operationi; ſiquidem omni debito activo ex parte agentis correſpondet debitum paſsivũ ex parte termini: ergo. Contrà 2.: talis rectitudo eſt debita voluntati ut liberè operanti; ſed ita conſtituitur per liberam operationem: ergo illa rectitudo eſt debita operationi. Contrà 3.: ideò negant Adverſ., actioni peccaminoſæ eſſe debitam moralitèr rectitudinem debito reſidente in ipſa actione, quia talis rectitudo eſt illi in re abſolutè impoſsibilis; ſed hoc probat repugnantiam debiti ex parte agentis; cùm nemo teneatur ad id, quod eſt impoſsibile: ergo repugnat, voluntatẽ habere debitum præſtandi rectitudinẽ omni actioni peccaminoſæ, & quòd rectitudo non ſit debita tali actioni.

56 Reſp. alij, omni actioni humanæ deberi rectitudinem, non tamen habendam in omni actione, ſi in re ſit mala, ſed habendam in aliqua, ſcil. in actione bona. Contrà eſt: dum aſſerunt, *omni actioni humanæ* deberi rectitudinem, vèl ſub illa univerſalitate comprehendunt actionem malam, vèl non? Si ſecundum: ultrà quòd id manet impugnatum: ergo nullam diverſitatem aſsignant intèr habere rectitudinem, & habere debitum ad illam, quæ ſunt valdè diverſa; cùm ambò ſolùm reperiantur in actione bona. Si primum: ergo etiam actioni malæ eſt debita rectitudo, quam tamèn nequit habere: ergo poteſt aliqua perfectio eſſe debita alicui ſubiecto, quæ tamèn nequeat haberi ab ipſo. Sed hoc eſt implicatorium; ſiquidèm debitum ultra capacitatem habendi perfectionem debitam, dicit eſſentialitèr aptitudinem, & exigentiam ad illam, ita ut implicet, formam eſſe debitam alicui ſubiecto, & non poſſe haberi in ipſo. Ulterior impugnatio huius, & alterius reſponſionis patebit ex ſolut. argum. ſequentis

57 Arg. 1.: in peccatis ab intrinſeco malis, v. g. odio Dei, mẽdacio &c. non datur privatio rectitudinis: ergo peccatũ actuale non conſiſtit in tali privatione. Prob. antec.: privatio ſolùm reperitur in ſubiecto, nedùm capaci, ſed etiàm apto nato, ſeù exigente illam

perfectionem ; ſed actus odij Dei , vèl alter ab intrinſeco malus, & incapax habendi rectitudinem: ergo. Prob. min. id, quod eſſentialitèr malum , & irrectum eſt , eſt eſſentialitèr incapax rectitudinis; ſed tale eſt odium Dei : ergo. Ad hoc argum. , omiſsis aliorum ſolutionibus , plures Thomiſtæ, & Scotiſtæ reſp., quòd in actibus intrinſecè malis eſt privatio rectitudinis debitæ ſecundùm rationem genericam actus humani , non verò ſecundùm ſpecificam odij Dei, mendacij &c.. Contrà 1. : ſicùt malitia generica conſtituitur per privationem rectitudinis debitæ ſecundum genus , ità malitia ſpecifica per talem privationem ſecundùm ſpeciem; ſed iuxtà ſolut. odium Dei non eſt privatum rectitudine ſecundum rationem ſpecificã: ergo ſecundùm iſtam non erit malum ; quod eſt falſum apud omnes. Contrà 2.: actus peccaminoſi ſecundum rationem genericam non magis ſunt privati una , àc alia honeſtate: ergo omnes eſſent eiuſdem rationis ; quod eſt etiàm falſum. Contrà 3. : ſi actui humano ut ſic deberetur rectitudo , non poſſèt admitti actus indifferentes , nedùm in individuo ; ſed nèc ſecundùm ſpeciem ; ſed hoc eſt falſum , maximè apud Scotiſtas: ergo.

58 Contrà 4. : ideò talpa , licèt ſecundum genus animalis ſit capax viſus , tamèn eo non eſt proprie privatus, quia privatio , proprie loquendo , attenditur penès ſubiectum , non ſecundùm rationem genericam illius, ſed ſecundùm rationem particularem , ratione cuius ſit debita forma , qua dicitur privatum : ergo falſa eſt ſolutiò. Contra 5. : iuxtà ſolutionem privatio ſecundùm genus dicit imperfectionem ; ſed hoc eſt falſum : ergo & ſolutio. Mai. patet ; nàm aliàs privatio rectitudinis aſsignata in actu intrinſecè malo non redderet illum imperfectum. Prob. min. ex Subt. Doct. in 1. d. 28. quæſt. 2. *ad primum* : tùm, quia ſi privatio ſecundùm rationem communem diceret imperfectionem, improducibilitas in Patre æterno redderet ipſum imperfectum , cùm carentia productionis paſsivæ ſit in eo privatio ſecundùm rationem communem perſonæ ; nàm licèt Patri , eò quòd talis perſona eſt , repugnet produci , non tamèn ei repugnat quatenùs perſona eſt. Tùm , quia carentia rationis in Bove qua tali, non dicit poſitivam imperfectionem ; eo quia licèt ſit privatio lata ſecundùm genus, non tamèn propria ſecundùm ſpeciem : ergo privatio ſecundùm genus non dicit imperfec-

fectionem.

59 Ad arg. igitur reſpondemus 1. retorquendo illud: iuxtà Adverſ., licèt peccatum non conſiſtat formaliter in privatione rectitudinis, ſeù conformitatis ad legem, vèl converſionis ad ultimum finem; tamen includitur in illo, vèl ut conſtituens partialiter ſimùl cùm aliquo poſitivo; vèl ut modus intrinſecus, aùt proprietas conſequens ad conſtitutionem illius, iuxtà varios dicendi modos; ſed ſi tenet eorum argumentum, in actu intrinſecè malo nulla datur privatio rectitudinis, ſeù conformitatis ad legem, aùt converſionis ad ultimum finem; cùm hoc illi eſſentialiter repugnet, & non poſsit conſequi ad illius conſtitutionem: ergo cùm hoc ſit contrà ipſos, tenentur etiàm ſolvere argum. Reſp. 2. directe neg. antec., ad cuius probat. conceſ. mai., diſt. min.: actus odij Dei, proùt iàm eſt determinatus, & in actu ſecundo elicitus, non eſt aptus, ſed incapax rectitudinis, conc. min.; proùt eſt ſub indifferentia paſsiva ad elici, vèl non elici; continuari, vèl non continuari; ſic, vèl ſic elici, neg. min.; & ſimilitèr diſt. probat..

60 Hæc ſolut. fundatur primò in doctrina Subt. Mag. in 2. d. 37. q. 1.; & quodlib. 18. ubi docet, quòd voluntas poteſt conſiderari in duplici ſtatu: primò, ut eſt ſub indifferentia activa ad elicere, vèl non elicere, continuare, vèl non continuare actum; ſecundò, proùt iàm eſt determinata, & in actu ſecundo altarius partis contradictionis: & quia voluntas eſt activè indifferens, ideò eſt debitrix ſe conformare regulæ, ſeù legi ſuperioris, & aponere rectitudinem in exercitio ſuæ libertatis, ut inquit ipſe Subt. Mag. cit. in 2., & eſt imputabilis activè, ut ait quodlib. 18., quamvis prout iàm eſt determinata, & in actu ſecundo electionis pravæ non ſit capax præſtare illi rectitudinem, ſeù in ſenſu compoſito diſcordantiæ ſe conformare regulæ ſuperiori. Cùm igitur libertas, moralitas, & debitum rectitudinis derivetur à voluntate in eius actum, vèl exercitium morale, ideò talis actus debet etiàm conſiderari in duplici ſtatu: primò, ſub indifferentia paſsiva ad elici, vèl non elici; continuari, vèl non continuari; ad ſic, vèl ſic elici, ſecundò, proùt iam eſt determinatus, & in actu ſecundo elicitus. Hoc ſecundo modo ſumptus, vèl eſt determinatè bonus, & ſic non eſt capax deformitatis; vèl eſt determinatè malus, & ſic non eſt

aptus, nèc capax rectitudinis. Primò autem modo eſt indifferens ad illa contradictoria, & capax utriuſque diviſim, & ſeorſim, àc debet habere rectitudinem; undè ſi elicitur cùm eius carentia, dicitur ſecundùm rationem genericam, ſpecificam, & individualem, verè privatus illa.

61 Fundatur ſecundò prædicta ſolut. in doctrina eiuſdem Subt. Mag. relata in num. 48. quàm etiàm ſuſtinent alij A. A. noſtræ ſententiæ, præſertim Scotiſtæ: nempè peccatum eſſe privationem bonitatis, ſeù rectitudinis, non quæ ineſt quando actus iàm ſupponitur elicitus cùm deformitate; ſed quæ deberet ineſſe quando elicitur, ſeù quam deberet habere dùm determinatur. Undè cùm actus moralis, ſumptus ſecundum indifferentiam paſsivã ad elici, & non elici potuerit non elici conformitèr ad legem ipſum prohibentẽ, & non privari rectitudine, quę debebat ineſſe; ideo dùm elicitur contrà talem legem, benè dicitur privatus rectitudine, quam poterat, & debebat habere ipſe actus contemplatus ſub indifferentia paſsiva ad elici, vel non elici, difformitèr, vèl conformitèr ad legem: ſicùt voluntas, quia eſt indifferens activè ad ſe conformare, vel non conformare cum lege Superioris, dicitur capax, & eſt debitrix rectitudinis; quamvis ſi non conformetur, & prout non conformata determinatè, non eſt capax rectitudinis.

62 Dices contrà ſolut. primò: odium Dei, ut indifferens ad elici, & non elicitum eſt odium Dei non elicitum; ſed ita non eſt capax rectitudinis: ergo data ſolut. non tenet. Prob. min.: odium Dei non elicitum, nèc eſt rectum, nèc poteſt eſſe tale; ſed nequit eſſe capax rectitudinis reſpectu extremi cum rectitudine repugnantis: ergo. Prob. mai.: odium Dei non elicitum, vèl eſt poſsibile, vèl eſt futurum; ſed odium Dei poſsibile, vèl futurum, nèc eſt rectum, nèc capax rectitudinis: ergo. Prob. min.: iuxta ſententiam communem Theologorum, Deus diſplicet de peccato poſsibili: ergo quia in illo ſtatu dicit malitiam, cum qua repugnat rectitudo actus. Dices 2.: iuxtà ſolutionem, odium Dei non habet potentiam ſubiectivam ad rectitudinem: ergo non eſt verè privatus ipſa. Prob. conſeq.: vera privatio phyſica requirit in ſubiecto capacitatem ſubiectivam ad recipiendam formam privatam, ut patet in privatione formarum reſpectu materiæ primæ: ergo ſi odium Dei in ſtatu ſubiectivo non habet

ca-

capacitatem rectitudinis, non eſt verè privatus ipſa adhuc moraliter. Prob. conſeq.: nulla eſt quoàd hoc diſtinctio intèr privationem phyſicam, & moralem: ergo ſi illa requirit capacitatem ſubiectivam; etiàm iſta. Prob. antec.: nulla eſt diſtinctio intèr malum phyſicum, & morale in eo, quòd utrumque conſiſtat in privativo: ergo nèc in eo, quod utraque privatio requirat carentiam formæ privatæ in ſtatu ſubiectivo; ſi enim benè infertur, malum morale conſiſtere in privativo ex eo, quod malum phyſicum in privativo conſiſtit; etiam benè infertur, privationem moralem requirere ſubiectum, quod à parte rei poſsit exiſtere diſiunctim ſub forma, & privatione, ex eo quòd privatio phyſica illud requirit.

63 Ad 1. replic. diſt. mai.: odium Dei, ut indifferens ad elici, & non elici, eſt odium non elicitum, indifferentèr reſpiciens utranque partē contradictionis nempe elicientiam, & omiſsionem odij, conc.; eſt odium non elicitum, determinatè reſpiciens unam partem contradictionis tantum, ſeu præciſè elicientiam poſsibilem ipſius, neg. mai.; & applicata diſtinct. ad min.; diſt. ſimiliter mai. probat.: odium Dei non elicitum, reſpiciens tamèn determinatè eius elicientiam poſsibilem, vèl futuram, non eſt, nèc poteſt eſſe rectum, conc. mai.; odium Dei non elicitum, proùt indifferēter reſpiciens eius elicientiā, vèl omiſsionem liberam, neg. mai.; per quod patet ad reliquas probat.; nàm odium Dei non elicitum, licèt quatenùs determinatè reſpicit unam partem contradictionis, ſcil. elicientiam poſsibilem, vèl futuram ipſius odij, non ſit capax rectitudinis, & terminet diſplicentiam Dei; tamèn proùt indifferentèr reſpicit alteram partē, nempè poſsibilem omiſsionem liberam ipſius odij; eſt capax rectitudinis, & complacentiæ Dei. Ad 2. replic. reſp. 1. retorquendo illam: privatio Phyſica requirit ſubiectum poſitivum, ità ut non poſsit fundari, nèc recipi immediatè in alia negatione: ergo etiàm privatio moralis illud requiret: ergo privatio conſtitutiva malitiæ peccati non poteſt fundari, nèc recipi in libera omiſsione, ità ut in hac peccatū eſſe non poſsit. Sed hoc eſt contrà Impugnatores noſtræ ſolut., quorum plures concedunt etiàm puram omiſsionē peccaminoſam abſque omni actu, qui ſit eius cauſa, vèl occaſio: ergo replic. eſt contrà illos.

64 Reſp. 2. directè, con-

ceſ. duobus primis antec., neg. ambas conſeq. ; & ad probat. ſecundæ neg. antec.; quia licèt privatio phyſica, utpotè orta ex aptitudine, & exigentia ſubiecti ad formam privatam, requirat capacitatem ſubiectivam ad ipſam habendam; tamèn privatio moralis, utpotè orta ex debito legis non requirit niſi debitum morale inductum per legem, & potentiam, ſeù capacitatem quamcumque, ſivè ſubiectivam, ſivè obiectivam; qualis datur ad habendam rectitudinem in actu odij Dei, proùt eſt ſub indifferentia ad libere elici, vèl non elici, nàm proùt ſic reſpicit etiàm alteram contradictionis partem, ſcil liberam eius omiſsionem, in qua poteſt debita rectitudo fundari: & liberam omiſsionem, ſeù negationem actus prohibiti fundare rectitudinem, idem eſt in re, ac fundari in actu, quatenùs poteſt liberè non elici; ut conſtat ex eo, quòd Moraliſtæ communiter non dicunt, omiſsionem actus, v. g. odij Dei, mendacij &c. præcipi à lege, ſed potiùs ipſum actum a lege prohiberi, pro eodem uſurpando, carentiam mendacij præcipi, ac ipſum mendacium prohiberi; quod ſignum evidens eſt, actum ipſum poſſe aliquomodo fundare moraliter rectitudinem; quod licet non contingat in tanto rigore, ac in ſubiecto phyſico, hoc non eſt mirum, ſiquidem iuxtà Ariſt. lib. 1. Ethic. cap. 3. in rebus moralibus non exigitur exacta diſcuſsio rerum, ut in ſpeculativis, ſed craſſa quædam, & vulgaris explicatio ſecundùm communem exiſtimationem hominum.

65 Ad ultimam probat. conceſ. antec., neg. conſeq., & paritatem. Diſparitas ſtat in eo, quòd cùm malum formaliter ut tale, ſivè phyſicum, ſivè morale, ſit intranſitivè non bonum, ac proinde non ens, ſiquidem *de Peccatis* ens, & bonum convertuntur; ideò ex eo quòd malum phyſicum conſiſtat in privativo benè infertur, malum morale in privativo conſiſtere, ità ut quoàd hoc nulla ſit diſtinctio inter utrumque; attamèn cùm privatio phyſica fundetur, vèl oriatur ex aptitudine, & exigentia ſubiecti ad habendam formam, quam exigit habere dùm exiſtit, non autèm in ſtatu puræ potentiæ obiectivę; privatio verò moralis oriatur ex debito, ſeù obligatione legis, præcipientis quòd eliciatur actus, vèl prohibentis nè eliciatur, ſub qua indifferentia, & potentialitate eſt in ſtatu obiectivo; ideò ex eo quòd privatio phyſica requirat capa-

pacitatem ſubiectivam ad formam privatam, minimè infertur, quòd etiàm privatio moralis requirat ipſam, ità ut quoàd hoc, ſicut etiàm quoad alia, ſit intèr utramque maxima differentia.

66 Arg. 2.: poteſt dari peccatum, in quo non ſit carentia rectitudinis debitæ: ergo peccatum de ſe non dicit, nèc conſiſtit formalitèr in tali privatione. Prob. antec. primò: audiens Sacrum propter vanam gloriam peccat; ſed in tali caſu non datur carentia rectitudinis debitæ, ſeù nullum adeſt debitum, apponendi rectitudinem in tali actu: erg. Prob. min.: tale debitum, vel ortum duceret ex præcepto Religionis, vèl ex prçcepto humilitatis? Non primum; quia aliàs audiens Sacrum ob pravum finem, non adimpleret prçceptum Religionis, quod eſt falſum. Nèc ſecundum; quia operans in materia unius virtutis, non tenetur apponere rectitudinem alterius ex vi præcepti ſpectantis ad alteram virtutem: ergo in tali caſu nullam eſt debitum apponendi rectitudinem. Prob. ſecundò illud 1. antec.: poteſt quis peccare, v. g. elicere odium Dei, actum infidelitatis &c., quandò non tenetur, ſeù non uget præceptum eliciendi actum oppoſitum, v. g. dilectionis Dei, credendi &c. ſed in his caſibus nulla eſt privatio rectitudinis debitæ: ergo.

67 Reſp. neg. antec., ad cuius 1. probat. conceſ. mai., neg. min., & ad ipſius probat. dicimus debitum apponendi rectitudinem in auditione Sacri ortum ducere, ſaltèm indirectè, & extrinſece, ex virtute Religionis, ità obligantis ad honeſtatem operis præcepti; directè autèm, & intrinſecè oriri illud debitum ex virtute humilitatis, cui expreſsè, àc ex proprio obiecto opponitur intentio, ſeù finis vanæ gloriæ. Et licet operans in materia unius virtutis, ut abſolutè, & ſimplicitèr adimpleat eius præceptum directum, non teneatur apponere rectitudinem alterius virtutis ex vi præcepti ad ipſam ſpectantis; tenetur tamèn illam apponere, ut opus ab alia virtute præceptum eliciatur honeſtè, ſeù non vitietur ex illo capite, quod directè pertinet ad alteram, virtutem; ut patet ex dictis in tract. *de Legibus*, diſp. 2. q. 2. à num. 16.. Ad 2. probat. primi antec. admiſ. mai. (quæ poterat negari, ſiquidem urgente gravi tentatione contra charitatem, vèl fidem, quæ alitèr vinci non poteſt quàm per actus talium virtutum, tùnc casùs urget prç-

ceptum affirmativum eliciendi ipsos), neg. min.; quia in illis casibus datur privatio conformitatis actus odij Dei, aùt infidelitatis ad legem ipsos prohibentem, àc proindè datur privatio rectitudinis debitę ipsi, siquidem rectitudo debita illis non est bonitas formalis actuum oppositorum, sed est conformitas ad præceptum negativum prohibens illos actus, àc fundata super non elicientiam liberam ipsorum.

68 Dices: ergo odium Dei v. g. privat conformitate cùm hoc præcepto negativo: *non odio habebis Deum*: ergo privat conformitate negativa: ergo est privatio negationis: ergo non est privatio rectitudinis debitæ. Ad replic., quę magis habet confusionis, quam efficaciæ, resp. neg. secundam conseq.; nàm illa conformitas ad præceptum negativum, esto fundetur supra negationem physicam, vèl potiùs omissionem liberam, tamèn est perfectio moralis positiva; quæ non inconvenit fundari suprà physicam negationem, supponentem debitum morale ex lege, & liberam determinationem à voluntate; sicùt non inconvenit, quòd moralis privatio rectitudinis fundetur suprà negationem physicam, vèl omissionem liberam actus præcepti. Alia argum., quæ hic solent proponi, manent soluta in sect. præcedenti.

DISPUTATIO II.

De Peccato Omissionis.

QUÆSTIO I.

An possibilis sit pura omissio, peccaminosa?

1 QUONIAM de peccato commissionis ut sic nihil aliud discutiendum ocurrit præter dicta in disp. præced.; ideò agendum venit de peccato omissionis in communi; ut postmodùm tractemus de alijs, quæ se offerunt circa utrumque, vèl quodlibet eorum in particulari. Et licèt in tract. *de Actibus Humanis* disp. 4. q. 3. maneat stabilitum, possibilem esse puram omissionem liberam absque omni actu, qui sit causa, vèl cessatio illius, atque adeò nulla ferè difficultas videatur remanere circa possibilitatem purę omissionis peccaminosæ, tamèn quia nonulli concedentes puram omissionem liberam, adhùc negant, eam posse esse peccaminosam, ideò oportet examinare seorsim hanc controversiam; circa quam nihil novum, vèl speciale advertendum ocurrit ultrà dicta loco cit. in tract. *de*

Ac-

Actibus Humanis. Quare ſit.

2 Concluſ. : poſsibilis eſt pura omiſsio peccaminoſa. Eam ſuſtinent plures Thomiſtæ, Nominales, & omnes Scotiſtę (excepto Fabro) cùm Subt. Doct. in 1. d. 41. q. un. §. *Poteſt aliter dici* ℣. *Primum iſtorum ſolvitur*; & in 2. d. 42. q. 4. in fine. Prob. 1. : poſsibilis eſt pura omiſsio libera : ergo & peccaminoſa. Antec. manet probatū in loco cit.. Prob. cōſeq.: ad hoc ut omiſsio libera ſit peccaminoſa, unicè ſuperaddit eſſe contrà præceptum; ſed ſi voluntas poteſt purè omittere præciſivè à tranſgreſſione præcepti, etiàm cùm ipſius tranſgreſsione : ergo. Prob. min. : ideò voluntas non poſſet contrà præceptum purè omittere libere, quia ſe determinans per omiſsionem pravam vellet malum ſub ratione mali; ſed hoc eſt falſum : ergo. Mai. eſt Contrar.. Prob. min. Tum ; quia velle, ſeù amare malum eſt affici expreſsè ab ipſo, ſeù actū affectus elicere erga illud; ſed pura omiſsio eſt carentia affectūs & cuiuſcumque actus: ergo. Tum, quia ut voluntas amplecteretur malum ſub ratione mali, deberet reflexè amare puram omiſsionem; ſed purè omittens non amat reflexè ipſam omiſsionem, nam aliàs non purè omitteret, ſed eliceret actum, qui eſſet cauſa directa omiſsionis : ergo.

3 Conf., & præcavetur ſolut. aliorum : ideò non eſſet poſsibilis pura omiſsio peccaminoſa, quia peccatum, etiàm omiſsionis, debet eſſe voluntarium per actum poſitivum; ſed hoc eſt falſum : ergo. Prob. min. : ideò peccatum omiſsionis deberet eſſe ità voluntarium, quia in ipſo neceſſariò reperitur poſitiva deordinatio; ſed hoc eſt falſum : ergo. Prob. min. : in tantùm in quolibet peccato omiſsionis reperiretur poſitiva deordinatio, in quantùm quælibet omiſsio peccaminoſa dicit non ſolùm averſionem à Deo, ſed etiàm converſionem ad creaturam; ſed ut omiſsio ſit peccaminoſa non requiritur, quod talis converſio ſit formalis, & expreſſa per actum poſitivum, & deordinatum; ſed ſufficit quòd ſit virtualis, & interpretativa talis converſio ad creaturam, qualis habetur per puram omiſsionem liberam, & prohibitam : ergo.

4 Prob. 2. : voluntatem non agere dùm poteſt, & tenetur, eſt peccare peccato omiſsionis, iuxta illud ex Epiſt. D. Iacobi cap. 4. : *ſcienti bonum facere, & non facienti, peccatum eſt illi*; ſed voluntas poteſt non agere dùm poteſt, & tenetur agere, quin eliciat, vèl imperet aliquem actum: ergo ut voluntas peccet pecca-

to omiſsionis nullus requiritur actus in voluntate; àc proindè poſsibile eſt peccatum puræ omiſsionis. Prob. min. primò: iuxta Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 5. non minus immediatè eſt in poteſtate voluntatis non agere, quàm agere; nàm aliàs non eſſet eſſentialitèr, & immediatè libera libertate contradictionis; ſed quia agere eſt immediate in poteſtate voluntatis, poteſt agere dùm poteſt, & tenetur agere, ſine alio actu, qui ſit cauſa, vèl occaſio illius: ergo etiàm poteſt immediate non agere, dùm poteſt, & tenetur agere, quin eliciat, vèl imperet aliquem actum, qui ſit cauſa, vèl occaſio talis omiſsionis Prob. ſecundò illa min.: in primis, ut voluntas ſit potens agere, nullus requiritur actus, cùm per ipſum non conſtituatur potens elicere actum, ad quem tenetur; nèc requiritur actus voluntatis, ut ipſa teneatur agere, vèl ut advertat obligationem agendi, cùm hæc duo proveniàt a præcepto, & ab advertentia illius; ſed aliunde nullus requiritur actus voluntatis, ut ipſa non agat; cùm conſtituatur non agens per carentiam actus: ergo nullus requiritur actus voluntatis, ut hęc non agat, dùm poteſt, & tenetur agere.

5 Reſp. Gonet cum alijs, quòd ly *non agere*, in quo ſtat peccatum omiſsionis, non ſumitur purè in actu primo, vèl præcisè negativè, & proùt importat omnem ſuſpenſionem, & negationem actus, ſed in actu ſecundo, privativè, & moralitèr, ſecundùm quòd talis negatio cauſatur à voluntate, quod nequit intelligi ſine aliquo eius actu antecedente, aùt concomitante. Contra 1.: iuxtà D. Thomam, non agere in actu ſecundo, privativè, moralitèr, & ſecundùm quod cauſatur indirectè à voluntate, àc imputatur ei quaſi ab ipſa exiſtens, poteſt eſſe abſque omni actu voluntatis: ergo reſponſ. eſt contrà doctrinam D. Thomę, àc proinde nequit ab Authore Thomiſta ſuſtineri. Prob. antec. D. Thomas. in 1a. 2æ. q. 6. art. 3. in corp. ait.: *Quia igitur voluntas volendo, & agendo, poteſt impedire hoc quod eſt non velle, & non agere; & aliquandò debet; hoc quod eſt non velle, & non agere imputatur ei, quaſi ab ipſa exiſtens: & ſic voluntarium poteſt eſſe abſque actu, quandoque quidem abſque actu exteriori cùm actu interiori, ſicùt vult non agere; aliquandò autèm & abſque actu interiori, ſicùt cùm non vult.* Et in 2a. 2æ. q. 79. art. 4. in reſp. ad 4. ait: *Similitèr etiam omiſsioni non ſolum debetur pœna damni, ſed etiàm pœna ſenſus :: Et hoc propter radicem ex qua procedit*

nem-

(nempe ex voluntate), *licèt non habeat ex neceſsitate actualem converſionem ad bonum commutabile*; ſeù aliquem actum ipſius voluntatis, qui ſit cauſa, vèl occaſio talis omiſsionis. Et in 2. ſent. d. 35. q. 3. art. 1. ubi inquirens: *utrùm in omni peccato ſit aliquis actus?* Et referens opinionem dicentem, quòd in omni peccato omiſsionis debet eſſe aliquis actus, per quem retardatur, vèl impeditur adimpletio præcepti, inquit: *ſed iſta opinio non videtur neceſsitatem habere*: ergo iuxtà D. Thomam, nullus requiritur actus voluntatis ut de ipſa verificetur *non agere* in actu ſecundo, privativè, & moralitèr, in quo ſtat peccatum omiſsionis.

6 Contrà 2.: illa omiſsio importat debitum rectitudinis, qua caret: ergo non eſt mera negatio, ſed moralitèr in actu ſecundo privatio rectitudinis debitæ. Antec. patet; ſiquidèm eſt inobedientia, & tranſgreſsio urgentis præcepti, àc punibilis, iuxtà illud D. Lucæ cap. 12. *ſervus ſciens voluntatem Domini, & non faciens, vapulabit multis.* Contrà 3.: illud non agere, ſeù illa pura omiſsio eſt voluntaria, & libera in actu ſecundo: ergo falſa eſt reſponſio.. Prob. antec.: Tùm, quia per illam omiſsionem voluntas exercet dominium contradictionis, & ſe determinat ad unam eius partem, cùm poteſtate antecedenti ad utramlibet ſeorſim: ergo. Tùm, quia aliquid aliud dicit voluntas purè omittens, quod non dicit antè actualem omiſsionem; ſed hoc nequit eſſe niſi omiſsio hic, & nùnc à voluntate exiſtens: ergo. Prob. mai.: dùm voluntas actù omittit, verè denominatur omittens, quã denominationem anteà non habebat; ſed forma, vèl quaſi forma talis novæ denominationis nequit eſſe nuda voluntas, quæ ſempèr eſt eadem, nèc ſola cognitio actus omiſsi, ut patet: ergo erit ipſa omiſsio hic, & nùnc à voluntate indirectè egrediens; utpote quæ cum poſſet agere, liberè non agit, ſeù omittit. Pro cuius ulteriori impugnat. videantur dicta in loco cit. *de Actibus Humanis*; Ex quibus poſſunt etiàm eformari aliæ prabationes huius concluſ., àc etiàm ſolvi plura argum. militantia contrà poſſibilitatem puræ omiſsionis ex capite libertatis; quare hic unicè proponemus ea, quæ ſpecialiùs militant contrà illàm ſub ratione peccaminoſæ.

7 Arg. 1.: ſi eſſet poſsibilis pura omiſsio peccaminoſa, eſſet poſsibile peccatum actuale, non procedens in peccatore ex inordinato amo-

re

re ſui ; ſed hoc eſt contrà Script. , & S. S. P. P. : ergo. Mai. conſtat ; quia talis amor eſt actus poſitivus. Prob. min.: Tùm ex illo D. Puali in Epiſt. ad Timoth. cap. ult.: *Radix omnium malorum cupiditas.* Tùm ex Epiſt. 1. D. Ioan. cap. 2. : *omne quod eſt in mundo, eſt concupiſcentia carnis, concupiſcentia oculorum , aut ſuperbia vitæ.* Tum ex illo Eccleſiaſt. cap. 10. *initium omnis peccati ſuperbia.* Tùm ex M. P. Aug. lib. 14. de Civ. Dei cap. 28. *Amor ſui uſque ad contemptum Dei ædificat civitatem Babylonis : amor autem Dei uſque ad contemptum ſui ædificat civitatem Dei.* : ergo. Conf.: implicat peccatum mortale actuale non includens, vèl ſupponens converſionem actualem ad bonum commutabile ; ſed talis converſiò includit aliquem actum poſitivum : ergo. Prob. mai. primò: implicat peccatum mortale actuale , quod non ſit dignum puniri pœna ſenſus ; ſed hæc neceſſariò ſupponit converſionem ad bonum commutabile, ut patet ex illo Apocal.: *Quantùm glorificavit ſe in deliciis, tantùm date ei tormentorum, & luctus* : ergo. Prob. ſecundò illa mai. : implicat peccatum mortale actuale ſine averſione à Deo, ut ultimo fine; ſed implicat talis averſio abſque eo, quòd peccans convertatur in bonum creatum ; ut patet in phyſicis , ubi receſſus, & averſio ab aliquo termino provenit ex acceſſu , & converſione ad alterum : ergo. Prob. 3. illa mai.: ſi poſsibile eſſet peccatum mortale ſine converſione in bonum creatum ut ultimum finem , tale peccatum non deſtrueret charitatem ; ſed hoc eſt abſurdum: ergo. Prob. ſequela : ideò quodlibet peccatum mortale deſtruit charitatem , quia per illud homo convertitur in bonum creatum ut finem ultimum ; per charitatem verò in Deum ; & eiuſdem rei nequeunt eſſe duo fines ultimi ſimpliciter : ergo ſi &c.

8 Ad argum. conceſ. mai., neg. min. ; ad cuius probat. dicimus , Scrip. , & P. P. loqui de peccato commiſsionis; imò etſi loquantur de peccato omiſsionis , loquuntur de eo proùt in plurimùm , & regulariter contingit non tamen pro omni caſu poſsibili , & ſecundùm illud , quod peccatum omiſsionis neceſſario requirit ; nàm ut inquit D. Thomas in 1a. 2æ. q. 84. art. 1. in reſp. ad 3.: *Sicùt in rebus naturalibus non quæritur quod ſemper fiat , ſed quod in pluribus accidit ; ita etiàm in moralibus conſideratur quod in pluribus eſt , non autem quod ſem-*

ſemper eſt, eò quòd voluntas non ex neceſsitate operatur. Ad conf. diſt. mai.: implicat peccatum mortale actuale ſine converſione, ſaltèm indirecta, interpretativa, & æquivalente, ad bonum commutabile, conc. mai.; ſine converſione præcisè directa, poſitiva, & formali, neg. mai. (nàm aliàs peccatum omiſsionis non ſolùm cauſalitèr vel occaſionalitèr ſupponeret actum poſitivum converſionis ad bonum commutabile, ſed etiàm illum in ſe ſubiectivè, intrinſecè, & formalitèr includeret, cùm etiàm proùt ſic includat rationem peccati, quod eſt contrà Adverſ.). Ad 1. probat. mai., conceſ. mai. neg. min. in ſenſu diſtinct. datę; ſiquidèm in pluribus Script. locis pœna ſenſus applicatur omiſsionibus, ut patet ex illo: *Omnis arbor, quæ non facit fructum, excidetur, & in ignem mittetur.* Et ex illo: *ſervus ſciens, & non faciens voluntatem Domini ſui, vapulabit multis.* Et ex illo: *Ite maledicti in ignem æternum; eruſivi enim, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi, & non dediſtis mihi bibere &c.*

9 Ad 2. probat. mai. diſt. mai.: implicat peccatum mortale actuale ſine averſione, ſaltèm privativa, ab ultimo fine, conc. mai.; ſine averſione præcisè poſitiva, neg. mai.; & diſt. min.: implicat talis averſio abſque eo, quòd peccans convertatur interpretativè, & æquivalentèr ad bonum creatum, conc. min.; abſque eo, quòd convertatur præcisè poſitivè, & formaliter, neg. min.. Ad 3. probat. illius mai. neg. ſequelam, ad cuius probat. diſt. antec.: ideo ſufficientèr quodlibet peccatum deſtruit charitatem, quia convertitur peccator, modo dicto, in bonum creatum, conc.; ideò præcisè, & adæquatè, neg. antec.; nàm ideò charitas deſtruitur, demeritoriè quidem, per quodlibet peccatum mortale, quia cùm iſtud ſit impietas, & iniquitas, ac offenſa Dei, quæ ſunt odio ipſi, eà proptèr deſtruit gratiam, & charitatem, quæ eſt principium diligendi amicabilitèr Deum; & dilectionis paſsivę ab ipſo.

10 Arg. 2.: voluntas manens in actu primo nequit peccare; ſed ſine actu poſitivo manet voluntas in actu primo: ergo ſine illo non eſt poſsibile peccatum; ſeù repugnat pura omiſsio peccaminoſa. Mai. patet; quia voluntas manens in actu primo non exercet libertatem, quod neceſſario requiritur ut peccet. Prob. min.: omne aliud prętęr actum poſitivum poteſt convenire vo-

lun-

luntati manenti in actu primo: ergo. Prob. antec. : præter actum poſitivum, unicè poteſt conſiderari in voluntate advertentia præcepti, & carentia operationis; ſed voluntati in actu primo & convenit advertentia præcepti, & carentia operationis, ſiquidem quandiù eſt in actu primo, non operatur: ergo. Conf. : ſtat, voluntatem non agere cum poteſtate, & obligatione ad agendum, & tamèn omiſsionem non eſſe exercitè liberam voluntati, uti requiritur ad rationem peccati: ergo pura omiſsio peccaminoſa non eſt poſsibilis. Prob. antec. : in ſigno actus primi, ſeù libertatis, & indifferentiæ ad agendum, & non agendum intelligitur voluntas non agens cùm poteſtate, & obligatione ad agendum, ſi urgeat præceptum; ſed pro illo ſigno *non agere* non eſt exercitè liberum voluntati; nàm aliàs exercitium libertatis intelligitur in eodem ſigno, ac intelligitur libertas, ſeù indifferentia ad utrumque extremum: ergo.

11 Ad arg. conceſ. mai, neg. min., ad cuius probat. neg. antec., & diſt. mai. probat.: præter actum poſitivum, unicè poteſt convenire voluntati advertentia præcepti, & carentia privativa operationis pro ſigno pro quo ipſa operatio poterat, & debebat eſſe exercitium libertatis, conc. mai.; unicè poteſt convenire voluntati advertentia præcepti, & carentia tantùm præciſiva, aùt negativa operationis pro ſigno, pro quo ipſa operatio nequit eſſe exercitium libertatis, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: voluntati in actu primo convenit carentia negativa, & purè præciſiva operationis conc. min.; carentia privativa, neg. min.; quia pro illo ſigno non tenetur, nec poteſt ponere actum, qui ſit exercitium libertatis, cùm illud ſit ſignum indifferentię ad actum, & omiſsionem eius. Ad conf. diſt. antec.: ſtat, voluntatem non agere negativè, & inimpedibiliter, cùm poteſtate, & obligatione ad agendum pro ſigno poſteriori, & tamèn omiſsionem, vèl potius præciſionem actus pro illo ſigno antecedenti non eſſe liberam voluntati, conc.; ſtat voluntatem non agere privativè, & impedibiliter, cùm poteſtate, & obligatione ad agendum pro eo ſigno, pro quo non agit, & omiſsionem non eſſe liberam, neg. antec.; & diſt. mai. probat.: in ſigno actus primi intelligitur voluntas non agens negativè, inimpedibilitèr pro tali ſigno, & prout *non agere* eſt eſſentialitèr incluſsum in conceptu quidditativo indifferentiæ, cùm poteſtate, & obli-

gà-

gatione ad agendum pro ſequenti ſigno actus ſecundi, conc. mai.; intelligitur non agens privativè, & per modum exercitij impedibilis, àc egredientis ab ipſa voluntate, cum poteſtate, & obligatione ad agendum pro illo ſigno actus primi, neg. mai.; & conceſ. min.; neg. conſeq.; quia omiſsio libera, & peccaminoſa, eſt non agere privativum egrediens ab ipſa voluntate per modum exercitij cadentis ſub eius dominio, & ab ipſa impedibilis, àc excluſivum actus poſitivi pro ſigno, pro quo ipſe actus poterat, & debebat ineſſe.

12 Arg. 3. omiſsio actus præcepti unicè poteſt eſſe voluntaria indirectè, virtualitèr, & interpretative: ergo nequit non procedere à voluntate medio aliquo actu cauſante, vèl occaſionante ipſam omiſsionem; & conſequentèr &c. Prob. conſeq.: in tantùm dicitur aliquid indirectè, virtualitèr, & interpretativè voluntarium in quantùm oritur, fundatur, vèl ſequitur ad aliud directè; expreſsè, & formaliter volitum: ergo ſi omiſsio tantùm eſt voluntaria indirectè, virtualitèr, & interpretativè, nequit procedere à voluntate niſi medio actu illam cauſante, vèl occaſionante. Conf. 1. id, à quo omiſsio dicitur voluntaria, debet eſſe aliquid à parte rei in omittente; ſed volitio interpretativa nihil eſt à parte rei in omittente: ergo ut omiſsio ſit voluntaria, & culpabilis, debet ab aliquo actu poſitive cauſari. Conf. 2.: omiſsio peccaminoſa, non ſolùm ſecundùm exiſtimationem, aùt interpretationē prudentum, ſed verè a parte rei debet habere propriam, & realem malitiam: ergo etiàm debet habere voluntarietatem realem, & non ſolùm interpretativam; àc proindè non niſi medio actu poteſt eſſe voluntaria, & peccaminoſa.

13 Reſp. ad arg. diſt. antec.: omiſsio unicè poteſt eſſe voluntaria indirectè, id eſt, procedens immediatè à voluntate *ut non agente*; & virtualitèr, ac interpretativè, id eſt, *æquivalentèr* ad actum explicitum, & formalem, quo poſitivè nollet, conc. antec.; unicè poteſt eſſe voluntaria indirectè, id eſt, *mediatè*; & virtualitèr, àc interpretative id eſt, *in cauſa*, vèl *interpretatione*, aùt *exiſtimatione* prudenti, neg. antec. & conſeq.; ad cuius probat. diſt. ſimiliter antec.: in tantùm dicitur aliquid indirectè, nēpè *mediatè*; & virtualitèr, àc interpretativè, ſcil. *in cauſa*, vèl *interpretatione*, aùt *exiſtimatione* pruden-

dentum; in quantùm oritur, ſequitur, vèl fundatur in alio expreſsè, & formalitèr volito, conc. antec.; in tatùm dicitur aliquid voluntarium indirectè, id eſt, immediate procedens à voluntate ut liberè *non agente*; & virtualitèr, àc interpretativè, id eſt, *aquivalentèr* ad actum explicitum, & formalem (qualitèr ſe habet omiſſio actus præcepti); in quantùm oritur, vèl ſequitur ad aliud formalitèr volitum, neg. antec.; & conſeq. ſub diſtinct. data.

14 Ad 1. conf. diſt. mai.: id, à quo omiſsio dicitur voluntaria, debet eſſe aliquid privativum à parte rei in omittente, eo modo primationes, & negationes dantur a parte rei, conc.; debet eſſe aliquid præcisè poſitivum, ſubdiſt.; id, à quo dicitur principiativè, aùt egreſivè voluntaria, debet eſſe quid poſitivum, ſcil. ipſa voluntas, conc.; id, à quo dicitur in ſe voluntaria, ſcil. ipſum exercitium omiſsivum voluntatis, debet eſſe quid poſitivum, neg. mai.; & diſt. min.: volitio interpretativa nihil eſt poſitivum in omittente, conc.; nihil eſt privativum, neg. min.; & conſeq.. Ad 2. conf. conceſ. antec., diſt. conſeq. omiſsio peccaminoſa debet habere voluntarietatem realem privativam, & non ſolùm interpretativam in tali linea, ità ut à parte rei ſit in ſe voluntaria privatio actus, qui poterat, & debebat elici conformiter ad præceptum, conc.; debet habere voluntarietatem realem poſitivam, & non ſolùm interpretativam in huiuſmodi linea, ita ut non ſolùm interpretativè, ſeù æquivalenter ſe habeat voluntas omittens, àc ſi expreſsè vellet omittere, sed etiàm verè à parte rei ſupponat aliquem actum poſitivum voluntatis, neg. conſeq.

15 Arg. 4. & eſt replica contrà dicta: ut voluntas peccet, debet ſe ipſam determinare; quia dùm eſt ſub indifferentia, non peccat; ſed voluntas nequit ſe ipſam determinare, niſi per actum formalem, vèl ſaltem virtualem, qui ſit cauſa, vèl ocaſio illius determinationis: ergo. Prob. min.: voluntas nequit ſe determinare per puram carentiam actus debiti: ergo. Prob. antec.: voluntas ſe determinans, utpotè aliter ſe habens nùnc pro ſigno determinationis, quàm priùs pro ſigno indifferentiæ, debet habere aliquod fundamentum intrinſecum, ratione cuius verificetur tranſitus, ſeù mutatio de ſtatu indifferentiæ ad ſtatum determinationis; ſed tale fundamentum nequit eſſe pura ca-

carentia actus debiti ; cùm hęc conveniat voluntati etiam in ſtatu indifferentię : ergo Reſp. conceſ. mai. , diſt. min. : voluntas nequit ſe determinare ad agendum , niſi per actum, conc. ; ad non agendum , neg. min. ; & diſt. antec. probat. : voluntas nequit ſe determinare per puram carentiam negativam , ſeù pręciſivam , convenientem neceſſariò ipſi pro ſtatu indifferentię, conc. ; nequit ſe determinare per puram carentiam privativam , cadentem ſub dominio voluntatis , & ab ea libere egredientem pro ſigno, in quo poterat , ac debebat actum elicere , neg. antec. ; ad cuius probat. dicimus , quòd voluntas ſe determinans ad non agendum , licèt non *poſitivè*, tamèn *privativè* ſe habet aliter , quam prius ; nàm pro ſigno indifferentię erat in ſtatu pręciſionis ab actu , & carentia eius ; ac in ſigno determinationis eſt iàm determinatè ſub carentia actus , quem pro tali ſigno poterat , ac debebat elicere ; unde fundamentum talis tranſitus , ſeù mutationis non debet eſſe quid poſitivum, ſed ſufficit quid merè privativum. Qnarè conceſ. mai., neg. min. ultimæ probat..

16 Arg. 5. omnis negatio debet fundari in aliquo poſitivo ; ſed pura omiſsio eſt negatio : ergo debet fundari in aliquo poſitivo ; & conſequenter &c. Conf.: per nos , omne peccatum,tàm commiſsionis,quàm omiſsionis , conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actus ſecundo : ergo in peccato omiſsionis involvitur actus ſecundus , cui debita ſit rectitudo ; ac proindè nequit eſſe pura omiſsio. Ad arg. diſt. mai.: omnis negatio debet fundari in aliquo poſitivo , vèl potentiæ , à qua egrediatur talis negatio , vel actus eliciti à tali potentia , conc. ; ſempèr, & præcisè in aliquo poſitivo actus eliciti , ſubdiſt. : reſpectu potentiæ naturalis , & à natura inſtitutæ ad agendum præcisè, conc. ; reſpectu potentiæ liberæ , & inſtitutæ ad agendum,& non agendum diſiunctim, neg. mai. ; & diſt. min. : pura omiſsio eſt negatio egrediens a potentia libera , ſeù indifferenti ad agendum , & non agendum per ſe immediatè , conc. ; eſt negatio egrediens à potentia naturali , & determinata ad agendum præcisè , neg. min.; & diſt. conſeq. : omiſsio debet fundari in aliquo poſitivo potentiæ, à qua egreditur , conc.; in aliquo poſitivo actus præcisè , neg. conſeq.. Ad conf. diſt. antec. : omne peccatum conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ actui ſecundo, qui debebat eſſe, & non eſt, conc.;

actui, qui eſt, vèl fuit, neg. antec., & conſeq. ſub eàdem diſtinct.. Vel aliter diſt. antec.: conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ actui ſecundo, ſumpto pro exercitio libero, ſivè poſitivo, ſivè privativo, conc.; ſumpto pro exercitio præcisè poſitivo, ſeù pro actu formali, & expreſſo neg. antec.; & diſt. ſimilitèr conſeq..

17 Arg. 6. non poteſt quis omittere actum externum adeundi Eccleſiam tempore, quo urget præceptum audiendi Miſſam, niſi vèl ludendo, vel cubando, vèl exercendo aliquid aliud incompatibile cum auditione Miſſæ: erg. non poteſt quis eam omittere v. g. ſine aliquo actu poſitivo, qui ſit cauſa, vèl occaſio talis omiſſionis. Conf.; quamvis voluntas ſit indifferens ad agendum, & non agendum circa ſingula obiecta propoſita in particulari, tamèn neceſſarium eſt, quòd vagè, & indeterminatè operetur circa aliquod ex ipſis; ſed eò ipsò, quàdo omittit actum præceptum, debet habere aliquem actum, qui ſit cauſa, vèl occaſio omiſſionis illius: ergo. Prob. mai.: intellectus ex continua obiectorum propoſitione trahit voluntatem ad aliquem actum circa aliquod ex illis: ergo. Ad arg. diſt. antec.: non poteſt quis omittere actum &c. niſi per accidens exercendo aliquid externum, erga quod voluntas merè negativè ſe habeat, ſeù illud non imperet in ordine ad illam omiſsionem, conc.; niſi per ſe exercendo aliquid, erga quod voluntas poſitivè ſe habeat imperando illud, & prævidendo eius incompatibilitatem cùm adimpletione præcepti, ſubdiſt.: proùt regulariter, & frequentèr accidit omiſsio, conc.; abſolutè, & ſimpliciter, attenta præcisè ratione omiſsionis liberæ, & peccaminoſæ, neg. antec.; & diſt. ſimilitèr conſeq.: non poteſt quis omittere actum præceptum, niſi exercendo aliquem actum, qui ſit cauſa, vèl occaſio per accidens, & prætèr intentionem voluntatis erga illam omiſsionem, conc. conſeq.; qui ſit cauſa, vèl occaſio per ſe, & ex intentione voluntatis; proùt eſt difficultas præſens, neg. conſeq.. Ad conf. neg. mai. cum antec. probat.; quia illa continua propoſitio obiectorum ex parte intellectus nullam infert neceſsitatem voluntati ad producendum illum actum circà aliquod ex illis; nam ſolus Deus clarè viſus neceſsitat voluntatem ad eius amorem, modo dicto in tract. *de Beatitudine*; à nullo autèm alio obiecto neceſsitatur ad aliquem actum eliciendum, ſed poteſt libere omittere, ſeù ſuſ-

pendere omnem actum, atque adeo purè omissivè peccare urgente præcepto.

18 Arg. 7. oppositorum eadem est ratio; sed nequit dari pura omissio bona, & meritoria: ergo nec mala, & demeritoria. Resp. 1. concess. mai, neg min.; quia, ut vidimus in tract. *de Merito*, possibilis est pura omissio meritoria, iuxta illud Ecclesiastici, ubi beatus dicitur *qui potuit transgredi, & non est transgressus*; ac si diceret, ille est dignus laude, & præmio, qui potuit transgredi præceptum, seù consentire obiecto malo, & non fuit transgressus, seu non consensit, quamvis nullum actum positivum elicuerit. Resp. 2. admissa min., neg. conseq.; quia cùm bonum sit ex integra causa, & eius honestas debeat ad meritum esse per se intenta, & volita; malum autem sit ex quocunque defectu, & ad demeritum sufficiat carentia actus debiti; vèl si mavis, sufficiat actus virtualis, interpretativus, seù æquivalens actui positivo, modo suprà explicato; ideò licèt ad meritum requiratur actus positivus, tamen ad peccatum, & demeritum sufficit pura omissio.

***
***

QUÆSTIO II.

Utrùm omittens ex causa voluntaria peccet, nedùm quandò causam apponit, sed etiam dum de facto omittit?

1 IAM non loquimur de peccato possibili purè omissionis, sed de eo, quod regulariter contingit in praxi, scil. quod procedit ex aliqua eius causa, vèl occasione. Supponimus autèm primò, quod actus incompatibilis cum adimpletione præcepti, v. g. auditionis Sacri, potest dupliciter coniungi cum eius omissione: primo ita, ut talis actus sit causa directa omissionis, ut dum quis formaliter, & expressè non vult audire Sacrum, vèl ità ut sit saltèm causa indirecta illius omissionis, ut quandò vult ludere, vèl studere pro tempore, quo urget præceptum auditionis Sacri: secundò ita, ut talis actus solùm concomitanter se habeat ad omissionem, v. g. si quis iàm statuit non audire Missam propter frigus, vèl pluvium, & postèa ne sit otiosus domi, vult studere, hoc studium unicè concomitanter se habet ad omissionem Sacri.

2 Suppon. 2.: actus coniunctos solùm concomitanter, vèl consequenter cùm omis-

ſione peccaminoſa, etiàm incompatibiles cùm operatione præcepta, non eſſe peccaminoſos ex tali capite, ſeù non contrahere malitiam ex omiſſione. Eſt comune apud Noſtrates, & alios plures. Prob. primò: tales actus nequeunt aliundè contrahere malitiam omiſsionis peccaminoſæ, niſi quia aliquo modo eſſent cauſa eiuſdem; ſed nullo modo ſunt cauſa illius omiſsionis: ergo. Prob. min.: illa omiſsio ſupponitur cauſata per voluntatem efficacem non audiendi Miſſam propter commoditatem fugiendi frigus, vèl pluviam: ergo actus ſtudij concomitanter, vèl conſequenter ſe habens, quamvis aliàs incompatibilis cùm auditione Sacri, nullo modo eſt cauſa eius omiſsionis. Prob. 2. ſuppoſita prava intentione omittendi Sacrum, non tenetur homo manere otioſus, nèc abſtinere ab operibus aliàs honeſtis, aùt indifferentibus; quin imò melius eſt talia opera elicere, quam manere otioſum; ſed hoc eſſet falſum, ſi ſtudium v.g., quod eſt inconiungibile cùm auditione Sacri, eſſet malum in caſu propoſito: ergo non eſt malum.

3 Dices 1.: ſtudium in illo caſu eſt prohibitum, & exercetur tempore indebito, ſcil. audiendi Sacrum, cuius præcepti adimpletio eſt incompatibilis cum ſtudio: ergo ex tali circunſtantia vitiatur. Prob. antec.: præceptum v.g. audiendi Sacrum prohibet omne incompatibile cùm adimpletione illius, non minùs àc obligat ad adimpletionem eius: ergo. Reſp. neg. 1. & diſt. 2. antec.: præceptum prohibet omne incompatibile impediens defacto illius adimpletionem, & influens in eius omiſsionem, conc.; de facto adimpletionem non impediens, nèc in omiſsionem influens, neg. antec., & conſeq.; quia ſtudium in illo caſu unicè eligitur ad vitandam otioſitatem, vel ob alium finem, ex ſuppoſitione determinationis efficacis manendi domi, ſeù Miſſam non audiendi. Dices 2. ex ſuppoſitione ſequeretur, quod clericus, qui poſtquàm decrevit non recitare in longa navigatione, proijceret Breviarium in mare, non peccaret in tali proiectione; nèc ille, qui poſtquàm decreviſſet non ſervare votum ſimplex caſtitatis, contraheret Matrimonium, peccaret contrahendo illud; ſed utraque ſequela eſt falſa; ergo, & illud, ex quo ſequitur. Neg. ſequelam; quia noſtra ſuppoſit. loquitur de actu, cùm quo remaneat poteſtas relinquendi libere ipſum, & adimplendi præceptum; in his

au-

autèm caſibus non ſolum ponitur actus incompoſibilis cùm obſervantia præcepti, ſed etiàm adimitur poteſtas obſervandi præceptum, etiamſi retractetur intentio non adimplendi illud; & indè vitiantur tales actus.

4 Supp. 3. actus ità coniunctos cùm omiſsione peccaminoſa, ut ſint eius cauſa, vèl occaſio præviſſa, & libera, eſſe formalitèr peccaminoſos. Eſt etiam commune. Prob.: actus liber, qui eſt cauſa peccati, peccatum eſt; quarè qui conſulit, vèl inducit ad peccandum, peccat: ergo illi actus, qui ſunt cauſa directa, vèl indirecta omiſsionis peccaminoſæ, ſunt peccata. Conf.: quælibet prava circunſtantia vitiat actum; cùm malum ſit ex quocunque defectu; ſed illi actus afficiuntur prava circunſtantia, ſcil. influxu in omiſſionem peccaminoſam: ergo: Urg.: præceptum directè obligans ad auditionem Sacri v.g. etiàm indirectè, vèl implicitè prohibet quodlibet impediens illius adimpletionem, ſeù influens in eius omiſsionem: ergo actus ipſam cauſantes ſunt contra illud præceptum, àc proindè ſunt mali; malitia quidem eiuſdem ſpeciei, àc ipſa omiſsio culpabilis. Et hoc intelligitur, quamvis omiſsio non ſequatur de facto; ad modum quo voluntas furandi, vèl occidendi eſt peccaminoſa, licèt nèc furtum, vèl homicidium de facto ſequatur.

5 Supp. 4.: actum, qui eſt cauſa, vèl occaſio omiſsionis culpabilis, materialitèr quidem, & in eſſe phyſico eſſe commiſsionem; formalitèr tamen, & in eſſe moris eſſe peccatum omiſsionis. Sic. N. Felix, & Mag. Vvenzl, qui ſic concordant ſententias diverſas. Prob. 1. pars: commiſsio in eſſe Phyſico importat actum poſitivum; ſed cauſa omiſsionis, v. g. voluntas directa omittendi Sacrũ, vèl ludendi pro tempore quo urget illud preceptum, & cùm prævisione illius, & actus poſitivus: ergo Phyſicè, & materialitèr eſt comiſsio. 2. pars: malum in genere moris, ſeù peccatum in ratione talis attenditur, & conſtituitur ſecundùm oppoſitionem, ſeù diſſonantiã ad legem; ſed oppoſitio, ſeù diſſonantia, quæ eſt in actu cauſante omiſsionem, eſt ad illam legem, cui omiſsio eſt ad illam legem, cui omiſsio eſt diſſona, ſeù difformis: ergo habet illam ipſam rationem malitię moralis, àc ipſa omiſsio; & conſequentèr eſt huiuſmodi peccatum; ſiquidem quod habet repugnantiam cùm lege prohibente omiſsionem, eſt peccatum omiſsionis. Conf.: peccatum omiſsionis eſt, quod

opponitur præcepto affirmativo, pertinenti ad faciendum bonum; ſicut è converſo peccatum commiſſionis eſt quod opponitur præcepto negativo, pertinenti ad declinandum à malo; ſed actus per modum cauſæ influens in omiſſionem culpabilem, opponitur præcepto affirmativo, v.g. audiendi Sacrum, quod pertinet ad faciendum bonum: ergo eſt peccatum omiſſionis. Prob. min.: præceptum obligans ad aliquem finem, obligat etiam ad id, ſine quo talis finis nequit obtineri; ſed auditio ſacri v. g. nequit in executione poni, niſi auferatur omnis actus per modum cauſæ influens in eius omiſſionem: ergo.

6 Dices: peccatum commiſſionis, formaliter quidem, & in eſſe moris, eſt actus privatus debito ordine; peccatum verò omiſſionis eſt carentia ſeu privatio actus debiti; ſed actus voluntatis cauſans omiſſionem non eſt privatio actus, quia potiùs eſt actus debito ordine privatus: ergo. Conf. 1.: diſtinctio inter peccatum commiſſionis, & omiſſionis non provenit ex eo, quòd malitia unius conſiſtat in poſitivo, alterius autem in privativo; ſed ex eo, quod privatio rectitudinis, quæ eſt malitia formalis, afficiat immediate actum, vel carentiam actus; ſed malitia actus cauſantis omiſſionem afficit immediatè ipſum, non verò carentiam actus: ergo. Conf. 2.: peccatum commiſſionis eſt illud, quod opponitur præcepto negativo; ſed actus cauſans ommiſſionem culpabilem, v.g. audiendi Sacrum, opponitur tali præcepto, quatenùs virtualiter, & indirectè negativo; ſiquidem opponitur ipſi, quatenùs prohibet actus influentes in omiſſionem: ergo.

7 Ad replic. diſt. mai.: peccatum commiſſionis eſt actus privatus debito ordine, conveniente ipſi ſecundum ſe, & independenter à cauſalitate omiſſionis, ac per oppoſitionem ad præceptum negativum, conc.; conveniente ipſi ex eo quod ſit cauſa omiſſionis, & opponatur præcepto affirmativo, neg. mai.; & ſic diſtincta min., neg. conſeq.. Ad 1. conf. diſt. mai.: diſtinctio inter peccatum commiſſionis, & omiſſionis directe, & per ſe tale, provenit ex eo, quòd malitia unius afficiat immediate actum, alterius verò carentiam actus, conc.; diſtinctio inter peccatum commiſſionis, & omiſſionis indirecte, & per accidens tale, ſubdiſt.: provenit ex eo, quod malitia unius afficiat immediatè actum ſecundum ſe, mali. i. vero alterius afficiat carentiam actus ſaltem cauſaliter, ſive prius

in

in carentiam actus debiti influit per modum cauſæ, conc.; provenit ex eo, quod malitia unius afficiat actum etiàm proùt eſt cauſa omiſsionis, malitia verò alterius afficiat præcisè carentiam actus ſecundùm ſe, & abſolutè, neg. mai.; & applicata diſtinct. ad min., neg. conſeq. Ad 2. conf. diſt. mai.: peccatum commiſsionis eſt illud, quod opponitur præcepto negativo, contradiſtincto ab affirmativo, & non incluſſo virtualiter in eo, conc.; indiſtincto ab affirmativo, & incluſſo in ipſo, neg. mai., & min. ſub eàdem diſtinct.; quia ſicut præceptum negativum, prohibens omiſsionem Sacri eſt incluſſum, & indiſtinctum ab affirmativo præcipiente Sacri auditionem; ità iſtud indiſtinctè, & virtualitèr includit præceptum negativum prohibens actus influentes in omiſsionem; quarè cùm tales actus opponantur, licèt indirectè, cùm tali præcepto affirmativo, habent eandem difformitatem, ſeù malitiam, àc omiſsio, quę directè opponitur tali præcepto.

8 Supp. 5. quòd ſi quis liberè appoſuit cauſam omiſsionis, & ipſa omiſsio, quandò urget præceptum, ad hùc eſt in poteſtate voluntatis, ità ut illam poſsit impedire, & præceptum adimplere; túnc casùs talis omiſsio eſt etiàm formaliter in ſe peccatum; ſivè tùnc peccatum omiſsionis externæ contrahitur, quia tùnc liberè violatur præceptũ. Quæ difficultas propoſita in titulo quęſt. procedit unicè de omiſsione, quæ ſequitur ex cauſa libera, cæterùm quandò de facto ponitur, ſeù dùm inſtat præceptum, non eſt in poteſtate voluntatis vitare omiſsionem, & adimplere præceptum, eò quia libertas eſt impedita per ſomnum, ebrietatem, aùt aliàm cauſam ſimilem, quam voluntas poſuit, prævidens ſequendam probabilitèr omiſsionem: an; ſcil. in illo caſu omittens, v. g. auditionem Sacri, peccet nedùm quandò cauſam appoſuit; ſed etiàm dum de facto omittit? Seù, an nedùm actus cauſans omiſsionem, ſed etiàm ipſa omiſsio ſit in ſe formalitèr peccatum? Supp. 6. quòd licèt quęſitum præſertim ſit de omiſsione, quia in ea frequentiùs contingit; tamèn idem poteſt contingere in peccato commiſsionis, v. g. in homicidio cauſato ab ebrio, & antè ebrietatem prævíſo ut ex illa probabilitèr ſequendo: undè quod de omiſsione dicatur, etiàm de commiſsione dictum intelligitur. His ergo ſuppoſitis, ſit.

9 Concluſ.: omiſsio, liberè cauſata, ſed inevitabilitèr ſequuta dùm inſtat præceptum, non eſt in ſe formaliter peccatum

tum, ſed unicè in cauſa, ſeù eſt effectus peccati. Ita D. Bonav. in 2. d. 36. quæſt. 2. art. 1.; & Subt. Doct. in 2. d. 42. q. 4. & quodlib. 18. quem ſequuntur communitèr Scotiſtæ; àc idem ſuſtinent plurimi Ieſuitæ, contrà Thomiſtas frequentèr. Prob. 1. de ratione actualis peccati eſt libertas actulis; ſed omiſsio in ſomno, ebrietate, aùt alia cauſa ſimili contingens, non eſt actualitèr libera: ergo non eſt in ſe actualitèr peccatum, ſed unicè in cauſa, ſeù effectus illius. Mai. patet; quia libertas eſt ſaltèm fundamentum moralitatis; & ut ait Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 5. *Actionum noſtrarum à principio uſque ad finem domini ſumus*; id eſt, ut aliqua actio ſit ſubiectum moralitatis, debet eſſe libera, ſeù ſub dominio, & poteſtate voluntatis, non ſolùm in principio; ſed etiam in medio, & fine, proùt inquit Subt. Doct. cit. in 2. ſent.. Prob. min. primò: illud eſt actualiter liberum, quod eſt in poteſtate voluntatis, ut ſit, & non ſit, ut ponatur, vèl revocetur; ſed omiſsio in caſu propoſito non eſt in poteſtate voluntatis quoàd eſſe, & non eſſe, quoàd poni, vèl ſuſpendi, aùt revocari, cùm ſupponatur libertas impedita ex cauſa inevitabili: ergo. Prob. ſecundò illa min.: omiſsioni exteriori non convenit libertas niſi tantùm extrinſecè per denominationem, & cauſalitatem ab actu interiori voluntatis intrinſecè libero; ſed in ſomno v. g. nullus exiſtit actus voluntatis interior, à quo omiſsio denominetur extrinſecè libera: ergo hęc nullatenus gaudet libertate actuali ad moralitatem requiſsita.

10 Conf. probat., & impugnatur reſponſ. Adverſ.: omiſsio, in ſomno, aùt ebrietate contingens, non eſt actualitèr libera adhùc in cauſa ita, ut ſit peccaminoſa etiàm in ſe, quamvis non à ſe, ſed à cauſa: ergo talis omiſsio non eſt in ſe peccatum, nèc tenet reſpon. Adverſ.. Prob. antec.: ideo talis omiſsio eſſet actualitèr libera in cauſa: ita ut ſit peccaminoſa in ſe, quamvis dependenter à cauſa; quia hæc quoàd ſui exiſtentiam ſubiacuit dominio actuali voluntatis, & in ſuo effectu ſubſiſtit; ſed talis ratio eſt inſufficiens: ergo. Prob. min. primò: ut aliquis actus, vèl omiſsio habeat actualem libertatem in cauſa, requiritur neceſſario, quòd cauſa ſit actù, & formalitèr libera; ſed cauſa omiſsionis in ſomno contingentis non eſt actù, & formaliter libera, dùm contingit omiſsio, quæ naturaliter ſequitur adven-

nien-

niente, & durantè ſomno: ergo quòd cauſa talis omiſsionis ſubiacuerit dominio actuali voluntatis, & in ſuo effectu ſubſiſtat, non eſt ratio ſufficiens, ut ipſa omiſsio ſit actualitèr libera adhùc in cauſa, & peccaminoſa in ſe, quamvis dependentèr ab illa. Mai. patet; quia repugnat; quòd actus, vèl omiſsio accipiat denominationem actualem ab aliquo principio; quin iſtud ſit actu tale in linea denominandi. Min. etiam conſtat; quia in ſomno non manet intentio libera omittendi ſacrum, quæ fuit cauſa omiſsionis ſecutæ; nèc ſomnus, impediens auditionem Sacri, eſt actù liber.

11 Alitèr eformatur hæc probat.: in caſu præſenti libertas in cauſa non eſt, ſed unicè fuit; ſed nulla forma denominat, aùt reddit aliud actualitèr tale, dùm ipſa non eſt: ergo. Prob. mai.: libertas nèc adhùc virtualitèr, aùt moralitèr manet in ſomno, ſiquidē interrumpitur per illud: ergo. Prob. ſecundò illa min.: ſi ad libertatem actualem in cauſa, & ad reddendā omiſsionem formalitèr in ſe peccaminoſam ſufficeret, quòd cauſa ſubiacuerit actuali dominio voluntatis, & quòd in ſuo effectu ſubſiſtat quomodolibet, ſequeretur quòd pronuntians verba votum exprimentia, aùt verba conſecrationis in ſomno, quod voluit prævidens ſe in ſomno illa facturum, ille teneretur voto, & valida eſſet conſecratio; ſed hoc eſt falſum, & abſurdum: ergo. Mai patet, quia tùnc daretur cauſa, quæ ſubiacuit actuali dominio voluntatis, & in ſuo effectu ſubſiſteret, ac ſufficiens ad peccandùm formaliter; & conſequentèr ad vovendum, vèl conſecrandum deliberatè, & libere. Prob. quarto illa min. ſuprà poſita: ſi poſitio cauſæ, quæ ſubiacuit actuali dominio voluntatis, & in ſuo effectu ſit ſubſiſtens, quamvis voluntas ſit actù impotens illam tollere, & effectum vitare, ſufficeret, ad peccandum formalitèr, ſequeretur quod adhuc poſita retractatione prioris voluntatis, eſſent voluntariæ, & peccaminoſæ omiſsiones actuum præceptorum ex illa cauſa ſequutæ; ſed hoc eſt etiàm falſum, & abſurdum: ergo. Prob. ſequela mai.: ideò in primo caſu omiſsio illa eſſet voluntaria, & peccaminoſa, quia omittens poſuit liberè cauſam, quæ adhùc in effectu durat, non obſtante quod ſit actu impotens vitare illam; ſed etiàm in ſecundo caſu verificatur idem, v. g. in emittente lapidem, vèl ſagittam ad occidendum hominem,

aùt

aût in clerico proijciente Breviarium in mare nè recitaret; ſiquidem liberè poſuiſſent cauſam in ſuo effectu durantem, eſtò inimpedibilem: ergo ſi in primo caſu eſſet libera, & peccaminoſa formaliter omiſsio, etiàm in ſecundo, quod eſt falſum, quia poſita retractatione efficaci, non ampliùs peccaret. Quidquid reſpondeant Adverſ., erit confirmat, noſtræ ſententiæ.

12 Prob. 2. concluſ.: nequit eſſe in ſe peccatum actù, & formaliter illud, quòd actù, & in ſe non eſt contrà legem, actù obligantem, ſed omiſsio in ſomno, vèl ebrietate non eſt in ſe actù contrà legem actù obligantem: ergo. Mai. patet; quia ceſſante lege, & obligatione præcepti, ceſſat peccatum de cuius ratione eſt, quòd ſit contrà legem actù obligantem. Prob. min.: ex Regula Iuris, nemo tenetur ad impoſsibile; & ex M. P. Aug. nemo peccare dicitur in eo, quod vitare non poteſt; ſed ſtante ſomno, aût ebrietate, auditio Sacri eſt in ſe impoſsibilis, & eius omiſsio actù evitari non poteſt: ergo. Conf.: iuxta dicta in tract. de Legibus diſp. 4. quæſt. 7. ſect. 6. licèt ebrij, & amentes ad tempus, utpotè ſubiectum capax actionis humanæ, comprehendatur ſub legibus, tamèn pro tempore ebrietatis, & amentiæ eximuntur ab earum obligatione actuali, & excuſantur ab imputabili tranſgreſsione, ob actualem carentiam uſus rationis, & libertatis: ergo.

13 Arg. 1. Ariſt. lib. 3. Ethic. cap. 5. ait: *Ebrios duplici pœna afficiendos eſſe, putarunt* (Legiſlatores); *quoniam, & actus, qui eſt cauſa omiſsionis, eſt malus, & omiſsio etiam, ſaltèm in cauſa, duplicem pœnam ebrijs ſtatutam dicit; quia ſcilicèt utroque tempore peccant, & cum ſe inebriant, & cùm poſteà ex ebrietate quidquam delinquunt*: ergo omittens rem debitam peccat formaliter, & dùm ponit cauſam, & dùm omittit rem præceptam. Reſp. conceſ. authorit. quoàd 1. part.; ſiquidem ebrietas in illo caſu habet duplicem malitiam, nempè ebrietatis, & omiſsionis, aût comiſsionis aliundè prohibitæ, quæ prævidetur ſequenda ex ebrietate. Diſt. illam author. quoàd 2. part.: utroque tempore peccant, diverſimodè tamèn, formaliter quidèm, & in ſe, dùm ſe inebriant; materialiter verò, & in cauſa, cùm poſteà ex ebrietate quidquid delinquut, conc.; utroque tempore peccant uniformiter, nempe formaliter, & in ſe, neg. antec.; & conſeq.

14 Arg.

14 Arg. 2., & impugnatur prima probat. noſtræ concluſ.: ut aliquid ſit in ſe formaliter peccatum, ſufficit quod indirectè, & in cauſa ſit voluntarium, & liberum; ſed omiſsio Sacri v. g. contingens in ſomno, & antecedenter prævisſa ſequenda ex illo, eſt voluntaria indirectè, & in cauſa: ergo falſa eſt noſtra concluſ., & eius 1. probat. Min. patet, quia qui ſe tradit ſomno, prævidens omiſsionem ſequendam ex illo, vult virtualiter ſomnum prout eſt cauſa omiſsionis, atque adeò vult virtualiter ipſam omiſsionem. Prob. mai. primo: dum quis ſe inebriat, nedùm nimia vini potatio eſt in ſe formaliter peccatum, ſed etiam ipſa ebrietas, quæ ex illa conſequitur; ſed ebrietas eſt libera tantùm in cauſa, cùm non ampliùs ſit in poteſtate hominis illam vitare ſuppoſito actu nimiæ potationis; eò quia tollit uſum rationis, & libertatis: ergo. Prob. ſecundò illa mai.: ut incurratur pœna Eccleſiaſtica ſufficit libertas indirecta, & in cauſa; ſed talis pœna non incurritur niſi per id, quod eſt formaliter culpa: ergo. Prob. denique illa mai.: ad merendum, & ad validè recipiendum, vèl conficiendum ſacramentum ſufficit voluntarium in cauſa: ergo etiam, imò potiùs ad peccandum. Prob. antec. quoàd 1. part.: tùm, quia ſtat ratio meriti ſinè atentione actuali, prout docet Subt. Mag. in 4. d. 6. q. 6. Tùm, quia ipſe Doct. ibi, & d. 41. ait, Martyres per tormenta merèri, licèt dum actù patiuntur, non habeant uſum rationis ob magnitudinẽ doloris: ergo ad merendum ſufficit voluntarium indirectum; & in cauſa. Prob. 2. pars illius antec.: ſine intentione actuali, ſeù formali, & cùm virtuali tantùm, validè recipitur, & conficitur Sacramentum, ut communiter aſſeritur; ſed tùnc casùs non eſt libertas actualis, & in ſe, ſed tantum virtualis, & in cauſa: ergo hæc ſufficit ad recipiendum, & conficiendum validè ſacramentum.

15 Reſp. diſt. mai.: ut aliquid ſit in ſe formaliter peccatum ſufficit, quòd ſit voluntarium, & liberum indirectè, & in cauſa actù libera, vel cùm qua immediatè, & ſine interruptione coniungatur conc.; ſufficit, quòd ſit liberum in cauſa tantùm antecedenter libera, & cuius libertas ſit interrupta, neg. mai.; & diſt. min.: omiſsio in ſomno eſt voluntaria in cauſa antecedenter libera, eius tamèn libertas eſt interrupta, conc.; eſt voluntaria in cauſa actualiter libera, vel immediatè,

& ſine interruptione coniungitur cùm ipſa, vèl ſequitur ex ea, neg. min.. Vèl neg. abſolutè mai.; quia cùm libertas ſit ratio, aùt ſaltèm fundamentum moralitatis, ut aliquid ſit peccatum formalitèr in ſe requiritur, quòd ſit liberum etiàm in ſe; ſi autèm fuerit liberum ſolùm in cauſa, erit etiàm peccatum unicè in cauſa. Ad 1. probat. mai. diſt. mai.: nedùm nimia vini potatio, ſed etiam ipſa ebrietas in facto eſſe eſt in ſe formalitèr peccatum, neg. mai.; etiam ipſa ebrietas infieri, ſubdiſt.: eſt in ſe formalitèr peccatum diverſum, vèl habens malitiam diſtinctam à malitia nimiæ potationis, neg.; eſt in ſe formalitèr peccatum indiſtinctum, & conſtitutum eàdem malitia, àc nimia potatio, cùm qua immediatè coniungitur, & ad quam liberè ſine interruptione conſequitur, conc. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: ebrietas in facto eſſe eſt libera tantùm in cauſa, conc.; ebrietas infieri neg. abſolutè, vèl ſubdiſt.: eſt libera tantùm in cauſa, cùm qua immediatè coniungitur, & ad quam ſine interruptione liberè ſequitur, conc.; adquam tantùm remotè, & interrupta libertate conſequitur, proùt evenit in omiſsione Sacri ſecuta ex ipſa ebrietate, vèl ſomno, neg. min., & conſeq.

16 Ad 2. probat. illius mai. conceſ. mai., neg. min.; quia pœna Eccleſiaſtica imponitur, & incurritur etiàm per id, quod eſt peccatum unicè in cauſa; nàm ſiquis Clerico propinaret venenum, & illicò retractaret, àc pæniteret de ſuo peccato, abſque dubio mors indè ſecuta non eſſet in ſe formalitèr peccaminoſa, ut inquiunt quoque Adverſ.; & tamèn Iudex denuntiaret reum excommunicatum; eò quia ad incurrendam cenſuram ſufficit, quòd effectus ſequatur culpabilitèr ex cauſa data, ſeù appoſita. Ad ult. prob. mai. diſt. antec. diſtinctione data ad ipſam mai.; vèl neg. abſolutè antec.; ad cuius probat. quoàd 1. part. dicimus, quòd diſtractus, ſeù non attentus ad opus bonum poteſt facilè reduci ad attentionem, quæ eſt in eius poteſtate, & ideò actus cēſetur moralitèr ſubiectus ipſi; ſecùs autem eſt in ebrio, vèl dormiente. Ad illud de Martyribus dicimus, Subt. Doct. tantùm velle, illos acerbitate dolorum ità ab uſu rationis impediri, ut valdè tenuitèr eo uti poſsint; non autèm impediri penitùs, & abſolutè, undè illæ paſsiones erunt formalitèr liberæ atque adeò meritoriæ; cæterùm ſi rationis uſus, & libertas penitus auferatur, non mererentur actù,

&

& formaliter, ſed tantùm phyſicè, & materialiter pro illo tùnc, quatenùs eorum paſsio eſt meritoria in cauſa, & radicaliter; ut inquit ipſe Subt. Doct. in 3. d. 15. q. un.. Ad probat. antec. quoàd 2. part. conceſ. mai., diſt. min.: cùm intentione tantùm virtuali non eſt phyſicè libertas actualis, & in ſe, ſed tantùm in cauſa moraliter non interrupta, conc.; non eſt moraliter libertas actualis, ſed tantum in cauſa moraliter interrupta, ut contingit in ebrio, vèl dormiente, neg. min.. quia aliàs Sacerdos ebrius, vèl dormiens poſſet conficere Sacramentum, ſi anteà habuerit intentionem faciendi id, quod facit Eccleſia, ut ex ptobat. concluſ. conſtat.

17 Arg. 2., & impugnat. 2. probat. noſtræ conclus.: tùnc omiſsio imputatur ad culpam, quandò obligat, & urget præceptum non omittendi, ſeù ponendi actum à lege præſcriptum; ſed iſtud, etiàm in caſu, quo aliquis eſt impotens ad vitandam omiſsionem, non urget pro eo tempore, quo ponitur cauſa omiſsionis, ſed pro eo, quo omittitur actus præſcriptus à lege: ergo pro eo tempore imputabitur ad culpam, & conſequenter omiſsio erit tùnc in ſe formaliter peccaminoſa: Mai. patet ex eo, quod violare præceptum eo tempore, quo obligat, & urget, eſt ſine dubio malum moraliter, diſſentaneum legi, & rationi, ac imputabile ad culpam. Prob. min.: lex præcipiens auditionem Sacri v. g., licèt proùt eſt virtualiter negativa, nempè ut prohibens nè ponatur cauſa omiſsionis, obliget antè actualem omiſsionem; tamèn proùt eſt affirmativa; cùm non obliget *ad ſemper*, ſeù *pro ſemper*; tantùm obligat *ad tempus determinatum*, ſeù quandò actus debet poni; ſed actus unicè deberet poni eo tempore, quo omittitur; quia tunc verificatur *tempus determinatum* ad ponendum actum præceptum: ergo. Conf., & præcavetur ſolut.: in caſu poſito violatur lex proùt eſt formaliter affirmativa; ſed proùt ſic non poteſt violari antè actualem omiſsionem, ut conſtat ex dictis: ergo tantum violatur dùm omittitur actus præceptus, & conſequentèr tùnc etiam eſt formaliter peccatum. Prob. mai.: in tali caſu violatur illa lex proùt eſt virtualiter negativa: ergo etiàm proùt formaliter affirmativa. Prob. conſeq.: nunquam datur obligatio indirecta, quin detur etiam directa, cùm illa fundetur in iſta: ergo eò ipſo quod violetur illa lex proùt indirectè, & virtualiter negativa, violatur etiàm proùt directè, & formaliter

liter affirmativa.

18 Ad arg. conceſ. mai., neg. min.; quia tempore, quo ponitur cauſa omiſſionis, obligat, & urget præceptum non apponendi impedimentum ad illius adimpletionem; & pro tempore, quo inevitabiliter omittitur actus præſcriptus à lege, hæc nequit obligare in ſenſu compoſito impedimenti pro tunc inevitabilis, quia nequit obligare ad actionem liberam, quando voluntas eſt omninò ſua libertate privata. Ad probat. min. diſt. mai.: lex præcipiens auditionem Sacri, proùt eſt affirmativa, tantùm obligat per ſe, ſeu eſt obligativa ad tempus determinatu, ſeù quando actus debet poni ut exercitium liberum voluntatis, conc.; obligat etiam per accidens, & in actu ſecundo, quando actus debet poni ſeparatim à libertate actuali, ſaltem moraliter neg. mai.; & diſt. min.: actus unicè deberet poni eo tempore, quo omittitur, & pro illo tunc ſupponitur voluntas privata libertate; & in ſenſu compoſito incapax obligationis a lege, conc.; & illa voluntas cum ſufficiente libertate ad actualem obligationem, neg. min., & conſeq.

19 Ad conf. neg. mai., & ad probat. conceſ. antec., neg. conſeq.; ad cuius probat. diſt. antec.: nunquàm datur obligatio indirecta, ſeu virtualis, quin detur formalis, & directa in actu primo, ſeu vis obligativa directa, conc.; quin detur talis obligatio in actu ſecundo, ſubd.: per ſe, & quantum eſt ex parte ipſius legis, quæ per ſe, directè, & formaliter affirmativa eſt, conc. per accidens, & proùt connotat libertatem ſubiecti capacis illius obligationis pro eo tempore, quo talis obligatio poterat induci, neg. antec., & conſeq.; quia cùm libertas ſubiecti obligandi ſit eſſentiale requiſitum ad incurrendam obligationem moralem, & poſsit illud gaudere libertate pro eo tempore, quo urget talis lex quatenùs virtualiter, & indirecte negativa eſt, nè ponat impedimentum ad illius adimpletionem; & poſteà carere libertate pro eo tempore, quo talis lex, proùt directè, & formaliter affirmativa urget ad poſitionem actus præcepti; ideo poteſt violari, quatenus virtualiter negativa, quia violetur proùt formaliter affirmativa; ut concedunt Adverſ. caſu, quo poſita cauſa culpabili retractet priorem voluntatem, & pœniteat, de cauſa culpabili antecedenti, antequam ſequatur effectus, vel urgeat tempus legis completè adimplendæ. Unde licet obli-

ga-

gatio virtualis, & indirecta legis affirmativę fundetur per ſe, & ex fine ipſius legis in obligatione formali, & directa eiuſdem; tamèn per accidens, & ex deffectu libertatis requiſitæ pro tempore reſpectivo utriuſque, poteſt dari obligatio negativa, virtualis, & indirecta, quin detur affirmativa, directa, & formalis, propter rationem datam.

20 Arg. 3. peccatum formaliter eſt non ſolùm in actu interno voluntatis, ſed etiam in externo, v. g. malitia furti non tantùm eſt in voluntate uſurpandi rem alienam, ſed etiàm ipſe actus uſurpationis, quia hæc eſt conſummatio furti; ſed etiàm omiſsio in ſomno, aùt ebrietate contingens, eſt complementum, & conſummatio volitionis efficacis illius: ergo licèt incipiat peccatum omiſsionis inchoactive, & radicaliter in cauſa, tamen completè, & formaliter incurritur, dùm re ipſa omittitur actus præceptus, ità ut omiſsio ſit in ſe formaliter peccatum, Reſp. diſt. mai.: peccatum formaliter eſt etiàm in actu externo, imperato, pendente, & connexo cùm interno, quo mediante participat actualiter libertatem, & eſt conſummatio in genere moris, conc.; eſt etiàm in actu externo ſinè tali imperio, dependentia, ſeù connexione libera cùm interno, & quatenùs ſolùm phyſicè, & in ordine naturæ eſt conſummatio illius, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: omiſsio in ſomno eſt complementum phyſicum volitionis, a qua non participat libertatem, nec moralitatem, conc.; eſt complementum in genere moris, participans libertatem, neg. min., & conſeq..

21 Arg. 4. iſte actus: *volo omittere Sacrum in die feſto dùm fuero ebrietate, aùt ſomno correptus*: eſt in ſe formaliter malus, & peccaminoſus: ergo, & ipſa omiſsio. Prob. conſeq.: bonitas, vel malitia actus voluntatis dependet ex obiecto eiuſdem; ſed obiectum illius actus eſt omiſsio contingens in ſomno, aùt ebrietate: ergo. Conf. 1. ſi talis omiſsio non eſſet in ſe formaliter peccatum, ſed ſolùm peccati effectus, non eſſet etiam peccatum velle ſic omittere, & talem omiſsionem deſiderare; ſed hoc nequit dici: ergo. Prob. mai.: effectus peccati, qui in ſe peccata non ſunt, ſed tantùm in cauſa, poſſunt licitè deſiderari; nàm mulier, quæ concepit per adulterium, poteſt licitè deſiderare partum, qui eſt peccati effectus; & ille, qui contrà Eccleſiæ præceptum comedit carnes in die Veneris, poteſt licite deſiderare

nutriri ex illis, quamvis talis nutritio ſit effectus illius comeſtionis culpabilis : ergo. Conf. 2. ſi talis omiſsio non eſſet in ſe formaliter peccatum, non eſſet neceſſe illam in confeſsione explicare, ſed ſufficeret exprimere cauſam ex qua ſecuta eſt ; ſed hoc dici nequit, cùm ſit contra communem praxim pœnitentium, & confeſſariorum: ergo. Mai. patet ex dictis in tract. *de Actibus Humanis*, ubi ex obligatione confitendi actus externos inferimus, & probamus, illos eſſe in ſe formaliter malos.

22 Ad arg. conceſ. antec., neg. conſeq. ad cuius prob. diſt. mai.: bonitas, vel malitia actus pendet ex obiecto, ſumpto in genere moris, ſive ut diſſono regulis moralitatis, conc.; ſumpto phyſicè, & in genere naturæ, neg. mai.; & diſt. min.: obiectum illius actus eſt omiſsio, ſumpta in genere moris, ſivè ut diſſona eius regulis, & capax refundere moralitatem, nempè propoſita actù per rationem, & attacta liberè per voluntatem, conc.: obiectum illius actus eſt omiſsio, ſumpta purè phyſicè, ſeù prout exercite in ſomno contingit, nempè ſine uſu rationis, & libertatis, neg. min., & conſeq.. Ad 1. conf. neg. ſequelam, & diſt. antec. probat. : peccati effectus ſecundùm reſpectum phyſicum, vèl in eſſe phyſico conſiderati, poſſunt deſiderari licitè, conc.; ſecundùm reſpectum moralem, vel quatenùs ſunt morales effectus peccati, neg. antec.. Partus igitur (& idèm dicimus de nutritione), habet reſpectum phyſicum, qui terminatur ad matrem, tanquam ad principium phyſicum illius effectus, & habet reſpectum moralem, qui terminatur ad adulterium, tanquàm ad cauſam moralē illius: undè poteſt mulier licitè deſiderare partum ſub primo reſpectu ; non verò ſub ſecundo, quia ſic eſt effectus adulterij, ut formaliter talis, & non licet velle effectum peccati ſub tali ratione, ſivè ſecundum reſpectum moralem.

23 Ad 2. conf. diſt. mai.: non eſſet neceſſe per ſe, & directe ratione confeſsionis obligantis ad exprimendam malitiā formalem, & propriam talis omiſsionis, illam in confeſsione explicare, conc.; non eſſet neceſſe adhùc per accidens, & indirectè ratione alicuius annexi, quod omninò debet innoteſcere confeſſario, nempè reſarciendi damni, reſtitutionis faciendæ pœnæ, & cenſuræ incurrendæ, aùt alterius ſimilis, neg. mai. Per quod patet ad probat, adductam ex tract. *de Actibus Humanis*; nam dùm ibi dicimus,

actus

actus externos addere malitiam formalem, & propriam ſuprà internos, id colligendo, & probando ex obligatione confitendi illos, tùnc ſermo eſt de actibus externis, qui fiunt cùm actuali advertentia, & libertate, àc dependent à cauſa, quæ non ſolùm fuit, ſed etiam eſt libera; àc proindè neceſſariò in confeſsione explicandis, non ſolùm indirectè, & per accidens, ſed etiàm directè, & per ſe ratione confeſsionis obligantis ad aperiendum quidquid habet rationem formalem peccati: ſecus verò eſt de omiſsione contingente ſine actuali advertentia, & libertate. Undè poteſt fieri argum. contrà Thomiſtas, negantes malitiam formolem, & propriam actibus externis elicitis cùm advertentia, & libertate derivata ab actibus internis; & concedentibus malitiam formalem, & propriam omiſſioni externæ contingenti ſine actuali advertentia, & libertate participata actualitèr ex actu interiore.

DISPUTATIO III.

De Peccato Mortali, & Veniali.

QUÆSTIO I.

In quo conſiſtat, & qualis ſit differentia inter peccatum Mortale, & Veniale?

1 SUPPONIMUS 1. peccatum rectè dividi in Mortale, & Veniale. Eſt fidei certum, contrà ſtoicos, & Jovinianum, cenſentes, omnia peccata eſſe paria, & contrà pelagium aſſerentem, ſolum illum eſſe iuſtum, qui caret omni peccato, & poſſe hominem in hac vita vivere abſque omni prorsùs peccato. Conſtat ex ſacra Script., in qua de aliquibus peccatis dicitur; quòd inferunt mortem ſpiritualem animæ, ſeu privationem gratiæ, & amicitiæ Divinæ, àc reatum pœnæ æternæ; de alijs verò dicitur, quòd à iuſtis etiàm committuntur, ſeù quod vitam animæ non auferunt: item, aliqua propter eorum levitatem comparantur feſtucæ; alia autem ob eorum gravitatem comparantur trabi. Conſtat. etiàm ex Conc. Trid. ſeſ. 6. cap. 11.: & ſeſ. 14. cap. 5. ubi fit expreſſa mentio, & diſtinctio peccatorum mortalium, & venialium Id etiam expreſſe docetur à S.S. P.P.

2 Supp. 2. dari à parte rei peccata ſecundùm ſe mortalia, & venialia, tàm in prædeſtinatis, quàm in reprobis, tam in fidelibus, quàm in infidelibus. Eſt etiam de fide, contra aliquos Hæreticos aſſerentes, omnia peccata ex natura ſua eſſe moralia, ſeù mortem animæ inferentia, atque ex ſola miſericordia, decreto, & voluntate Dei provenire,

quòd ſint venialia in Fidelibus, & Prædeſtinatis, ea quæ ſunt mortalia in Infidelibus, & Reprobis. Conſtat hoc ex dictis in num. antec., & ex prop. 20. Michaelis Baij damnata à Pio V. & Gregorio XIII. quæ aiebat: *Nullum eſt peccatum natura ſua veniale, ſed omne peccatum meretur pœnam æternam.* Patet etiam ratione: tum, quia peccatum mortale dicitur, eo quòd grave eſt, & ità Deo diſplicet, ut eius amicitiam diſſolvat, ac privet hæreditate; veniale verò, quia eſt leve & amicitiam Dei non diſſolvit, nèc privat eius hæreditate; ſed peccata habent talem differentiam ex ſe ipſis; etenim etiam in homines non ſufficit quævis offenſa levis, ut Pater Filium jure exhæredet, ùt amicus amicum abijciat: ergo. Tùm, quia ex Script. habemus, aliquos peccaſſe mortaliter, qui tamèn erant fideles, & prędeſtinati. Tùm, quia dignitas perſonæ non confert ad incrementum, vel decrementum, culpæ: ergo ex eo, quod quis ſit prædeſtinatus, & fidelis, non ſequitur, peccatum ex mortali fieri veniale, ſed illa ſunt talia ex ſe à parte rei. Supp. 3. peccatum veniale poſſe eſſe ex triplici capite. Primò ex genere, ſeù obiecto, quia verſatur circa obiectum, quod eſt materia offenſæ levis, ut verbum otioſum. Secundò ex parvitate materiæ, ut furtum unius aſsis. Tertio ex imperfectione actus, ſeù ex defectu deliberationis perfectæ, ut ſubitus motus iræ &c. De his quæritur: per quid, & qualitèr differant à mortali? Pro cuius reſolut., ſit.

3 Prima concluſ.: peccatum mortale, & veniale non primò differunt ex eo, quòd mortale ſit offenſa Dei, non verò veniale; nèc ex eo, quòd mortale ſit grave malum, & gravis offenſa Dei, veniale autèm ſit malum leve, & offenſa levis; nèc ex eo, quòd mortale ſit contrà legem, ſeù præceptum, veniale verò ſit prętèr legem, vèl contrà conſilium; nèc ex eo, quòd mortale ſit circà finem, veniale autèm circa media. Concluſ. quoàd omnes partes eſt communis inter Noſtrates cùm Subt. Doct., contrà alios diverſimodè ſentientes. Prob. 1. pars: tùm, quia iuxta dicta in 1. diſp., de ratione omnis peccati eſt, quòd ſit formalis tranſgreſsio legis Divinę, ſaltèm remotè, & in generali; ſed talis tranſgreſsio eſt offenſa Legiſlatoris: ergo etiam peccatum veniale eſt huiuſmodi; & conſequenter &c. tùm, quia averſio hominis à Deo eſt eſſentialis ratio cuiuſcũque peccati, quæ averſio nihil aliud

eſt

est nisi inordinatio voluntatis circà aliquid ordinatum ad finem ex precepto Divino, circà quod deberet ordinari; ut docet Subt. Mag.: ergo de ratione omnis peccati est, quòd sit offensa Dei; ac proinde &c. Prob. 2. pars: tum, quia illa differentia, nempè peccatum mortale esse grave malum, & gravem offensam Dei, veniale verò esse leve, licet sit vera differentia, non tamèn prima, & essentialis, de qua agimus in præsenti; siquidèm per illam non tàm declaratur essentia, quàm effectus peccati. Tùm, quia per eam non adhùc declaratur, quidnam sit illud, ratione cuius peccatum mortale sit grave malum, & gravis offensa Dei; non autem veniale: ergo.

4 Prob. 3. pars. tùm, quia de ratione omnis peccati est esse contrà legem, ut constat ex disp. 1. ergo cùm peccatum veniale sit verè peccatum, debet esse contra, & non unice præter legem, nèc contrà consilium; & consequenter in eo non differt, quin potiùs convenit cùm peccato mortali. Tùm, quia quòd non est contra, sed tantùm præter legem, seù nèc præceptum, nèc prohibitum, etiàm non est bonum, nec malum, sed indifferens; sed peccatum veniale est verè malum in genere moris: ergo. Tùm, quia quod unicè est contrà consilium, utpotè tantùm oppositum maiori bono, adhùc est minùs bonum, estò absolutè tale, & simplicitèr licitum; ut patet in soluto ducente uxorem, qui licèt agat contrà consilium Apost. in Ep. 1. ad cor. cap. 7. tamen nullatenùs peccat, ut ibidèm ait idem Apost.: ergo. Prob. denique 4. pars conclus.: tùm, quia potest esse peccatum veniale contra ultimum finem, ut patet de actu infidelitatis, vèl desperationis cùm imperfecta deliberatione. Tùm, quia datur peccatum mortale ex suo genere, quod versatur circà media, non verò immediatè circà finem: erg. in tali distincta tendentia circa finem, aùt circà media, non stat differentia inter peccatum mortale, & veniale. Prob. antec.: furtum, adulterium, & homicidium sunt peccata mortalia ex genere suo; sed ea tendunt immediatè circà media, scil. creaturas, non verò circà ultimum finem: ergo.

5 Arg. 1. contrà 1. part.: offensa Dei est contemptus ipsius, & mandatorum eius; sed talis contemptus est peccatum grave: ergo omnis offensa Dei est peccatum mortale, & non veniale; àc proinde in eo consistit differentia utriusque. Resp.

dist. mai. offensa Dei est contemptus præcisè formalis, & specialis, neg. mai.; est contemptus saltèm virtualis, interpretativus, & generalis; subd.: saltèm secundùm quid, & in materia levi, conc.; præcisè simplicitèr, & in materia gravi, neg. mai.; & dist. similitèr min.: talis contemptus, nempè formalis, & specialis, est peccatum grave, conc. min.; talis contemptus, scil. virtualis, & generalis subd.: qui est talis simplicitèr, & in materia gravi, conc.; qui est talis unicè secundùm quid, & in materia levi, neg. min.; quia etiàm peccatum veniale Deo displicet, & ipsum offendit, àc meretur infligendam pœnam temporalem. Dices contrà 2. part.: ergo in eo differunt; quod peccatum mortale est gravis offensa Dei, veniale autèm est offensa levis. Dist. conseq.: in eo differunt secundariò, & à posteriori, conc.; primario, & essentialitèr, neg. conseq.; quia prius est, actum esse malum, quàm esse offensam Dei; nàm ideò Deus offenditur per illum, quia est malus; & ideò per unum offenditur graviter, per alium verò levitèr, quia habent malitiam differentem; àc de differenti malitia utriusque quærimus explicationem.

6 Arg. 2. contrà 3. part.: qui transgreditur legem, seù præcepta Divina, excluditur à vita æterna; sed peccans venialitèr non excluditur à vita æterna: ergo non peccat contrà legem; àc proinde differentia peccati mortalis à venialì stat in eo, quòd illud, non verò istud est contrà legem. Conf.: Subt. Doct. in 2. d. 21. q. 1. num. 4. expressè asserit, distinctionem utriusque stare in eo, quòd peccatum mortale est deordinatio contrà legem, seù præceptum; veniale verò contrà consilium: ergo in eo consistit differentia illorum. Ad arg. resp. ex dictis in 1. disp. dist. mai.: qui transgreditur legem strictè acceptam, & gravitèr obligantem, seù præcipientem aliquid necessarium ad eius finem (in quo sensu sumitur lex, seu mandatum, dùm Math. cap. 19. dicitur: *si vis ad vitam ingredi, serva mandata*); excluditur à vita æterna, conc. mai.; qui transgreditur legem amplè sumptam, & levitèr obligantem, seù præcipiendum aliquid tantùm utile ad finem neg. mai.; & concess. min., dist. conseq., vèl neg. conseq. absolutè. Ad conf. explic. antec.: Sub. Doct. asserit, peccatum mortale esse deordinationem contrà legem strictè acceptam, & contradistinctam à lege amplè sumpta,

ta, & coincidente cùm consilio large consideratо, seù obligante ad aliquid tantum utile; veniale verò esse contra consilium ità consideratum, conc.; asserit peccatum mortale esse deordinationem contrà legem amplè sumptam; & quomodolibet præcipientem aliquid etiàm utile, ac contrapositam consilio propriè accepto, seù nullatenùs obligante, sed unicè consulente id quod est melius; veniale verò esse contrà consilium ità consideratum, neg. antec.; ut ampliùs patebit infrà, dùm statuarur nostra sententia.

7 Arg. 3. contrà ult. part.: peccatum mortale importat defectum ordinis, seù conversionis per charitatem ad ultimum finem, seù aversionem, & deordinationem ab ultimo fine; veniale verò non privat tali ordine, nec dicit talem deordinationem: ergo distinguuntur in eo, quòd mortale est circà ultimum finem; non autem veniale, sed unicè circà media ordinata ad talem finem. Resp. dist. antec.: peccatum mortale importat secundariò, & tanquàm eius effectum, defectum ordinis, seù habitualis cõversionis per charitatem, utpotè, quod eam excludit; non verò veniale, conc.; importat primariò, & tanquàm rationem essentialem ipsius, neg. ant.; siquidèm ideò charitatem excludit, quia est peccatum mortale; & dist. conseq.: distinguuntur in eo, quòd mortale est circà finem ultimum, veniale verò circa media, veluti ergà obiectum, neg. conseq., propter dicta in probat.; alitèr nempè in sensu explicato in antecedenti, subdist.: in eo distinguuntur secundariò, & per effectum, conc.; primariò, & tanquàm per rationem formalem, neg. conseq..

8 Secunda conclus.: peccatum mortale primò, seù à priori differt à peccato veniali, quia mortale est privatio rectitudinis necessariæ ad consecutionem ultimi finis; veniale verò est privatio rectitudinis, quæ non est necessaria, sed utilis, & debita secundùm quid, ad consecutionem ipsius finis. Seù, (ut utamur verbis Subr. Doct. in 2. d. 21. q. 1. §. *Dico ergo*) differunt essentialitèr in eo, quòd peccatum mortale est simplicitèr deordinatio opposita ordinationi, sine qua finis ultimus nequit obtineri aliquo modo, quæ quidem ordinatio habet præceptum simplicitèr; & strictè, seù gravitèr obligans, contrà quod fit talis deordinatio; veniale verò est secundùm quid deordinatio opposita ordinationi, quæ non est necessaria, sed uti-

utilis ad consecutionem ultimi finis, quæ quidèm ordinatio non habet præceptum simpliciter, & strictè, sed amplè, & secundùm quid, àc aliquomodo coincidens cùm consilio. Hæc est mens Subt. Doct., quem sequuntur Scotistæ, & concordat Gonet dicens, præcipuam, & primariam differentiam peccati mortalis à veniali consistere in eo, quòd mortale est simpliciter contrà legem, omninò necessàriam ad assecutionem ultimi finis; veniale verò est contrà legem secundùm quid, seù non omninò necessàriam ad assecutionem finis ultimi; vèl unicè secundùm quid opponitur ordinationi legis simpliciter talis; nàm ut benè advertit ipse Gonet, ad hoc ut verificetur, peccatum esse contra legem simpliciter, debet ly *simpliciter* afficere tàm legem ipsam, quàm modum essendi contrà eam; adeo ut quodlibet eorum deficiente, deficiat etiàm ratio culpæ mortalis, & erit venialis. Unde ex primo capite deficiunt à ratione culpæ mortalis omnia illa, quæ sunt venialia ex genere, eò quia non sunt contrà legem simpliciter, seù omninò necessariam ad consecutionem ultimi finis; & ex secundo capite deficiunt à ratione culpæ mortalis alia omnia, quæ vèl ob parvitatem materiæ, vèl propter defectũ deliberationis perfectæ, redduntur venialia, quia licèt sint leges simpliciter illæ, quibus opponuntur, tamèn illæ leges per talia peccata non simpliciter violantur. Subt. igitur Doct. loquitur principaliter de differentia peccati mortalis à veniali ex genere; cæterùm sic intellecta eius doctrina, comprehendit etiàm quodlibet peccatum veniale.

9 Prob. primò concluſ.: primum, & immediatum distinctivum peccati mortalis, & venialis, est talis, & qualis privatio rectitudinis debitæ inesse unicuique respectivè; sed talis privatio in peccato mortali est carentia rectitudinis simpliciter, seù necessariæ ad consequendum ultimum finem; seù est deordinatio oppositа ordinationi, sine qua nequit obtineri finis; & in peccato veniali est carentia rectitudinis debitæ, non tamèn omninò necessariæ, sed utilis; seù est deordinatio oppositа ordinationi, sine qua finis ultimus potest obtineri: ergo hæc est primaria differentia utriusque. Mai. patet; quia cùm constitutivum formale peccati sit carentia rectitudinis debitæ, ut constat ex dictis; consequenter talis, vèl qualis privatio erit essentiale distinctivum unius ab alio. Min. etiam patet; quia

pec-

peccatum mortale non aliter, prę veniali, caret rectitudine, & ordinatione debita, niſi quia hæc eſt ſimpliciter neceſſaria ad ultimum finem, ſecùs autèm in veniali.

10 Prob. 2. illa eſt primaria differentia talium peccatorum, ad quam omnes aliæ aſsignabiles reducuntur, & à qua omnes illæ originem trahunt; ſed ita ſe habet differentia aſsignata, ut patebit diſcurrendo per ſingulas: ergo. Ex his colligitur propria definitio uniuſcuiuſque peccati. Mortale igitur eſt *tränſgreſsio ſimpliciter legis obligantis ad aliquid neceſſarium ad ſalutem.* Veniale verò eſt *tranſgreſsio ſecundùm quid legis obligantis ad aliquod utile ad ſalutem.* Quæ deſcriptiones coincidunt cùm explicationibus adductis. Ex dictis etiam colligitur, peccatum mortale, & veniale, univocari in ratione peccati; licèt non univocatione perfecta, ſed mixta cùm analogia. Prima pars conſtat; nàm quod prædicatur de aliquibus ſecundùm idem nomen, & rationem per illud ſignificatã univocè dicitur de illis; ſed carentia rectitudinis debitę in eſſe actus, quę eſt ratio ſignificata per nomen peccati, prædicatur de mortali; & veniali: ergo univocè dicitur de illis. Secunda pars etiam patet; quia rectitudo alitèr debita eſt ſubſtractio peccati mortalis, àc venialis, ſeù diverſimode unumquodque caret debita rectitudine: ergo talis ratio prædicatur de illis univocè analogicè, ſeu cùm aliqua diverſitate, & inæqualitate.

11 Arg. 1. ideò aliquid præcipitur gravitèr, vel ſimpliciter, ſeu ut neceſſarium ad ſalutem, quia de ſe eſt tale; & ideò aliud præcipitur levitèr, vel ſecundùm quid, ſeù ut utile, quia de ſe eſt leve: ergo prima differentia peccati mortalis à veniali petenda eſt à gravitate, & levitate materiæ, potiùs quàm ab illa neceſsitate, vèl utilitate ex prę-cepto. Prob. antec.: ideo eſt neceſſaria ad ſalutem obſervatio præcepti non occidendi, quia homicidium eſt materia gravis, & peccatum mortale; & ideò obſervatio prę-cepti non dicendi verbum otioſum eſt tantùm utilis, quia verbum otioſum eſt materia levis, & peccatum veniale: ergo gravitas, & leviras præceptorum-àc eorum neceſſaria, vèl utilis obſervantia ſumitur ex gravitate materiæ, & non è contrà. Reſp. neg. antec. cùm eius probat.; quia cùm certum ſit, peccatum mortale in ratione talis conſtitui per hoc quòd ſit tranſgreſsio præcepti gra-

vitèr obligantis, & prior ſit gravis obligatio præcepti; ideò gravitas ipſius præcepti nequit rurſus per hoc, quòd obliget ſub mortali, ſeù eius tranſgreſsio ſit peccatum mortale; nàm hoc eſſet vitiosè circulare. Deinde licet regulariter gravitas præceptorum attendatur penès gravitatem materiæ, potiùs tamèn, & principaliùs attendi debet ex urgentia, & gravitate præcepti, quæ etiam cadere poteſt ſuper materiam de ſe levem, ut patet in præcepto gravi impoſito primis Parentibus nè comederent de ligno vetito; vèl ſuper materiam de ſe indifferentem, ut patet in præcepto aquæ Baptiſmi ad ſalutem: unde gravitas, & levitas peccati dijudicatur primò, & principaliter ex gravitate, aut levitate obligationis inductæ ex præcepto, modo ſupra explicato.

12 Arg. 2. differentia aſſignata non diſtinguit peccatum veniale ab omni eo, quod non eſt huiuſmodi: ergo non debet ſuſtineri. Prob. antec.: nubere caret rectitudine cœlibatus utili ad ſalutem; ſeù opponitur rectitudini, quæ utique non eſt neceſſaria, benè verò utilis eſt ad talem finem; ſed nubere eſt bonum, & nè quidem veniale peccatum, iuxta Apoſt. dicentem: *Et ſi nupſerit virgo non peccabit*; ergo Conſ.: per nos illa differentia non benè explicatur per deordinationem contra præceptum, & contrà conſilium; ſed in hoc recidit noſtra explicatio: ergo vèl non benè traditur, vèl nos nobis contradicimus. Prob. min.: illud, quo res dicitur, vèl ſit neceſſaria ad ſalutem, eſt præceptum; & illud, quo redditur utilis, eſt conſilium: ergo idem eſt dicere, quòd peccatum mortale eſt in re neceſſaria, & veniale in re utili; àc dicere, quòd illud eſt contrà peceptum, & iſtud contrà conſilium.

13 Ad arg. neg. antec.; & diſt. mai. probat.: nubere caret pure negative, & ſine debito mortali, rectitudine cœlibatus, & tanquàm minus bonum, ſeù minor ordinatio, opponitur rectitudini maiori, utili quidèm, ſed indebitæ ad ſalutem, conc.; caret privativè, & cùm debito morali, tali rectitudine; & tanquàm malum, ſeù deordinatio, opponitur rectitudini utili, & debitæ ad ſalutem, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſeq.; quia peccatum veniale caret privative moraliter rectitudine utili, quam debebat habere, & eſt deordinatio privative oppoſita tali rectitudini debitæ; cuiuſmodi non eſt actus purè contra conſilium, utpote qui eſt bonus, honeſtus, & nulla

de-

debita rectitudine privatus, ſed unicè negativè moraliter carens maiori rectitudine, quæ non eſt debita ipſi. Ad conf. ſimiliter conceſ. mai., neg. min., & ad probat. diſt. antec.: illud, quo res dicitur neceſſaria ad ſalutem, eſt præceptum ſtrictè, ſimpliciter, ſeù gravitèr obligans; & illud, quo redditur utilis ſine debito morali, eſt conſilium proprie acceptum, conc.; illud, quo res dicitur neceſſaria, eſt præceptum utcumque, etiàm ample, ſecundùm quid, ſeù levitèr obligans; & illud, quo res dicitur utilis cùm debito morali, eſt propriè, & purè conſilium, neg. antec.; & diſt. conſeq.: idem eſt dicere, quod peccatum mortale eſt in re neceſſaria, & veniale in re utili indebita, & ſine ulla obligatione morali (quod non dicimus nos) àc dicere, illud eſſe contra præceptum ſtrictè ſumptum, & iſtud contrà conſilium propriè acceptum, conc. conſeq.; idem eſt dicere, qualitèr nos dicimus, quod peccatum mortale eſt in re neceſſaria, & veniale in re utili, debita tamèn, & cùm obligatione morali, àc dicere &c., neg. conſeq.; quia conſilium proprie ſumptù verſatur erga rem utiliorem, & ſine debito, aut obligatione morali.

14 Tertia concluſ.: eſſentialis, & ſpecifica eſt differentia peccati mortalis, & venialis, ſumptorum formaliter in genere moris, & mali moralis; non ſolùm quandò mortale eſt tale ex genere, àc veniale ſimiliter; ſed etiàm quandò iſtud eſt tale ex imperfectione actus, aùt levitate materiæ. Undè diviſsio peccati in mortale, & veniale, dicitur, & eſt generis in ſpecies. Prima pars, nempè peccatum mortale, & veniale differre eſſentialiter, & ſpecificè, quandò unumquodque eſt tale ex ſuo genere, eſt communis, & prob.: ſpecificè, & eſſentialiter differunt peccata habentia obiecta ſpecie diſtincta; ſed huiuſmodi ſunt peccatum mortale, & veniale, quæ ſunt talia ex obiecto, ſeù ex ſuo genere; ut ex ſe patet, ſiquidem unum ſpecificè obiectum nequit per ſe refundere in actus tendentes circa ipſum talem diverſitatem, qualis eſt inter peccatum mortale, & veniale: ergo. Conf.: materia peccati mortalis ex genere eſt de ſe, & ſuaptè natura gravis, àc multum diſſona rectæ rationi; materia verò venialis eſt de ſe levis, àc parùm diſſona rectæ rationi: ergo differunt eſſentialiter, & ſpecificè.

15 Secunda pars concluſ., ſcil. peccatum mortale, & veniale ex imperfectione actus, aut

aùt parvitate materiæ, differre ſpecificè in genere moris, docetur à pluribus contrà alios. Prob. primò: illa peccata ſpecie differunt, quæ habent diverſos formaliter, & eſſentialiter modos tendendi in idem obiectum, & contrà eandem virtutem; ſed ità ſe habent peccatum mortale, & veniale adhùc ex imperfectione actus, aut parvitate materiæ: ergo. Mai. patebit ex infrà dicendis de diſtinctione ſpecifica peccatorum. Prob. min.: tunc peccata tendunt modis formaliter, & ſpecificè diverſis erga idem obiectum, & contrà eandem virtutem, quoties quantùm eſt ex natura, & ratione peccati, non eſt eadem propenſio, moraliter loquendo, ad ea peccata committenda, ut docet N. Holzmann. cùm alijs; ſed ita tendunt peccatum mortale, & veniale in idem obiectum, & contrà eandem virtutem, ut quantùm eſt ex natura, & ratione ipſorum, non ſit eadem proclivitas ad illa committenda, & qui pronus eſt ad peccatum veniale, non ſit proclivis ad mortale, proùt experientia conſtat: ergo.

16 Prob. 2. ſpecificè moraliter diſtinguuntur peccata, quæ habent obiecta in genere moris ſpecie diſtincta, & ſunt contrà virtutes ſimiliter diverſas; ſed huiuſmodi ſunt peccatum mortale, & veniale ex imperfectione actus, aùt parvitate materiæ: ergo. Prob. min.: tùnc. obiectum, vel virtus de ſe eadem ſpecie, diverſificatur ſpecificè in genere moris, dùm habet modos attingibilitatis ſpecie diverſos, qui præexiſtunt, & correſpondent modis attingentiæ exercibilibus per actus ita ut idem de ſe obiectum, proùt ſubſtat uni modo attingibilitatis, differat ſpecie à ſe ipſo, ut ſubſtante alteri, & habeat aliam inhoneſtatem in genere moris; ſed modus, quo attingitur obiectum à peccato mortali, eſt ſpecie diſtinctus ab eo, quo attingitur à veniali, ut conſtat ex prob. præced.: ergo. Prob. 3. peccata differunt ſpecie in genere moris ex oppoſitione cum legibus, vèl præceptis, qua talibus, formaliter, & ſpecificè diverſis; ſed peccatum mortale, & veniale adhùc ex imperfectione actus, aùt parvitate materiæ, adverſantur legibus formaliter, & ſpecificè diverſis: erg. Prob. min.: lex *non furtum facies* v. g. proùt reſpicit materiam gravem, & conſenſum plenum, ſpecie differt à ſe ipſa, ut reſpiciente materiam levem, & ſemiplenum conſenſum; nàm illud vetat ſub interminatione pœnæ æternæ, & tanquàm privationem rectitudinis omninò

ne-

neceſſariæ ad ſalutem ; non verò iſtud : ergo.

17 Arg. 1. peccatum ex genere ſuo mortale poteſt fieri, & ſæpè fit veniale, vèl ob parvitatem materiæ, vèl ob imperfectionem actus, nempè deliberationis, ſeu advertentiæ, & conſenſus, & è contrà venitale ex genere poteſt fieri per accidens mortale ; ſed hoc fieri non poſſet, ſi mortale, & veniale differrent ſpecificè, & eſſentialitèr; ſiquidèm quod eſt eſſentialitèr in una ſpecie, nequit ad aliam tranſire ; ut patet in homine, qui nequit fieri equus, nèc per ſe, nèc per accidens : ergo. Conf. : idem numero actus poteſt habere ſimùl malitiam peccati venialis, & mortalis, ut patet in verbo otioſo prolato ob finem pravum mortalitèr ; ſed hoc eſſe non poſſet, ſi diſtingueretur ſpecificè, & eſſentialitèr ; nam cui unum oppoſitorum convenit per ſe, & eſſentialitèr, nequit aliud convenire, nèc per ſe, nèc per accidens : ergo.

18 Ad arg. diſt. mai. : peccatum mortale pro materiali poteſt fieri, ſeù tranſire in veniale, ità ut venialitas ſuccedat mortalitati, vèl è contrà, conc. ; peccatum mortale pro formali, ità ut mortalitas fiat venialitas, vèl tranſeat in ipſam, neg. mai. & min. ; quia licèt mortalitas, & venialitas ſint differentiæ ſpecificæ, & eſſentiales ; tamèn quia accidunt actui, nedum in eſſe naturæ, ſed etiam in genere moris, ideo idèm materialitèr actus poteſt tranſire de una ad aliam : ſicùt licèt albedo, & nigredo ſint differentiæ eſſentiales, & ſpecificæ coloris, tamèn quia accidunt parieti adhùc in eſſe colorati, ideò poteſt de una ad aliam tranſire : cuius oppoſitum contingit in humanitate, & equinitate, quæ non accidunt, ſed quidditativè conſtituunt hominem, & equum in ratione talium. Ad conf. conceſ. mai., neg. min. ; quia licèt mortalitas per ſe, ſeù ex genere, & venialitas ſimilitèr per ſe, ſint oppoſitæ ; non autèm venialitas per ſe, & mortalitas per accidens ; & ideo quamvis idem actus nequeat eſſe venialis per ſe, & ſimùl per ſe mortalis, benè verò poteſt eſſe per ſe, ſeù ex genere ſuo venialis, & ſimùl mortalis per accidens, ſeù extrinſecè, aùt è contrà.

19 Arg. 2. peccata non diſtinguuntur eſſentialitèr ſpecificè, niſi ex obiectis, vel ex virtutibus oppoſitis, vèl ex præceptis, vel ex bonis, ſeù rectitudinibus, quarum ſunt privationes ; peccatum mortale, & veniale, quod eſt tale ex imperfectione actus, aùt parvitate materiæ, v. g. furtum

tum grave, & leve, ſunt circa idem ſpecie obiectum, contrà eandem virtutem, & contrà idem præceptum, àc privant eàdem ſpecificè rectitudine iuſtitiæ commutativæ debitæ ex illo: ergo. Conſ.: magis, & minùs non diverſificant ſpeciem; ſed peccatum mortale, & veniale differunt ſolùm penès magis, & minùs, ut patet in furto gravi, & levi: ergo. Ad argum. reſp. 1. neg. mai.; quia, ut conſtat ex prima probat. ſecundæ part. concluſ., peccata diſtinguuntur etiàm ſpecificè ex diverſis formaliter, & ſpecificè modis tendendi circa idem obiectum, contrà eandem virtutem, vèl præceptum. Reſp. 2. iuxta ſecundam, & tertiam probat., diſt. mai., peccata non diſtinguuntur ſpecificè, niſi ex diverſis obiectis &c. ſaltèm ſpecificè diſtinctis penès modos diverſos attingibilitatis, conc. mai.; diſtinctis præcisè ſecundùm ſe, abſolutè, & ſimpliciter, neg. mai.; & applicata diſtinct. ad min.; neg. conſeq.. Ad conf. diſt. mai.: magis, & minus, qnandò conſequuntur eandem rationem, non diverſificant ſpeciem, conc.; quandò conſequuntur rationes diverſas, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.; ſiquidèm *magis* in peccato mortali eſt carentia rectitudinis neceſſariæ ad ſalutem, & deordinatio ſimpliciter ab ultimo fine; *minùs* verò in peccato veniali eſt carentia rectitudinis non omninò neceſſariæ, ſed utilis, & eſt deordinatio ſecundùm quid: quę ſunt rationes diverſe.

20 Inquires 1.: qualitèr diſcernendum ſit intèr peccatum mortale, & veniale? Reſp., varias ſolere aſsignari regulas, ſed duas eſſe præcipue obſervandas. Prima eſt vis, & obligatio præcepti, contra quod committitur peccatum; nàm ſi præceptum eſt grave, ſeù graviter obligans, peccatum contrà illud erit mortale, ſaltèm per ſe, ſeù ex genere; ſi autèm præceptum eſt leve, ſeù leviter obligans, ſivè præcipiens aliquid non omninò neceſſarium, ſed tantùm utile ad ſalutem, peccatum erit veniale. Cognoſcitur autèm gravitas, & levitas præcepti; tùm ex ſacta Scriptura, quæ plura prohibet ut execranda, abominabilia, Deo exoſa, è cœlo excluſiva, digna morte æterna, aùt ſimili locutione, quę exprimit præceptum grave; alia verò non ità prohibet, àc proindè leviter. Tum etiàm cognoſcitur præceptum grave, & leve ex traditione Eccleſiæ, aùt ſenſu D. D. communi. Tùm, ex qualitate materię, quę ſi gravis ſit (ſivè materialiter, & ex obiecto, ſivè formaliter, & ex cir-

circunſtantijs) præceptũ etiam eſt grave) regulariter, & niſi oppoſitum conſtet de mente Legiſlatoris); ſi autèm materia ſit levis, præceptum etiam eſt leve. Secunda regula eſt modus violationis præcepti; nàm ſi præceptum grave violetur ſimpliciter, tàm ex parte materiæ, quę vèl non admittat parvitatem, vèl quamvis illam admittat, ſit in notabili quantitate; quàm ex parte deliberationis, quæ ſit perfecta, tùnc erit peccatum mortale; ſi verò præceptum ex ſe grave violetur tantùm ſecundum quid, ſivè ex parte materiæ parvæ, ſivè ex parte deliberationis imperfectę, tùnc erit peccatum veniale.

21 Inquires 2. an, & quomodo peccatum mortale poſſit fieri veniale, aùt è contrà? Reſp. 1. peccatum ex ſuogenere mortale ſæpè fit veniale ob imperfectionem deliberationis, ſeù advertentiæ, & conſenſus; vèl ob parvitatem materiæ; eò quia utrumque requiritur ad peccatum mortale, nempe perfecta, ſeù plena deliberatio, & materia gravis; ac proindè ex defectu cuiuslibet illorum fit veniale. Si autèm quæratur, in quibus peccatis detur parvitas materiæ, & in quibus non? Dicimus, non dari parvitatem materiæ in *infidelitate, deſperatione, præſumptione, odio Dei, contemptu formali eiuſdem, in perjurio aſſertivo; in peccato luxuriæ; in violatione ieiunij naturalis* ante ſumptionem Euchariſtiæ; *in fractione ſigilli Sacramentalis: in irritatione Sacramentorum; nec in homicidio.* In alijs autem peccatis datur parvitas materiæ. Reſp. 2. peccatum veniale nunquàm fit mortale ratione ſolius numeri; ſeù peccata venialia, quantumvis multiplicentur, non aſcendunt ad malitiam peccati mortalis. Ita Subt. Doct. in 3. d. 38. q. 1., & eſt commune. Prob. ex Conc. Trid. ſeſ. 14. cap. 5. docente, quod per peccata venialia, licèt frequentata, non excludimur à Dei gratia, & illa poſſe in confeſsione taceri citrà culpam: ergo. Dices: qui ſæpè per parva furta peccat venialiter, tandèm perveniendo ad materiam gravem peccat etiam mortaliter: ergo ex pluribus venialibus reſultat unum mortale. Diſt. antec.: peccat mortaliter, quia ultimum furtum verſatur circà materiam connotativè gravem, & coaleſcentem ex præcedentibus materijs, cùm plena advertentia ipſius furantis, conc.; peccat mortaliter, quia ex omnibus furtis venialibus conflatur, & fiat unum mortale, neg. antec., & conſeq.

22 Reſp. 3. peccatum ex genere ſuo veniale poſſe eva-

dere

dere mortale quinque præſertim modis. Primò *ratione finis*, ut dùm quis operatur ex intentione moraliter prava, v. g. ſi ludens cùm muliere proferat mendacium iocoſum, ut eam alliciat ad peccatum venereum. Secundò ratione *nimij affectus* in rem aliquam, ut ſiquis affectui, ex ſe venialiter tolùm inordinato, ita ſit additus, ut paratus ſit tranſgredi præceptũ aliquod grave, potiùs quam à tali affectu deſiſtere, v. g. ex affectu vanæ confabulationis cum animo, actù paratus ſit omittire Sacrum in die feſto. Tertiò ratione *contemptus formalis* Superioris præcipientis, in quantùm talis; iuxta dicta in tract. de Legibus. Quartò ratione *periculi*, non quidem purè phyſici, & remoti, ſed moralis, & proximi incidendi in peccatum mortale. Quinto denique ratione *ſcandali*, quo præbeat alicui occaſionem ruinæ ſpiritualis gravis.

QUÆSTIO II.

An peccatum mortale ſit ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ?

1 SUpponimus primò, quæſt. non procedere de peccato venali; quia cùm iſtud ſit levis offenſa Dei, ideò concedunt omnes, illud non eſſe ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ; nàm alias eſſet levis, & ſimùl maxima, imò infinita offenſa, quod implicat. Supp. 2. triplicem rationem reperiri in peccato mortali, nempe *malitiæ*, *demeriti*, & *offenſæ*. Ratio malitiæ conſiſtit in privatione rectitudinis debitæ in eſſe actui, ut manet probatum; vel in ordine ad obiectum diſſonum legi. Ratio demeriti conſiſtit in dignitate ad pœnam, ſicùt e converſo ratio meriti in dignitate ad præmium. Ratio autem offenſæ conſiſtit in averſione à Deo, quatenùs per ipſam tollitur ab eo ratio ultimi finis, & tribuitur per affectum creaturæ, in quo involvitur magnus contemptus Dei, cuius lex violatur à peccatore, & in tali contemptu, ait Gonet, conſiſtere rationem offenſæ mortalis. Vel, ut inquit ipſe Gonet, poteſt peccatum mortale conſiderari dupliciter. Primò prout eſt malum hominis, & privat ipſum bonis ſupernis. Secundo, quatenùs eſt malum Dei offenſi, ſive prout eſt iniuria, ſeu offenſa ipſius Dei. Supp. 3. tanquàm certum, & admiſſum communiter, peccatum mortale non eſſe ſimpliciter, & intrinſecè infinitum ſecundùm rationem malitiæ, nec demeriti, vel prout eſt malũ hominis peccantis. Quarè

solùm est difficultas de peccato mortali secundùm rationem offensæ, vel quatenùs est malum Deo intentatum à peccatore. Supp. 4. peccatum mortale in ratione offensæ esse infinitum saltèm secundùm quid, extrinsecè, & obiectivè, quatenùs per illud offenditur Deus, qui est dignitatis, & perfectionis simpliciter infinitæ. Undè unicè restat dubium de infinitate intrinseca, & simpliciter, saltèm morali, seù in esse moris. Quibus suppositis, sit.

2 Conclus.: peccatum mortale in ratione offensæ non est gravitatis simplicitèr infinitæ in genere moris. Ità Subt. Doct. in 3. d. 19. q. un. §. *Ad secundum*; & in 4. d. 14. q. 1. §. *Ad argumenta*; & d. 15. q. 1. §. *De secundo*; ac d. 50. q. 6. §. *Ad argumentum*; quem sequuntur omnes Nostri; ita etiam frequentius Iesuitæ, ac non nulli ex Thomistis, contrà communem sententiã Thomistarum. Prob. 1. si peccatum mortale in ratione offensę esset gravitatis simplicitèr infinitæ in genere moris, quodlibet peccatum mortale, saltèm per æquivalentiam, contineret in genere moris gravitatem omnium aliorum pertinentem ad rationem offensę; sed unum peccatum mortale, quatenus est offensa Dei, non continet gravitatem omnium aliorum in ratione offensæ, seù non includit omnem rationem pertinentem ad lineã offensę Dei: ergo. Mai. patet; quia illud est simplicitèr infinitum in aliquo genere, quod vèl formaliter, vèl eminenter, aùt saltèm per æquivalentiam, continet omnem gradum, & omnem modum illius generis. Prob. min.: tùm, quia furtum v. g. in ratione offensæ non includit, nèc identificat secùm rationem offensæ, quæ reperitur in homicidio; siquidem unum adhùc in ratione offensæ non est aliud, nàm aliàs committendo furtum, saltèm in ratione offensæ Dei committeretur etiam homicidiũ; quod est falsum: ergo. Tùm, quia si unum peccatum mortale contineret omnem gradum, & modum pertinentem ad lineam offensæ, æquè offenderetur Deus per unum, ac per plura peccata æquè, vèl magis enormia; sed hoc est falsum: ergo.

3 Prob. 2. concluſ.: unum infinitum simplicitèr in aliquo genere non est maius alio; sed unum peccatum mortale est maius alio in ratione offensæ: ergo nullum est infinitum simplicitèr in tali ratione. Mai. est D. Thomæ 3. part. q. 10. art. 3. in resp. ad 3. ubi ait: *Est autem quædam proprietas infiniti, quòd infinito non sit aliquid maius: Sic igitur dicen-*

dum

dum eſt, quòd infinito ſimpliciter quoad omnia, ſimpliciter nihil eſt maius; infinito autem ſecundum aliquid determinatum, non eſt maius in illo ordine. Ulterius illa mai. conſtat ratione deſumpta ex Subt. Doct. quodlib. 5. ſi unum infinitum ſimpliciter in aliquo genere eſſet maius alio, illud minus eſſet infinitum, ut ſupponitur; & aliàs non eſſet infinitum; tùm quia haberet terminum, ultrà quem protenderetur infinitum maius tum, quia illi deficeret id, in quo excederetur à maiori, atque adeò illud minus non eſſet infinitum; ſiquidem de ratione infiniti eſt, quod nihil ei deficiat, quin potiùs habeat, ſaltèm eminenter, omne quod pertinet ad illud genus, in quo eſt infinitum: ergo nullum in tali genere poteſt eſſe maius.

4 Prob. igitur min. principalis primo authoritate: Ioann. cap. 19. dicitur: *Propterea qui me tibi tradidit, maius peccatum habet*; ac ſimilitèr dicitur in alijs locis ſacræ Script.. Itèm D. Hieronym. lib. 2. contrà Iovinianum, & M. P. Aug. Epiſt. 29. ad D. Hieronym. probant contrà Scoicos, unum peccatum eſſe gravius alio, & Deum magis offendi per unum, quàm per aliud. Præterea Ang. Doct. in 4. d. 17. q. 2. art. 3. ubi docet, peccatorem moveri ex charitate ad magis dolendum de uno peccato, quam de alio; & reddens rationem, ait: *Quia ratio doloris eſt magis in uno, quam in alio, ſcil. offenſa Dei; ex magis enim inordinato actu Deus magis offenditur*: ergo unum peccatum mortale eſt gravius alio in ratione offenſæ. Prob. ſecundò illa min. princip. ratione deſumpta ex D. Thoma, & ſimul confirm. noſtra ſententia: ratio formalis offenſæ peccati mortalis conſiſtit in averſione, ſeù ſeparatione à Deo iuxtà Adverſ.; ſed ratio formalis averſionis, ſeù ſeparationis à Deo, eſt gravior in uno peccato mortali, quàm in alijs: ergo unum eſt alio gravius in ratione offenſæ, ac proinde nullum eſt infinitum ſimpliciter in tali ratione. Prob. min. D. Thomas in 4. d. 17. q. 2. art. 2. ait: *Quamvis omnia peccata conveniant in averſione, differunt tamèn in cauſa, & modo averſionis, & quantitate elongationis à Deo.* Et in 2a. 2æ. quæſt. 10. ar. 3. in corp. inquit: *Tantò aliquod peccatum eſt gravius, quanto per ipſum homo magis à Deo ſeparatur.* Et quæſt 20. art. 3. in corp. docet: *In quolibet peccato mortali principalis ratio mali, & gravitas eſt ex hoc, quod avertit ſe à Deo;; Et ideò quod primò, &*

per

per ſe habet averſionem à Deo, eſt graviſsimum peccatum inter peccata mortalia : ergo iuxtà D. Thomam, ratio averſionis; ſeù ſeparationis à Deo, eſt gravior, in uno peccato, quàm in allio.

5 Prob. tertiò illa min.,& conſ. aliter noſtra concluſ. alia ratione deſumpta etiàm ex D. Thoma ratio formalis offenſę in peccato mortali eſt ratio formalis contemptus Dei; ſed iſta non eſt æqualis in omnibus, ſed gravior in quibuſdam peccatis mortalibus: ergo etiam ratio offenſæ ſe habet eodem modo. Mai. eſt. D. Thomæ in 2a. 2æ. q. 162. art. 6. in corp. dicentis: *Averti à Deo, & eius præceptis, quod eſt quaſi conſequens in alijs peccatis, per ſe ad ſuperbiam pertinet, cuius actus eſt contemptus Dei.* Min. etiàm eſt ipſius Ang. Doct. in 4.d. 9. art. 3. §. *ad 3. quæſtionem*, ubi expreſsè aſſerit, quòd Deus magis contemnitur per unum peccatum, quam per aliud; ait enim: *ſciendum, quòd contemptus ex duplici capite menſurari poteſt. Uno modo ex parte contemnentis; & ſic non poteſt fieri comparatio unius generis peccati ad aliud genus:: Alio modo ex parte eius qui contemnitur; & ſic eſt talis ordo peccatorum, quòd illud, in quo Deus ipſe in ſe ipſo contemnitur, eſt peccatum graviſsimum.* Et quæſt. 2. de malo, art. 3. ubi obijciens contrà ſe hoc argum.: *Quanto maior eſt, qui offenditur, tantò peccatum eſt gravius; ſed in omni peccato unus, & idem eſt, qui offenditur: ergo omnia peccata ſunt æqualia.* Reſp. S. Doct.: *Quantitas contemptus non ſolùm menſuratur ex parte eius, qui offenditur; ſed etiàm ex parte actus, quo quis contemnitur, qui poteſt eſſe intenſior, vèl remiſsior.* Et ibidem art. 11. ait: *Omnibus peccatis mortalibus oportuit ſubueniri per mortem Chriſti, propter gravitatem quam habent ex contemptu boni infiniti. Sed tamèn nihil prohibet, quin per unum peccatum magis contemnatur Deus, quàm per aliud*: ergo iuxta D. Thomam, ratio contemptus, & offenſæ Dei non eſt æqualis in omnibus, ſed gravior in aliquibus peccatis mortalibus.

6 Prob. quartò illa min. princip., & roboratur ampliùs noſtra concluſ.: ratio formalis offenſæ conſiſtit formaliter in iniuria, quæ fit Deo, dùm contemptis eius præceptis, ab eo recedit volùntas peccantis mortaliter; ſed talis iniuria non eſt ſimpliciter infinita, ſed maior in aliquibus peccatis, quàm in alijs: ergo. Mai. conced. ab Adverſ., & colligitur ex doctrina D. Thomæ. Prob. min.: iniuria, qua Deus in ſe ipſo for-

maliter contemnitur, eſt maior illa, qua Deus non in ſe ipſo, nec formaliter, ſed in creaturis, & virtualiter, ac interpretative tantum contemnitur; ſed iniuria facta Deo, dùm contemptis, vel violatis eius præceptis, recedit ab eo voluntas peccatoris, aliquandò eſt iniuria, qua Deus in ſe ipſo contemnitur formaliter; ſæpè verò eſt iniuria, qua tantum in bonis creatis contemnitur virtualiter, & interpretativè; ut aſſerit Aug. Mag., & eſt certum apùd omnes: ergo. Prob. mai.: tùm, quia illa iniuria, quæ magis repugnat maieſtati, & excellentiæ perſonæ iniuriatæ, eſt maior, quàm ea quæ minùs repugnat illius excellentiæ; ſed magis ipſi repugnat iniuria, qua in ſe ipſo contemnitur formaliter, quàm illa, quà tantùm in alio contemnitur virtualiter, & interpretativè: ergo. Tùm, quia illa iniuria eſt maior, quæ maiorem titulum præbet ad iuſtam indignationem, odium, & ſupplicium; ſed ita ſe habent illæ iniuriæ: ergo una eſt maior alia.

7. Prob. deniquè illa min. principalis, & ultrà conſ. probatio concluſ.: offenſa formaliter ut talis dimanat à malitia; imò eſt realiter, & formaliter ipſa malitia peccati; ſed hæc non eſt ſimpliciter infinita in peccato mortali, ſed maior, vel minor reſpectivè: ergo etiàm ratio formalis offenſæ. Conſeq. patet; quia omne acceſſorium, conſequens, vel dimanans ſequitur naturam ſui principalis, & nequit ipſum excedere; neque peccatum poteſt eſſe infinitum, vel æquale in aliqua ratione, quin etiàm ſit infinitum, vèl æquale in illa, quæ eſt eadem cum alia. Min. conced. frequentèr à Thomiſtis Prob. igitur mai. præſertim quoàd 2. part. primò: D. Thomas in 3. d. 1. q. 1. art. 2. ad 5.; & diſt. 20. q. 1. art. 2.; & in 4. d. 17. q. 2. art. 3. loquitur indiſcriminatim, indiſtinctè, ac eodem modo de offenſa, & malitia: ergo iudicat unam eſſe realiter, & formaliter alteram. Prob. 2.: malitia, formaliter ut talis, eſt averſio à Deo, reperta in peccato mortali; ſed offenſa, formaliter ut talis, conſiſtit in averſione: ergo malitia non diſtinguitur ab offenſa. Prob. 3. eadem mai.: ratio offenſæ, iuxtà Adverſ., eſt ob quam pœna æterna debetur peccato mortali; ſed iuxtà D. Thomam in 1. 2æ. q. 87. art. 4. ad 3. ratio culpę eſt ob quam debetur æternitas pœnæ: ergo. Prob. 4. illa mai.: quidquid, formaliter ut tale, nullam dicit bonitatem, & eſt à Deo per ſe incauſabile, eſt realiter, & formaliter malitia moralis; ſed offenſa, formaliter ut talis, nullã

dicit

dicit bonitatem, quin potiùs eſt privatio omnis bonitatis, ac eſt à Deo per ſe incauſabilis: ergo eſt malitia formaliter. Prob. 5.: formalitas illa, quę dicit oppoſitionem, & diffor-mitatem ad regulam moralitatis; & reddit hominem male moralitèr operantem; ac provocat Divinam indignationem; eſt malitia formaliter; ſed hęc omnia competunt offenſæ formalitèr ut tali: ergo.

8 Hęc noſtra probatio prę-ocupat ſolutionem communem Thomiſtarum reſpondentium, peccata non eſſe ſimpliciter infinita, ſed inæqualia in ratione malitiæ; verùm eſſe ęqualia, & infinita ſimpliciter in ratione offenſæ. Cæterum reſp. III. Godoy diſtinguens in offenſa duplicem gravitatem: aliam, quæ deſumitur ex obiecto, & circunſtantijs, quæque vèl eſt idem formaliter, vèl dimanat à malitia, & non eſt infinita, ſed maior vel minor, ſicùt illa; aliam, quæ ſumitur à perſona offenſa, ſeù iniuriata, & eſt æqualis, ac ſimpliciter infinita in omni peccato mortali. Quarè ait, multùm diſtarè hoc ab ſtoicis, qui aſſerebant, omnia peccata eſſe omninò æqualia, ſeù ſub omni ratione. Contrà 1. D. Thomas quęſt. 2. de malo, art. 9.; & in 1a. 2æ. q. 73. art. 2. probans ex profeſſo contrà ſtoicos, peccata non eſſe ęqualia, & ſibi obijciens rationes, quibus cõtra nos utuntur Thomiſtæ, nunquàm talis diſtinctionis meminit, & ſub nulla ratione æqualitatem peccatorum concedit: ergo vèl confusè, & minùs benè ſuam mentem aperuit, tribuens occaſionē negandi omnem ęqualitatem: vèl talem æqualitatem non agnovit in ratione offenſæ ex parte perſonæ iniuriatæ: ergo cùm non primum poſsint aſſerere contrarij, hoc ſecundum debent concedere; ac proinde &c.

9 Contrà 2. gravitas offenſæ, iuxtà Godoy, deſumpta ex obiecto, intenſione actus, & alijs capitibus, non eſt infinita, quia vèl eſt eadem cùm malitia, vèl dimanat ab ea; ſed etiam gravitas deſumpta ex perſona offenſa re ipſa eſt eadem cùm malitia, ut manet probatum; vèl dimanat ab ea, ſiquidem illam ſupponit tanquam rationem à priori; nàm ideò peccatum mortale habet gravitatem offenſæ deſumptam ex perſona offenſa, quia habet gravem malitiam: ergo talis gravitas nequit eſſe ſimpliciter infinita. Contra 3. licèt eadem ſit perſona offenſa per omnes iniurias, non tamèn eſt eadem gravitas in omnibus iniurijs, adhùc deſumpta ex perſona

offenſa ; nàm aliàs æque Deus in ſe eſſet offenſus per contemptum formalem , & expreſſum , àc per virtualem , & interpretativum; quod eſt contra D. Thomam ſupra allegatum : ergo. Contra 4. iuxtà Godoy , peccata ſunt inæqualia in gravitate offenſæ ſumpta ex obiecto,& circunſtantijs: ergo nullum peccatum eſt infinitæ ſimpliciter gravitatis in ratione offenſæ. Prob. conſeq.: infinitas ſimpliciter in aliquo genere excludit omnem inæqualitatem , & exceſum in illo genere , ſeù ſecundum illam rationem : ergo ſi peccata ſunt aliquo modo inæqualia in ratione offenſæ , nullum eſt ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ.

10 Prob. 3. concluſ. ratione deſumpta ex Subt. Doct. in 4. d. 14. & 15. ſupra cit.: offenſa formaliter ut talis, ſicùt & peccatum ſub qualibet eius ratione , eſt purus defectus, & pura privatio ; ſed hoc ipſo non eſt ſimpliciter infinita, nèc phyſicè , nèc moraliter: ergo. Prob. min.: eò ipſo quod offenſa ſit purus defectus , ſeù privatio , nequit eſſe maior, aùt gravior in æſtimatione morali , quam ſit forma poſitiva, cuius eſt defectus , & privatio; ſed offenſa non eſt privatio alicuius formę poſitivę ſimpliciter infinitę : ergo. Mai. patet ; quia privatio menſuratur iuxtà quantitatem formę , cuius privatio eſt. Prob. min.: offenſa unicè eſt privatio formę poſitivæ , quę eſſet formaliter excluſsio contemptus , & iniuriæ Deo factæ per peccatum, ſed talis forma non eſt ſimpliciter infinita; ergo. Prob. min.: forma , quæ eſſet excluſio contemptus , & iniuriæ Deo factę, eſſet rectitudo debita actui, ſeù conformitas cùm lege , ſivè obedientia , obſequium , aùt honor Deo præſtitus per actum rectum , quo ipſe Deus anteponeretur omni creaturæ, & reſpiceretur ut ultimus finis ; ſed talis forma , nèc phyſicè nèc moraliter eſt ſimpliciter infinita ; ſiquidem nihil ſimpliciter infinitum ponitur per actum rectum , ut etiam Adverſ. concedunt : ergo forma , quæ eſſet excluſio contemptus , & iniuriæ Deo factæ per peccatum , non eſt ſimpliciter infinita ; àc proinde nèc offenſa.

11 Conf. hæc ratio , & ſimùl impugnatur fundamentum ſalmaticenſium : ideò, iuxta ipſos , peccatum mortale eſſet ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ ; quia hæc moraliter quidem eſt privatio alicuius formæ , vel prędicati ſimpliciter infiniti ; ſed hoc eſt falſum : ergo. Prob. min. primò : talis offenſa , nèc ma-

ra-

ralitèr quidèm, eſt privatio alicuius prædicati intrinſeci, & eſſentialis Deo, ſed tantùm extrinſeci, & diſtincti realitèr entitativè ab ipſo: ergo. Conſeq. patet; quia omne extrinſecum Deo, & realiter diſtinctum ab ipſo, eſt ſimpliciter finitum. Prob. antec.: talis offenſa, nèc moralitèr quidem, eſt privatio rationis intrinſecę, & eſſentialis ultimi finis, nempè iuris, quod Deus in ſe habet ut creatura ipſum reſpiciat tanquàm ultimum finem; ſed unicè eſt privatio rationis extrinſecę, & accidentalis, ſcil. actus ſecundi, ſeù actualis reſpicientiæ ipſius, ut ultimi finis: ergo. Prob. antec.: non auferetur, adhùc moralitèr, ab aliquo, illud jus, quod habet ut ei pręſtetur aliquod obſequium, per hoc quod obligatus prætare illud renuat exhibere obſequium debitum, prout eſt manifeſtum: ergo. Prob. 2. illa prima min. offenſa, etiàm moralitèr, tantùm eſt privatio illius, quod daretur ſi creatura non peccaſſet; ſed quod daretur ſi cretura non peccaſſet, unicè eſſet quid finitum, quo Deus reſpiceretur ab illa ut ultimus finis in actu ſecundo: ergo offenſa; adhùc moralitèr, non eſt privatio alicuius prędicati ſimpliciter infiniti. Mai. patet; quia moraliter, & in prudentum æſtimatione, peccatum non eſt privatio niſi illius, quod poterat, & debebat in eſſe actui recto.

12 Prob. 3. illa min. principalis: Deum eſſe privatum prędisè actu ſecundo, quo deberet reſcipi à creatura ut eius ultimus finis, non eſt Deum, adhùc mortalitèr, eſſe privatum aliquo prædicato intrinſeco, & ſimplicitèr infinito; ſed creaturam læthalitèr peccantem avertere ſe à Deo, tanquam ab ultimo fine, ſeù affective aufferre à Deo rationem ultimi finis, præcisè eſt Deum eſſe privatum actu ſecundo, quo deberet reſpici ut ultimus finis creaturæ: ergo non eſt privare, adhùc moralitèr, Deũ aliquo prædicato intrinſeco, & ſimpliciter infinito. Min. patet; quia creaturam ſe avertere à Deo tanquàm ab ultimo fine, ſeù affectivè virtualitèr, & interpretativè aufferre ab ipſo rationem ultimi finis, non eſt, adhùc moralitèr, dificere Deo jus intrinſecum ut à creatura ità reſpiciatur, prout videtur innegabile; quia nullus dicet, nèc prudentèr exiſtimabit, per peccatum deficerè moralitèr in Deo jus intrinſecum, ut à creatura reſpiciatur tanquàm finis ultimus; ſeù Deum ita ſe habere, àc ſi verè, & realiter eſſet intrinſecè privatus illo prædicato. Prob. igitur mai.: actus ſecundus, quo

creatura actu reſpicit Deum ut ſuum finem ultimum, non eſt prædicatum, adhùc moraliter, intrinſecum, & eſſentiale Deo, àc ſimpliciter infinitum; ſed Deum eſſe privatum actu ſecundo, quo deberet reſpici ut ultimus finis, præcisè eſt, Deum eſſe privativum actu ſecundo, quo creatura reſpiciat ipſum Deum, ut ſuum finem ultimum: ergo non eſt, adhùc moraliter, eſſe privativum aliquo predicato intrinſeco, & ſimpliciter infinito.

13 Prob. 4. concluſ. impugnando præcipua fundamenta Adverſ.: ideò peccatum mortale eſſet gravitatis ſimpliciter infinitæ in ratione offenſæ, quia eſt contrà Deum, ſeù contrà Maieſtatem infinitam ſimpliciter; ſed ex hoc unicè infertur, quod offenſa ſit infinita ſecundum quid, extrinſecè, obiective; non autem ſimpliciter, & intrinſecè ergo. Prob. min. primò: D. Thomas quæſt. 2. de malo, art. 9. objiciens ſibi hoc arg. quintum: *Infinitum non eſt malus infinito; ſed quolibet peccatum mortale eſt infinitum, quia eſt contrà bonum infinitum, quod eſt Deus; undè meretur pœnam infinitam: ergo unum peccatum non eſt malus alio.* Reſp. Aug. Doct.: *Ad quintum dicendum, quod à bono infinito avertitur quis actu finito, & ideò peccatum eſſentialiter finitum eſt, licèt habeat aliquam habitudinem ad bonum infinitum.* Quo nihil clarius pro noſtra ſententia, & nihil conformius cum Scotica Doctrina deſumpta ex Subt. Doct. in 3. d. 19. ſuprà cit.: ergo ex quo peccatum mortale ſit contrà Deum, ſivè ſit offenſa Maieſtatis ſimpliciter infinitæ, ſolum probatur illud eſſe infinitum ſecundùm quid, obiectivè, & extrinſecè, non autèm ſimpliciter, intrinſecè, & ſubiectivè.

14 Prob. ſecundò illa 1. min.: ſi ex eo, quòd peccatum mortale eſt offenſa Maieſtatis ſimpliciter infinitę, probaretur, illud eſſe ſimpliciter infinitum in ratione offenſę, etiàm peccatum veniale eſſet huiuſmodi; ſed hoc negatur ab Adverſ.: ergo. Prob. mai.: tùm, quia licet pecatum veniale dicatur culpa, & offenſa ſecundùm quid comparativè ad mortale, quod eſt culpa, & offenſa gravis; tamèn veniale eſt verè, propriè, & ſimpliciter culpa, & offenſa abſolutè, & in ſe: ergo. Tùm; quia ſi levitas peccati venialis impedit, ne ſit ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, quamvis ſit offenſivum Maieſtatis ſimpliciter infinitæ; etiàm maior, & minor gravitas peccati lœthalis illud impediet protèr ſimilem rationem, ità ut nulla diſparitas poſsit aſsig-

nati

nari à Thomiſtis, quæ non valeat contrà ipſos retorqueri: ergo. Prob. tertiò illa 1. min.: ideò ex eo, quòd peccatum mortale eſt offenſa Maieſtatis ſimpliciter infinitæ, probaretur, illud eſſe ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, quia gravitas offenſæ creſceret ad æqualitatem iuxtà dignitatem perſonæ iniuriatæ; ſeù quia talis dignitas eſſet cauſa adæquata gravitatis offenſæ; ſed hoc eſt falſum: ergo. Mai. eſt Adverſ.. Prob. min.: tùm, quia eadem eſt ratio de gravitate peccati in ratione offenſæ, àc in ratione contemptus Dei, & averſionis ab ultimo fine; ſed dignitas perſonæ offenſæ non eſt cauſa adæquata gravitatis peccati in ratione contemptus, aùt averſionis, prout conſtat expreſsè ex D. Thoma cit. num. 4. & 5.: ergo. Tùm, quia gravitas ſimpliciter peccati lœthalis in ratione offenſæ pendet ex cognitione, deliberatione, & conatu peccantis; ut eſt evidens: ergo ſola dignitas perſonæ non eſt cauſa adæquata talis gravitatis. Tùm, quia aliàs æqualis offenſa Dei eſſet peccatū conſiſtens in eius contemptu tantùm interpretativo, àc peccatum conſiſtens in contemptu actuali & expreſſo; ſed hoc eſt contrà D. Thomam in 4. d. 9. q. 1. art. 3. in corp.: ergo.

15 Prob. 4. illa min. princip.: ideò ex eo, quod peccatum mortale eſt offenſa Maieſtatis ſimpliciter infinitę, probaretur, quòd ſit ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, quia ipſe Deus aggravat offenſam, non ſolùm per modum obiecti, ſed etiàm per modum formæ; ſed hoc eſt falſum; imò licèt eſſet verum, non probaretur, peccatum eſſę ſimpliciter infinitum: ergo. Prob. min. quoàd 1. part.: tùm, quia Deus, inquantum cognitus, gravificat offenſam, ità ut ſine cognitione non detur offenſa formalis, & quantò magis, vèl minùs cognoſcitur, tantò magis, vèl minus offendatur, ſed quod gravificat, ut cognitum, non gravificat per modum formæ, ſed per modum obiecti; nàm ideò gratia habitualis per modum formæ dignificat merita, quia non eſt neceſſe, quòd ſit cognita: ergo. Tum, quia ideò Deus, non ſolum per modum obiecti, ſed etiàm per modum formæ gravificaret, quia ſe haberet ut ſubiectum morale offenſæ; ſed Deus non ità ſe habet, ſed ut purum obiectum, ut patebit ex ſolut. àrgumentorum: ergo. Prob. ſupra dicta min. quoad 2. part.: effectus formalis formæ non commenſuratur pręciſè cùm forma, ſed etiàm cum capacitate ſubiecti, & cùm communicatione ipſius formæ, prout alibi aſſeritur

etiàm ab Adverſ.; ſed peccatum, utpote in ſe quid finitum, non eſt capax infinitatis ſimpliciter; & communicatio, qua Majeſtas Divina gravificat offenſam, eſt finita, cùm fiat mediâ cognitione, deliberatione, & conatu finitis: ergo.

16 Prob. denique illa princip. min. noſtræ probat.: ideò ex eo quod peccatum læthale eſt offenſa Majeſtatis ſimpliciter infinitæ, probaretur, illud eſſe ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, quia eſt poſtpoſitio infinita ſimpliciter, ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min. magnitudo poſtpoſitionis non menſuratur præcise ex magnitudine Majeſtatis poſtpoſitæ, aùt ex diſtantia entitativa ipſius ad aliud extremum cui poſtponitur; ſed hæc eſt ratio Adverſ. utenim mi tali fundamento: ergo. Prob. mai. Tùm, quia iuxtà D. Thomam. cit. num. 4. & 5. quantitas poſtpoſitionis, contemptus, & offenſæ (quæ omnia ibi accipit indiſcriminatim pro eodem) non ſolùm menſuratur ex parte eius, qui offenditur, ſed etiàm ex parte actus, quo quis contemnitur; ergo. Tùm, quia aliàs æqualis poſtpoſitio, contemptus, iniuria, & offenſa Dei eſſet peccatum conſiſtens in actuali, ſeù formali contemptu; àc alia, in quibus non eſt niſi contemptus interpretativus; ſed hoc eſt falſum, & contrà D. Thomam in 4. d. 9. q. 1. art. 3. in corp.: ergo.

17 Prob. 5. concluſ. peccatum læthale non eſt ſimpliciter infinitum in ratione demeriti: ergo nèc in ratione offenſæ. Prob. antec. primò: pœna ſimpliciter infinita eſt pœna infinita ſecundum acerbitatem, & ſecundùm durationem; ſed peccatum læthale non meretur pœnam infinitam ſecundùm acerbitatem, & ſecundum durationem: ergo non meretur pœnam infinitam ſimpliciter; ſeù non eſt ſimpliciter infinitum in ratione demeriti. Mai. eſt certa; quia pœna finita, ſivè ſecundùm acerbitatem, ſivè ſecundùm durationem, non continet per æquivalentiam omnem rationem pœnę poſsibilis, ſeù poteſt augeri; quod eſt contrà rationem infiniti ſimpliciter in aliquo genere. Prob. min. D. Thomas in 2. d. 42. q. 1. art. 5. ad 2. ait: *Ex hoc, quod contra infinitum peccat, debetur ſibi pœna; non poteſt eſſe infinita acerbitate:: ſed recompenſatur per durationem infinitam.* Et in 4. d. 46. q. 1. art. 3. ad 6. inquit: *Pœna reſpondet culpę, propriè loquendo, ſecundùm inordinationem, quæ invenitur in ipſa, & non ſecundum dignitatem eius, in quem peccatur;*

catur; quia ſic cuilibet peccato redderetur pœna infinita intenſione: ergo iuxtà D. Thomam peccatum lœthale non meretur pœnam infinitam, & ſecundum acerbitatem, & ſecundum durationem.

18 Prob. ſecundò illud antec.: ſi peccatum lœthale eſſet ſimpliciter infinitum in ratione demeriti, quodlibet lœthale mereretur omnem pœnam poſsibilem; ſed hoc videtur falſum, & abſurdum; nàm ex eo ſequeretur, quòd non maiorem pœnam mereretur peccator per innumera peccata enormiſsima, quàm per unum minimum in ratione lœthalis, per quod mereretur omnem pœnã poſsibilem; nec Deus ſe gereret ut iuſtus Iudex puniendo inæqualiter peccata, quorum quodlibet eſſet dignum omni poſsibili, & æquali pœna: ergo. Prob. tertio illud 1. antec.: quævis pœna, quam promeretur peccatum, vel eſt pœna damni, vèl pœna ſenſus; ſed neutra eſt ſimpliciter infinita: ergo. Prob. min.: pœna ſenſus, conſiſtens in aliquo diſconveniente, & affigente ſubiectum, nequit non eſſe ſimpliciter finita, ut concedunt contrarij cùm communi ſententia; ſed etiàm pœna damni eſt ſimpliciter finita: ergo. Prob. min. Tùm, quia pœna damni tàm pœna, ſivè ſupplicium eſt, quàm præmium eſt beatitudo, ſeù viſio, & fruitio Dei, cuius privatio eſt pœna damni; ſed beatitudo eſt præmium ſimpliciter finitum, àc ſolùm ſecundùm quid extrinſecè, & obiectivè infinitum: ergo ſimiliter pœna damni. Tùm, quia ideò pœna damni eſſet ſimpliciter infinita, quia eſt amiſsio infiniti boni, nempè Dei; ſed hoc unicè probat infinitatem extrinſecã, & ſecundum quid, non verò intrinſecam, & ſimpliciter: ergo. Prob. min.: pœna damni eſt amiſsio infiniti boni modo finito poſsidendi, ſicùt beatitudo eſt poſſeſsio ipſius boni infiniti: ergo ſicut ex eo tantùm probatur, quod beatitudo ſit præmium infinitum ſecundùm quid, extrinſecè, obiectivè, & etiàm ſecundùm durationem; paritèr per oppoſitum pœna damni.

19 Sed quia aliqui Thomiſtæ, conceſ. antec., negant 1. conſeq. noſtræ probat.; ideò contrà ipſos Prob. primò: peccatum mortale meretur pœnàm, etiàm in quàntùm eſt offenſa Dei; ſed hoc ipſo meretur tantam pœnàm, quantę gravitatis eſt in ratione offenſæ Dei: ergo ſi in ratione offenſę eſt infinitæ gravitatis, pœnam infinitam meretur ſub tali ratione; àc proindè erit infinitum in ratione demeriti. Prob. mai.

mai.: peccatum meretur pœnam ratione cuiuſcumque formalitatis, ratione cuius eſt malum moralitèr, Deo diſplicens, & dignum eius indignatione; ſed prout offenſa Dei eſt huiuſmodi, ut probatum manet: ergo. Prob. mai.: mereri pœnam non eſt aliud, quàm habere condignitatem ad ipſam; ſed ratione illius formalitatis, ratione cuius peccatum eſt malum morale, eſt dignum pœna; nàm aliàs quid erit dignum ipſa? ergo. Prob. ſecundo illa 1. conſeq.: ideò, iuxta ſalmaticenſes illam negãtes, peccatũ lœthale eſt ſimpliciter infinitũ in ratione offenſæ, quia inducit damnũ, vèl malum infinitum ſimpliciter, nempè privationem rationis ultimi finis, quæ eſt infinita ſimpliciter; ſed quod inducit damnum, vèl malum ſimpliciter infinitum, meretur pœnam ſimpliciter infinitam; nàm alias pœna non proportionaretur peccato, nèc damno, aùt malo per illud inducto: ergo ſi eſt infinitum ſimpliciter in ratione offenſæ, etiam in ratione demeriti.

2o Prob. demique concluſ.: ſi peccatum lœthale eſt ſimpliciter infinitum in ratione demeriti, aùt ſaltem in ratione offenſæ; opera Chriſti D., & ſi infinita ſimpliciter in ratione meriti, non eſſent maiora, ſuperabundantia, nèc ſuperexcedentia in ratione obſequij, & ſatisfactionis; ſed hoc eſt falſum, & abſurdum; nàm *ubi abundavit delictum ſuperabundavit, & gratia? & copioſa apud eum redemptio*: ergo. Prob. mai.: tùm, quia actus obſequioſus, & meritorius Chriſti nequit eſſe maior, quam ſimpliciter infinitus: ergo ſi noſter actus offenſivus, & demeritorius eſt ſimpliciter infinitus in ratione demeriti, vèl offenſæ, non potuit eſſe maius, nèc ſuperabundans obſequiũ, & meritum Chriſti D.. Tùm, quia ſi peccatum lœthale eſt ſimpliciter infinitum in ratione demeriti, vèl offenſæ non maius nèc excedens, ſed unicè condignum, & purè æquale obſequium, & meritum exhibuiſſet Chriſtus D. ad ſatisfaciendum pro peccato: ergo. Prob. antec.: ſi peccatum eſt ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, ad ſui æqualem, & condignam ſatisfactionem exigeret præcisè, per ſè, & ab intrinſeco ſui, opus meritorium elicitum a Perſona Divina, ità ut totus valor deſumptus ex ipſa eſſet neceſſarius ad purè æqualiter, & condignè ſatisfaciendum pro peccato ſimpliciter infinito; ſed hoc ipſo non fuiſſet ſuperabundas ſatisfactio exhibita a Chriſto D.: ergo. Mai patet, quia ex-

ce-

ceſus,& ſuperabundantia meritorum Chriſti D. eſt ex infinitate Perſonæ ſatisfacientis,& ipſa valorantis;undè ſi iſta valoratio eſt neceſſaria ad purè æqualem, & condignam ſatisfactionem, nulla eſſet ſuperabundantia in talibus meritis. Prob. mai. : ſi peccatum eſt ſimplicitèr infinitum in ratione offenſe, habet tantam gravitatem in eſſe moris, quanta eſt dignitas perſonæ iniuriatæ, ad cuius incrementum creſcit illius gravitas arithmetice,& ad æqualitatem, ut dicunt contrarij ; ſed hoc ipſo per ſe, & ab intrinſeco ad ſui purè condignam, & æqualem ſatisfactionē requirit opus valoris ſimplicitèr infiniti, & præcisè deſumpti ex infinita dignitate Divinæ Perſonæ ſatisfacientis : ergo.

21 Reſp. Mag. Perez in tract. de Incarnat., quòd licèt meritum Chriſti D. non ſit maius *extenſivè*, aùt *quantitativè*, quàm peccatum lœthale in ratione demeriti, vèl offenſæ; tamèn eſt maius *intenſivè*, vèl *qualificativè*; nàm ſicut ſi daretur infinitum auri, & infinitum argenti, licet eſſent æqualia quantitativè, ſeù extenſivè; tamèn intenſivè, qualificativè,in perfectione, & valore, infinitum auri excederet infinitum argenti : ità proportione ſervata, licèt ex infinitate tàm demeriti, quàm meriti inferatur ea eſſe extenſivè æquala ; intenſivè tamen, in perfectione, ſeù qualitate infinitas meriti Chriſti D., deſumpta ex Divina Perſona Phyſicè, & immediate coniuncta, excedit in comparabilitèr infinitatem demeritoriam, & offenſivam peccati,deſumptam ex eadem Perſona moralitèr tantùm unita,vèl ſolùm obiectivè attacta ; quæ infinitas, cùm ſit in genere mali, & deficientiæ, cedit inperfectione bonitati ſatisfactionis.

22 Sed contrà 1.:iuxtà Advers, peccatum lœthale ità eſt ſimplicitèr infinitum in ratione demeriti, vèl offenſæ, ut tanta ſit arithmeticè, & ad æqualitatem eius gravitas, & magnitudo intenſiva, & qualificativa in genere moris,quanta eſt dignitas,& maieſtas Perſonę offenſę;ſed hoc ipſo meritum Chriſti D. nequit in ratione ſatisfactionis eſſe maius adhùc intenſivè, & qualificativè, quàm peccatum in ratione demeriti, vèl offenſæ : ergo prędicta reſponſ. non ſubſiſtit. Mai. patet ex Doctrina Adverſ., quam tradit Mag. Perez,ſcil. offenſam creſcere arithmeticè ingravitate, magnitudine intenſiva, & qualificativa, æſtimationis moralis, iuxta dignitatem perſonæ iniuriatę, ſeù offenſæ, nàm aliàs non eſſet infinita ſimplicitèr, & omnibus modis ſub tali ratione. Min. etiàm patet ; quia

non

magnitudo intenſiva, & qualificativa meritorum Chriſti D. nequit eſſe maior, quàm ſimpliciter infinita in valore morali, ſeù tantę æſtimabilitatis, quante eſt dignitas Perſonæ ſatisfacientis. Contra 2. iuxta Mag. Perez, quòd infinitas peccati in ratione offenſę deſumatur ex Divina Perſona unicè moraliter unita, vèl tantùm obiectivè attacta, & ſolùm moraliter ſubmiſſa, ſivè creaturę poſt poſita, non tollit, quòd talis offenſa ſit ſimpliciter infinita, ac proinde etiàm intenſivè, qualificativè, & omni modo poſsibili in morali æſtimatione de linea, & genere mali; ſed aliundè quòd infinitas ſatisfactionis Chriſti deſumatur ex eadem Perſona Phyſicè unita, & in obſequium Dei ſubmiſſa, non reddit illam Phyſicè, ſed tantùm moraliter ſimpliciter infinitam de linea, & genere boni: ergo talis ſatisfactio non eſſet maior, adhùc intenſivè, & qualificativè, quã peccatum in ratione offenſæ.

23 Contrà 3.: licet infinitum auri eſſet maius qualificativè Phyſicè, quàm infinitum argenti; tamèn ſi argentum eſſet infinitum ſimpliciter in valore, ſeù æſtimatione morali, tùnc infinitum auri non eſſet maius intenſivè, & qualificativè moraliter, ſeù in valore; ſed iuxtà Adverſ., offenſa eſt ſimpliciter infinita in gravitate, & æſtimatione morali, ità ut non ſit æquabilis, ſeù condigne ſolubilis niſi per ſatisfactionem ſimpliciter infinitam in morali æſtimatione, úti aſſerunt de merito Chriſti D.: ergo illud exemplum non eſt ad rem, nec reſponſ. cohæret cum eorum principijs. Contra 4. ſatisfactio, vel ſolutio mille ducatorum facta in auro pro debito eiuſdem quantitatis receptæ in argento, licèt ſit maior, vèl melior intenſivè, aut qualificativè phyſicè, materialiter, & per accidens; tamèn eſt purè condigna, & æqualis quantùm per ſe attinet ad valorem, ſeù æſtimationem moralem, aùt extinctionem debiti; ſed ita ſe haberet ſatisfactio Chriſti D. reſpectu peccati, ſemèl ac ſit ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, & exigens ſatisfactionem valoris ſimpliciter infiniti: ergo. Contra 5. infinitas ſatisfactionis Chriſti D. deſumitur præcisè ex Divina Perſona phyſicè, & immediate coniuncta: ergo ſi in hoc excedit gravitatẽ, & ſolutionem debitam pro offenſa, hæc non exiget ſatisfactionem, ſimpliciter intenſivè, ſeù qualificative infinitam, nec præſtandam à Perſona Divina phyſicè coniuncta. Sed hæc omnia ſunt contrà Thomiſtarum principia: ergo

præ-

prædicta reſponſ. cùm eis non concordat. Verum de his amplius agendum erit in tract. de Incarnat.

24 Arg. 1. gravitas offenſæ creſcit iuxta dignitatem perſonæ, cui irrogatur; unde iniuria facta Regi eſt gravior, quàm ea, quę irrogatur Equiti, & ſic de alijs reſpectivè; ſed Deus offenſus per peccatum mortale eſt dignitatis ſimpliciter infinitæ: ergo. Retorq. 1. malitia, culpa, & noxa peccati creſcit iuxta dignitatem perſonæ offenſæ; nàm ideò eſt maior culpa percutere Regem, quàm Militem; ſed Deus offenſus per peccatum mortale eſt dignitatis ſimpliciter infinitę: ergo ſimpliciter infinita eſt malitia peccati mortalis. Sed hoc negatur à pluribus ex Adverſ.: ergo. Retorq. 2. peccatum veniale eſt verè offenſa Maieſtatis ſimpliciter infinitę: ergo erit ſimpliciter, infinitum in ratione offenſæ; quod negant contrarij. Retorq. 3. vitio creſcit iuxta perfectionem obiecti viſi; ſed ſimpliciter infinitum eſt obiectum viſionis beatæ; ergo hæc erit infinita ſimpliciter in ratione viſionis; quod etiàm negatur ab Adverſ.. Reſp. ergo directè diſt. mai.: offenſa creſcit ad æqualitatem, & arithmetice, vèl geometricè, ſtrictè, & rigoroſe, iuxta dignitatem perſonæ, neg. mai. creſcit adquandam proportionem geometricam latam, & impropriam, ſubdiſt.: creſcit præcisè, & adæquatè iuxtà dignitatem Perſonæ, ita ut ſola iſta ſit menſura gravitatis proportionalis offenſæ, neg. mai.; creſcit inadæquatè iuxtà dignitatem perſonæ, quantùm eſt ex parte termini, ſeù obiecti; àc ſimùl iuxtà alia comprincipia actus offenſivi, ex quibus compleatur menſura gravitatis offenſæ, conc. mai., & min., àc neg. conſeq.

25 Replic.: offenſa peccati lœthalis ità creſcit, & gravificatur iuxtà dignitatem perſonæ offenſæ, ut ex hoc præcisè capite evadat ſuperioris ordinis, quin hoc impediatur ab alijs comprincipijs actus offenſivi, licèt ſint inferioris ordinis: ergo dignitas perſonæ iniuriatæ eſt præciſa, & adæquata menſura gravitatis offenſæ, ità ut ab ea poſsit accipere infinitatem ſimpliciter, quin impediatur à comprincipijs finitis. Reſp. diſt. antec.: offenſa ita creſcit iuxtà dignitatem perſonæ offenſę, ut ex eo præcisè capitè evadat ſuperioris ordinis relatè ad omne meritum, vèl obſequium ſatisfactorium Deo exhibendum à creaturis, neg. antec. (quia ut probabimus in tract. de Incarnat., pura creatura poſ-

poſſet abſolutè ſatisfacere condignè pro peccato lœthali), ut ex eo præcisè capite evadat ſuperioris ordinis, quantùm eſt ex parte perſonæ offenſæ, & comparativè ad omnes offenſas irrogabiles creaturis, ſubdiſt.: ut evadat ſuperioris ordinis ſecundùm quid, terminativè, & extrinſecè, adeò ut non ſit poſsibilis offenſa contrà digniorem perſonam, conc.; ut evadat ſuperioris ordinis abſolute, ſimpliciter, & intrinſecè, ità quòd intrà talem ordinem non poſsit eſſe offenſa magis, & minus gravis, neg. antec., & conſeq..

26 Arg. 2. Divina Majeſtas iniuriata per peccatum lœthale aggravat per modum formæ illud in ratione offenſę: ergo eſt infinitum ſimpliciter in gravitate ſub tali ratione. Conſeq. patet; quia talis eſt effectus formalis, qualis eſt forma ipſum tribuens; unde ſi forma, præſtans peccato lœthali gravitatem in ratione offenſæ, eſt ſimpliciter infinita, peccatum erit ſimpliciter infinitè grave ſub tali ratione. Prob. antec.: ſi Deus eſt, non purè obiectum, ſed ſubiectum morale offenſæ per peccatum irrogatæ illam aggravat per modum formæ; ſed Deus eſt ſubiectum morale offenſæ: ergo. Prob. min.: tùm, quia iuxta commune proloquiũ detumptũ ex Philoſopho: *Honor eſt in honorante, & offenſa eſt in offenſo.* Tum, quia malum recipitur in eo ſubiecto, cuius eſt malum; ſed peccatum ſub ratione offenſæ eſt malum Dei: ergo. Tum, quia illud eſt ſubiectum offenſæ, quod offenſam patitur; ſed Deus, qui offenditur, eſt qui offenſam patitur: ergo. Tùm denique, quia eſſe ſubiectum morale offenſæ nihil aliud eſt, quàm eſſe ſubiectum affectionis illius, vel effectionis conditionatæ; hoc eſt, quòd ſi eſſet capax læſionis, illam reciperet in bonis intrinſecis, unde in prudentum æſtimatione, & ex affectu peccantis perindè ſe habet, ac ſi illam reciperet; ſed ſic ſe habet Deus reſpectu offenſæ: ergo eſt eius ſubiectum morale.

27 Reſp. 1. neg. antec., ad cuius probat. permiſſa mai., neg. min., & ad eius 1. probat. neg. tale proloquium; quia in eodem ſenſu, & eàdem ratione, qua offenſa recipitur in offenſo, etiam honor recipitur in honorato; etenim ideò præcise offenſa reciperetur in offenſo, quatenùs ſi perſona offenſa eſſet capax recipiendi nocumentum, illud pateretur, & reciperet ab offendente; ſimiliter autèm ſi perſona honorata eſſet capax recipiendi aliquod bonum,

illud

illud reciperet ab honorante, qui illud præſtat affective. Quarè D. Thomas in 2a. 2æ. q. 99. art. 1. in reſp. ad 3. ait: *ſicut honor eſt in honorante, non autèm in eo qui honoratur, ut dicitur in* 1. *Ethic.*; *ità irreverentia eſt in eo, qui irreverenter ſe habet, quamvis etiàm nihil noceat ei, cui irreverentiam exhibet.* Nec illud proloquium invenitur in Philoſopho, qui loquens de honoribus lib. 1. Ethic. lect. 5. unicè ait: *Videntur enim in honorantibus magis eſſe, quàm in honorato.* Uoi affirmat, honorem etiam eſſe aliquo modo in honorato; & eius intentum eſt impugnare opinionem aſſerentem, felicitatem conſiſtere in honore, quia felicitas nequit conſiſtere in eo bono, quod magis eſt in poteſtate alterius, quàm ipſius; honor autèm, utpote conſiſtens in actu honorantis magis eſt in poteſtate ipſius honorantis, quàm honorati. Unde non loquitur de ſubiecto, receptivo, ſed de activo, in cuius poteſtate eſt exercere actionem honorativam alterius, qui utpote honoratus, recipit aliquo modo moraliter honorem ſibi præſtitum.

28 Ad 2. probat. illius min. diſt. mai.: malum recipitur in eo, cuius eſt malum verè, propriè, & effectivè, conc.; cuius eſt malum ſolùm affectivè, neg. mai.; & ſimiliter diſt. min.; nàm ut inquit D. Iacobus cap. 35. *Si peccaveris, quid ei nocebis?* Unde ſicut ex eo, quòd actus charitatis, qui ut *meritum* eſt bonum noſtrum, & ut *obſequium* ſit bonum Dei, non ſequitur, Deum eſſe ſubiectum talis obſequij; ità in noſtro caſu pariformiter, nàm quod tatùm affectivè eſt alterius, non eſt intrinſecè in eo, ſed in illo, qui prorumpit in talem affectum; qui regulariter eſt unicè interpretativus, non verò formalis, & expreſſus in peccato mortali, ut conſtat ex ſæpè dictis. Ad 3. probat. eiuſdem min. diſt. mai.: illud eſt ſubiectum offenſæ, quod illam patitur verè, propriè, & intrinſecè, conc.; quod illam patitur ſolùm per extrinſecam denominationem, & in ſenſu purè grammaticali, neg. mai.; & ſimiliter diſt. min.; nàm Deo repugnat vera paſſio, & unicè dicitur pati offenſam eo modo, quo lapis dicitur paſſivè viſus, quin viſio, aut aliqua forma ex ea proveniens recipiatur in lapide. Ad ultimam probat. illius min. neg. mai.; quia eſſe ſubiectum verè, & propriè morale offenſæ eſt, vere, & propriè recipere, ſeù pati effectivè aliquod nocumentum ſaltèm morale, unde

de prudentes iudicent, & reſolutoriè, affirment, tale ſubiectum intrinſecè damnificari; quod nullatenus verificatur de offenſa peccati reſpectu Dei, ſed unicè eſſe terminum, vèl obiectum, erga quod tendit ille affectus interpretativus, vèl effectus conditionatus peccantis, qui ſolus verè ſe habet per modum ſubiecti recipientis.

29 Reſp. 2. ad argum. dato antec.; neg. cõſeq. tùm, quia ad effectum formalem ſimpliciter infinitum non ſufficit, quod forma ſit huiuſmodi; ſed requiritur etiàm, quod communicetur infinite, & ponatur in ſubiecto capaci: quod non verificatur reſpectu peccati, cui Maieſtas ſimpliciter infinita unitur tãtùm finitè, nempè media cognitione, & conatu finito peccantis; & ipſe actus peccati, utpotè in ſe finitus, eſt incapax infinitatis ſimpliciter. Tum, quia etiam Maieſtas Divina per modum formæ gravificaret peccatũ veniale, cùm iſtud quoque ſit verè offenſa Dei; & tamen, iuxta Adverſ., non reditur ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ; quia propter ſui levitatem eſt incapax talis infinitudinis: quæ incapacitas etiàm verificatur in peccato lœthali propter ipſius finitatem. Tùm denique, quia cùm illa ſubiectio moralis, & gravificatio per modum formæ iuxtà Adverſ., conſiſtat in eo quod peccatum reſpiciat Deum ut ſubiectum affectionis abſolutæ, & effectionis conditionatæ; & cùm iſtud, quoque verificetur ſimilitèr in actu charitatis ſub ratione obſequij Dei; ſiquidèm affectivè abſolutè, & effectivè conditionate tribuit Deo rationem ultimi finis; pari ratione actus charitatis gratificaretur à Deo per modum formæ, & eſſet infinitus ſimplicitèr in ratione obſequij: quod negant Adverſarij. Ex quibus poſſunt eformari retorſiones contrà arguentes.

30 Arg. 3.: privatio formę ſimpliciter infinitę eſt ſimplitèr infinita in ratione, & linea privationis; ſed peccatum lœthale ſub ratione offenſæ eſt in genere moris, ſeù in æſtimatione morali, privatio formæ ſimpliciter infinitæ: ergo. Prob. min.: tale peccatum privat Deum ratione ultimi finis; ſed hæc eſt ſimpliciter infinita: ergo. Prob. mai.: lœthaliter peccans ponit in creatura ſuum ultimum finem, quem debebat in Deo ponere: ergo. Conf. 1.: actio deſtructiva termini infinitè boni eſt gravitatis ſimplicitèr infinitæ; ſiquidem actio deſtructiva adæquatur in ratione mali cùm perfectione termini deſtruendi; ſed peccatum, mortale, quantum eſt de ſe, eſt deſtructivum

Dei,

Dei, qui infinitè bonus eſt: ergo. Prob. min.: quodlibet peccatum mortale, quantum eſt de ſe, Deum perimit; ut inquit D. Bernardus ſerm. 3. de Reſurrect. D.: ergo. Conf. 2.: illa offenſa eſt ſimpliciter infinita, per quam Deus offenditur quātùm offendibilis eſt; ſicùt illa viſio eſſet infinita, & comprehenſiva Dei, per quam videretur Deus quātùm viſibilis eſt; ſed per peccatum mortale offenditur Deus quantùm offendibilis eſt; ſiquidem non poteſt aliter offendi, quàm auferendo affectivè ab eo rationem ultimi finis, & eam conſtituendo in creatura: ergo.

31 Ad arg. admiſ. mai., neg. min.; ad cuius probat. diſt. mai.: peccatum mortale privat extrinſecè Deum ratione ultimi finis in actu ſecundo, quatenùs proùt talis actù non reſpicitur, conc.; privat intrinſecè Deum ratione ultimi finis in actu primo, ſeù jure quod habet ut ita reſpiciatur, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: ratio intrinſeca ultimi finis in actu primo, ſeù jus quod habet Deus ut omnia ad ipſum ordinentur tanquam ad finem ultimum, eſt ſimpliciter infinita, conc.; ratio extrinſeca ultimi finis in actu ſecundo, ſeù actualis finalizacio eſt ſimpliciter infinita, neg. min.; nàm alias etiàm peccatum veniale eſſet ſimpliciter infinitum in ratione offenſæ, ſiquidem actù non reſpicit, nèc ordinatur in Deum tanquam in ultimum finem; & meritum eſſet ſimpliciter infinitum in ratione obſequij, quia tribuit Deo rationem ultimi finis, ſeù ipſum reſpicit ſub ratione talis: ex quibus poteſt argum. retorqueri.

32 Ad 1. conf. admiſſa mai., neg. min.; tùm quia nèc adhùc affectivè explicitè, imò nec implicitè vult peccator deſtructionem Dei, nèc prudenter poteſt illud exiſtimari; ſiquidèm peccans mortaliter non facit aliquid, undè certò, vèl probabiliter noſcatur, proceſuram deſtructionem Dei, quæ neceſſariò noſcitur impoſſibilis. Tùm, quia eodem modo actus charitatis eſt ædificativus Dei (ut ita loquamur), quo peccatum mortale eſt illius deſtructivum; undè cùm actus charitatis non dicatur ità ædificativus Dei, ut contineat bonitatem moralem, vèl rationem obſequi infinitam ſimpliciter; nèc etiam peccatum mortale debet dici deſtructivum Dei, ità ut habeat gravitatem ſimpliciter infinitam. Vèl diſt. mai.: actio verè, & propriè deſtructiva termini infinitè boni, eſt gravitatis ſimpliciter infinitæ, conc. mai.; actio tan-

tùm affectivè deſtructiva, neg. mai., quia limitatur ex finitate affectus, ſeù ex modo finito tendendi in ipſum terminum; & diſt. min.: peccatum mortale eſt affectivè deſtructivum Dei, permit. min.; eſt verè, & proprie deſtructivum Dei, neg. min.; & conſeq..

33 Ad 2. conf. reſp. primò neg. mai.; nàm ſicut illa viſio, qua Deus videretur quantum viſibilis eſt, non in ſe, ſed à creatura, non eſſet ſimplicitèr infinita, quia modus infinitus intrinſecè repugnat creaturæ; ita cùm Deus ſolùm ſit offendibilis à creatura, quamvis hæc illum offendat quantum offendibilis eſt, eius offenſa nequit eſſe ſimplicitèr infinita. Reſp. 2. diſt. mai.: illa offenſa eſt ſimplicitèr infinita, per quam Deus offenditur quantùm offendibilis eſt ex parte modi offendendi, ſeù conatus offenſionis, permit. mai.; quantùm offendibilis eſt præcisè ex parte obiecti, neg. mai. (nàm per quemlibet actum charitatis diligitur Deus quantum diligibilis eſt ex parte obiecti, nempè ipſum ſuper omnia diligendo, & præponendo creaturis; & tamèn nullus actus charitatis adæquat diligibilitatem Dei, nèc eſt ſimplicitèr infinitus in ratione dilectionis, aùt obſequij;) & diſt. min.: per peccatum mortale offenditur Deus quantum offendibilis eſt ex parte obiecti, nempè auferendo affectivè ab ipſo rationem ultimi finis, permit. min.: quantùm eſt ex parte modi ipſum offendendi, vèl conatus offenſionis, neg. min.; & conſeq..

34 Arg. 4. ratione deſumpta ex D. Thoma quæſt. 28. de Verit. art. 2.: quicumque rem aliquam digniorem indigniori poſtponit iniuriam ei facit, & tantò amplius, quantò res poſtpoſita eſt dignior; ſed omnis mortaliter peccans poſtponit rem infinitè ſimplicitèr dignam rei in infinitum inferiori ipſa: ergo facit iniuriam, ſeù offenſam ſimplicitèr infinitam. Mai. conſtat: Tùm, quia iniuria, ſeù offenſa eò eſt maior, quò maioris dignitatis eſt res, quæ contemnitur; nàm eo ipsò ſicùt creſcit contemptus, ita augetur offenſa; ſed rem dignam indigniori poſtponi eſt illam contemni: ergo quò dignior eſt res poſtpoſita, eò maior eſt illius offenſa, ſeù iniuria. Tùm, quia ideò offenſa irrogata equiti eſt maior, quàm quæ irrogatur plebeio, & minor, quam quæ irrogatur Regi, quia maior, vèl minor eſt dignitas rei poſtpoſitæ, & contemptæ; unde iudicium prudentum tales offenſas ponderat unicè ex incremento dig-

ni-

nitatis offenſæ, vel iniuriatę: ergo. Min. eſt evidens; cùm Deus ſit, quem omnis mortaliter peccans poſtponit creaturæ, ad quam depravato affectu convertitur. Conſeq. autem videtur legitima.

35 Reſp. 1. inſtando argum.: qui rem digniorem indigniori poſtponit, malè moraliter operatur, & tantò ampliùs, quantò res poſtpoſita eſt dignior; ſed omnis mortaliter peccans poſtponit rem infinitè digniorem; nempè Deum, rei infinitè minus dignæ, nempè creaturæ: ergo malè infinitè ſimpliciter operatur: ergo facit malum ſimpliciter infinitum; ac proindè peccatum mortale erit ſimpliciter infinitum etiàm in ratione malitiæ: quod negant Adverſ., qui, quod reſpondeant ad inſtantiam noſtram, ad ſuum argum. pro ſolutione accipiant. Reſp. 2. directè diſt. mai.: qui rem aliquam digniorem indigniori poſtponit, iniuriam ei facit, & tantò ampliùs, quantò res poſtpoſita eſt dignior, ſervata quadam proportione geometrica lata, & impropria; deſumpta partialiter, & inadęquatè ex parte rei poſtpoſitæ, ac ſimùl ex alijs comprincipijs ipſius poſtpoſitionis, conc. mai.; ſervata proportione arithmetica, vèl geometrica ſtricta, & rigoroſa, deſumpta præcisè, & adęquatè ex dignitate rei poſtpoſitæ, quæ ſola ſit menſura offenſæ, ſeù iniuriæ, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſeq., quæ non infertur, ſed unicè, quòd peccatum mortale in ratione offenſæ, ſit infinitum ſecundùm quid, extrinſecè, & terminativè, ita ut excedat omnes offenſas irrogabiles creaturis. Quod, & non ampliùs videtur intendere Ang. Doct.; tùm, quia non abſolutè ſimpliciter, aùt ſine reſtrictione aſſerit infinitatem offenſæ, ſed cùm reſtrictione nempè: *ex parte dignitatis eius, cui per peccatum quodammodò iniuria fit*; & alibi ait: *Peccatum contrà Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate Divinæ Maieſtatis.* Tùm, quia in 4. d. 15. q. 1. art. 2. ad 1. inquit: *Sicut offenſa habuit quandam infinitatem ex infinitate Divinæ Maieſtatis; ita & ſatisfactio habet quandam infinitatem ex Divina Miſericordia, prout eſt gratia informata.*

36 Replic.: nihil eſt in peccato, vi cuius non poſsit ſuſcipere gravitatem ſimpliciter infinitam in ratione offenſæ, iuxtà dignitatem Perſonæ iniuriatæ: ergo creſcit arithmeticè, vèl geometricè ſtrictè, & rigoroſè. Prob. antec.: illud impedimentum eſſet finitudo cognitionis, & cona-

tus; ſed licèt finitas cognitionis, & conatus offendentis limitent phyſicè offenſam, ſecùs tamèn moralitèr, & in ſenſu quæſtionis: ergo. Prob. min. primò: cognitio, & conatus offendentis non ita limitant offenſam, ut offendens non cognoſcat ſe ſuo conatu poſtponere rem dignitatis ſimpliciter infinitæ rei in infinitum inferiori: ergo non obſtat, quominùs offenſa evadat moraliter infinita. Prob. conſeq.; quod non obſtat conceptui, in quo formalitèr ſtat infinitas moralis offenſæ, non obſtat quominùs offenſa ſuſcipiat talem infinitatem, ſed conceptus infinitatis moralis offenſæ conſiſtit formaliter in illa poſtpoſitione: ergo ſi cognitio, & conatus non impediunt, quòd offendens cognoſcat ſe ſuo conatu rem ſimpliciter infinitè dignam poſtponere rei in infinitum inferiori; nèc etiàm impediunt infinitatem moralem offenſæ.

37 Prob. ſecundò illa min.: maior cognitio, & conatus non arguunt maiorē offenſam; tùm, quia unicè arguunt maiorem malitiam; tùm, quia magnitudo offenſę ſolùm penſatur ex magnitudine rei iniuriatę, & vilitate iniuriantis: ergo. Prob. 3. eadem min.: fingamus, quod unus Deus alium Deum offenderet, in caſu chymærico exiſtentiæ utriuſque, tunc illa offenſa eſſet infinita ſimpliciter; ſed non eſt levior, imò gravior eſt offenſa, quæ contrà Deum committitur à creaturà, quàm eſſet illa, quæ ab altero Deo ficto eſſet commiſſa: ergo finitudo cognitionis non ſolùm non minuit, quin potiùs aggravat offenſam. Mai, conſtat; quia offenſa alterius Dei eſſet contrà perſonam infinitam, & infinito conatu perpetrata. Prob. min.: offenſa eò maior eſt æſtimatione prudentum, quò à perſona viliori contrà digniorem committitur; nàm ideò offenſa à plebeio commiſſa contrà Regem eſt gravior, quàm ea quæ ab alio Rege committeretur; ſed offenſa creaturæ contrà Deum procedit à perſona in infinitum viliori, quàm eſſet perſona alterius Dei, qui in prædicta hypoteſi verum Deum offenderet: ergo eſt gravior, quàm offenſa talis Dei. Prob. denique illa min.: inferioritas ordinis reperta in conatu, & cognitione offendentis non obſtat ſuperioritati ordinis repertę in offenſa: ergo nèc finitudo conatus, & cognitionis obſtabit infinitati offenſæ.

38 Ad replic. neg. antec., & concel. mai. probat., neg. min.; ad cuius 1. probat. admiſſo antec., neg. conſeq.; &

con-

concef. mai. probat., neg. min.; quia in omni peccato mortali reperitur contemptus, vèl formalis, vèl interpretativus, & poſtpoſitio Dei reſpectu creaturæ; quæ tamèn poſtpoſitio, vèl contemptus non eſt ſimplicitèr infinitus, nèc æqualis in omnibus peccatis, ſed maior, vèl minor, iuxtà modum, & cauſam ipſius contemptus, vèl poſtpoſitionis, ut patet ex probationibus concluſionis. Ad 2. probat. illius min. neg. antec., cuius prima probat. falsò ſupponit diſtinctionem malitiæ ab offenſa. Sed, illa diſtinctione admiſſa, negamus quòd maior cognitio, & conatus ſolùm augeant malitiam, ſiquidèm etiam augent offenſam, quæ tantò eſt maior, quantò eſt magis voluntaria. Secunda probat. illius antec. ſupponit etiàm falsò, quòd ſola maieſtas perſonæ iniuriatæ, & vilitas iniuriantis concurrant ad gravitatem offenſę; ſiquidèm ad eam conferunt cognitio, conatus, & alij tituli tribuentes iuſtam rationem maioris indignationis, & exigendi maiorem ſatisfactionem; quæ omnia poſſunt ſtare cùm eàdem maieſtate perſonæ offenſæ, & vilitate offendentis.

39 Ad 3. probat. illius min. admiſſa illa hypoteſi adeò chymerica (nedùm propter repugnantiam alterius Dei, ſed etiàm propter impoſsibilitatem offenſę ab eo commiſſæ; ſiquidem ſi poſſet peccare, non eſſet Deus, ac proinde illa hypoteſis per locum intrinſecum eſt implicatoria, & ex illa ſequitur quodlibet, nempè quòd eſſet, & non eſſet maius peccatum alterius Dei), neg. min., ſcil. quòd offenſa alterius Dei non eſſet gravior, quàm offenſa creaturæ; quia & eſſet poſtpoſitio Dei reſpectu vilisimæ creaturæ, & procederet modo infinito ſimplicitèr; & licèt, cæteris paribus, eò maior ſit offenſa, quò dignior eſt perſona iniuriata, & vilior perſona offendens; non tamèn univerſalitèr, abſolutè, nulla limitatione adhibita, ſeù quamvis cætera non ſint paria; quoniàm ſi homo vilis nollet vereri Miniſtros Regis, Regem offenderet, & tamèn non ità gravitèr ſicùt Dux committens proditionem contrà ipſum Regem, & ſic de alijs: imò quò perſona offendens eſt excellentior, & obligatior reverendi alteram, eò ex tali capite gravior eſt offenſa commiſſa contrà illam. Ad ult. probat. illius min. diſt. antec.: inferioritas ordinis reperta in conatu, & cognitione non obſtat ſuperioritati ordinis offenſæ, ex parte perſonæ iniuriatæ, & reſpectivè ad offenſas irrogatas creaturis, conc.; ſimplicitèr,

& ex omni capite, àc reſpectu cuiuslibet ſatisfactionis, vèl obſequij Deo à creatura præſtabilis, neg. antec. (nàm licèt talis ſuperioritas ordinis concedatur à Ieſuitis, negatur tamèn à Scotiſtis, ut probabimus in tract. de Incarnat.) & diſt. ſimiliter conſeq.: nèc finitudo conatus obſtabit infinitati negativæ ſecundùm quid, extrinſecæ, terminativæ, ſeù ex parte perſonæ iniuriatæ, conc.; infinitati poſitivæ, intrinſecæ, & ſimplicitèr tali, repertæ in offenſa, neg. conſeq.

40 Arg. 5.: cauſa efficiens, continens moralitèr effectum infinitum, non poteſt non eſſe infinita in genere moris; ſed peccatum mortale in ratione offenſæ continet efficienter moralitèr infinitum effectum, nimirùm pœnam infinite acerbam, quam meretur: ergo. Conf. 1.: peccatum lœthale ad eius condignam ſatisfactionem exigit obſequium valoris ſimplicitèr infiniti: ergo illud eſt ſimplicitèr infinitum in ratione offenſæ. Conf. 2.: poſſunt dari meritum, & ſatisfactio infinita ſimplicitèr, uti fuerunt in Chriſto D.: ergo etiam poteſt dari demeritum, peccatum, & offenſa infinita. Prob. conſeq.: ſicut ſatisfactio creſcit ad incrementum perſonæ ſatisfacientis, ità ſimiliter gravitas offenſæ creſcit ad incrementum dignitatis perſonæ offenſæ: ergo.

41 Ad arg. reſp. ex D. Thoma cit. num. 17., & ex Subt. Doct. in 3. d. 19. q. un., & in 4. d. 50. q. 6. in fine, conceſ. mai., neg. mia.; quia peccato lœthali non correſpõdet pœna infinita ſimpliciter, & in intenſione, aùt acerbitate; ſed tantum ſecundùm quid, & in dutatione; imò hæc, iuxtà Gonet ex D. Thoma., correſpondet, & inducitur per ſe ex peccato ſecundùm rationem intrinſecam malitiæ: unde ſi argum. teneret, probaret infinitatem peccati ſecundùm talem rationem, quod negant communitèr Adverſ.. Ad 1. conf. neg. antec., cuius falſitas probabitur in tract. de Incarnat.. Ad 2. conf. neg. etiàm antec., propter dicenda ibi. Vel dato antec., neg. conſeq.; quia alitèr creſcit meritum ex dignitate perſonæ merentis, àc offenſa ex dignitate perſonæ offenſæ; ſiquidem gravitas iniuriæ, ſeù offenſæ habet unde limitetur ex circunſtantia perſonæ, cùm non penſetur ex dignitate perſonæ ſecundùm ſe conſideratę, ſed proùt cognitæ quæ cognitio cùm ſit finita, & limitata, limitationem quoque cauſat in offenſa, adhùc ex tali circunſtantia; àt actus meritorius ad hoc ut dignificetur à

per-

perſona, non habet unde limitetur ex tali præcisè circunſtantia, quia perſona concurrit ad valorem, & æſtimationem operis abſolutè, & ſecundùm ſe conſiderata, non verò ut cognita. Per quod patet ad probat. illius antec.

QUÆSTIO III.

An homo in ſtatu naturæ lapſæ poſsit peccare priùs venialitèr, quàm mortalitèr.

1 POtuiſſe hominem in ſtatu innocentiæ peccare priùs venialitèr, quàm mortalitèr, reſolutum, & probatum manet in tract. *de Statibus naturæ humanæ*; nùnc autèm, tanquàm in opportuniori loco, inquirimus: an illud poſsit etiam evenire in ſtatu naturę lapſæ? Quę difficultas ſub alijs titulis ſolet proponi: an ſcil. poſsit peccatum veniale cùm ſolo originali coniungi, vèl reperiri? Seù, àn homo dùm primò pervenit ad uſum rationis debeat iuſtificari; aùt permanens in originali poſsit priùs peccare venialitèr, quàm mortalitèr? Vèl, utrum omnis homo in primo inſtanti uſus rationis teneatur ſub mortali ſe convertere ad Deum; ità ut ſi ſe convertat, iuſtificetur; & ſi non ſe convertat, peccet mortalitèr; àc proinde peccatum veniale nequeat cum ſolo originali componi, nèc poſsit homo peccare priùs venialitèr, quàm mortalitèr? Pro cuius reſolut. advertimus, quòd ſtatus uſus rationis non eſt idem àc ſtatus, & potentia diſcurrendi aliquantulùm, ſiquidèm amentes, & pueruli non omni diſcurſu carent, & tamèn non habent uſum rationis, ita ut nèc venialitèr peccare poſsint; ſed per ſtatum uſus rationis intelligitur ille, quo iàm homo poteſt inter moralitèr bona, & mala diſcernere, quamvis adhùc neſciat intèr omnia bona, & mala iudicare; ſatis enim eſt, ut intèr aliqua iudicare ſciat, ad hoc ut uſum rationis, & ſi non omninò perfectum, & completum habeat.

2 Concluſ.: in ſtatu naturæ lapſę poteſt homo, ſivè iuſtificatus, ſivè peccato originali infectus, peccare priùs venialitèr, quàm mortalitèr, Ita Seraph. Doct. in 4. d. 21. art. 1. quęſt. 1.; & colligitur ex Subt. in 2. d. 21. q. 1. docente, primum peccatum hominis in ſtatu innocentiæ potuiſſe eſſe veniale; ſiquidèm rationes illud probantes evincunt à fortiori, poſſe idem contingere in ſtatu naturę lapſæ, in quo non ita perfectus eſt uſus rationis; nèc opinio oppoſita eſt adhùc problema

apud Subt. Doct., proùt ipſi tribuit N. Vega in Trident. lib. 9. cap. 42. ubi aſſerit non eſſe improbabilem opinionem S. Thomæ, & ſuorum ſequacium tenentium, quemlibet pro principio uſus rationis teneri ſub mortali ſic ſe convertere ad Deum, vèl formaliter, vèl virtualiter, ut conſequatur Dei gratiam; non verò aſſertivè tenet talem ſententiam, àc proinde Vega non benè à Gonet citatur pro illa. Concluſ. noſtram ſuſtinent ſcotiſtæ, Ieſuitę, àc nonnulli Thomiſtæ, contrà communiorem Thomiſtarum opinionem.

3 Prob. primò concluſ.: pueri priùs perveniunt ad ſtatum uſus rationis, & deliberationis imperfectæ, quàm perfectæ: ergo poſſunt priùs peccare venialiter, quàm mortaliter. Antec. patet; quia diſpoſitio organorum, per quam pervenitur ad uſum rationis, non fit in inſtanti, ſed diviſibiliter, & ſucceſivè; atque adeò priùs pervenitur ad potentiam expeditam deliberandi imperfectè, quàm perfectè; ſicut in omni motu priùs pervenitur ad terminum imperfectum, quàm perfectum. Conſeq. eſt legitima; quia cùm ad peccandum venialiter ſufficiat deliberatio imperfecta, & ad peccandum mortaliter requiratur perfecta, poterunt, imò frequentius pueri peccabunt priùs venialiter, quàm mortaliter. Conf.: communis doctrina concedit in ſemidormiente, vèl ſemiebrio libertatem ad peccatum veniale ſufficientem, & non ad mortale; ſed id, quod in illis contingit ratione ſomni, aùt ebrietatis, accidit etiàm in pueris ratione imbecillis ætatis, in qua ſunt veluti in ter ſomnum, & vigiliam rationis, àc libertatis: ergo. Urg.: dato, quòd quis primò perveniat ad ſtatum perfectum rationis, poteſt contingere quòd prima deliberatio ei occurrens ſit imperfectà; proùt nobis etiàm contingit exiſtentibus in perfecta ętate: ergo peccatum veniale poteſt præcedere mortale.

4 Reſp. Gonet cùm caietano, quòd licèt habens in habitu; ſeù in actu primo facultatem plenè, & perfectè deliberandi, poſsit venialiter peccare ex imperfecto exercitio talis facultatis, ſeù ex ſemiplena deliberatione, uti evenit in ſemidormientibus, aùt ſemiebrijs, vèl etiàm in alijs, quibus deliberatio tantùm imperfecta occurrit; tamèn pueri nondùm habentes talem facultatem plenè, & perfectè deliberandi, & ſi forte aliquem uſum imperfectum libertatis, & rationis poſsint habere, non ſunt capaces peccandi

candi venialitèr, quia non peccatur venialitèr absque libera facultate dominandi super singulos motus, quæ facultas absque plena libertate non est. Sed contrà 1. solum exercitium imperfectum deliberationis conducit per se ad peccandum venialitèr; facultas autèm perfectè deliberandi purè in habitu, seù in actu primo, impedita tamèn in actu secundo, se habet per accidens, & quasi non esset ad venialitèr peccandum: ergo si pueri habent exercitium imperfectum deliberationis, licet careant facultate plenè deliberandi, sunt capaces peccandi venialitèr; & consequentèr retponſ. data non tenet. Antec. patet; tùm quia peccatum veniale provenit præcisè ex eo, quod peccans habet actù semiplenam deliberationem, non verò ex eo quòd habeat facultatem impeditam plenè deliberandi. Tum, quia quod est impeditum, per accidens se habet, & quasi non esset actù.

5 Contrà 2.: exercitium imperfectum rationis, & libertatis constituit opus absolutè in genere moris, & capax malitiæ, præcisivè à facultate impedita plene deliberandi, sicùt præcisivè ab ipsa est exercitium deliberationis, quod est fundamentum moralitatis: ergo. Contra 3.: ad peccatum venialitèr sufficit facultas dominandi super illum motum, quem non cohibendo, cùm peccans posset cohibere illum, committit tale peccatum; siquidèm hoc sufficit ad exercitium liberum: ergo sine fundamento dicitur, quòd requiratur facultas dominandi super singulos motus. Contrà 4.: sicut semidormientes, & semiebrij habent facultatem plenè deliberandi impeditam ab extrinseco, nempè ab ebrietate, vèl somno, ità pueri illam habent impeditam ab intrinseco, scil. ex indispositione organorum; sed quòd tale impedimentum sit ab intrinseco, vèl ab extrinseco, de materiali, & impertinentèr se habet ad hoc, ut verificetur exercitium imperfectum deliberationis, & sufficiens ad peccandum venialiter, non verò mortalitèr: ergo impertinens est disparitas tradita ab Advers..

6 Prob. secundò concluſ. impugnando præcipuum fundamentum contrar.: non ità tenetur homo se ad Deum convertere statim àc pervenit ad usum rationis, ut nequeat peccare prius venialiter, quàm mortaliter, aùt non posit coniungi peccatum veniale cùm solo originali: ergo id potest ità contingere. Conseq. legiti nè infertur, quia illud est fundamentum præcipuum Adverſ.

Prob.

Prob. antec.: homo non tenetur elicere actum charitatis, ſeù converſionis erga Deum ut ultimum finem, in primo inſtanti Phyſico, mathematico, aùt indiviſibili uſus rationis, morali, & claudente aliquod ſpatium temporis, ſicùt congruit fragilitati humanæ, & ſuavitati providentiæ Divinæ; proùt fatentur etiam Adverſ.; ſed hoc ipſo non ità obligatur tali præcepto ſtatim ac pervenit ad uſum rationis, ut nequeat peccare priùs venialiter, quam mortaliter: ergo. Prob. min.: intrà illud inſtans morale, ſeù ſpatium temporis poterit homo elicere actum peccaminoſum in materia levi, vèl etiàm in gravi ſed cùm imperfecta deliberatione; ſed illud erit peccatum veniale: ergo. Mai. conſtat; quia nulla in eo apparet repugnãtia. Prob. min., & ſimùl impugnatur reſponſ. Gonet ex Caietano: ideò illud non eſſet peccatum veniale, ſed mortale, quia tale tempus eſt conceſſum homini ad deliberandum quam primò poſsit de converſione ſui in ultimum finem, quod ſi libere retardaret, aùt impedimentum apponeret, peccaret mortaliter non minùs ac non adimplendo præceptum dilectionis Dei tranſacto illo tempore, ſeù inſtanti morali; ſed hoc eſt falſum, & nimis durum: ergo.

7 Prob. min. primò: falſum, & nimis durum eſt, quod homo ſtatim ac pertingit ſtatum uſus rationis teneatur cum tanta preſſura, & ſeveritate ad deliberationem converſionis ſui in ultimum finem, ut etiàm modica diverſio, ſeù parva retardatio talis deliberationis ſit peccatũ mortale, ſicùt foret non adimpletio illius præcepti poſt perfectam talem deliberationem; ſed homo in illo inſtanti morali poſſet ita loqui verbum otioſum, aùt proferre leve mendacium, ut eſſet modica diverſio, ſeù retardatio deliberationis neceſſariæ ad illam converſionem: ergo falſum, & nimis durum eſt, quòd tale verbum otioſum, aùt leve mendacium eſſet peccatum mortale. Prob. 2. illa min.: falſum, & nimis durum eſt, quòd abſque notitia obligationis ſub peccato mortali, & ſine perfecta deliberatione detur peccatum mortale; ſed puer perveniens ad ſtatum uſus rationis poſſet, imò regulare eſt, non illicò advertere illam adeò ſtrictam obligationem ſub peccato mortali, nec ſtatim habere perfectã deliberationẽ; tùm ob defectum iudicij, & reflexionis; tùm, quia pueri in illa ætate faciliùs attendunt ad materias leves, quam graves: ergo. Prob. 3. eandem min.: puerum ſtatim ità ſtrictè teneri ad deliberandum

dum quam primò de converſione ſui ad ultimum finem, ut quælibet diverſio, ſcù retardatio ſit peccatum mortale, eſt ipſum teneri ad talem converſionem, non tantùm in primò inſtanti morali, ſed etiam in quolibet inſtanti Phyſico illius temporis; ſed hoc eſt falſum, & valde durum, adhùc iuxta Adverſ.: ergo.

8 Conf. 1. ex Subt. Doct. in 4. d. 17. q. un. art. 2., iuxta quem peccator ſtatim poſt peccatum commiſſum non tenetur ſe convertere ad Deum per contritionem: ergo nèc puer ſtatim àc pervenit ad uſum rationis tenetur ſe convertere per charitatem, ità ut nequeat ſe ad alia divertere in quibus peccet venialitèr, vèl coniungat veniale cum ſolo originali. Conſeq. patet; quia non minor apparet obligatio ad ſe purgandum à peccato actuali commiſſo, quam ab originali; nèc maior ratio videtur intereſſe in uno caſu, quàm in alio. Conf. 2. præceptum Conc. Trident. de eo quòd Sacerdos, qui ſentiens ſe gravatum peccato mortali, & non habens copiam confeſſarij, accedit contritus, & non confeſſus ad celebrandum ſacrificium Miſſæ urgente neceſsitate celebrandi, teneatur quamprimùm confiteri; non obligat ipſum cùm tanta preſſura, & rigore; ut immediatè; & celebrationem debeat Confeſſarium perquirere, & confeſsionem facere, ità ut peccet mortaliter in qualibet brevi mora, ſi ſe divertat aliquantulùm ergà alia: ergo licet homo perveniens ad uſum rationis teneatur *quamprimùm*, *ſtatim*, *mox*, *incontinenti*, *valdè citò* ſe convertere ad Deum per charitatem; tamèn hoc præceptum non obligat illum cùm tanto rigore, ut quævis dilatio, vèl diverſio ſit peccatum mortale; àc proinde &c. Antec. patet; quia ly *quamprimum* non debet accipi phyſicè, aùt mathematicè, ſed moralitèr, & cùm aliquali latitudine; ita ut ad triduum poſsit extendi; proùt ex Iuriſtis, & Theologis docet P. Viva ſuper propoſ. 39. damnatam ab Alex. VII. conſeq. infertur legitimè à paritate; & quia illæ voces non habent determinatam ſignificationem, ſed ex diverſitate materiæ, de qua agitur, & ratione circunſtantiarum, ſumuntur diverſimodè, ut docent communitèr Iuriſt.

9 Prob. 3. concluſ.: vèl homo in primo inſtanti uſus rationis tenetur ſe convertere explicitè in Deum, ut authorem, & finem ſupernaturalem; vel ut authorē, & finem naturalem, ſivè explicitè, ſive implicitè ſaltèm, & virtualitèr

per

per electionem boni honesti, & propositum vivendi secundum rectam rationem; sed primum est falsum in sensu, quem Adversi. prætendunt; & quamvis secundum sit verum, non salvat assumptum ipsorum: ergo. Prob. prima pars min.: conversio explicita, & formalis in Deum ut finem supernaturalem requirit præviam aliorum instructionem, & cordatam ipsius pueri reflexionem, quæ nequit fieri in instanti, sed exigit processum temporis, in quo poterit puer peccare venialitèr: ergo illa conversio non obligat ipsum in primo instanti ità, ut peccatum veniale nequeat præcedere transgressionem illius præcepti, proùt intendunt Adversi. Prob. 2. pars min.: conversio, sivè implicita, sivè etiàm explicita, ad Deum ut finem naturalem, non est sufficiens ad iustificandum hominem à peccato originali; siquidèm iustificatio non fit nisi per actum supernaturalem; sed hoc ipso poterit peccatum veniale coniungi cùm solo originali, quod intendunt Adversi. præcavere: ergo quamvis illud sit verum, non salvatur eorum assumptum. Præterea: conversio explicita ad Deum, ut authorem, & finem naturalem, debet haberi, vèl per aliorum instructionem, vèl per proprium discursum; & investigationem à visibilibus mundi ad eorum creatorem; sed hoc requirit spatium temporis, intrà quod poterit committi peccatum veniale: ergo. Ulteriùs: conversio adhùc implicita ad Deum, ut finem naturalem, virtualitèr contenta in amore efficaci boni honesti in communi, requirit plenam, & perfectam advertentiam, & deliberationem; sed hæc advenit successivè in tempore, intrà quod datur aliqualis usus rationis sufficiens ad peccandum venialitèr, ut patet ex dictis: ergo.

10 Arg. 1. datur præceptum naturale diligendi Deum super omnia, & nos convertendi in ipsum, ut est manifestum; sed nullum aptius, & opportunius tempus potest assignari ad obligationem, & observantiam talis præcepti, quàm primum instans usus rationis: ergo obligat pro illo instanti; & consequenter si tunc adimpletur, iustificatur homo à peccato originali, & si non adimpletur, peccat mortaliter; ac proindè peccatum veniale nequit coniungi cùm solo originali. Prob. min. primò: in primo instanti usus rationis lex naturalis intimatur homini mediante syndaresi, & lumine naturali; ac proindè tùnc primò incipit obligare; sed præceptum diligendi Deum su-

per

pèr omnia eſt primum quod continetur in lege, iuxtà illud D. Math. cap. 22.: *Diliges Dominum Deum tuum :: Hoc eſt maximum, & primum mandatum* : ergo. Prob. ſecundò eadem min.: tale præceptum eſt finis omnium præceptorum, & totius legis, iuxtà illud Apoſt. Epiſt. 1. ad Timoth. cap. 1. *Finis autem præcepti eſt charitas*; ſed finis debet eſſe prior in amore, & intentione, utpotè propter quem cœtera diliguntur: ergo. Prob. 3. illa min.: homo in primo inſtanti uſus rationis ingreditur moraliter in mundum, & incipit viam vitæ humanæ; ſed qui incipit aliquod longum iter, iuxtà dictamen rationis, & prudentiæ, debet in initio præſtituere ſibi aliquem terminum, & proponere fixum ſcopum, nè exponatur periculoſo errori; cùm parvus error in principio ſit maximus in fine: ergo.

11 Ad arg. conceſ. mai. neg. min.; quia tempus opportunum ad obligationem, & obſervantiam illius præcepti eſt quidem initium vitæ rationalis, ſeù ſpatium illud proximum perfecto uſui rationis cùm diſtincta cognitione Dei, & aliorum quæ requiruntur ad illius obſervantiam, & obligationem, ita ut admittat aliquam latitudinem congruentem fragilitati humanæ, & ſuavi providentiæ Dei, non tamen diuturnam dilationem; primum autem inſtans uſus rationis, nèc phyſicè, nèc moraliter ſumptum cùm ea brevitate, preſſura, & reſtrictione, cùm qua explicatur ab Adverſ., non eſt tempus aptum ad obligationem, & obſervantiam talis præcepti, prout congruit humanæ fragilitati, & ſuavi Dei providentiæ. Vel diſt. min. nullum tempus aptius poteſt aſsignari ad obligationem, & obſervantiam illius præcepti, quam primum inſtans uſus rationis ſumptum pro ſpatio temporis proximo, & non diuturno poſt ingreſſum vitæ rationalis, conc. min.; quam primum inſtans, ſumptum pro ipſomet ingreſſu phyſico, vel morali ità brevi, ſeù inſtantaneo uſus rationis, proùt adſtruitur à contrarijs, neg. min.; & diſt. conſeq. obligat pro illo inſtanti phyſico, vel morali adeò brevi, ut non admittat aliquam dilationem, neg.; pro illo inſtanti includente aliquod ſpatium temporis ſubdiſt.: Suppoſita diſtincta cognitione Dei, & notitia talis præcepti ut obligantis pro illo tempore, conc.; deficiente tali notitia, neg. conſeq., & illatum ex ipſa; ſiquidèm intra illud ſpatium temporis poterit occurrere tranſgreſsio levis, quæ coniungatur cum ſolo peccato originali.

Ad

12 Ad 1. probat. min. diſt. mai.: in primo inſtanti uſus rationis intimatur lex naturalis inchoativè, imperfectè, incipiendo à levioribus primò occurrentibus, & diſcernibilibus pro illa ætate, conc.; intimatur perfectè cùm plena cognitione, & ſub obligatione gravi quoàd præcepta etiam gravioris momenti (uti eſt converſio in ultimum finem), ſubdiſt.: intimatur, ut adimplenda pro tempore urgentiæ talis precepti, tranſeat mai.; intimatur, ut obligans ſub mortali pro illo præcisè inſtanti, & ſine aliqua adhuc levi dilatione, ſeù latitudine; ac proindè quoàd tale præceptum tùnc incipit graviter obligare pro illo determinato inſtanti, neg. mai.; & diſt. min.: præceptum diligendi Deum eſt primum, primitate dignitatis, & excellentiæ, quod continetur in lege, conc.; primitate executionis, vèl adimpletionis, neg. min.; quia prout ſic prius eſt credere in Deum, quàm diligere ipſum; imò ſunt alia præcepta pueris prius obvia, & ab eis priùs adimplenda.

13 Ad 2. probat. eiuſdem min. diſt. mai.: tale præceptum eſt finis ex parte operis, ſaltèm virtualitèr, & remotè, omnium præceptorum, & totius legis, conc.; eſt finis præcisè ex parte operantis, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: finis operantis, ſeù quem operans actu reſpicit, & intendit, debet eſſe prior in amore, & intentione, utpotè propter quem cætera diliguntur, conc.; finis tantùm operis maximè qui ſit unicè virtualitèr, & remotè talis, debet eſſe prior in intentione, & amore, neg. min., & conſeq.. Videantur dicta in tom. 4. diſp. 1. quæſt. 2., ubi explicati ſunt varij modi ordinationis mediorum in finem. Ad 3. denique probat illius min. conceſ. mai.; diſt. min.: qui ex propria, ac prævia deliberatione incipit longum iter motus à fine, & termino, quem cognoſcit antequàm ſe conſtituat in via, & eligat ipſam; debet in initio ſibi præſtituere aliquem terminum, conc. min.; alitér, neg. min., & conſeq.; quia homo non ex propria, & prævia electione, ſed ex diſpoſitione naturali incipiat viam vitæ rationalis, nec ipſam ingreditur motus à Deo tanquam à fine converſionis, nèc ipſum poteſt cognoſcere niſi conſtitutus iam in via vitæ rationalis, & humanæ; ac proinde non tenetur ſibi proponere talem finem in primo inſtanti, ſed poſtmodùm quamprimum poſit.

14 Arg. 2. ſtatim ac aliqua lex ſufficienter promulgatur alicui, tenetur illam acceptarè, amplecti, & proponere vi-

vivere ſecundum illam, ſaltèm in communi; ita ut niſi ita faciat, peccet mortaliter; ſed homini in primo inſtanti morali uſus rationis intimatur à Deo lex naturalis, dictans bonum honeſtum eſſe ſequendum, & præferendum utili, ac delectabili: ergo in illo inſtanti tenetur homo ſe ſubijcere tali legi, & deliberatè ſequi honeſtum, àc rationi conſonum; quod eſt ſe convertere virtualiter, & implicite in Deum: ergo ſi hoc non facit, peccat mortaliter: & ſi facit, iuſtificabitur; àc proindè nequit peccatum veniale coniungi cùm ſolo originali. Prob. min.: S. S. Patres, præſertim D. Cyrillus illud Evang. D. Joan. cap. 1. *Illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*: intelligunt de illuminatione in primo inſtanti uſus rationis, in quo homo dicitur venire moraliter in mundum, quia tùnc primò incipit vivere ut homo; ſed talis illuminatio fit per intimationem legis naturalis dictantis ſequelam boni, & fugam mali: ergo.

15 Conf. 1. cùm Deus prædicto modo illuminat primò hominem, oſtendendo ei ſuam legem naturalem, tùnc quaſi notificat illi dominium morale, quod habet in ipſum, & ſumit poſſeſſionem humanæ voluntatis, quæ ex tùnc debetur ipſi: ergo ex tunc tenetur ipſa voluntas amplecti talem legem, & eius obedientiæ ſe ſubmittere; quia ſine hac ſumiſſione non poſsidetur moraliter à Deo, neque Deus in eam exercet ſuum morale dominium. Nunc ſic: ſed talis ſubmiſsio fit per electionem boni honeſti, ſeù propoſitum vivendi ſecundum dictamen rectæ rationis, aùt per deliberationem ſequendi bonum honeſtum, & conſonum rationi; quod eſt hominem ſe convertere, ſaltèm implicitè, in Deum, & ſe ſubijcere eius dominio: ergo. Conf. 2. Angelus in primo iuſtanti ſuæ libertatis fuit adſtrictus præcepto diligendi Deum, & ſe convertendi in ipſum: ergo etiàm nos in noſtro primo inſtanti morali uſus rationis tenemur ad ſimilem converſionem, eo modo quo in illa ætate ſumus capaces, nempè explicitè, vel ſaltèm implicitè, ſecundùm illuminationem, quæ tùnc nobis datur à Deo. Patet conſeq.; quia eadem ratio militat utrobique, nempè quòd omnis creatura rationalis, ubi exercet dominium ſuæ voluntatis, tenetur ſe ſubmittere ſuo creatori, & primum amorem illi conſecrare, veluti primum fructum, ſeu primitias ſuæ libertatis, ſivè penſionem pro beneficio creationis.

Ad

16 Ad arg. poteſt neg. mai.; nàm quando fertur lex aliqua certo tempore ſervanda, non ſtatim àc illa promulgatur, tenetur quis elicere actum poſitivũ, ſeù propoſitũ obſervãdi illã, ſed ſufficit quod nõ eliciat actum contrarium, & eam ſervet ſuo tempore. Vel diſt. mai.: ſtatim, id eſt, quamprimum, ſeù abſque diuturna dilatione, àc lex promulgatur alicui, tenetur eam acceptare &c. conc.; ſtatim id eſt, in ipſo inſtanti, & abſque ulla latitudine, ita ut ſi adhùc levitèr, vèl ex levi diſtractione differat eam acceptare, aut ei ſe ſubmittere, peccet mortaliter, etiamſi invincibiliter ignoret talem obligationem ſub mortali, neg. mai.; & admiſſa min., neg. primam conſeq.; tùm, quia ſufficit quod pro tùnc non contradicat tali legi, & poſteà illam ſervet ſuo tempore; tùm, quia illa ſubiectio, & diliberatio non obligat cum tanta preſſura, ut præcisè in illo primo inſtanti ſit neceſſario adimplenda. Et licet illa ſit ex parte operis converſio virtualis in Deum, non tamen ex parte operantis; qualiter videtur intendi a Thomiſtis. Neg. etiam ſecunda conſeq.; tum, quia licet adſit, & promulgetur ſufficienter tale præceptum ut obligans pro illo inſtanti non proponeretur ſub tali obligatione, & adeò ſtricta, ut eius tranſgreſſio ſit mortalis etiam in materia levi, aùt cum imperfecta deliberatione, uti in illo primo inſtanti poſſet contingere; nàm illud eſſet nimis durum, & regidum, tum, quia licèt predicto modo adimpleretur tale præceptum, adhuc per illum actum, utpotè naturalem, non iuſtificaretur homo, & ſic non ſalvant Adverſ. ſuum aſumptum.

17 Ad 1. conf. diſt. antec.: tũc Deus homini notificat confusè dominium morale, quod habet in ipſum, & inchoativè ſumit poſſeſsionem eius voluntatis, conc.; notificat clarè, & diſtinctè, àc ſumit poſſeſsionem plenè, & perfectè, neg. antec. Vèl admiſſo antec., diſt. conſeq.: ex tunc inchoative, cum aliqua latitudine, àc ſine diuturna dilatione tenetur voluntas amplecti talem legem &c. conc.; ex tunc incluſivè, ſinè ulla prorſus dilatione, ſeù in illo præcisè inſtanti, neg. conſeq., propter rationes datas in probat. concluſ. Et conceſ. min. ſubſumpta, neg. conſeq.. Ad 2. conf. neg. antec.; quia vèl illud præceptum implevit, & ſic poſtea non peccaſſet, cùm Angelus ſit inflexibilis, iuxtà Adverſ.; vèl illud non implevit, & ſic primum peccatum Angeli fuiſſet omiſsio illius præ-

præcepti, quod eſt etiam contra ipſos. Vel diſt. antec.: Angelus in primo inſtanti ſuæ libertatis fuit adſtrictus præcepto diligendi Deum, ita tamen ut potuiſſet peccare priùs venialitèr, quàm mortalitèr, conc.; ità ut illud contingere non potuiſſet, neg. antec.; quia primò poſſet levitèr diverti, vèl ex ſemiplena diliberatione deſicere à debito ordine rationis; proùt tenent communitèr Noſtri. Vèl conceſ. antec., neg. conſeq.; tùm, quia Angelus in primo inſtanti erat præditus perfecta deliberatione, & inſtructus omnibus neceſſarijs, àc proindè aptus ad impletionem illius gravis obligationis; at puer in primo inſtanti uſus rationis non ſic ſe habet, tùm, quia via Angeli erat brevis, atque adeò citiùs, & preſsiùs debuit adſtringi illa obligatione; at via hominis, eo quia tardior, eſt etiam longior, atque adeò eſſet nimis durum, eum in primo inſtanti adſtringere præcepto ità rigido; & ab eo ſtatim fructum maturum exigere, dum adhùc non venit tempus maturitatis, ſed primò incipiunt apparere flores rationis.

18 Arg. 3.: id quod primò occurrit homini habenti primum uſum rationis, eſt deliberare de ſe ipſo, ideſt, ad quem finem ſe, & ſuas actiones ſit ordinaturus: ergo tùnc tenetur elicere actum, quo proponat ſequi bonum honeſtum, àc proinde ſe convertere implicitè in Deum talis boni authorem, & finem. Antec. patet; quia cum finis *cui* omniũ concupiſcibilium ſit ipſe homo (eò quòd amicabilia, quæ ſunt ad alios; veniunt ex amicabili ad ſe, ut ait Ariſt. 9. ethic. cap. 4.), ideò amor quorumcumque concupiſcibilium ſupponit amorem ſui ipſius; àc proindè quod primò occurrit homini habenti primum uſum rationis, eſt deliberare de ſe ipſo. Conſeq. infertur; nàm ſi homo tùnc deliberet ad quem finem ordinet ſe, & ſuas actiones, tenetur ſe, & illas ordinare in bonum honeſtum, quod eſt proprium, & conveniens naturæ rationali. Conf.: qui habet curam alterius, tenetur illum in bono confirmare ſtatim àc poteſt male agere: ergo multò magis tenetur homo confirmare ſe ipſum in primo inſtanti uſus rationis, in quo poteſt bene, vèl male agere; quæ confirmatio fit per converſionem, ſaltèm implicitam ad Deum, proponendo ſequi bonum honeſtum; & illud faciens iuſtificabitur ab originali; omittens autèm peccabit mortalitèr, àc proinde peccatum originale nequit coiungi cum ſolo veniali.

19 Reſp. ad arg. neg. antec.; nàm experientia docet, poſt multum temporis illud non occurriſſe pluribus perveniẽtibus ad uſum rationis; & licèt occurrat, ſolùm tenebitur non reſpuere bonum, non autem elicere pro illo tùnc actum poſitivum, quo ſe convertat ad bonum in communi, & proponat illud ſequi. Ad conf. diſt. antec.: qui gerit curam alterius, tenetur illum in bono confirmare, ſtatim ac alter poteſt malè agere, ſi eius ſalus periclitetur, conc.; tenetur ſemper, & abſolutè, ſubdiſt.: tenetur ſtatim, id eſt, quamprimùm, ſine diuturna dilatione, ac habita opportunitate, conc.; ſtatim, id eſt, ſine ulla mora etiam brevi, neg. antec. & conſeq. tempus igitur, in quo obligat præceptum converſionis, quo homo iuſtificetur ab originali, eſt quandò interiùs, vèl exteriùs revelatur ſufficientèr à Deo remedium ſacramentale neceſſarium ad remiſsionem peccati originalis, cùm reliquis neceſſariò credendis, ſperandis, & agendis ad conſecutionem vitæ æternæ; quæ inſtructio, cum regulariter requirat moram; ſucceſsum temporis, & pleniorem uſum rationis, quàm puer habet in primo inſtãti, ideò in ipſo nõ urget præceptum illius converſionis.

20 Arg. 4.: ſi peccatum veniale poſſet coniungi cum ſolo originali, ſequeretur quod nullus eſſet locus, in quo poſſet puniri, qui cum illis decederet; ſed hoc non eſt dicendum, quia peccatum nequit manere impunitum: ergo. Prob. mai.: ille non puniretur in inferno, qui eſt tantùm pro decedentibus in peccato actuali mortali; nèc in purgatorio, in quem nos deſcendunt niſi decedentes in gratia cum aliqua tamèn pœna temporali ſolvenda; nec in lymbo, quia hic eſt pro ſolis morientibus cùm originali, & eſt ſine pœna ſenſus: ergo. Conf. 1. Concil. Florent. in litteris unionis ſupponit, omnes decedentes in ſtatu damnationis vèl decedere in peccato mortali, vèl in ſolo originali: ergo quia ſupponit, nullum poſſe cum originali, & ſolo veniali decedere. Confirm. 2. Innoc. III. in cap. *Maiores* de Baptiſm. docet, non poſſe adultis dormientibus, & amentibus dimitti originale ſicut parvulis per Baptiſmum ſine proprio conſenſu, quia non poteſt dimitti originale ſine mortali: ergo ſupponit, quòd adultus habens originale non caret mortali, ſeù veniale non poſſe reperiri cùm ſolo originali.

21 Ad arg. neg. mai., ad cuius probat. dicimus, quòd

pœ-

peccatum veniale coniunctum cùm ſolo originali puniretur in lymbo, qui licèt ſit locus per ſe deſtinatus ad pœnam damni pro ſolo originali; tamèn per accidens, & ratione coniunctionis cùm ipſo poterit in tali loco puniri veniale aliqua pœna temporali inflicta à Deo pro tali peccato; ſicut in inferno punitur veniale pœna temporali ratione coniunctionis cùm mortali; vèl ſicùt originale coniunctum cùm mortali puniatur etiàm per accidens in inferno, quamvis ſe ſolo, & per ſe puniatur in lymbo. Ad 1. conf. reſp., quòd illa authoritas eſt negativa, & ideo parùm probat. Vel explic. illam: ſupponit, omnes decedentes in ſtatu damnationis decedere, vèl in peccato mortali, vèl in ſolo originali, ità ut per ly *ſolo* excludat mortale, conc.; ità ut excludat etiàm veniale, quod coniungatur cùm originali, ſubdiſt.: loquendo communitèr, & ordinariè, quatenùs regulariter nequeunt poſt uſum rationis cùm ſolo originali diù vivere, quin labantur in mortale, conc.; loquendo etiam ſpecialitèr, ità ut nèc pro brevi tempore poſſint eſſe cùm ſolo originali, & veniali, neg. hanc eſſe mentem concilij; & conſeq.

22 Ad 2. conf. diſt. antec.: docet, non poſſe adultis, etiàm valdè proximis primo inſtanti uſui rationis dimitti originale ſicut parvulis, quia non poteſt dimitti originale ſine mortali, neg.; non poſſe adultis, iàm remotis à primo inſtanti uſus rationis dimitti &c. ſubdiſt.: ly *quia* dicente cauſam ſufficientem, & inadæquatam, conc.; ſe habente tanquam cauſa unica, & adæquata, neg. antec.; nàm alia ratio, cur in adultis requiratur proprius conſenſus ut eis dimittatur originale, eſt, quia illi poſſunt habere propriam diſpoſitionem ad gratiam, & conſenſum proprium in Baptiſmum, atque adeò merito ab eis exigitur, etiàm ſi non habeant mortale peccatum. Diſt. ſimilitèr conſeq.: ſupponit, quòd adultus remotus à primo inſtanti uſus rationis habens originale non caret mortali, conc.; quod adultus etiàm valdè proximus tali inſtanti ita habeat utrumque, ut veniale non poſsit cùm ſolo originali coniungi: neg. conſeq.

QUÆSTIO VIII.

An, & quomodo, qui mortaliter, aut venialiter peccat conſtituat ultimum finem in creatura?

1 DIcimus primò: mortaliter peccans

conſtituit, ſaltèm interpretativè, ultimum finem in creatura. Eſt communis ſententia. Prob. 1. in Epiſt. ad Philip. cap. 3. dicitur de guloſis: *Quorum Deus venter eſt.* Et ad Epheſ. cap. 5. avaritia appellatur *idolorum ſervitus*; ſed hoc manifeſtè indicat, per peccatum mortale conſtitui ultimum finem in creatura, quæ habetur ut Deus, qui eſt finis ultimus, & cui tribuitur honor Deo debitus: ergo. Conf.: iuxta M. P. Aug. tota perverſitas humanæ vitæ ſtat in eo, quòd homo fruatur utendis, & utatur fruendis; ſed iuxta eundem M. P. frui eſt amore inhærere alicui rei propter ſe ipſam; uti verò eſt amare rem ordinando illam in alium finem: ergo peccans mortaliter, ſeù diligens aliquam creaturam contrà Dei præceptum neceſſarium ad ſalutem, adhæret, ſaltèm interpretativè, illi creaturæ, tanquàm ultimo fini.

2 Prob. 2. mortaliter peccans diligit plùs apretiativè creaturam, quàm Deum; ſed finis eſt id, quod maximè diligitur, ſiquidem amor tendit in finem, qui eſt terminus amoris: ergo. Prob. mai. peccans mortaliter tranſgreditur præceptum Dei neceſſarium ad ſalutem, & contemnit virtualiter, aùt interprætativè eius voluntatem, ut adhæreat creaturæ; ſed hoc eſt præferre creaturam Deo, ſeù diligere appretiativè illam plus, quàm Deum ipſum; undè Chriſtus D. Math. cap. 10. ait: *Qui amat patrem, aùt matrem plus quàm me, non eſt me dignus.* Et Joan. 12. dicitur: *Dilexerunt gloriam hominum plùs quàm Dei*: ergo. Conf.: quamvis mortaliter peccans non intendat directè, & formaliter amittere amicitiam Dei, aùt privari beatitudine, vèl averti à Deo ut ab ultimo fine; interpretativè tamèn, & ſecundùm moralē æſtimationem ita ſe gerit, àc ſi ea omnia velet: ergo ſic conſtituit in creatura ſuum ultimum finem. Prob. antec.; qui graviter Deum offendit, vult eum non habere amicum; & qui contemnit media neceſſaria ad conſecutionem ultimi finis, interprætativè non vult ipſum adipiſci; & qui vult aliquid oppoſitum Deo, proùt dilecto amore amicitiæ, plùs appretiative diligit illud, quàm Deum; ſed peccatum mortale eſt gravis offenſa Dei, habens oppoſitionem cum eius amicitia, & dilectione; àc eius vitatio eſt medium neceſſarium ad conſecutionem beatitudinis; atque mortaliter peccans vult aliquid oppoſitum Deo, prout dilecto amore amicitiæ: ergo.

3 Arg.: ſi mortaliter peccans conſtitueret ſuum ultimum

mum finem in aliquo bono commutabili, maximè in eo, quod eſt obiectum peccati, & à quo voluntas trahitur, & allicitur ut peccet; ſed illud nequit eſſe finis ultimus peccantis: ergo. Prob. min. primo: de ratione finis ultimi eſt, quod ametur ſuper omnia, & non referatur ad aliud; quin potiùs omnia referantur ad ipſum; ſed mortaliter peccans non ſemper diligit ſuper omnia creaturam illam, propter quam peccat, & plerumque illam refert ad aliam creaturam: ergo. Prob. ſecundò illa min.: ſicut peccans poteſt committere plura peccata habentia diverſa obiecta diſparata, ità poſſet habere ſimùl plures fines ultimos; ſed hoc implicat: ergo. Reſp. neg. mai.; quia obiectum peccati eſt unicè finis proximus, & intermedius, qui ordinatur ad bonum proprium, & privatum ipſius peccatoris contrà præceptum neceſſarium ad conſecutionem beatitudinis; ſiquidèm omnia particularia bona utilia, vèl delectabilia appetit peccator propter bonum eius proprium, ac proindè iſtud eſt finis ultimus ipſius, quod diligit appretiativè ſuper omnia, & ipſum non refert ad aliud, quin potiùs omnia refert ad ipſum.

4 Inſurges contrà ſolut. primò: peccator refert omnes ſuos actus in proprium, ac privatum bonum: ergo ex tradita reſponſione ſequeretur, omnes actus peccatoris fore peccata; quod eſt falſum. Inſurges 2. peccator poteſt, etiam peccaminosè, diligere amicum amore amicitiæ; ſed talis amor non ſiſtit in bono amantis, ſed amici amati; nàm aliàs non eſſet amor amicitiæ, ſed concupiſcentiæ: ergo. Tertio: peccator plerumque refert unum peccatum ad aliud: ergo non ſemper illud refert ad bonum proprium, tanquàm ad finem ultimum.

5 Ad 1. replic. diſt. antec.: peccator refert omnes ſuos actus in proprium bonum, vèl cùm ſubiectione, & ſubordinatione ad Deum, vèl cùm oppoſitione, & averſione ab ipſo, conc.; præcisè cùm tali oppoſitione, & averſione, ità ut in eo conſtituat ſuum ultimum finem, ſubdiſt.: peccator reduplicativè ut talis, ſeù peccans læthaliter, refert omnes ſuos actus peccaminoſos in propriū bonum, tanquam in finem ultimum, conc.; peccator purè ſpecificativè talis, ſeù exiſtens in peccato læthali, non autèm operans peccaminoſe, neg. antec., & conſeq.; quia dùm peccator elicit actum honeſtum, & referibilem, ſaltèm virtualiter ex parte operis, in Deum, operatur cum ſubiectione, &

ſubordinatione ad ipſum ut finem ultimum; at quando elicit actum læthalitèr peccaminoſum, irreferibilem in Deum, oppoſitum ipſius voluntati, & præcepto neceſſario ad conſecutionem beatitudinis, àc averſivum ab eo ut ultimo fine, tùnc reſpicit bonum privatum ipſius peccatoris tanquam finem ultimum eiuſdem; & hic eſt ſenſus reſponſionis allatæ. Ad 2. replic. conceſ. mai., neg. min.; nàm amor inordinatus amicitiæ proximi ſemper oritur ex amore ſui ipſius, adeò ut omne bonum amatum amico ordinetur in bonum proprium amantis, quatenùs amicus eſt affectivè idem cum alio amico, iuxtà illud commune proloquium: *Amicus eſt alter ego.* Unde Ariſt. lib. 9. ethic. cap. 4. ait: *Amicabilia ad alterum ex his, quæ ſunt ad ſe ipſum, profecta eſſe videntur.* Ad 3. replic. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia licèt obiectum unius peccati referatur ad aliud, ex hoc tantum ſequitur, quod obiectum peccati non ſit finis ultimus peccantis; non tamèn tollit, quominus omnia referantur ad bonum proprium ipſius peccantis.

6 Dicimus 1. venialitèr peccans, non quidem poſitivè, adhùc ſecundùm quid, ſeù in ratione finis precisè actualis, ſed tantùm negativè, vèl privativè conſtituit ſuum ultimùm finem in creatura, quam inordinatè diligit, aùt in bono proprio ipſius peccantis. Sic N. Rada, & alij ex Subt. Doct. in 2. diſt. 41. q. unic., contra Gonez, & alios. Prob. 1. pars primo: ideò venialiter peccans conſtitueret poſitivè, ſaltèm ſecundùn quid, ſeù in ratione finis præcisè actualis, ſuum ultimum finem in creatura, quam inordinatè diligit, vèl in bono proprio ipſius peccantis; quia homo in omni operatione humana neceſſario ageret, ſaltèm virtualiter, proptèr aliquem ultimum finem; ſed hoc eſt falſum: ergo. Mai. eſt fundamentum Adverſ. Min. manet probata tom. 4. tract. 10. diſp. 1. quæſt. 2. ſect. 1. Prob. ſecundò eadem pars: venialitèr peccans non amat bonum inordinatum, circa quod peccat, nèc bonum proprium, & privatum ipſius peccantis, ut bonum perfectum, & plenè ſatiativum, nèc illud ſuper omnia appretiativè diligit, nèc omnia proptèr ipſum appetit, ſeù ad illud refert, adhùc ſecundùm quid, nempè in ratione finis præcisè actualis; ſed de ratione finis poſitivè ultimi eſt perfectè explere, àc ſatiare appetitum, & exigit ut omnia alia referantur ad ipſum

eo

eo modò quo eſt finis ultimus: ergo. Prob. mai.: tùnc caſus venialitèr peccans, aùt eliciens actum alioqui peccaminoſſum venialitèr, peccaret mortalitèr: ergo. Prob. antec.: tùnc ille verè, & propriè frueretur actualitèr utendis, ſiquidem amore inhæreret bono creato proptèr sè, tanquam proptèr ultimũ finem poſitivè, ſaltèm ſub ratione finis præcisè actualis; ſed in eo ſtat maxima perverſitas, ſeù læthalis malitia: ergo.

7 Prob. tertio: non poteſt abſolutè concedi, quòd creatura ſit finis ſimpliciter ultimus venialitèr peccantis; ſed hoc debet concedi ſemèl àc ſit eius finis ultimus poſitivè, adhuc in ratione finis præcisè actualis: ergo. Mai. conced. communitèr ab Adverſ., ulterius patet; quia ille peccaret mortalitèr, ſiquidèm averteretur à Deo ut ultimo fine; cum repugnet, voluntatem eſſe ſimùl converſam ad Deum, & ad creaturam, tanquam ad ultimos fines ſimplicitèr. Prob. min.: ideò licet creatura reſpectu venialiter peccantis ſit ultimus finis poſitivè ſub ratione finis præcisè actualis, non eſſet eius finis ultimus abſolute, & ſimpliciter, quia refertur, ſaltem habitualiter, in ulteriorem finem, nempe in Deum, per habitum charitatis quem non excludit; ſed hoc eſt falſum: ergo.

8 Prob. min. primò: charitas ſolùm poteſt ad Deum referre ea, quæ ſunt ad ipſum referibilia; ſed peccatum veniale, & bonum creatum appetitum à peccante venialitèr, utpote quid inordinatum, & diſplicens Deo, eſt irreferibile in ipſum: ergo nequit adhuc referri habitualiter per charitatem. Prob. ſecundo illa min.: bonum creatum non appetitur, nèc poteſt appeti à peccante venialiter, ut ſubordinatum fini charitatis, cùm hæc non ſe habeat ut principium, nèc per modum principij, ſed ad ſummum concomitanter, & per accidens reſpectu appetitionis illius boni: ergo. Prob. tertiò eadem min.: habitus charitatis ſe habet tantum compatibiliter reſpectu peccati venialis, quatenus iſtud illud non deſtruit, nèc excludit; ſed hoc non ſufficit ut verè dicatur, peccatum veniale, aùt eius finem referri habitualitèr in Deum per charitatem; ſiquidèm ut habitus verè dicatur habitualiter agere in aliquem actum non ſufficit, quod compatiatur cum eo, ſeù non excludat ipſum, ſed requiritur quòd poſitivè influat, ſeù operetur in illum; ut patet in omni cauſa reſpectu ſui effectus quolibet modo: ergo.

9 Secunda pars concluſ., ſcil. venialiter peccantem conſtituere negativè, aùt privativè ſuum ultimum finem in creatura, ſatis patet ex dictis, & ſic prob. ex Subt. Doct. cit.: tùnc eliciens aliquem actum conſtituit negativè, vèl privativè ſuum ultimum finem in creatura, quando nèc actualiter, nèc virtualiter, nèc habitualiter, verùm nèc contrarie refertur in Deum, tanquam in ultimum finem; ſed ita ſe gerit peccans venialiter: ergo. Mai. patet; quia conſtituere negativè, vel privativè in creatura ultimum finem eſt ita in illa ſiſtere, ſeù eam ad Deum non ordinare, ut nec actus elicitus circa ipſam referatur actualiter in Deum, nèc ſit referibilis, ſeù ordinabilis in ipſum per charitatem, quæ nequeat eſſe eius principium; attamèn non deſtruat principium referendi, nempè ipſam charitatem, nàm tùnc caſus poſitivè conſtitueretur in creatura ultimus finis, ſaltèm virtualiter, aut interpretativè. Min. etiàm conſtat; quia peccatum veniale, utpotè actus inordinatus, & irreferibilis in Deum, nec actualiter, nec virtualiter, imò nec habitualiter refertur verè in ipſum; attamen nèc eſt actus non relatus contrarie, quipè qui non deſtruit, ſeù non excludit charitatem, quæ eſt principium referendi.

10 Argues 1. venialiter peccans debet actualiter intendere poſitive aliquem finem ultimum; ſed proùt ſic non reſpicit Deum: ergo illum in creatura conſtituit poſitive, ſaltèm ſecundum quid, ſeù ſub ratione finis præcisè actualis. Prob. mai.: peccatum veniale eſt verè, & proprie actio humana, cùm verè demereamur per illud; ſed omnis actio humana eſt proptèr ultimum finem, ſeù ex motione alicuius finis ultimi procedit: ergo. Reſp. neg. mai., ad cuius probat. conceſ. mai., neg. min.: propter dicta in tom. 4. tract. 10. diſp. 1. quæſt. 2. ſect. 1. ubi poſſunt videre plura hùc pertinentia.

11 Arg. 2. læthaliter peccans conſtituit poſitivè, ſaltem virtualiter, aùt interpretativè, ſuum ultimum finem abſolutè, & ſimpliciter in creatura: ergo venialiter peccans etiàm conſtituit poſitivè, ſaltèm virtualiter, aùt interpretativè, in ea ſuum ultimum finem ſecundum quid, nempe ſub ratione finis præcisè actualis. Prob. conſeq.: ideò læthaliter peccans conſtituit prædicto modo in creatura ſuum ultimum finem abſolutè, & ſimpliciter, quia ſe convertit ad bonũ creatum, & commutabi-

le, ſine ulla ſubordinatione, ſeù relatione, nec actuali, nec virtuali, nec habituali ad Deum ut ultimum finem; ſed venialiter peccans ſe convertit etiam ad bonum commutabile ſine ſubordinatione, ſeù relatione actuali, & virtuali, bene verò cùm habituali ad Deum ut finem ultimum: ergo ſi læthaliter peccans conſtituit poſitivè in creatura ſuum ultimum finem abſolute, & ſimpliciter; etiam venialiter peccans conſtituit poſitivè in ea ſuum ultimum finem ſecundum quid, nempè ſub ratione finis præcisè actualis, non verò habitualis.

12 Reſp. conceſ. antec., neg. conſeq., ad cuius probat. diſt. mai.: ideò læthaliter peccans conſtituit poſitive in creatura ſuum ultimum finem, quia ſe convertit ad bonum commutabile ſine ulla relatione in Deum, quin potius contrariè, & cum excluſione principij referendi in ipſum Deum ut finem ultimum, conc. mai.; precisè quia ſe convertit ad bonum commutabile ſine ulla relatione in Deum, & ſine contrarietate, ac excluſione principij referendi, neg. mai., vèl potius ſuppoſitum; quia læthaliter peccans ita ſe convertit ad bonum commutabile, ut ſuum actum non referat in Deum etiam contrariè, & cum corruptione charitatis, quæ eſt principium referendi, ac cum averſione à Deo ut ultimo fine; & proinde conſtituit poſitive ſaltem interpretative, ſuum ultimum finem in creatura. neg. min. abſolutè; quia venialiter peccans, proùt talis, non ſe convertit adhuc habitualiter in Deum ut ultimum finem, proùt patet ex dictis num. 8. Vèl diſt. min.: venialiter peccans ſe convertit ad bonum commutabile ſine relatione actuali, & virtuali, bene verò cum habituali, id eſt, non contrarie, ſeù cum conſervatione principij referendi, ac ſine averſione à Deo ut ultimo fine, conc. min.; aliter neg. min., & conſeq.; quia mortaliter peccans, utpotè ſe non referens etiam contrarie, & ſe avertens à Deo ut ultimo fine, eum in creatura conſtituit poſitivè, ſaltem interpretative; attamen peccans venialiter, utpote ſe non referens pure negative, aùt privativè, & ſe unice non convertens, vel divertens à Deo ut ultimo fine, ipſum in creatura conſtituit tantum negativè.

*** *** ***
*** ***
***

DIS-

DISPUTATIO IV.

De Diſtinctione peccatorum.

QUÆSTIO I.

Undè ſit deſumenda diſtinctio peccatorun ſpecifica?

1 SUpponendum eſt primò tanquam certum, quod in præſenti quæſt., nec in ſequenti, non loquimur de diſtinctione peccatorum phyſica, ſeu in genere entis, qua diſtinguuntur ab invicem peccata ſecundum eſſe materiale, ſeù entitativum; ſed loquimur de eorum diſtinctione morali, ſive in genere moris, qua peccata intèr ſe diverſificantur ſecundum eſſe formale, ſeù penes difformitatē ad regulas morũ, in qua difformitate conſiſtit eſſentia peccati, ſeù malitiæ moralis. Quarè licet occiſio Clerici, & Laici ſint eiuſdem ſpeciei phyſicæ non tamen moralis, cum occiſio Clerici ſuperaddat ſpecialem malitiam ſacrilegij: è contrà verò furtum bovis, & furtum argenti, vel auri, ſunt eiuſdem ſpeciei moralis, quamvis phyſicè loquendo diſtinguantur ſpecie, eò quia habent obiecta diverſæ ſpeciei materialis.

2 Supponend. eſt 2. ex N. Subt. Doct. in 2. d. 37. q. 1. §. *ex iſta ſolutione*, quod diſtinctio, tam ſpecifica, quam numerica peccatorum, deſumitur intrinſecè ex difformitate ad regulas morum, ſeu ex privatione rectitudinum, ſive per ordinem ad rectitudines ſpecificas, vel numericas, quibus privant, ſeù quarum privationes ſunt ipſa peccata; quia cum idem ſit conſtitutivum, & diſtinctivum, àc privationes ſumant ſuam diſtinctionem ab oppoſitis formis; ideò peccata, quæ conſtituuntur per privationem, rectitudinis, ab ea etiam accipiunt ſuam diſtinctionem. Quæſtio igitur procedit de ſpecificativo extrinſeco, undè ſcil. poſsit manifeſtari, aùt deſumi, vèl colligi, quòd uni, aùt pluribus actibus (vel omiſsionibus) inſint difformitates, ſeù malitiæ ſpecie diſtinctæ? Supponend. eſt. 3., quæſtionem non procedere de peccatis omiſsionis; nam de his concedunt communiter omnes, eorum diſtinctionem deſumi ex actibus debitis, quorum ſunt omiſsiones, vel potius ex privationibus rectitudinum debitarum actibus omiſsis. Quarè præcipua difficultas eſt de peccatis commiſsionis, unde ſcil. colligenda ſit eorum diſtinctio ſpecifica moralis? Pro cuius reſolutione ſit.

3 Prima concluſ.: diſtinctio

tio ſpecifica peccatorum colligitur ex eorum obiectis (aut circunſtantijs reſpectivè) ſpecie diſtinctis in genere moris; vel ex modis formalitèr, & ſpecie diverſis tendendi in idem obiectum. 1. pars concluſ. licet appareat contraria aliquibus Scotiſtis, in re tamen eſt conformis ipſis, & Subt. Doct. cit. in tom. 4. tract. 11. diſp. 6. quæſt. 3. num. 2. & q. 5. num. 4.; & eſt valdè communis. Prob.: ex his rectè colligitur diſtinctio ſpecifica peccatorum, à quibus peccata extrinſecè, & cauſalitèr ſpecificantur; ſed peccata ſic ſpecificantur ab obiectis, & circunſtantijs reſpectivè, conſideratis in genere moris, ſeù in quantum per legem ſunt præcepta, vel prohibita, & ut talia practicè cognita, ex quibus deſumunt malitiam moralem; prout probatum eſt locis citatis: ergo. Unde fornicatio, furtum, blaſphemia &c. diſtinguuntur ſpecie, quia habent obiecta ſpecie diſtincta in genere moris, & fundantia difformitates diverſæ rationis; ac ſimilitèr occiſio Clerici, vel in loco ſacro, ratione circunſtantiarum diſtinguitur ab occiſione Laici in loco non ſacro.

4 Secunda pars, quæ debet etiam eſſe communis, maxime inter Noſtrates. Prob.: ex modis tendendi in obiectum diverſis ſpecificè in genere phyſico, rectè colligitur diſtinctio phyſica ſpecifica actuũ: ergo etiam ex modis tendendi diverſis ſpecifice in genere moris colligitur diſtinctio actum ſpecifica moralis. Antec. traditur in Philoſophia, maximè à Noſtratibus hac ratione docentibus, cognitionem intuitivam, & abſtractivam diſtingui ſpecificè. Conſeq. infertur à paritate. Undè rapina ſpecie differt à ſimplici furto, quia licet obiectum ſit idem, modus tamen eſt diverſus ſpecie, cum rapina fiat cum vi, quæ in ſimplici furto non eſt. Similitèr prodigalitas differt ſpecifice ab avaritia ob diverſitatem modi, quo tendunt in obiectum, nempè illa per exceſum, & iſta per defectum. Conf.: obiectum, de ſe idem ſpeciè, diverſificatur propter modos attingibilitatis ſpecificè diverſos, qui in illo præexiſtunt, & correſpondent modis attingentiæ exercibilibus per actus; ita ut tale obiectum, quatenùs ſubſtat uni modo ſpecifico attingibilitatis, differat ſpecie à ſe ipſo, prout ſubſtante alteri modo ſpecie diverſo attingibilitatis: ergo habet in genere moris aliam, & aliam ſpecie malitiam obiectivam relatè ad actus peccaminoſos,

ita

ita ut iſti diſtinguantur ſpecie ex diverſis ſpecificè modis attingendi ipſum.

5 Concluſ. 2. diſtinctio ſpecifica peccatorum etiam rectè colligitur ex oppoſitione cum virtutibus diverſis; vel ex modis formaliter, & ſpecificè diſtinctis eſſendi contrà eandam virtutem. Ita Subt. Doct. in 2. d. 37. q. 1., & cum eo N. N. Sporer, Holzmann, & alij ſatis frequenter. Prob. prima pars: privationes ſpecificantur extrinſecè à formis oppoſitis; ſed peccata ſunt privationes honeſtatum, ſeù virtutum: ergo ſpecificantur extrinſecè ab ipſis, ſeù illorum diſtinctio ſpecifica colligitur ex oppoſitione cùm ipſis. Quare fornicatio v. g., quæ eſt peccatum contra virtutem caſtitatis, differt ſpecie ab adulterio, quod eſt contrà virtutem iuſtitiæ ob læſionem juris alterius conſortis. Idem eſt de furto ſimplici, & de furto rei ſacræ; quia primum opponitur ſoli iuſtitiæ: ſecundùm autèm opponitur etiàm religioni; & ſic de alijs.

6 Prob. 2.: pars concluſ.: diſtinctio ſpecifica peccatorum rectè colligitur ex modis tendendi in idem obiectum diverſis formaliter, & ſpecificè: ergo etiam ex diverſis ſimiliter modis tendendi, ſeù eſſendi contra eandem virtutem. Antec. patet ex ſuprà. dict. conſeq. tenet à pari. Conf. 1. illa peccata diſtinguuntur ſpecie, quæ opponuntur virtutibus diverſis; ſed virtus habens diverſos ſpecificè modos attingibilitatis eſt quaſi multiplex virtus ſpecificè relatè ad actus ipſam attingentes; ſiquidèm proùt affecta uno modo attingibilitatis differt ſpecificè à ſe ipſa ut affecta alio modo attingibilitatis diverſo ſpecificè: ergo.

7 Conf. 2.: & declaratur amplius: virtutes, habentes diverſos ſpecificè modos attingibilitatis, continent plures honeſtates ſaltèm quoàd ſpeciem infimam, eſto contineat unicam quoàd ſpeciē ſubalternam: ergo poſſunt terminare actus virtuoſos ſpecie atoma diverſos, ſi cùm illis conformentur; vel peccaminoſos, ſi cùm illis opponantur. Prob. antec.: liberalitas v. g., quæ inclinat ad dandum, & retinendum cum mediocritate, continet aliam honeſtatem proùt eſt attingibilis per dationem, & aliam in quantùm eſt attingibilis per retentionem ſub quibus ſpecificat tales actus cum recta ratione, & debita moderatione elicitos, ſeu unumquemque conſtituit in ſua ſpecie;

& consequentèr si prædicti actus eliciantur contrà rectam rationem, & absque debita moderatione, contrahunt diversas malitias duabus illis honestatibus oppositas; adeò ut unus per defectum adversetur dationi, & pertineat ad vitium avaritiæ; alter verò per excessum opponatur retentioni, & pertineat ad vitium prodigalitatis. Similiter fortitudo, quæ inclinat ad audendum, & timendum cùm debita moderatione, continet aliam honestatem in quantum est attingibilis per actum audaciæ, & aliam in quantùm est attingibilis per actum timoris; qui quidem actus si non servent debitum moderamen, ut si quis timeat quandò non est timendum, vèl audeat plus quam sit audendum, contrahunt duas inhonestates, & sunt duo vitia inter se mutuò diversa quoad speciem atomam, quorum unum dicitur *nimius timor*, seù *timiditas*, & aliud *nimia audacia*, seù *temeritas*; & sic de alijs: ergo.

8 Prob. secundò eadem pars: si solum essent diversæ speciei illa peccata, quæ opponuntur diversis specie virtutibus, sequeretur, quod omnia peccata luxuriæ essent eiusdem speciei infimæ; cum omnia opponantur eidem virtuti castitatis; sed sequela est damnata ab Alexandro VII. dùm confixit hanc prop. in ord. 24. nempè: *Mollicies, Jodomia, & bestialitas sunt peccata eiusdem speciei infimæ*, &c.: ergo necessùm est, ut pro dignoscenda distinctione specifica peccatorum recurratur ad aliud principium præter diversitatem specificam virtutum, scil. ad diversos specie modos, quibus actus peccaminosi eidem virtuti opponantur. Conf.: ideo distinctio specifica peccatorum non posset desumi ex diversis specifice modis adversandi eidem virtuti; quia nimis obscurum, & dificile esset discernere, quando nàm modi, quibus actus peccaminosi adversantur eidem virtuti sint formalitèr, & specie diversi; ut dicunt contrarij; sed hoc est falsum: ergo. Prob. min. primò: idem posset dici de diversis modis tendendi in idem obiectum; sed tamèn asserunt Contrarij, indè rectè colligi distinctionem specificam peccatorum: ergo quia falsum est eorum asumptum.

9 Prob. secundò illa min.: toties modi adversandi eidem virtuti sunt formalitèr, & specie distincti, quoties sunt ita diversi, ut quantùm est ex natura, & ratione peccati, non sit eadem propensio, seù fa-

facilitas in talibus peccatis committendis, moraliter loquendo; & qui propenſus eſt ad unum eorum, quantum eſt ex ipſa ratione peccati non ſit ſimiliter propenſus ad aliud; qualiter in omnium ſententia ſe habent furtum v. g. adulterium, homicidium, detractio &c. quæ ita opponuntur iuſtitiæ commutativæ, ut quantum eſt ex ipſorum ratione non ſit eadem propenſio ad illa committenda; & ſimilitèr de peccatis caſtitati oppoſitis; ſed hæc regula, ſatisfacilis, & obvia eſt, ob ſpecialem, & valdè diverſam diſſonātiam quam cum rectà ratione habet unum præ alio ex illis peccatis, adeò ut ſæpe conſtet, quod qui eſt propenſus ad unum, non ſit ſimiliter propenſus ad aliud ex illis, quantùm eſt ex ipſorum ratione: ergo non ita obſcurum, vèl dificile eſt, illud diſcernere.

10 Concluſ. 3.: diſtinctio ſpecifica peccatorum colligitur quoque ex oppoſitione cùm legibus, vèl præceptis, qua talibus formaliter, & ſpecificè diverſis. Hæc etiam concluſ. quamvis videatur contraria opinioni ſatis frequenti, revera tamen eſt valdè communis, & conformis N. Subtili Doct. locis cit.. Prob. primò: peccata ſunt voluntariæ tranſgreſsiones legum, vel præceptorum; ſed tales tranſgreſsiones accipiunt ſpeciem, & conſequenter diſtinctionem ſpecificam à legibus, vèl præceptis, quibus opponuntur veluti privationes formis: ergo etiam peccata ſpecificantur ab illis; adeò ut ſi leges, vel præcepta ſint formaliter, & ſpecifice diverſa, etiam peccata, ipſis oppoſita, erunt ſimiliter diſtincta. Prob. 2.: iuxta dicta, & probata in tract. *de Actibus Humanis* diſp. 6. q. 1., actus morales ſpecificantur, & conſequenter diſtinctionem ſpecificam accipiunt à rectà ratione, ſeù regula proxima moralitatis; ſed hæc accipit ſpeciem, & diſtinctionem à legibus, ſeù præceptis, cum ſe habeat tanquam applicatio, & intimatio eorumdem, regulans, & obligans in eorum virtute, ac iuxta ipſorum tenorem: ergo eorum diſtinctio ſpecifica colligitur, ſaltem remotè, & radicaliter, ex legibus, vel præceptis.

11 Diximus in concluſ., diſtinctionem ſpecificam peccatorum ſumi ex oppoſitione cum legibus, vel præceptis *quà talibus*, id eſt, proùt ſunt regulæ actuum humanorum, & ſe habent per modum obiectorum formalium, àc terminorum *ad quos* deberent reſpicere illi actus; non autem

proùt

proùt ſunt præcisè actus Legislatorum, quia prout ſic non ſunt niſi materialiter diverſæ, leges diſtinctæ, v. g. Divina, & humana, prohibentes homicidium ſub eodem fine, & motivo, ac intuitu eiuſdem virtutis; atque adeò dùm ita violantur, non plura peccata committuntur. Quin obſtet quod, iuxta probabiliorem ſententiam, peccatum formalis inobedientiæ contrà legem Divinam differt ſpecie à peccato inobedientiæ formalis contra legem humanam; eò quia tales leges, in quantum ſunt conditæ à diverſis ſpecie Legislatoribus, ſpecie diſtinguuntur. Non, inquam, obſtat; quia reſpectu peccati formalis inobedientiæ non ſe habent præfatæ leges, prout præcisè ſunt actus Legislatorum, & quatenus purè materialiter diſtinguuntur, ac per modum terminorum *à quibus* recceditur, qualitèr contingit in alijs peccatis; ſed ſe habent per modum obiectorum, & terminorum *ad quos*, ac prout ſunt actus formaliter, & ſpecificè diſtincti duorum Legislatorum, atque adeò peccata formalis inobedientiæ, quæ illos prout ſic reſpeciunt, ſpecie diſtinguuntur.

12 Diximus etiàm in concluſ., diſtinctionem ſpecificam peccatorum deſumi ex oppoſitione cum legibus, vel præceptis *formaliter*, & *ſpecificè diverſis*, id eſt, præcipientibus aut vetantibus idem, vèl diverſum obiectum ſub diverſo fine, & motivo, ac intuitu diverſæ virtutis, ut v. g. quintum præceptum non occidendi hominem, & præceptum non occidendi Clericum, ſunt formaliter, & ſpecificè diverſa, quia unum prohibet homicidium intuitu iuſtitiæ, & aliud intuitu religionis, atque adeò occidens Clericum utpote violans illa duo præcepta, committit duo peccata ſpecie diſtincta, unum iniuſtitiæ contrà præceptum non occidendi, & aliud ſacrilegij contrà præceptum prohibens occiſionem perſonæ ſacræ intuitu religionis; ſimilitèr frangens ieiunium eo die, quo elicuit votum ieiunandi, vèl habet præceptum impoſitum à Confeſſore, & in quo occurrit ſimul vigilia ad ieiunium conſtringens, committit duo peccata diverſa ſpecificè, eò quia violat duo præcepta diſtincta ſimilitèr, ſeù intuitu diverſæ virtutis, ac proindè dantur duæ deformitates, ſeù privationes rectitudinum ſpecie diverſæ.

13 Si autèm leges, vèl præcepta ſunt tantum materialitèr diſtincta, id eſt, præcipiunt, vel prohibent idem, vèl diverſum obiectum ſub eodem fine, & motivo, ac in-

tuitu eiuſdem virtutis ; tunc violatio illorum non eſt niſi unum ſpecie peccatum, quia eſt unica ſpecificè deformitas, & privatio unius rectitudinis ſpecificæ per illa præcepta intentæ, unaque oppoſitio cum eadem virtute. Sic homicidium, prohibitum lege naturali, Divina poſitiva, & humana, eſt unum ſpecie peccatum ; ſimilitèr omiſsio Sacri in die Dominico, in quo occurrit aliud feſtum ; & ſic in alijs caſibus. In hoc igitur ſenſu negatur communitèr, diſtinctionem ſpecificam peccatorum deſumi ex legibus, vèl præceptis, nempè materialitèr ſolum diſtinctis ; non autem formalitèr, & ſpecificè diverſis : quare diximus, quod licèt noſtra concluſ. videatur contraria opinioni univerſali, reverà tamen eſt communis.

14 Arg. 1. : contrà omnes concluſ. ſimùl : qui non audit Sacrum in die feſto, & non recitat Divinum officium, ad quod obſtringitur, committit duo peccata ſpecie diſtincta ; ſed in tali caſu non poſſunt aſsignari duo obiecta diſtincta ſpecificè in genere moris, nèc duæ virtutes, aùt præcepta diverſa formalitèr, & ſpecificè : ergo ex illis capitibus non colligitur diſtinctio ſpecifica peccatorum. Reſp. admiſ. mai., neg. min., nàm licèt cultus Dei ſit unus genericè, ſivè quoàd ſpeciem ſubalternam, ſicut etiam virtus, & honeſtas Religionis eſt ſimilitèr una ; attamèn quoàd ſpeciem atomam eſt diverſitas, quæ remotè fundatur in notabili diverſitate materiæ ; proximè autèm in diverſitate motivorum quoàd ſpeciem atomam diſtinctorum, ſcil. alterius, & alterius cultùs Dei.

15 Arg. 2. ſpecialitèr contrà 1. concluſ. : ſpecies àc proinde diſtinctio ſpecifica in moralibus non poteſt ſumi niſi ab eo, quod per ſe, & directè intenditur ; ſed obiectum malum (idem eſt de circunſtantijs), ſeù malitia obiectiva eiuſdem nequit per ſe, & directè intendi : ergo diſtinctio ſpecifica peccatorum nequit colligi ex obiectis, aùt circunſtantijs. Diſt. mai. ſpecies bonitatis nequit ſumi niſi ab eo, quod directè intenditur, conc. ; ſpecies etiam malitiæ, ſubdiſt. : nequit ſumi niſi ab eo, quod directè intenditur ſub aliqua ratione, ſub qua tamèn reduplicativè non dat ſpeciem, permit. mai. ; quod directè intenditur ſub ea præcisè ratione, ſub qua dat ſpeciem, neg. mai., & diſt. min. : obiectum malum non poteſt directè intendi reduplicativè ſub ratione mali, ſub qua dat ſpeciem malitiæ, conc. min. ; non poteſt directè intèn-

di

ti ſpecificativè, & ſub apparētia boni utilis, vel delectabilis, ſub qua non dat ſpeciem, neg. min.; & conſeq.. Ex dictis in tract. *de Actibus Humanis* conſtat diverſitas inter bonitatem, & malitiam, quoad modum quo utraque poteſt, ac debet eſſe volita.

16 Arg. 3. contrà. 2. concluſ.: furtum, homicidium, detractio, & contumelia adverſantur eidem virtuti iuſtitiæ commutativæ; & tamen ſunt peccata ſpecificè diſtincta: è diverſo autem fractio ieiunij in aliqua Vigilia, vèl in Quadrageſima, adverſatur duabus virtutibus, ſcil. abſtinentiæ, & religionis; & nihilominus non habet duas ſpecie malitias: ergo diſtinctio ſpecifica peccatorum non rectè colligitur ex oppoſitione cum diſtinctis ſpecie virtutibus. Reſp. diſt. antec. quoad 1. partem: furtum, homicidium &c. adverſantur modo formalitèr, & ſpecificè diverſo eidem virtuti identitate ſubalterna, cum diſtinctione ſpecifica infima, conc. antec.; adverſantur eodem modo eidem virtuti identitate atoma, neg. antec. quoad 1. part.; & ipſum paritèr diſt. quoad 2.: fractio ieiunij adverſatur duabus virtutibus, uni quidem, nempè abſtinentiæ, exercite, & in actu ſecundo utpote ex motivo intrinſeco; alteri verò, ſcil. Religioni, tantum potentialitèr, & in actu primò, tanquam ex motivo extrinſeco, quod poſſet intendere, & ex quo poſſet obſtringere Legiſlator, conc. antec.; utrique virtuti adverſatur exercitè, & in actu ſecundo, ita ut Eccleſia de facto obliget ad ieiunium ex motivo utriuſque virtutis, neg. antec., & conſeq..

17 Replic.: Eccleſia, præcipiens abſtinentiam ab opere ſervili in diebus feſtis, obligat exercite, & in actu ſecundo ex motivo Religionis, ita ut peccet contra ipſam qui exercet opera ſerbilia: ergo etiam imperans ieiunium in tempore Quadrageſimæ, & Vigilijs Sanctorum, obligat exercitè ex tali motivo. Reſp. conc. antec., neg. conſeq., & paritatem. Diſparitas eſt, quia dùm Legislator non habet motivum intrinſecum, ex quo legem ferat, recte cenſetur illam ferre ex motivo extrinſeco, & congruenti reſpectu materiæ ipſius legis in ordine ad talem finem, undè ſufficienter colligitur, vèl manifeſtatur voluntas Legislatoris, ut cenſeatur velle obligare ex tali motivo extrinſeco, & obligationem inducat ex ipſo; cum igitur Eccleſia non habuerit motivum intrin-

ſecum, ex quo ferret legem non laborandi in diebus feſtis (quodnàm enim illud?), ideo rectè cenſetur, eam tuliſſe ex motivo extrinſeco colendi dies feſtos, ac proindè ex motivo Religionis, contra quam peccat qui in illis ſerviliter laborat; è contrà verò quandò Legislator habet motivum intrinſecum, ex quo legem ſtatuat, non eſt cenſendus, eam ſtatuere, & velle de facto obligare etiam ex motivo extrinſeco, niſi id manifeſtet, vèl ex aliqua circunſtantia poſsit colligi; quare cum Eccleſia, habuerit motivum intrinſecum, ex quo ferret, & reipſa tulerit legem ieiunij, ſcil. honeſtatem virtutis abſtinentiæ; ideo non eſt cenſenda, nec cenſetur, voluiſſe ad illud obligare etiam ex motivo extrinſeco Religionis: conſequentèr violans ieiunium diebus prædictis peccat ſolùm contrà virtutem abſtinentiæ, ex cuius præcisè motivo Eccleſia ad illud obligat proximè, & actualiter; non autem contrà virtutem Religionis, cuius motivum erat unicè remotum, & aptitudinale, ſeu potens inducere Eccleſiam, ut ſi voluiſſet, poſſet etiam ex tali motivo ad ieiunium obligare.

13 Arg. 4.: contrà 3. concluſ.: peccatum eſſentialiter conſiſtit in difformitate ad regulas morum, quarum una eſt externa, & remota, nempè lex; & altera interna, & proxima, ſcil. dictamen conſcientiæ: ergo ſi diſtinctio ſpecifica peccatorum recte colligitur, ex legibus formaliter, & ſpecie diverſis; etiam rectè, & veluti à priori debet colligi ex dictaminibus conſcientiæ ita diverſis. Reſp. conceſ. antec., diſt. conſeq.: etiam debet colligi proximè, & *ut quo* ex dictaminibus conſcientiæ, diſtinguentibus, & regulantibus in virtute legum, quas intimant, permit. conſeq.; debet colligi etiam remotè, fundamentaliter, & *ut quod* ex dictaminibus diſtinguentibus, & regulantibus virtute ſui, neg. conſeq.. Quare potius abſolutè dicendum eſt, talem diſtinctionem colligi ex legibus, quæ ſunt fundamentum, & ſignum manifeſtativum diſtinctionis talium dictaminum, ac etiam diverſitatis peccatorum.

QUÆSTIO II.

Undè ſit deſumenda diſtinctio numerica peccatorum?

1 SUppoſito ex quæſt. præcedente, quod iſta etiam non procedit de numerica diſtinctione Phyſica

peccatorum, seù in genere entis, sed de morali, sive in genere moris. Supposito etiam, quod hic non loquimur de principio formali intrinseco distinctionis numericæ peccatorum, sed de fundamentali, causali, & extrinseco, unde possit colligi; aùt manifestari eorum distinctio. Supponimus ulterius; quęstionem non procedere de illa peccatorum numerica distinctione quę coniuncta est cum distinctione eorum specifica, & supponit, vel infert istam; nequè procedere de illa distinctione numerica, quæ habetur ratione subiecti, seù ipsius personæ operantis; qualiter intentio furandi, quæ reperitur in Petro, dicitur non esse idem numero peccatum cum simili intentione, quæ reperitur in Paulo; sed de actu, vèl omissione repertis in eodem subiecto, seù persona operante, & contentis intra eandem speciem peccati. Sensus igitur quæst. est: undè possit colligi, quod in uno, vel pluribus physicè actibus, ab eodem operante elicitis, sint plures malitiæ morales, seù peccata distincta solum numericè?

2 Concluf. 1.: distinctio numerica peccatorũ non rectè colligitur ex præcisa oppositione cum præceptis solo numero distinctis. Est valdè communis contra aliquos variè opinantes. Prob.: à præceptis tantum materialitèr diversis non desumitur distinctio numeralis peccatorum; sed præcepta solo numero distincta sunt tantum materialitèr diversa: ergo. Mai. constat, quia diversa species peccatorum non desumitur à præceptis tantum materialitèr diversis, ex dictis in quæst. præc. ac proinde nèc distinctio numeralis; eadem enim est utrobique ratio, nempè quia talia præcepta sunt moralitèr unum. Prob. min.: ideò præcepta solo numero distincta possent esse formalitèr diversa, quia per illa ex motivis quidem, similibus numericè tamen distinctis lata, plures numero obligationes imponerentur; sed hoc arguit unicè diversitatem materialem præceptorum: ergo. Mai. est Advers.. Prob. min.: plures numero obligationes, impositæ ex similibus motivis, sunt quid moraliter unum, ita ut earum violatio sit una moraliter transgressio: ergo. Prob. antec.: qui furatur, transgreditur plures numero obligationes, nempè legis naturæ, Divinæ positivæ, & humanæ, impositas ex similibus, numericè tamen distinctis motivis, nempè ex motivo iustitiæ in bonis for-

tunæ, quod eſt ſimile, ſed aliud numero in Legislatore humano, ac in Divino; ſimilitèr qui uno die frangit ieiunium Quadrageſimæ præceptum ab Eccleſia, & ſimul alicuius Vigiliæ præceptum ab Epiſcopo; & ſic de alijs ſimibus; ſed in illis caſibus violatio talium præceptorum eſt unica moraliter tranſgreſsio, & unicum numericè peccatum; proùt communitèr docetur: ergo.

3 Conf. ſpecialitèr contra N. Holzmann, & Lacroix: iuxta illos, non ideò præcisè, nèc ſempèr àc dantur plura numero præcepta, committuntur diverſa numericè peccata: ergo nunquam numerica peccatorum diſtintio rectè colligitur ex diſtinctione numerica præceptorum. Prob. conſeq.: ideò, iuxta illos, illud aliquandò rectè colligeretur, quia interdùm talia præcepta poſſunt inducere plures numero obligationes impoſitas ex motivis ſimilibus, numericè tamèn diſtinctis; ſed id contingit ideò præcisè, & ſempèr àc dantur plura numero præcepta: ergo ſi illud ſempèr non eſt verum, nèc etiàm aliquandò. Prob. min.: de ratione intrinſeca legis, aùt præcepti eſt inducere obligationem, impoſitam ex vi motivi iuſti: ergo nova, & diſtincta numericè obligatio impoſita ex motivo ſimili; diſtincto tamèn numericè, ſaltem quoad actualem motionem, ita neceſſario conſequitur ad novum, & diſtinctum numericè præceptum, ut ideò præcisè, & ſempèr àc dentur plura numero præcepta, verificentur etiàm plures numero obligationes impoſitæ ex ſimilibus, diſtinctis tamen numericè motivis.

4 Prob. 2.: in actu, vèl omiſsione contrà plura numero præcisè præcepta invenitur ſolum privatio unius rectitudinis numericæ: ergo & unum numero peccatum. Prob. antec.: in adimpletione talium præceptorum daretur unica numero rectitudo: ergo etiàm in eorum tranſgreſsione datur una numero privatio. Prob. antec.: talis adimpletio eſſet unicus actus reſpiciens unam numero virtutem, & unico modo, àc erga unicum obiectum: ergo. Conf.: actus, vèl omiſsio contrà duo præcepta ſe habet ad modum effectus pendentis à duplici cauſa totali in actu primo, attamen partiali exercitè, & in actu ſecundo; ſed talis effectus, quia pendens à talibus cauſis, non eſt numero multiplex: ergo nèc actus, vèl omiſsio contra plura præcepta, ſeù obligationes, eſt multiplex peccatum, ſed unum numero.

5 Arg.

5 Arg. 1.: actus oppositus pluribus præceptis, vèl transgrediens plures obligationes, habet plures relationes disconvenientiæ, seù difformitatis, iuxtà præceptorum pluralitatem: ergo etiam privationem plurium numerò conformitatum, seu rectitudinum, àc proindè est multiplex peccatum. Conf. 1.: in transgressione duplicis præcepti, v. g. patris, & matris, est duplex numero inobedientia, iniuria, vel irreverentia, & contemptus utriusque: ergo & duplex malitia, ac proinde duplex culpa moralis. Conf. 2.: si furtum v. g. non haberet malitiam ex eo, quòd sit contrà præceptum naturæ, vel humanum, illam haberet ex hoc precisè quòd est contrà Divinum positivum: ergo quandò ad unum præcedit aliud numero distinctum, indè oritur duplex numericè peccatum. Conf. 3.: ratio dictat, peius esse violare duplex præceptum, quam unicum: ergo quia committitur duplex peccatum.

6 Ad arg. dist. antec.: actus oppositus pluribus præceptis habet plures physicè relationes disconvenientiæ, permit. antec.; plures moralitèr, neg. antec., & conseq. in eodem sensu; quia cùm illa præcepta sint tantum materialitèr, aùt physicè distincta; formaliter autem, & moralitèr sint unum, ideo prout sic est unica relatio disconvenientiæ, & privatio unius tantum conformitatis, àc moralis rectitudinis. Ad 1. conf. dist. antec.: in transgressionè duplicis præcepti, commissa cùm contemptu formali, aut inobedientia speciali, est duplex numero inobedientia, duplex irreverentia, ac duplex contemptus, conc.; in transgressione cum contemptu tantum virtuali, & inobedientia solum generali, subdist.: est duplex physicè inobedientia &c. permit.; duplex moralitèr, neg. antec., & conseq.. Ad 2. conf. concess. antec., neg. conseq.; quia licèt quodlibet præceptum, vel obligatio seorsim sit sufficiens, ut eius transgressio sit peccatum; tamen si addatur aliud præceptum, seù obligatio eiusdem omnino rationis, non indè oritur peccatum duplex; ut satis patet ex dictis. Ad 3. conf. admiss. antec., neg. conseq.; quia benè potest peccatum aggravari ex aliquo capite, & non distingui, seù multiplicari, aut constitui duplex.

7 Concluſ. 2.: distinctio numerica peccatorum, tàm internorum, quàm externorum, rectè colligitur ex objectis numero distinctis, nullam inter se habentibus moralem unitatem, connexionem, aut subor-

bordinationem. Ita N. N. Herinex, Sporer, Holzmann, cùm Lacroix, & alijs pluribus, antiquis, contrà Reifenſtuèl, Poteſta, & alios. Hæc concluſ. non habet difficultatem, ſi actus (vel omiſsiones) ſint phyſicè plures, adæquati, & inconnexi, quarè ſolum eſt difficultas quando actus eſt unus phyſicè: unde probata concluſ. in hoc ſenſu, à fortiori manet probata in alio. Prob. igitur: idem phyſicè actus, terminatus ad plura ſpecificè moraliter obiecta, habet plures malitias, & involvit plura ſpecie peccata; ut ex quæſt. præced. conſtat: ergo etiam idem phyſicè actus, terminatus ad plura numero obiecta, nullam inter ſe unitatem moralem habentia, involvit plures numero malitias, ſeù peccata. Prob. cõſeq. primò: malitia actus attenditur penès ordinem ad obiectũ diſconveniens rectæ rationi, & legi: ergo ſicut hac ratione, plurificatis ſpecificè moraliter obiectis, plurificantur ſpecie peccata; ita etiam illis plurificatis numericè moraliter, iſtà plurificantur ſimiliter.

8 Prob. ſecundò illa conſeq.: ideò plurificatur ſpecificè moraliter actus terminatus ad obiecta ſpecificè moraliter plura, quia iſtorum diſtinctio non eſt pure phyſica, & materialis, ſed formalis, & moralis; ſed diſtinctio numerica obiectorum, nullam inter ſe unitatem moralem habentium, non eſt pure phyſica, & materialis, ſed formalis, & in genere moris: ergo. Prob. min.: talia obiecta non reſpiciuntur ab actu, ad illa terminato, per modum unius obiecti formalis, totalis, & adæquati, ſed per modum plurium in genere moris: ergo. Prob. antec.: talia obiecta, etſi phyſicè coniuncta, ſeù terminantia eundem actum, ſupponuntur inconnexa, non ſubordinata, nèc habentia inter ſe aliquam unitatem moralem: ergo. Conf. 1.: unicus actus, quo quis detrahit de honore trium hominum; in iuditio, ſeù æſtimatione prudentum æquivalet tribus actibus, per quos ſeorſim detraheret ſingulis; ſed ſi eſſent tres actus, eſſent tria peccata: ergo. Prob. conſeq.: ideò ille unicus actus æquivalet tribus, quia læduntur jura trium hominum, quorum quodlibet eſt diſtinctum, & inconnexum cum alio; ſed ex hoc rectè infertur, quòd ſit triplex peccatum, paritèr ac ſi eſſet triplex actus: ergo ſi æquivalet actibus, eſt etiam triplex peccatum.

9 Diximus in concl., diſtinctionem numericam pecca-

torum rectè colligi ex obiectis numericè distinctis, *nullam inter se unitatem moralem, connexionem, vel subordinationem habentibus.* Pro quo sciendum est, quòd aliqua obiecta habent inter se unitatem moralem; alia verò illam non habent, nec habere possunt. Primi generis sunt illa, quæ possunt se mutuò augere, & vel ex natura sua, vel ex communi hominum usu referuntur ad eundem finem, atquè adeò communitèr valent invicem commutari, & compensari; qualia sunt jura, quæ unus homo obtinet in sua bona eiusdem generis, scil. pecunias, frumenta, pannus &c.; nàm una pecunia auget alteram, & unum frumentum auget similitèr aliud, àc unus pannus alium pannum, atque omnia collectivè accepta auget divitias eiusdem hominis, & referuntur ad eundem finem, nempè ad sublevandam eandem necessitatem vitę, suntque in commertio humano invicem commutabilia, & compensabilia, scil. pecuniæ pecunijs, vel etiam pannis, aùt frumentis; quarè etiam jura, quæ idem bono obtinet in illa, se mutuò augent, respiciunt eundem finem, & possunt invicem, àc vicissim commutari, vèl compensari.

10 Obiecta autem secundi generis sunt, quæ non possunt se mutuò augere, & quæ nèc suaptè natura, nèc communi hominum usu referuntur ad eundem finem; ideò que non sunt invicem commutabiles, aut compensabiles, sed obtinent proprias rationes completas, & disparatas; ut patet in bonis diversi generis, scil. famæ, vitæ, & fortunæ; vèl etiàm in bonis eiusdem generis, cœterum diversi subiecti, quorum quodlibet habet in sua propria bona jus proprium, distinctum, completum, & disparatum. Undè colligitur, quod qui uno actu vult occidere plures homines, vel unico ictu illos occidit, committit duo peccata homicidij. Similitèr, qui uno verbo detrahit famæ plurium, vel plures scandalizat, committit plura peccata. Paritèr qui uno actu detrahit uni subiecto in diversis materijs, ut si ipsum proclamet iniustum, impudicum &c. committit diversa numero peccata; quia lædit distincta numero jura, in suo genere completa, & disparata. Etiam Sacerdos, qui uno actu vult omittere Breviarium per integrum mensem, perpetrat tot peccata, quot mensis dies numerat; quia ille actus versatur circa plura numerice moralitèr obiecta, utpotè inter se inconnexa, &

diſparata, & ſic de alijs, quæ colligi poſſunt ex prædicta regula.

11 Arg. 1.: licet actus, quo aliquis ſimùl detrahit tribus, habeat tres malitias, tamen non conſtituit plura peccata: ergo diſtinctio numerica peccatorum non rectè colligitur ex diſtinctione numerali obiectorum. Conſeq. patet; quia iuxtà Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. & can. 7. obligamur unicè confiteri, & exprimere ſpeciem, & numerum peccatorum; non autèm malitiarum. Prob. antec. primò: concretum accidentale non multiplicatur ad multiplicationem formarum, ſed ſubiectorum, prout in Philoſophia docetur; ſed peccatum eſt concretum accidentale, cuius forma eſt malitia moralis, ſubiectum autem eſt entitas individualis actus: ergo. Prob. ſecundo illud antec.: ſi quis uno actu furetur eidem tres pannos, aut tres modios tritici, vel tres uncias argenti, committit unum peccatum: ergo etiam qui uno actu detrahit tribus, licèt contrahat tres malitias, non tamèn committit tria ſed unicum peccatum; adeò ut ſatisfaciat confeſsioni dicendo, ſemel detraxi gravitèr de fama plurium; ut aſſerunt graves A. A.

12 Reſp. neg. antec. ; tùm, quia peccatum nihil eſt niſi malitia; quare ubi ſunt tres numero malitiæ, ibi dantur tria numero peccata; ſicut ubi ſunt tres ſpecie malitiæ, ibi ſunt tria ſpecie peccata, quamvis ſit unicus actus. Tùm, quia alias nèc eſſet neceſſe dicere, *detraxi de fama plurium*, ſed ſufficeret dicere *detraxi*; nam multiplicitas obiectorum non mutaret, vèl augeret ſpeciem, nèc numerum peccatorum, atque adeò fieret expreſſio requiſita iuxta Concilium. Ad 1. probat. antec. diſt. mai: concretum accidentale non multiplicatur, ſive phyſicè, ſive moraliter, niſi ſubiectum multiplicetur pariformiter iuxta multiplicationem concreti, conc.; niſi ſubiectum multiplicetur difformiter, ſeù alitèr, aut in alio genere, àc eſt multiplicatio concreti, neg. mai.; & diſt. min.: peccatum eſt concretum morale cuius ſubiectum eſt actus moralitèr ſumptus, conc.; cuius ſubiectum eſt actus præcisè phyſicè acceptus, neg. min., & conſeq.; quia licèt ille actus ſit phyſicè unus, tamen eſt moralitèr multiplex. Ad 2. probat. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia panni, frumenta, & pecuniæ eiuſdem ſubiecti non ſunt plura, ſed unum moraliter obiectum reſpectu unius actus, & per ipſum lædunt

unicum jus totale, & adæquatum; àt famæ, quæ tolluntur tribus hominibus sunt plura moraliter obiecta, & per illum actum detractionis læduntur jura distincta, inconnexa, & disparata.

13 Arg. 2.: si aliquis uno actu occidat integram familiam, ex pluribus personis constitutam, non committit nisi unum numero peccatum; quāvis lædat jura plurium hominum in propriam singulorum vitam: ergo. Antec. patet; quia ex illis juribus conflatur unum totale, & completum. Conf.: qui uno actu furatur integrum gregem ovium, non committeret plura numero peccata: ergo neque qui interimit integram hominum familiam. Urg.: Clericus unico actu statuens omittere omnes horas Canonicas unius diei, committit unum tantum peccatum; sicut etiam qui statuit comedere pluries, seù pluries eodem die frangere ieiunium præceptum: ergo etiam qui uno actu statuit omittere per integrum mensem Officium Divinum, vel per totam Quadragesimā frangere ieiunium, non committit nisi unicum peccatum.

14 Ad arg. neg. antec.; quia licèt familia fictione juris censeatur una persona; tamen hæc unitas nequit tollere pluralitatem jurium, quæ competunt singulis personis in propriam uniuscuiusque vitam, quæ que sunt in se completa, & ita disparata, ut nequeant moraliter coalescere, & constituere unicum tale jus. Ad conf. dist. antec.: qui uno actu furatur integrum gregem ovium spectantium ad eundem dominium, seù cadentium sub eodem jure, & dominio completo, & adæquato, conc.; spectantium ad diversos dominos, seù cadenti sub distinctis, & adæquatis juribus, neg. antec.; & conseq.. Ad urgent. concesso antec. quoad 1. part. neg. conseq.; quia omnes horæ Canonicæ unius diei coalescunt moraliter inter se, & singulæ, tanquam partes, constituunt unum Officium integrum, & unum obiectum completum, illius unici actus; àt Officium unius diei non habet connexionem, vel unitatem moralem cùm Officio alterius, sed sunt omnino completa, & disparata, cum quodlibet suo diei sit affixum ab Ecclesia. Et dist. antec. quoàd 2. part.: qui uno actu statuit, pluriès comedere pisces eodem die ieiunij, committit unum peccatum contra præceptum affirmativum unicæ comestionis illi diei affixum, conc.; qui statuit, pluriès comedere carnes eodem die ieiunij, com-

mittit

mittit unum peccatum, neg. antec.; quia præceptum negativum abſtinendi à carnibus obligat ſeorſim, & diviſive pro quolibet inſtanti, àc quælibet illarum comeſtionum eſt obiectum per ſe prohibitum, & cùm alia inconnexum.

15 Concluſ. 3.: diſtinctio numerica peccatorum, tam internorum, quam externorum, etiàm rectè colligitur ex morali interruptione, & repetitione actuum, etſi fiat circa idem numero obiectum. Eſt reipſa communis. Prob.: toties multiplicantur numero peccata, quoties deſtruitur moralis unitas actuum; ſed hæc deſtruitur toties, quotiès actus interrũpuntur moraliter: ergo. Prob. min.: unitas moralis deſtruitur per pluralitatem in eodem genere, ſed actus moraliter interrũpti ſunt plures numericè moraliter: ergo. Conſ.: tunc dantur diſtincta numero peccata, quando in genere moris datur alia, & alia voluntas peccandi; ſed tunc datur interrumptio moralis, quandò datur alia, & alia voluntas in genere moris: ergo. Mai. patet: nàm actus tam interni, quàm externi, quoàd ſuum eſſe morale pendent à voluntate, tanquam à principio moraliter effectivo. Min. etiam patet; quia actus moraliter interrumpi eſt ceſſare moraliter voluntatem antecedentem, & iterum repeti, ſeu aliam advenire.

16 Difficultas eſt, quando nàm actus voluntatis cenſeantur interrumpi moraliter. Reſp. cum Maſtrio, & communi D. D. toties cenſeri actus voluntatis moraliter interrumpi, quoties ipſius actus nèc formaliter in ſe, nèc virtualiter in aliquo effectu, nec imprudenti hominum æſtimatione permanet idem. Id autèm accidere ſolet pluribus modis. Primò, quando plures actus ſucceſivè exercentur circa plura obiecta complete, & totaliter diſtincta, inconnexa, & non ſubordinata, etiam ſi peccans intendat, & conetur illa inter ſe connectere, àc unire; quia talia obiecta ſuaptè natura ſunt inter ſe inumbilia, atque adeo intentio, & conatus illa uniendi eſt implicatorius, & inefficax; ut ſi quis percuſſo, occi.lo, vel iniurato uno homine, ſucceſivè percutiat, occidat, vèl iniuriet alium, ſi vero actus exerceantur ſucceſive circa plura obiecta connexa, & ordinata ad conſumandũ unum numero actum pravum, ſeu finem principalem obtinendum, tunc nèc moraliter interrumpuntur, nec conſtituunt niſi unum numero peccatum; ut ſi quis volens occidere inimicum abſentem, præparet ac-

arma, itet arripiat, & in ea intentione permaneat usque dùm illum occidat. Similiter actus succesivè exerciti eodem impetu, & calore, ita ut posteriores fiant ex vi prioris, censentur moraliter continuari, & unicum peccatum constituere; ut si quis uno impetu, & eodem calore inimicum pluriès percutiat, vèl detrectet; aùt blasphemet, perieret &c. propter ordinem unitatis moralis, quem illi actus habent inter se, ita ut censeatur unicus actus in genere moris.

17 Secundò, interrumpuntur moraliter actus peccaminosi, quando voluntas peccandi, etiam circa idem objectum, retractatur sive *formaliter* per voluntatem contrariam, revocativam, & detestativam actus peccaminosi; sivè *interpretative*, dùm animus deliberatè, & voluntariè cessat ab actu peccaminoso præcedenti, & convertitur ad aliquid cùm illo incompossibile, ac postmodùm illum repetit; quia per talem iterationem, seù repetitionem iteratur moraliter exercitium libertatis contrà legem Dei; ac proinde peccatum iteratur similiter. Dicimus autèm *deliberatè*, & *voluntariè*; nàm si animus indeliberatè, & involuntariè, cesset ac divertatur ab actu intento, sivè per somnum naturaliter contingentem, sivè per involuntariam distractionem, & statim realumatur actus voluntatis, tunc communiter non censetur interrumpi moraliter, quamvis interrumpatur physicè.

18 Tertio interrumpuntur moraliter actus voluntatis quando inter plures actus, nullo voluntatis aspectu antecedē-tèr connexos, tanta mora temporis intercedit, ut indicio prudentum censeantur discontinuari. Pro cuius intelligentia sciendum est, quod ut actus physicè interrumptus censeatur etiam interrumpi moraliter, non sufficit quælibet modica mora temporis (extrà casum retractationis formalis, vèl interpretativè, in quo sufficit quævis modica mora ad moralem interruptionem). Ratio est; quia mora temporis sufficiens ad moralem interruptionem metienda est judicio prudentum, nisi aliunde possit cognosci; sed prudentes judicant, quòd ad illam non sufficit quæcumque, quantumvis tenuis, mora temporis, quæ censetur per se nulla moraliter: ergo si id aliunde non possit cognosci (uti non potest extra casum, quo voluntas retractetur formaliter, vel interpretativè), judicandum est, quòd non sufficiat quælibet mora tenuis sed requiratur mo-

raliter notabilis, inter illos actus intercedens.

19 Quarto denique interrumpuntur moraliter actus peccaminosi, quando actiones externę, etiam subordinatæ, connexæ, & dependentiâ ex se habentes, separantur per intentionem operantis, & exercentur tanquam non subordinatæ; ut si quis alterum graviter percutiat sine animo occidendi, & postea velit occidere, aut exequatur occisionem; & si furetur ex bibliotheca aliquot libros sine intentione auferendi plures, ac postmodum auferat alios ex nova intentione; vel si habeat sermones inhonestos, tactus, & oscula cum fœmina absque intentione copulæ postmodum habendæ, sunt distincta peccata, & specialiter in confessione exprimenda, quamvis postea sequatur copula; & sic de alijs casibus, quorum ratio est; quia voluntas peccandi interrumpitur, & plurificatur moraliter, seu est alia, & alia voluntas in genere moris, atque adeo intentio non unit illas actiones, etsi alias de se subordinabiles, & unibiles.

20 Si dicas: actiones non subordinatæ, uti sunt plures copulæ, plura homicidia &c. non possunt uniri per intentionem operantis, nec exerceri tanquam quid unum moraliter: ergo similiter per oppositum neque actiones subordinatæ possunt disiungi per intentionem operantis, nec exerceri tanquam moraliter plures. Resp. concess. antec., neg. conseq.. Disparitas est; quia actiones primi generis habent incapacitatem, & repugnantiam ad unibilitatem ex parte obiecti; è contra autem actiones secundi generis non habent similem repugnantiam, sed solam aptitudinem, & indifferentiam ad unibilitatem, & separabilitatem, ut proindè sit in potestate, & arbitrio hominis illas exercere cum subordinatione, vel separatione.

DISPUTATIO V.

De comparatione peccatorum ad invicem.

QUÆSTIO I.

Utrùm omnia peccata sint connexa, & æqualia?

Concluſ. 1.: non omnia peccata sunt inter se connexa. Est communis. Dicimus *non omnia*; nàm certum est, aliqua peccata esse inter se connexa; ut patet in adulterio, ubi iniustitia connectitur cum luxuria; & in furto rei sacræ, ubi peccatum sacrilegij connectitur cum pec-

ca-

cato furti; & ſic de alijs. Prob. igitur primò ex ſacra ſcript.; nam lib. 3. Reg. cap. 15. v. 5. dicitur, David feciſſe rectum in oculis Domini, & non declinaſſe ab omnibus, quæ præceperat ei, *excepto ſermone Uriæ*, ſcil. adulterio, & homicidio: ergo non peccavit in omnibus, nec datur connexio omnium peccatorum. Item in epiſt. D. Jacobi cap. 2. dicitur: *Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus es tranſgreſſor legis*: ergo. Prob. 2. ratione: obiecta plurium peccatorum ſunt ita inter ſe inconnexa, & diſparata, ut unum appetatur ſine alio, v. g. obiectum furti, & blaſphemiæ, ac ſic de alijs: ergo. Conf. 1.: aliqua peccata ſunt contraria, imo & extremè oppoſita: ergo tàm longè abeſt, ut ſint connexa, quod quin potiùs inter ſe repugnant. Prob. antec.: prodigalitas, & avaritia, timiditas, & temeritas ſunt extrema oppoſita, & ſibi invicem repugnantia: ergo. Conf. 2.: virtutes non ſunt inter ſe neceſſario connexæ; ut probabimus in tract. *de Virtutibus*: ergo multò minùs vitia, & peccata inter ſe connectuntur; nàm cùm bonum ſit ex integra cauſa, malum autèm ex quocumque defectu, potius ad bonum virtutis deberent omnes concurrere, quã omnia vitia ad malum peccati.

2 Arg. 1.: in epiſt. D. Jacobi, cap. 2. dicitur: *Quicumque totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*; ſed fieri reum omnium mandatorum legis, videtur eſſe idem, ac habere ſimul omnia peccata contra univerſa legis præcepta: ergo qui peccat in uno, ſubiacet omnibus & conſequenter &c. Reſp. neg. min.; tùm, quia ipſe textus ait, *offendat in uno*, ac proinde non in omnibus; ac etiam dicit: *Quòd ſi non mœchaberis, occides autem, factus & tranſgreſſor legis*, in quibus verbis exprimit, poſſe contra unum præceptum ſtare peccatum ſine alio. Tùm, quia ly *factus eſt omnium reus* intelligitur quantum ad averſionem à Deo, & reatum pœnæ æternæ per quodlibet peccatum mortale, ac ſi omnia præcepta violaret, & univerſa peccata committeret: tùm, quia lex Divina ſe habet ad modum totius myſtici, præceptis veluti ex partibus conſtantis; & ſicut qui deſtruit unam partem, totum deſtruit, & per conſequens totius eſt reus, quamvis alias partes non deſtruat; ita qui tranſgreditur unum præceptum, deſtruit illud totum myſticùm, & eſt quaſi totius legis

gis tranſgreſſor. Tùm, quia cum lex præcipiat ſervare omnia mandata, ideò qui delinquit in uno, utpotè non ſervans omnia, fit omnium reus. Ex quibus poteſt multipliciter explicari ille textus allegatus in mai.

3 Arg. 2.: Eccleſiaſtici 10. dicitur: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Et ep. 1. ad Timoth. cap. ult.: *Radix omnium malorum cupiditas*: ergo omnia peccata ſunt connexa cum ſuperbia, & avaritia, utpotè eorum initio, & radice. Reſp. neg. conſeq.; quia ex illis textibus unicè probatur, ſuperbiam, & avaritiam diſponere, aut inclinare ad alia peccata; non verò quod connectatur, ſeù illa neceſſario inferant. Imò licèt detur connexio aliorum peccatorum cum ſuperbia, & avaritia, non indè probatur, quod omnia ſint inter ſe connexa.

4 Concluſ. 2.: non omnia peccata (adhuc mortalia) ſunt æqualia; ſed aliqua ſunt alijs graviora. Ità omnes Catholici contrà Stoicos, & Jovinianum, qui ſicut aſſerebat, merita, & præmia iuſtorum eſſe æqualia, ità etiam affirmabat, peccata, & eorum pœnas eſſe paria. Prob. primo ex ſcript.: Ieremiæ cap. 7. v. 26. dicitur: *Peius operati ſunt, quam patres eorum.* Threnor. cap. 4.: *Maior effecta eſt iniquitas populi mei peccato ſodomorum.* Et Joan. cap. 19. *Qui me tradidit tibi, maius peccatum habet*: ergo. Conſ.: inæqualitas pœnæ ſupponit inæqualitatem culpæ; ſed non omnibus peccatis correſpondet æqualis pœna, ut conſtat ex illo: *Quantum glorificavit ſe, & fuit in deliciis, tantum date ei tormentorum, & luctus.* Et ex illo: *Pro menſura delicti erit & plagarum modus*: ergo. Prob. 2. ratione: ſicut privationes ſumunt ſpecificationē, ità etiam gravitatem à bonis, ſeu formis, quibus privant, & opponuntur; ſed bona, quibus privant, & opponuntur peccata, ſunt inæqualia: ergo. Prob. min.: reverentia Deo debita eſt maius bonum, quam quæ debetur homini: ergo irreverentia in Deum eſt maius malum, quam irreverentia in hominem; & ſic de alijs. Confirm.: privationes voluntariæ, & morales, uti ſunt peccata, pendent à voluntate agēte cum maiori, vel minori libertate, & conatu: ergo ſunt alia alijs graviora, etiam circa idem obiectum. Prob 3.: ſpecies ſunt ſicut numeri, iuxta Ariſtot., adeò ut ſicut non dantur duo numeri æquales, ità nec ſpecies; ſed dantur plura peccata ſpecificè diſtincta: ergo nequeunt eſſe æqualia.

5 Arg.

5 Arg. 1. : omnia peccata mortalia avertunt æqualiter à Deo, & æqualiter puniuntur : ergo ſunt æqualis gravitatis. Prob. antec. : in eo conveniunt omnia mortalia, quòd ſunt ſimplicitèr averſiones a Deo ut ultimo fine, & puniuntur totali privatione gratiæ, & gloriæ, àc eadem pœna damni, quæ eſt præcipua, & eſſentialis : ergo. Reſp. neg. antec. quoad 1. part. ; quia ſicut licet omnia opera bona, & meritoria conveniant in eo, quod convertunt ad Deum ut ultimum finem, tamen non omnia ad ipſum convertunt, nec accedunt æqualitèr ; ità ſimilitèr per oppoſitum peccata, licèt omnia avertant, non tamen æqualiter, ſed magis, vel minùs, tùm iuxta qualitatem obiectorum, tùm iuxta intenſionem libertatis, & circunſtantiarum. Neg. etiam antec. quoad 2. part. cum eius probat. ; quia nedum pœna ſenſus, ſed etiam pœna damni eſt inæqualis in damnatis, ut conſtat ex dictis in tract. *de Dæmonijs* diſp. 3. q. 1. num. 3. 4. & 5. videre ibi.

6 Arg. 2. : peccare eſt tranſgredi regulam legis, & rationis, non aliter quam in phyſicis tranſilire terminum præfixum aliqua linea ; ſed in phyſicis non magis uno motu, quam alio tranſgreditur quis terminum indiviſibilitèr præfixum ; quia illum tranſilire, vèl tranſgredi conſiſtit in indiviſibili, & nihil intereſt, quòd parum, vèl multum diſtet à linea : ergo ſimilitèr in moralibus ; & conſequenter non datur inæqualitas peccatorum. Reſp. neg. min. ; quia licèt quantùm ad hoc quod eſt terminum tranſilire abſolutè, & ſimpliciter, non magis uno motu, quàm alio tranſiliat quis terminum indiviſibilitèr præfixum, & extrà illum conſtituatur ; tamen quantùm ad hoc quod eſt magis recedere à termino, ſeù diſtare ab ipſo, ſic certum eſt, quòd magis poteſt quis tranſilire illum uno motu, quam alio. Sic igitur paritèr in moralibus, licet generaliſsimè conveniant omnia peccata in eo quòd ſint abſolute, & ſimpliciter tranſgreſsiones legis, & rationis ; tamèn quoàd ſpeciem, & individuum poteſt dari maior, vèl minor tranſgreſsio in uno peccato, quam in alio.

7 Arg. 3. : peccatum conſiſtit in privatione, ut conſtat ex dictis ; ſed una privatio non eſt maior alia ; non enim una cœcitas v. g. eſt maior altera : ergo nec unum peccatum eſt maius altero. Confirm. ; una privatio nequit eſſe maior, vèl minor altera, ſemel àc in indiviſibili conſiſtat for-

ma

ma privata; ſed rectitudo debita, in cuius privatione conſiſtunt peccata, conſiſtit in indiviſibili: ergo. Mai. conſtat; quia inæqualitas privationum deſumitur ab inæqualitate formarum. Prob. min.: ideo veritas conſiſtit in indiviſibili, ſeù non ſuſcipit magis, vel minus, quia eſt conformitas cognitionis cum obiecto; ſed rectitudo eſt conformitas actus cum lege, & ratione: ergo.

8 Ad arg. conceſ. mai.; diſt. min.: una privatio non eſt maior alia in phyſicis, ubi privatio ponitur per meram abſentiam formæ, permit. min.; in moralibus, ubi non ſolum attenditur abſentia, formæ, ſed etiam maior conatus, & aliæ circunſtantiæ, neg. min.. Vel aliter diſt. min.: una privatio non eſt maior alia in ratione privationis ut ſic & generice, conc.; in ratione huius, vèl illius privationis, & in ſpecie, vel in individuo, neg. min.; nàm ſicùt una forma eſt excellentior alia v. g. viſus eſt perfectior auditu; ita una privatio eſt maior, vel peior altera, v. g. cœcitas eſt peior ſurditate; & ſicut calor ut quatuor eſt intenſior calore ut duo, ita privatio illius eſt maior privatione iſtius. Cùm igitur una rectitudo ſit melior alia tam ſecundùm ſpeciem, & ex obiecto, quam in individuo, & ex maiori conatu; ideò peccatum illi oppoſitum eſt gravius altero, ut inquit Subt. Doct. in 2. d. 37. §. *Ex iſta ſolutione*: Ad conf. neg. min.; quia ut ait Doct. cit., cum una rectitudo ſit ſecundum ſpeciem immediatior fini, vèl in individuo eliciatur cum maiori conatu, & intenſione, ideo eſt melior altera, & conſequenter non conſiſtit in indiviſibili. Ad probat. min. poterat negari ſuppoſitum mai. ſcil. veritatem conſiſtere in indiviſibili; ait enim Subt. Doct. ibi: *Hoc patet per ſimile in principio, & concluſione; ille enim error eſt maior, qui magis redundat in principijs, ſine quo negatur concluſio verior, & principio propinquior.* Sed illo admiſſo, diſt. mai.: ideo veritas conſiſtit in indiviſibili, quia eſt conformitas naturalis, & quomodolibèt cum obiecto, quodcumque illud ſit, conc. mai.; alitèr, neg. mai.; & diſt. min.: rectitudo eſt conformitas libera, tanta, vel quanta, actus cum lege, & ratione tali, vèl quali, ſeù gravi, vel levi, cõc.; eſt conformitas naturalis, vel quahſcùque præcisè, cùm lege, & ratione abſolute, & ſimplicitèr, ſeù non attenta eius qualitate, neg. min.; & conſeq.

QUÆS-

QUÆSTIO II.

Undè ſumatur gravitas, vèl inæqualitas peccatorum?

1 Dicimus 1.: gravitas, & inæqualitas peccatorum ſumitur per ſe, & eſſentialitèr ex obiectis; ità ut cœteris paribus illud peccatum ſit gravius, quòd verſatur circà obiectum peius. Ita Subt. Doct. in 2. d. 21. q. 2. §. *Ex iſto patet*; & eſt commune. Prob.: ab eo ſumitur per ſe, & eſſentialitèr gravitas, & inæqualitas peccatorum, à quo ſumitur ſimilitèr malitia, & differentia ſpecifica ipſorum; ſed hæc ſumitur ex obiecto, ut in tract. de Actibus Humanis manet probatum: ergo. Ideo peccata directè contrà Deum (uti ſunt ea, quæ opponuntur virtutibus Theologicis, & Religioni, àc Pœnitentiæ) ſunt graviſsima; deindè ea, quæ ſunt contrà bona præſtantiora hominis, ut diffamatio, & homicidium; àc demum illa, quæ ſunt contrà res externas, & infimas hominis; ut furtum. Hoc autem intelligitur cœteris paribus; nàm aliundè peccatum ex obiecto ſpecifice gravius poteſt fieri moralitèr levius ex aliqua circunſtantia, & è contra; cùm iuxtà dicta in tract. *de Actibus Humanis*, circunſtantiæ augeant, & minuant, imò mutent ſpeciem malitiæ. Hinc.

2 Dicimus 2.: gravitas, & inæqualitas peccatorum ſumitur ex lege magis, vèl minus obligante, ſeù ſeverius, aut mitiùs prohibente. Ita etiàm Subt. Doct. cit.. Prob.: malitia moralis actuum deſumitur ex obiectis, ut prohibitis, ſeù cadentibus ſub lege; cum de ratione omnis peccati ſit, eſſe contra legem, ut probatum manet: ergo quo maior, vèl minor fuerit obligatio legis, talis erit reſpectivè gravitas peccati; & conſequentèr &c. Ideò comeſtio pomi in Adamo fuit peior, quàm nùnc comeſtio carnis die vetito, aut quàm olim comeſtio porcinæ apud Iudæos; & univerſaliter poteſt res, de ſe minus bona, ſeverius præcipi tanquàm magis utilis, vèl neceſſaria ad certum finem.

3 Dicimus 3., gravitas, & inæqualitas peccatorum ſumitur per ſe, & eſſentialiter ex oppoſitione ad præſtantiorem virtutem, adeò ut peccatum oppoſitum virtuti præſtantiori, cæteris paribus, ſit gravius peccato oppoſito virtuti inferiori. Ità Subt. Doct. loco cit., & d. 37. q. 1. §. *ex iſta ſolutione*. Prob. primo: eò peccatum eſt gravius, quo privat maiori rectitudine; ſed peccatũ oppoſitũ virtuti præſtantiori privat maiori recti-

tudine debita ipſi actui oppoſito virtuti excellentiori: ergo. Conf.: peccatum eò eſt gravius, quò eſt maior oppoſitio cum recta ratione, ſed tùnc habetur maior oppoſitio cum recta ratione quando eſt oppoſitio cum virtute perfectiore: ſiquidem hæc eſt magis conformis rationi rectæ: ergo. Prob. 2. quod ex ſuo genere excedit aliud, ſemper excedit illud niſi aliundè reſarciatur exceſſus; ſed peccatum, quod opponitur excellentiori virtuti, ex genere ſuo excedit aliud oppoſitum virtuti inferiori: ergo ſi cætera ſint paria &c. Hinc peccata ſpiritualia sûr graviora carnalibus; quia iſta opponuntur inferioribus virtutibus, illa autèm excellentioribus.

4 Diximus *cæteris paribus*; ſcil. circunſtantijs, & præcepto, àc obligatione utriuſque virtutis; nàm ſi circunſtantiæ ſint inæquales, aut virtus inferior ſit magis præcepta, tunc peccatum oppoſitum inferiori virtuti poterit eſſe gravius peccato oppoſito virtuti præſtantiori. Sed paritas præcipuè debet attendi penès actus utriuſque virtutis; quia cum unaquæque habeat ſuam latitudinem, ità ut circà eandem dentur actus eſſentialitèr diverſi, ex quibus alijs ſint principaliores & alij minùs principales; ideo debet attendi paritas proportionalis inter actus utriuſque virtutis, ità ut actus principalior virtutis præſtantioris comparetur cùm actu etiàm principali inferioris virtutis; & in hoc ſenſu dicimus, quòd peccatum oppoſitum virtuti perfectiori, & pricipaliori eius actui eſt gravius, quàm peccatum oppoſitum virtuti minùs perfectæ, etiamſi opponatur eius quoque actui principaliori; nàm ſi alias fiat comparatio inter actus difformes, ſcil. intèr actum minùs principalem virtutis præſtantioris, & actum principalem inferioris virtutis, tùnc peccatum oppoſitum iſti actui poterit eſſe gravius peccato oppoſito illi; qua ratione homicidium oppoſitum iuſtitiæ, quæ eſt virtus minùs nobilis, quàm religio, eſt gravius peccatum, quã omiſsio ſacri præcepti ex motivo Relig., eſt ſic de alijs.

5 Dicimus 4.: gravitas, & inæqualitatas peccatorum deſumitur etiàm ex modo diverſo, quo illa opponuntur eidem virtuti, adeò ut oppoſitio contraria ſit peior quàm privativa; & oppoſitio per defectum ſit gravior oppoſitione per exceſum illis virtutibus, quæ ordinantur ad impellendum hominem, in illis autem, quæ ordinantur ad illum cohibendum, gravior eſt oppoſitio per exceſum, quàm

oppo-

oppoſitio per defectum. Prob. primo quoàd omnes partes ſimul: ab eo ſumitur gravitas, & inæqualitas peccatorum, à quo ſumitur differentia ſpecifica ipſorum; ſed hæc ſumitur etiàm à modo formaliter, & ſpecifice diverſo oppoſitionis reſpectu eiuſdem virtutis: ergo inde etiam ſumitur inæqualitas gravitatis. Prob. ſecundò quoàd ſingulas, & primò quoad 1. part.: eò peccatum eſt gravius, quò magis avertit à fine virtutis, cui opponitur, quia tùnc maiori rectitudine privatur; ſed peccatum commiſsionis, contrariè oppoſitum virtuti, magis avertit ab eius fine, quam peccatum omiſsionis, privativè oppoſitum eidem virtuti; ſiquidem receſſus contrarius, & poſitivus magis avertit à fine, quam receſſus privativus, ſeù non acceſſus ad eundem: ergo gravius eſt peccatum contrariè oppoſitum alicui virtuti, quam peccatum purè privativè oppoſitum ipſi. Quarè odium Dei eſt peccatũ gravius, quàm omiſsio amoris præcepti.

6 Prob. 2. pars: illud eſt gravius peccatum, quòd magis diſtat, & removet à virtute; ſed ergà illas, quæ inclinãt ad medium quaſi impellendo voluntatem, peccatum per defectum diſtat magis, & removet à virtute, quam peccatum, quod per defectum opponitur ipſi; ut patet in avaritia, quæ magis diſtat, & removet à liberalitate, ſeu à dando cùm debita moderatione, quàm prodigalitas; & intimiditate, quæ magis removet à fortitudine, ſeù ab aggrediendo pericula cùm mediocritate, quam audatia: ergo circà virtutes quaſi impellentes voluntatem gravius eſt peccatum per defectum, quam per exceſſum. Prob. 3. part: illud peccatum eſt gravius, quod eſt magis diſimile, & reddit hominem magis indiſpoſitum ad virtutem, ac eſt magis contrarium eius fini; ſed circà virtutes quaſi retrahentes, & refrænantes voluntatem, peccatum per exceſſum eſt magis diſsimile, & reddit hominem magis indiſpoſitum ad virtutem; ut patet in temperantia, cuius finis eſt cohibere hominem à delectationibus ſenſibilibus, cui magis contrariatur exceſſus, quàm defectus: ergo circa huiuſmodi virtutes gravius eſt tale peccatum.

7 Dicimus 5.: gravitas, & inæqualitas peccatorum deſumitur etiam ex circunſtantijs, ſivè mutantibus ſpeciem, ſivè purè aggravantibus intrà eandem; & ratione maioris nocumenti; atque etiàm ratione ſcandali. Ratio primæ partis eſt; quia iuxta omnes, malitia

non ſolum deſumitur ex obiecto, ſed etiam ex circunſtantijs: ergo gravitas, & inæqualitas peccatorum deſumitur etiam ex ipſis, ità ut illud peccatum, cœteris paribus, ſit gravius, cuius circunſtantiæ ſint peiores; ſivè illæ ſint mutantes ſpeciem, ſivè unicè aggravantes; pro quo videantur dicta circà hoc in tract. *de Actibus Humanis*. Quamvis aliundè inter tales circunſtantias ea ſit differentia, quod circunſtantiæ mutantes ſpeciem ſunt neceſſario exprimendæ in confeſsione; de circunſtantijs autèm purè notabilitèr aggravantibus intrà eandem ſpeciem eſt probabile, non adeſſe obligationem illas explicandi.

8 Secunda pars reſolut. patet; nàm ideò eſt gravius peccatum auferre bona æſtimabiliora, v. g. vitam, quam divitias; aùt ex bonis eiuſdem generis auferre maiorem quantitatem; & ideò eſt gravius peccatum auferre ab aliquo id, quo magis indiget; quia ſit maius damnum, ſeù nocumentum: ergo ratione huius circunſtantiæ aggravatur peccatum. Tertia denique pars conſtat; quia cùm ſcandalum ſit cauſa, vèl occaſio ruinæ ſpiritualis proximi, certum eſt, quòd ratione huius circunſtantiæ, inferentis tale nocumentum, eſt gravius, imò & ſpeciale peccatum virtuti charitatis oppoſitum, & contradiſtinctum ab alio peccato, alteri virtuti, v. g. iuſtitiæ, aùt caſtitati oppoſito. Hinc proferens verba inhoneſta ut alterum provocet ad turpia, committit tria peccata, unum videlicèt contra caſtitatem, quam ipſe per ſe violat, alterum etiam contra ipſam caſtitatem, ad cuius violationem inducit aliũ, cuius peccati ſit particeps inducens ad illud; & aliud contrà charitatem, ex qua tenetur non præbere proximo occaſionem talis ruinæ, & nocumenti.

9 Sed difficultas eſt: àn circunſtantia ſcandali debeat eſſe directè volita, ut refundat ſpecialem malitiam? Reſp.: non ſolum ſcandalum directum, ſeù ex directa intentione inducendi proximum ad aliquid peccaminoſum; ſed etiam ſcandalum activum indirectum, ſeù datum abſque formali intentione ſcandalizandi, cum prævisione tamèn, & probabilitate inducendi tale nocumentum, eſt ſpeciale peccatum. Sic plures ex Noſtris, & ex Extraneis, contra alios. Prob. primò: ut obiectum pravum, vèl circunſtantiæ refundàt ſpecialem malitiam in actum, non requiritur quòd illa ſit formalitèr, & directè volita; ſed ſufficit, quòd ſit indirectè, virtua-

tualitèr, aut interprætativè voluntaria ; ut conſtat ex tract. *de Actibus Humanis*: ergo ut circunſtantia ſcandali refundat ſpecialem malitiam, non requiritur, quòd præcisè ſit directè intenta. Prob. conſeq., & ſimùl impugnatur fundamentum N. Fœlicis ; ideò ut circunſtantia ſcandali refunderet ſpecialem malitiam, deberet eſſe directè volita, quia eſſet circunſtantia generalis, non verò ſpecialis ; ſed hoc eſt falſum : ergo. Prob. min.: circunſtantia generalis peccatorum eſt illa, quæ per ſe, & generalitèr includitur in omni peccato, ut inobedientia, ingratitudo, contemptus virtualis, offenſa Dei &c.; ſed circunſtantia ſcandali purè materialitèr, per accidens, & ſpecialitèr comitatur aliqua peccata, nedùm interna, ſed etiam exteriora, quibus per ſe non coniungitur veluti eorum proprietas, aùt complementum; ſed omninò per accidens ſe habet ad rationem completam malitiæ ipſorum, ut patebit per ſingula diſcurrendo : ergo.

10 Prob. 2.: verè committit peccatum detractionis contra iuſtitiam ille, qui loquitur aliquid, ex quo prævidet ſequendum proximo damnum in fama, quamvis tale damnum non intendat, aùt quærat directè ; item verè committit peccatum ſacrilegij contra virtutem Religionis qui carnalitèr peccat cùm perſona ligata voto caſtitatis, quamvis iniuriam, ac irreverentiam, quam facit perſonæ ſacræ, non intendat directè, ſed ſolam voluptatem ; & ſic de alijs : ergo etiam verè committit peccatum ſcandali contra virtutem charitatis qui aliquid dicit, vel facit, aùt omittit, ex quo prævidet ſecuturum proximo damnum ſpirituale, etiamſi tale damnum non intendat, aùt quærat directè. Prob. conſeq., & ſimùl impugnatur aliud fundamentum Adverſ. : ideò iuxta illos, hoc non eſſet verum, quia eadem præcisè virtus, quæ obligat hominem ad non ponendos actus tali virtuti oppoſitos, obligat etiàm ipſum ut non inducat alios ad eoſdem actus eliciendos, adeò ut ille qui proptèr ſcandalum eſt cauſa, ut alter adulterium committat, peccet tantùm contrà eandem virtutem, contrà quam peccat ille, qui adulterium perpetrat ; ſed hoc eſt falſum, etiàm iuxtà ipſos: ergo. Prob. min.: etiàm iuxtà Adverſ., inducens, ſaltem ex directa intentione, aliũ ad perpetrandum adulterium, nedùm peccat contrà illam virtutem, contrà quam peccat illud committens ; ſed etiam ratione ſcandali peccat contrà

charitatem, obligantem ad vitandam ruinam proximi: ergo falsum est iuxta ipsos, quòd eadem præcisè virtus obligans hominem ad non eliciendos actus tali virtuti oppositos, obliget etiàm ipsum ad non inducendos alios in similes actus, adeò ut ille, qui propter scandalum est causa, ut alter adulterium committat, peccet solùm contra eadem virtutem, contra quam peccat ipse adulterans.

11 Conf. 1.: ideò inducens explicitè, & directè alterum ad adulterium committendum, præter malitiam adulterij desumptam ex obiecto contrahit aliam scandali contrà charitatem; quia infert illi grave damnum ruinæ spiritualis, quòd est specialiter contra talem virtutem; sed etiam inducens implicitè, & indirectè ad simile peccatum infert scandalizato grave nocumentum, quod est specialiter contrà charitatem, & ad cuius violationem sufficit intentio indirecta, & virtualis, ut patet in alijs materijs: ergo. Conf. 2.: qui sine causa rationabili elicit actionem de se indifferentem ex qua prævidet, alterum scandalizadum fore, peccat specialiter contra charitatem peccato scandali, licet alterius ruinam non intendat, aùt quærat directè; proùt conceditur etiam ab Adversr.: ergo etiam peccat contra eandem virtutem, & peccato simili, qui elicit actionem malam de se, & aliundè, ex qua prævidet, alterum scandalizatum iri, quamvis alterius ruinam non intendat directè; cum nulla disparitas possit assignari.

DISPUTATIO VI.

De subiecto peccatorum.

QUÆSTIO I.

In quibus potentijs possint peccata subiectari?

1 Asserimus 1.: peccatum primò, principalitèr, & per se subiectatur in sola voluntate. Ita Subt. Doct.: in 2. d. 42. q. 4.. Prob. peccatum, utpote voluntarium, subiectatur per se primò, & principalitèr in potentia per se libera; sed huiusmodi est sola voluntas, prout docetur in libris *de Anima*: ergo. Asserimus 2.: intellectus, & appetitus sensitivus est per se secundò subiectum peccati. Prima pars est communis, & prob. potentia subiacens imperio voluntatis, seù cuius actus dependenter ab illius imperio sunt voluntarij, est subiectum peccati; sed intellectus quoad plu-

plures eius actus ſubiacet imperio voluntatis, ita ut ex iſtius mitione ſint voluntarij: ergo. Conf. 1.: error infidelitatis, iudicium temerarium, & alia huiuſmodi ſunt formaliter peccata; ſed ità, utpotè actus immanentes intellectus, ſubiectantur in ipſo: ergo. Conf. 2.: ad potentiam, ad quam pertinet ſubiectare formam, pertinet etiam eſſe ſubiectum privationis formæ eo modo quo poteſt ſubiectari; ſed actus fidei ſubiectatur in intellectu: ergo carentia actus fidei, tempore quo inſtat eius præceptum, ſubiectatur in intellectu. Secunda pars aſſert. eſt etiam communis, & traditur à Subt. Doct. cit.. Prob.: quidquid ſubiacet rationi dirigenti, & voluntati imperanti, ac eſt contrarium legi, & rationi, eſt peccatum formaliter; ſed actus appetitus ſenſitivi ſunt huiuſmodi: ergo ſunt formaliter peccatum, & conſequenter iſtud ſubiectatur in appetitu ſenſitivo, qui eſt receptivus ſuorum actuum, utpote immanentium.

2 Aſſerimus 3.: ſenſus externi, potentiæ, & memoria, quæ aliquo modo ſubiacent imperio voluntatis, ſunt etiam ſubiecta peccati intrinſecè, & formaliter. Eſt Scotiſtarum cum Doct. cit., & Quodlib. 18., contra plures ex Thomiſtis, & aliis. Prob. 1. omnibus rationibus, quibus in tract. *de Actibus Humanis* probatum manet, actum exteriorem addere bonitatem, vel malitiam intrinſecam, & formalem, ſuprà actum interiorem. Prob. 2.: iuxta Adverſ., intellectus, & appetitus ſenſitivus ſunt ſubiecta peccati: ergo etiam membra, ſenſus, vel potentiæ externæ. Prob. conſeq.: ideò intellectus, & appetitus ſenſitivus poſſunt eſſe ſubiectum peccati, quia licèt per ſe, formaliter, & intrinſecè ſint potentiæ naturales, tamèn ſubiacent imperio voluntatis, à qua participant rationem voluntarij; ſed etiàm ſenſus externi ſunt huiuſmodi; quis enim dubitet, voluntatem poſſe imperare viſionem, vel auditionem rei prohibitæ? ergo. Prob. mai.: intellectus, & appetitus ſenſitivus hominis non habent aliquam libertatẽ propriam, intrinſecam, & formalem, ex pura coniunctione entitativa cum voluntate; ut probabimus in quæſt. ſequenti: ergo ideò præcisè poſſunt eſſe ſubiectum peccati, quia ſubiacent motioni, & imperio voluntatis, licèt ſint potentiæ naturales intrinſecè, & formaliter.

3 Arg. 1.: contra 1. aſſert.: peccatum debet eſſe volitum; ſed actus voluntatis non eſt

volitus, quin potius eſt ipſum velle: ergo actus voluntatis nequit eſſe peccatum; & conſequenter voluntas non poteſt eſſe ſubiectum illius. Conf. 1. malum, & peccatum ſunt præter voluntatem, ut inquit D. Dionyſ. cap. 4. *de Div. Nomin.*: ergo peccatum non eſt in voluntate. Conf. 2.: ſi voluntas peccaret maxime appetendo malum ſub ratione boni; ſed prout ſic non peccat voluntas, ſed intellectus eò quia oſtendit voluntati malum diſſimulatum ſub ſpecie boni: ergo. Ad arg. neg. mai.; quia licet peccatum debeat eſſe voluntarium, id eſt à voluntate tanquam à principio libere eligente; non tamen debet eſſe volitum, ſeu obiectum ipſius velle, ſive actus voluntatis. Ad 1. conf. explic. antec.: peccatum eſt præter voluntatem, id eſt, præter primariam eius intentionem, quæ non eſt ergà malum ſub ratione mali, conc.; eſt præter voluntatem, id eſt, præter omnem eius attingentiam, & electionem, neg. antec., & conſeq.. Ad 2. conf. conceſ. mai., neg. min.; tum, quia voluntas etiam peccat præfigendo bonitatem obiecto, non oſtenſo, nec ſimulato, ut bono ab intellectu; tùm, etiam quia voluntas poteſt imperare intellectui ut perfectè conſideret obiectum malum, & non oſtendat ut bonum, atque adeò peccat appetendo illud aliter ſimulatum.

4 Arg. 2. contra 1. part. 2. aſſert.: intellectio præcedit naturaliter volitionem: ergo intellectio non eſt in poteſtate voluntatis; & conſequenter peccatum nequit in intellectu ſubiectari. Diſt. antec.: aliqua intellectio præcedit volitionem, conc.; omnis intellectio, neg. antec.; quia pluriès voluntas imperat intellectui, ut cogiter, vèl complacet in cogitatione, vèl intellectum non avertit; atque adeò tales cogitationes ſũt poſteriores, & ſubiacentes imperio voluntatis, ac proindè poſſunt eſſe peccaminoſæ.

5 Arg. 3. contra 2. part. eiuſdem aſſert.: quod eſt commune brutis, & hominibus, nequit eſſe peccatum; quia per illud nequit homo converti, nec averti ab eius fine ultimo, & proprio ipſius; ſed appetitus ſenſitivus eſt communis brutis, & hominibus: ergo. Diſt. mai.: quod eſt undequaquè commune brutis, & hominibus, nequit eſſe peccatum, conc.; quod aliqualiter eſt commune, aliunde tamen eſt proprium hominis, nequit eſſe peccatum, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: appetitus ſenſitivus, præcisè in ſe inſpectus, eſt communis, conc.; prout

par-

particeps rationis, & libertatis humanæ, ſive prout liber per participationem, & motionem à voluntate, neg. min.: & diſt. pariter conſeq.: in appetitu ſenſitivo præcisè ſecundum ſe ſumpto, & independenter à motione, & imperio voluntatis, nequit eſſe peccatum, conc.; in appetitu ſenſitivo, prout ſubiacente imperio voluntatis, ſeu eius motioni, neg. conſeq.

6 Arg. 4. contra 3. aſſert.: malitia peccati nequit reſidere intrinſecè, & formaliter in eo ſubiecto, quod non eſt aliquomodo intrinſecè liberum; ſed ſenſus externi, aùt membra corporis non gaudent intrinſeca libertate: ergo. Conf.: potentiæ, quæ deſpoticè obediunt voluntati, ſeù quæ non poſſunt non obedire, & nequeunt habere proprios motus contra imperium voluntatis, non poſſunt eſſe ſubiecta peccati, ſed potentiæ externæ obediunt deſpoticè voluntati: ergo. Prob. mai.: actus illarum potẽtiarum non ſunt à ratione regulabiles; ſiquidem ſequuntur ex neceſsitate naturæ: ergo. Ad arg. reſp. ex dictis in tract. *de Actibus Humanis*, diſp. 7. q. unic. num. 20. conceſ. mai., neg. min.; quia ſenſus externi, ac eorum actus gaudent intrinſeca libertate mediata, participata, & proveniente à motione, ſeù imperio voluntatis; quæ libertas ſuficit ad ſubiectandam malitiam mediatam, ſecundariam, & minus principalem; proùt conſtat ex ibi dictis. Ad conf. neg. mai., & diſt. antec. prob.: tales actus immediatè, per ſe, & independenter à motione, ſeù imperio voluntatis, non ſunt à ratione regulabiles, conc.; adhùc mediate, ſive prout imperati à voluntate, neg. antec.; & conſeq.

7 Arg. 5. contra eandem aſſert. ex Mag. Aliaga in tract. *de Bonitate, & Malitia*, dub. 18. §. 5.: implicat, actum non intrinſecè moralem eſſe intrinſecè bonum, aut malum formaliter; ſed actus externus nequit eſſe intrinſecè moralis formaliter: ergo. Mai. patet; quia id, quod intrinſecè non participat genus, nequit intrinſecè participare ſpecies illius. Prob. min.: moralitas formalis actus conſiſtit in reſpectu ad obiectum, ut ſtat ſub regula rationis; ſed actus externus ſecundum ſibi intrinſeca non reſpicit obiectum ut ſtat ſub regula rationis: ergo. Prob. min.: actus, qui vitaliter non attingit menſurabilitatem, quam obiectum dicit ad regulam rationis, ſecundum ſibi intrinſeca non reſpicit obiectum ut ſtat ſub regu-

gula rationis; cum actus ſecundum ſibi intrinſeca in vitali attingentia conſiſtat; ſed talis eſt actus externus conſideratus ſecundum ſibi intrinſeca; quandoquidem conformitas, aùt difformitas obiecti cum recta ratione, ſicuti & eius menſurabilitas ſunt formalitates omnino extrà ſphæram actus externi, & potentiarum externarum, quæ ſolum indicant de accidentibus ſenſibilibus ſibi notis: ergo.

8 Conf.: actus, cuius obiectum, proùt attingitur ab illo, nihil importat de linea moris, ſecundum ſibi intrinſeca non eſt in tali linea formaliter; ſed actus externus furandi pecuniam v. g. eſtò attingat obiectum diſſonum rationi, nullomodò percipit, aut attingit diſſonantiam cum recta ratione: ergo. Mai. patet; nàm ratio, quę invenitur in obiecto, ſeù pure materialiter ſe habet reſpectu actus, & nullatenùs attingitur per ipſum, non ſpecificat aliquam denominationem intrinſecam ex parte actus. Min. etiam conſtat; quia actio furandi, licèt ſecundum ſibi intrinſeca contingat rem ablatam, eam que realiter alienet à ſubiecto poſſidente; tamen nullo modo percipit, nec attingit in tali re diſſonantiam, aut reſpectum, quem dicit ad regulam rationis; cum talis reſpectus in eſſe veri a potentia cognoſcitiva, & in eſſe mali moralis, ac boni utilis, a potentia affectiva ſolum percipi poſsit.

9 Hoc argum. (quod adeò efficax exiſtimat Mag. Aliaga, ut aſſerat, ſe penitus ignorare, quid ei poſsit reſponderi) ideò hic proponimus, quia in ttact. *de Actibus Humanis* illud omiſsimus, & nè aliquid reſpõſione dignum inſolutum relinquamus. Ad arg. igitur conceſ. mai., neg. min.; ad cuius probat. conceſ. mai., diſt. min.: actus externus ſecundum ſibi intrinſeca, id eſt, eſſentialia, propria, & cõvenientia ipſi per ſe, ac independenter à ductu rationis, atque imperio voluntatis, non reſpicit obiectum ut ſtat ſub regula rationis, conc.; ſecundum ſibi intrinſeca, id eſt, in ipſo, etſi ab alio recepta, & participata à ductu rationis; & imperio voluntatis, non reſpicit obiectum ut ſtat ſub regula rationis, neg. min.; & diſt. mai. prob.: actus, qui ſaltem ſecundariò, mediatè, & participative non attingit vitaliter menſurabilitatem obiecti; ſecundum ſibi intrinſeca, id eſt in ipſo, etſi ab alio recepta, & participata, non reſpicit obiectum ut ſtat ſub regula rationis, conc.; actus, qui præcisè primariò, immediatè, & per ſe non attingit menſura-

rabilitatem obiecti; ſecundum ſibi prædicto modo intrinſeca non reſpicit obiectum ut ſtat ſub regula rationis, neg. mai.: & diſt. min.: talis eſt actus externus, conſideratus ſecundum ſibi intrinſeca, id eſt, eſſentialia, propria, & imparticipata, conc.; ſecundum ſibi intrinſeca, id eſt, adhuc in ipſo, etſi ab alio recepta, & participata, ſubdiſt.: talis eſt, ut primario, immediatè per ſe, & independenter à dictamine rationis, & motione voluntatis, non attingat vitaliter obiectum ut ſtat ſub regula rationis, conc.; talis eſt, ut adhuc ſecundario, mediatè, & dependenter à ductu rationis, & imperio voluntatis, non attigat obiectum prædicto modo, neg. min.; quia licèt conformitas, vel difformitas obiecti cum recta ratione, & eius menſurabilitas ſint formalitates omnino extra ſphæram actus externi ſecundum ſe præcisè ſumpti; non tamèn ſunt extrà ſphærā ipſius prout directi à recta ratione, & imperati à voluntate; quod ſufficit ut reddatur intrinſecè, ſibi ſubiectivè conſonus, vel diſſonus rectæ rationi, ac proindè moralis, & bonus, vel malus formaliter, mediate quidem, ſecundario, & participativè.

10 Ad conf. ſimiliter reſp. conceſ. mai., diſt. min.: actus externus ſecundum ſe præcisè ſumptus, ſeù à ratione non directus, nèc à voluntate imperatus, nullo modo percipit, aut attingit diſſonantiam obiecti cum recta ratione, cōc.; actus externus, prout, à ratione directus, & à voluntate imperatus, neg. min.; quia prout ſic, ſcil. mediante ductu rationis, & imperio voluntatis, executivè attingit diſſonantiam obiecti, ſeù obiectum prout diſſonum rationi; ſiquidem ipſa actio externa furandi, ut per rationem propoſita, & à voluntate imperata, ita contingit rem alienam ut modo humano contingat illam, ſeù rationabiliter exequatur illud, quod eſt à ratione propoſitum, & à voluntate imperatum, atque adeo eſt actio intrinſecè, ſeù ſubiectivè humana, & moralis, ac proinde mala formaliter.

QUÆSTIO II.

Utrùm appetitus ſenſitivus, hominis ſecluſſa omni motione voluntatis, poſsit eſſe principium, & ſubiectum peccati venialis?

1 CONcluſ.: appetitus ſenſitivus, prout in homine, ſecluſſa omni motione, aut exercitio voluntatis,

is, nequit esse principium, nèc subiectum peccati, etiam venialis. est N. Subt. Doct. in 2. d. 42. in resolut. quæst. 3., quem sequuntur omnes Scotistæ; idem sustinent alij plurimi, inter quos etiam non pauci Thomistæ, contra alios istius Scholæ. Prob. 1. authoritate: iuxta Apostolum in epist. ad Rom. cap. 7. appetitus sensitivus ipsiusmet D. Pauli concupiscebat aliquod malum, quod voluntas nolebat ut concupisceret appetitus; sed tunc casus non peccabat, quia per voluntatem resistebat: ergo in appetitu sensitivo nequit esse peccatum, etiam veniale, absque ordine ad voluntatem, vel complacentem, vel non resistentem tali appetitui. Deinde, Concil. Trid. sess. 5. in decreto *de peccato originali* num. 5. definit, concupiscentiam, quæ manet in baptizatis, non nocere non consentientibus: ergo sentit, quòd nullus motus appetitus sensitivi est nocivus, & peccaminosus, nisi adsit voluntatis consensus; vel positivus, quatenùs complaceat; vel negativus, aut omissivus, quatenus non resistat.

2 Præterea, M. P. Aug. lib. de duabus animabus contra Manichæos, cap. 10. ait: *Quibus concessis, colligerem, nusquàm scilicèt nisi in voluntate esse peccatum.* Est infra: *Non igitur nisi voluntate peccatur*, & cap. 11. inquit: *Peccatum est voluntas retinendi, vel consequendi, quod iuxtitia vetat, & undè liberum est abstinere, quamquàm si liberum non sit, non est voluntas.* Ac postmodum: *Quis dubitet, tunc esse peccatum, cum & velle iniustum est, & liberum nolle.* Quod adeò manifestum iudicat, ut asserat: *Nonnè ista cantent, & in montibus pastores, & in theatris poetæ, & indocti in circulis, & docti in bibliotheus, & magistri in scholis, & antistites in sacris locis, & in orbe terrarum genus humanum?* Unde D. Thomas in 1a. 2æ. q. 72. art. 1. agens de subiecto peccatorum asserit, esse voluntatem; non quia non recipiantur etiàm in alijs potentijs, sed quia non existunt in illis, nisi dependenter ab influxu, & motione voluntatis. Et art. 2. in respons. ad 1. arg. ubi alegatur illud D. Aug. quod *non nisi voluntate peccatur*, ait: *Non peccatur nisi voluntate, sicut primo movente; alijs autèm potentijs peccatur sicut ab ea motis.* Et art. 3. docet, quod in sensualitate potest esse peccatum, in quantum sensualitas nata est moveri à voluntate: ergo iuxta M. P. Aug., & D. Thomam, nequit appetitus sensi-

tis

tivus eſſe principium, & ſubiectum peccati, ſecluſſa voluntatis motione.

3 Reſp. Gonet, quòd quandò M. P. Aug., & D. Thomas docent, omne peccatum eſſe voluntarium, & dependere à voluntate; hoc non debet præcisè intelligi de actuali motione, ſed etiàm de aptitudinali, ſeù de potentia, & facultate voluntatis ad reprimendos motus appetitus ſenſitivi, quatenùs iſte ſubiacet illius dominio, & poteſtati, quamvis voluntas non exerceat actualem operationē, ſeù motionem. Sed contrà 1.: iuxtà M. P. Aug., & D. Thomam, peccatum debet eſſe actù, ſeù exercitè voluntarium, & liberum; ſiquidèm conſiſtit in eo, quòd homo ex propria electione faciat quòd non debet, vèl non faciat quòd debet; ſed nequit peccatum eſſe actualitèr, ſeù exercitè voluntarium, quin voluntas actualitèr operetur, ſeù moveat, maximè iuxtà Gonet, qui negat, poſsibilem eſſe puram omiſsionem liberam: ergo appetitus ſenſitivus nequit eſſe principium, vèl ſubiectum peccati, adhuc venialis, ſecluſſa motione actuali voluntatis. Prob. min.: nequit peccatum eſſe actù voluntarium, quin homo, potens vitare tale peccatum, non vitet liberè exercitè illud; ſed hoc nequit fieri ſine operatione, ſeù motione voluntatis in tale peccatum; quia nulla cauſa poteſt vitare illum effectum, in quem non habet influxum: ergo.

4 Contrà 2.: ſicùt ſe habet actus primus ad actum primum, ità ſimilitèr actus ſecundus ad actum ſecundum; ſed actus aliarum potentiarum hominis dicuntur voluntarij in actu primo, ſeù aptitudinalitèr per ſubordinationem potentialem ad voluntatem potentem illos imperare, vèl cohibere: ergo ut dicantur, & ſint voluntarij exercitè, & in actu ſecundo (uti requiritur ad peccatum), neceſſario exigitur ordo, ſeù ſubordinatio actualis illorum ad voluntatem, actualitèr moventem, vèl imperantem. Contrà 3.: actus appetitus ſenſitivi hominis ebrij, vèl amentis, imò & compotis rationis, attamen illa non utentis, ſeù omninò inadvertentis, & inculpabilitèr diſtracti, ſubordinātur aptitudinalitèr dominio voluntatis potentis tales actus imperare, vèl cohibere; ſed illi actus in tali ſuppoſitione non ſunt peccaminoſi adhùc venialitèr, propter totalem defectum advertentiæ, & libertatis, ſeù actualis dependentiæ, & ſubordinationis ad voluntatem: ergo quia hæc neceſſariò exigitur ad pec-

ca-

catum. Contrà 4. : iuxtà D. Thomam in 1a. 2æ. q. 6. art. 3. : voluntarium dicitur, quod eſt à voluntate, vèl directè, in quantum eſt agens; vèl indirectè, in quantum non agit, dùm poteſt, & tenetur agere: ergo ut actus appetitus ſenſitivi ſit voluntarius, & peccaminoſus, neceſſariò requiritur ordo, & ſubordinatio actualis ad voluntatem; vèl poſitivè, ſeù directè moventem, & imperantem; vèl omiſivè, indirectè, & interpretative operantem, ſeù non impedientem; ſiquidèm non ponimus aliam actualem ſubordinationem ad voluntatem proùt præcisè imperantem, ſed etiàm proùt liberè non cohibentem, cùm omiſsio ſit etiàm exercitium voluntatis.

5 Prob. ſecundò concluſ. ratione, & ſimùl impugnat. principale fundamentum Adverſ. : iuxta ipſos, in tantum appetitus ſēſitivus, ſecluſſa motione, & influxu voluntatis, poteſt eſſe principium, & ſubiectum peccati venialis, in quātùm talis appetitus ex coniunctione habituali ipſius cùm voluntate, participat, & habet aliquam libertatem intrinſecam, & impefectam, àc ſufficientem ad peccatum veniale; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min. primò authoritate: D. Anſelmus in lib. de peccato origin. cap. 3. ſoli voluntati inter potentias animæ tribuit libertatem; atque adeò omnia peccata in ſolam illam referenda eſſe dicit. & D. Thomas in 1. part. q. 82. art. 2. in reſp. ad 3. concedit, appetitum ſenſitivum, non ex libertate, ſed ex neceſsitate agere: ergo. Prob. ſecundò illa min.: libertas, iuxtà Thomiſtas, radicatur, & provenit ex indifferentia iudicij; ſed ſenſus, quem ſequitur appetitus ſenſitivus, non eſt indifferens, nèc collativus diverſorum, ſed ſimpliciter aliquid unum aprehendit, & ideo ſecundùm illud unum determinatè movet appetitum ſenſitivum; ut docet expreſsè D. Thom. loco cit.: ergo. Prob. 3. illa min.: coniunctor eſt voluntati intellectus, quàm appetitus ſenſitivus; ſed intellectus ex illa præcisè coniunctione habituali ad voluntatem non participat libertatem intrinſecam, proùt fatetur ſententia communiſsima: ergo. Prob. denique eadem min.: libertas ad peccandum ſupponit cognitionem ad diſcernendum inter bonum honeſtum, & malum ipſi oppoſitum; ſed talis cognitio non habetur per ſenſum, appetitus ſenſitivi directivum: ergo. Mai. patet ex eo, quod ebrij, amentes, & pueri, carentes omninò tali cognitio-

ne,

ne, non poſſunt peccare adhùc venialitèr. Prob. min.: ratio honeſtatis, & inhoneſtatis excedit ordinem ſenſibilium, & cognitionem ſenſus, adhùc in homine ratione coniunctionis habitualis cùm intellectu: ergo. Antec. patet, tùm in ebrijs, amentibus, & pueris; tùm, quia talis coniunctio non extrahit, nèc elevat ſenſum ſuprà propriam ſphæram, & ambitum; ut conſtabit ampliùs ex ſolut. argumentorum.

6 Prob. 3. concluſ.; & ſimùl conf. præcedens ratio: ſi in appetitu ſenſitivo daretur libertas habitualis intrinſeca, & imperfecta, ſufficiens ad peccandum venialitèr, in tali appetitu poſſet eſſe peccatum, etiàm non conſentiente, vèl impedita, imò & reſiſtente voluntate; ſed hoc nequit dici, cùm iuxtà Concil. concupiſcentia non poſsit eſſe noxia nō conſentientibus, quin potiùs ſit utilis repugnantibus: ergo. Prob. mai.: habens facultatem liberam ad aliquid ponendum independentèr ab influxu, & opperatione alterius poteſt illud ponere etiàm non conſentiente, vèl impedito, imò & renuente altero, ut eſt notum: ergo. Prob. conſeq., & ſimùl impugn. reſponſ. Adverſ.: ideò licèt appetitus ſenſitivus habeat libertatem ſufficientem ad peccandum venialitèr, id non poſſet reſiſtente voluntate, quia illa libertas communicatur appetitui ex coniunctione, & ſubordinatione habituali ad voluntatem; ſed illa coniunctio, & habitualis ſubordinatio, ac proindè libertas appetitus, verificatur etiàm non conſentiente, vèl impedita, imò & reſiſtente voluntate: ergo.

7 Prob. 4.: ſi in appetitu ſenſitivo daretur libertas intrinſeca, & ſufficiens ad peccandum ſaltèm venialitèr, nullus erit motus concupiſcentiæ, aùt ſenſualitatis, quantumvis primo-primus, & prævenies rationem, ac voluntatem, qui non eſſet peccatum, ſaltem veniale; ſed hoc eſt contrà ſententiam communem Theologorum, imò & contra Concil. cit.: ergo. Prob. mai.: illa libertas, iuxtà Adverſ., convenit appetitui ſenſitivo ex ſola coniunctione habituali, & potentiali motione ab intellectu & voluntate; ſed prædicta habitualis coniunctio, & potentialis motio verificatur de appetitu ſenſitivo hominis etiā proùt eliciente motus omnimò primò primos, & priori ad omnem advertentiam rationis, ac exercitium voluntatis: ergo. Prob. denique ad hominem contra Adverſ.: iuxta illos, in actibus externis non datur bonitas, vèl malitia intrinſeca, & formalis; ſed hoc eſt falſum

ſemèl ac in appetitu ſenſitivo detur libertas intrinſeca, & per ſe ſufficiens ad peccandum ſaltèm venialitèr: ergo. Prob. min.: ideò, iuxtà ipſos, in actibus externis (per quos ipſimet Adverſ. intelligunt omnes actus elicitos ab alijs potentijs præter voluntatem) non datur bonitas, vèl malitia intrinſeca, & formalis, quia in eorum potentijs, ac proindè nèc in ipſis actibus datur libertas intrinſeca, quæ eſt ratio, vèl fundamentum moralitatis: ergo ſi in appetitu ſenſitivo, ac proindè in eius actibus datur libertas intrinſeca, & propria, etiàm in ipſis, quamvis actibus externis, dabitur intrinſeca bonitas, vèl malitia.

8 Arg. 1. authoritate: Mag. ſentent. in 2. d. 25. ait. *ſi peccati illecebra in ſolo ſenſualitatis motu tenetur, veniale, ac leviſsimum eſt*: ergo ſentit, ſolum appetitum ſenſitivum per ſe ſufficere ad peccatum veniale. Præterea, D. Thomas in 1a. 2æ. q. 74. art. 2. in reſp. ad 3. docet, in appetitu ſenſitivo, non verò in membris exterioribus poſſe eſſe peccatum; ſed hoc non debet intelligi de utriſque proùt motis à voluntate; nàm ſic certũ videtur, quòd omnia illa pariformitèr ſint peccati principium, & ſubiectum: ergo debet intelligi de illis ſecundùm ſe, & ſine ordine ad motionem actualem voluntatis, ità ut appetitus ſenſitivus proùt ſic ſit principium, & ſubiectum peccati. Et ibidem aſſerit S. Doct., quòd potentiæ appetitivæ interiores comparantur ad rationem quaſi liberæ, quia agunt quodammodò, & aguntur; ut patet ex Ariſt. lib. 1. Polit. cap. 3. & 4. dicente, quòd appetitus ſenſitivus obedit rationi ut filius patri, ut civis Regi, & ut pupillus pedagogo; at vero membra externa obediunt, ut mancipium domino: ergo appetitus ſenſitivus habet aliquam libertatem intrinſecam imperfectam quidem, & ſufficientem ad peccandum venialitèr. Et in eadem quæſt. art. 3. in reſp. ad 3. expreſsè aſſerit, quòd *motus ſenſualitatis rationem præveniens eſt peccatum veniale*. Et art. 4. tenet, in appetitu ſenſitivo poſſe eſſe peccatum veniale, non verò mortale; ſed hoc debet intelligi de appetitu ſenſitivo ſecũdùm ſe ſumptò, & independentèr ab actuali voluntatis imperio; tùm, quia iſto ſuppoſito poteſt etiàm peccatum mortale eſſe in appetitu ſenſitivo; tùm, quia art. 3. in reſp. ad 1. ait S. Doct., quòd *appetitus ſenſitivus in nobis præ alijs animalibus habet quandam excellentiam, ſcil. quòd natus eſt obe-*

di-

dive rationi, & quantùm ad hoc poteſt eſſe principium actus voluntarij, & per conſequens ſubiectum peccati: ergo.

9 Ad authorit. Magiſtri ſent. reſp., ibi loqui arguitivè, non verò aſſertivè; vèl conditionate, non abſolutè, ut patet ex illa particula: *ſi peccati illecebra*. Vèl loquitur de ſenſualitatis motu, non præcisè ſecundùm ſe ſumpto, ſed à voluntate, licèt imperfectè deliberato; in quo ſenſu attribuitur potiùs ſenſualitati, quàm rationi, & voluntati. Ad loca D. Thomæ poſſemus illa Thomiſtis concilianda relinquere; verùm ob reverentiam tanti Doct.: Ad 1. diſt. mai.: docet, in appetitu ſenſitivo, non verò in membris, vèl potentijs exterioribus, poſſe eſſe attributivè peccatum, adeò ut illi, non autèm iſtis attribuatur; quia appetitus ſenſitivus aliquomodò applicat, inclinat, & movet affectivè ad actum peccati, minimè verò ſenſus externi, conc.; in appetitu ſenſitivo, non verò in potentijs exterioribus poſſe principiativè, & ſubiectivè, quomodocumquè eſſe peccatum, etiàm ſupoſita motione voluntatis ad illud, neg. mai.; quia in corp. art. expreſsè docet, omnes illas potentias, quæ poſſunt moveri ad ſuos actus, vèl ab eis ſeprimi per voluntatem, ſunt ſubiecta peccatorum; cùm igitur potentiæ exteriores hominis moveantur etiam à voluntate ad ſuos actus, quos eliciunt, & in ſe recipiunt, quamvis ad illos non ſe ipſas moveant, ſed moveantur, & applicentur à voluntate; ideò licèt peccatum non attribuatur eis, ſed voluntati moventi, & applicanti, tamèn principiativè, & ſubiectivè abſolutè eſt in illis, proùt ſic motis, & applicatis. Diſt. ſimilitèr min. hoc, ſcil. eſſe ſubiectum, & principium attributionis peccati, non debet intelligi de utriſque proùt motis à voluntate, conc.; hoc, ſcil. eſſe abſolutè, & ſimpliciter principium, & ſubiectum peccati, neg. min., & conſeq. in eodem ſenſu.

10 Ad 2. explicat. antec.: aſſerit, quòd potentiæ appetitivæ interiores comparantur ad rationem quaſi liberæ, id eſt, inclinantes, & affectivè moventes; & ideò nedùm, aguntur, ſeù moventur à voluntate, ſed etiàm agunt, & politicè obediunt ipſi, ità ut poſſint reſiſtere ex vehementia obiecti delectabilis, conc.; comparantur quaſi liberæ, id eſt, activè indifferentes, & ex propria electione opperantes, ità ut poſsint voluntati reſiſtere ex aliqua illarum libertate, neg. antec.; quia motio, ſeù inclinatio affectiva appetitus ſen-

ſitivi eſt pure ex inſtinctu, neceſſaria, & naturalis, atquè adeo per ſe inſufficiens ad peccandum etiam venialiter; quarè neg. conſeq.. Ad 3 explic. illud: motus ſenſualitatis rationem perfectam, ſeù plenam, & plenè deliberatam præveniens, eſt peccatum veniale, conc.; omninò præveniens rationem adhùc imperfectam, ſeu ſemiplenam, neg. hanc eſſe mentem S. Doct., ut patet ex eius contextu, & alijs allegatis in probationibus. Ad 4. diſt. mai.: tenet, in appetitu ſenſitivo, ut abripiente voluntatem vicinam, & immerſam ſenſualitati, àc præveniente plenam illius deliberationem, eſſe peccatum veniale, non verò mortale, conc.; in appetitu ſenſitivo, vel præcisè ſecundùm ſe ſumpto, & ut præveniente omne prorsùs voluntaris dominium; vèl proùt ſubordinato voluntati plenè deliberanti, & elevatæ ſuprà ipſum appetitum ſenſitivum, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: hoc debet intelligi de appetitu ſenſitivo ſecundùm ſe aliqualitèr ſumpto, & independenter ab actuali voluntatis imperio plenè deliberato, conc.; debet intelligi de appetitu ſenſitivo ſecundùm ſe omnimode ſumpto & independèter ab omni actuali voluntatis imperio, etiam ſemiplenè deliberato, neg. min.; cùm ipſe S. Doct. aſſerat, in tantùm poſſe eſſe peccatum ni ſenſualitate, in quantum ilta poteſt moveri, & imperari à voluntate, ex cuius obedientia, & ſubordinatione poteſt eſſe principium actus voluntarij; & hæc eſt excellentia, quam aſſerit habere vires ſenſitivas in nobis præ brutis.

11 Arg. 2. ratione: appetitus ſenſitivus hominis, ex coniunctione habituali eius cùm voluntate, ab ea participat aliquam libertatem intrinſecam, & imperfectam: ergo attendo hac libertate, abſque novo voluntatis influxu poteſt peccare venialiter. Prob. antec. primo: iuxtà Ariſt. lib. 1. Polit. cap. 3., & lib. 1. Ethic. cap. ult. appetitus movetur politicè; ſed non poteſt ità moveri niſi quod eſt liberum: ergo. Prob. ſecundò idem antec.: quod eſt ſubiectum virtutis, & vitij, debet eſſe intrinſecè liberum; ſed in appetitu ſenſitivo ſubiectantur virtutes moderatrices paſſionum; & vitia ipſis oppoſitæ ergo. Prob. 3.: ſicùt ſe habent potentiæ ſenſitivæ cognoſcitivæ interiores ad intellectum, ità ſe habent potentiæ ſenſitivæ appetitivæ ad voluntatem; ſed illæ in quantùm ſunt ab anima rationali, & ſunt vicinæ, àc coniunctæ intellectui,

par-

participant aliquam vim diſcurrendi : ergo etiam iſtæ ex coniunctione cùm voluntate participant aliquam libertatem. Prob. 4. illud antec. : generale eſt in caulis, & virtutibus ſubordinatis, ut inferior ex coniunctione ad ſuperiorem aliquid eius participet, quo elebetur, & perficiatur, àc media hac elevatione attingat modum agendi ipſius ſuperioris; ſed appetitus ſenſitivus in homine eſt coniunctus voluntati, tanquàm vis inferior ſuperiori : ergo ab ea participat aliquid de libertate. Cont. modus Divinæ providentiæ eſt, rerum ordines ità inter ſe coniungere, ut ſupremum infimi attingat infimum ſupremi : ergo appetitus ordinis inferioris, nempe ſenſitivi, debet in homine participare aliquid de libertate, & perfectione voluntatis, quæ eſt appetitus ordinis ſuperioris, nempè rationalis.

12 Ad arg. neg. antec.; ad cuius 1. probat. explic. mai. : appetitus ſenſitivus movetur politicè latè, quatenùs ex ſe habet aliquod principium, unde poſsit obedire, & aliquomodo reſiſtere, ſcil. affectivam inclinationem, ſeù propenſionem, conc.; movetur politicè rigoroſe, nempè ex electione propria, & determinatione activa, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min. : non poteſt ità moveri, nempe politicè rigoroſe, niſi quod eſt liberum, conc.; politicè latè, neg. min.. Ad 2. probat. diſt. mai. : quod eſt ſubiectum virtutis, & vitij, quæ ſint propriè talia, ſeù habitus electivi, & tendendentes in bonum honeſtum, vèl malum ipſi oppoſitum, ſub ratione talium, debet eſſe liberum, conc.; quod eſt ſubiectum virtutis, & vitij, quæ ſint talia purè ſimilitudinariè, ſeù habitus boni vel mali, ſivè inclinantes in illud, quod eſt honeſtum, vèl retrahentes ab illo, neg. mai.; ſiquidèm tales habitus ſubiectantur etiàm in potentijs extrinſecè liberis, & regulabilibus à ratione, àc voluntate; ex quo patet diſtinct. ad min., & amplius conſtabit in tract. *de virtutibus*. Ad 3. probat. conceſ. mai., neg. min.; vèl diſt. claritatis gratia : potentiæ ſenſitivæ cognoſcitivæ interiores in homine participant aliquam vim extrinſecam diſcurrendi, ex refluētia actuali intellectus diſcurrentis, conc.; participant aliquam vim intrinſecam diſcurrendi, ex refluentia purè habituali, vèl potentiali intellectus purè coniuncti, neg. min.; & diſt. ſimiliter conſeq..

13 Ad 4. denique probat. illius antec. diſt. mai. : gene-

rale eſt in cauſis, & viribus ſubordinatis in cauſando, & ratione effectus ut inferior ex coniunctione actuali ad ſuperiorem aliquid eius participet, quo elevetur, conc.; ſubordinatis tantùm in eſſendo, ut inferior ex coniunctione purè habituali, aùt potentiali aliquid participet, neg. mai.; & conceſ. min., diſt. conſeq.: ab ea participat aliquid de libertate, dùm in operando ſubordinatur actualiter ipſi moventi, vèl non impedienti, conc.; dùm purè in eſſendo, vèl etiàm in operando ſubordinatur ſolum habitualiter, vèl potentialiter, neg. conſeq.. Ad conf. diſt. antec.: modus Divinæ providentiæ eſt, ut ſupremum infimi attingat ordine exiſtentiæ infimum ſupremi, ità ut ſupremum infimi ſequatur immediatè ad infimum ſupremi, conc.; attingat quantùm ad virtutem, & perfectionem, ità ut ſupremum infimi habeat perfectionem, & virtutem intrinſecam propriam infimi ſupremi, neg. antec.; nàm aliàs ſupremum infimi ordinis excederet ſuos limites, & eſſet infimum ſupremi ordinis; quod videtur repugnare.

DISPUTATIO VII.

De cauſis peccatorum.

QUÆSTIO I.

Quænam ſint cauſæ internæ peccatorum?

1 LIcèt peccatum pro formali, utpotè quod non eſt propriè effectus, ſed defectus (ut inquit M. P. Aug.); non habeat cauſas vèrè efficientes, ſeù propriè cauſantes, ſed unicè deficientes; nihilominùs agitur de illis, & inquiritur: quæ, & qualitèr ſint ſuo modo cauſæ peccati? Pro quo ſciendum eſt, quòd cauſæ peccati aliæ ſunt interiores, quæ intrà hominem reſident; aliæ exteriores, quæ extrà ipſum exiſtunt. Primi generis ſunt malitia ex parte voluntatis, ignorantia ex parte intellectus; & concupiſcentia ex parte appetitus. Secundi generis ſunt Diabolus actum peccaminoſum ſuggerens; Adam peccatum originale in poſteros per ſeminalem propagationem traducens; & ab impijs recenſetur Deus cauſa, & author peccati. De cauſis tantùm internis agimus in hac quæſt.; pro cuius reſolut.; ſit.

2 Concluſ. 1.: voluntas crea-

creata eſt cauſa principalis, & primaria omnis peccati. Conſtat ex diſp. antec., & ex tract. *de Actibus Humanis.* Prob. 1. ex M. P. Aug. contrà Manich. cap. 11. & 12. ſæpe dicente: *peccatum ſine voluntate eſſe non poſſe*: & *non niſi voluntate peccatur*; nempè vel elicitive, vel imperative; quia licèt aliæ potentiæ ſint cauſæ actus peccaminoſi, non niſi ut ſubſunt imperio voluntatis: ergo. Prob. 2. ratione: omne peccatum debet eſſe voluntarium, & liberum; ſed voluntas eſt cauſa omnis voluntarij, & liberi: ergo eſt cauſa omnis peccati. Concluſ. 2.: ignorantia antecedens, & invincibilis, tàm juris, quàm facti, omninò excuſat à peccato, atque adeò non eſt cauſa illius. Conſtat ex dictis in tract. *de Actibus Humanis*, diſp. 4. quæſt. 5. ſect. 5. à num. 45. uſque ad 48.. Prob.: quod tollit rationem voluntarij, ſeu cauſat involuntarium ſimpliciter, excuſat à peccato, ut eſt manifeſtum; ſed ignorantia invincibilis, & antecedens cauſat involuntarium ſimpliciter, proùt ibi manet probatu: ergo.

3 Concluſ. 3.: ignorantia concomitans non eſt cauſa peccati, quin potius ab eo excuſat reſpectu illius actus ergà quem eſt purè concomitans. Prob.: non ſolùm excuſat à peccato illud, quod cauſat involuntarium, ſeu contrà actum elicitum voluntatis, ſaltèm virtualem, & interpretativum; ſed etiàm illud, quod cauſat opus non voluntarium, ſeù cùm negatione voluntarij, utpotè non procedens à principio intrinſeco cum cognitione; ſed ignorantia concomitans, licèt non cauſet opus involuntarium; tamen cauſat opus nõ voluntariũ: ergo. Mai. patet; quia non ſolùm involuntarium, ſed etiàm non voluntarium opponitur voluntario, quale debet eſſe peccatum. Dicimus, quod ignorantia concomitans non eſt cauſa peccati, quin potiùs ab eo excuſat reſpectu illius actus, erga quem eſt purè concomitans; quia proùt talis debet eſſe inculpabilis, & invincibilis, ità ut nèc ſit cauſa operis, nèc ſit adhùc indirectè volita, ſed pro illo tùnc, & reſpectu illius actus adhibeatur ſufficiens diligentia ad eam vitandam; ut dùm quis occidit hominem, inculpabiliter exiſtimans, eſſe feram; nàm aliàs eſſet potiùs ignorantia conſequens reſpectu illius actus, uti eſt reſpectu alterius, nempè intentionis quaſi condicionatæ, & habitualis, qua quis v. g. eodem modo occideret inimicum, etiamſi ſciret ipſum eſſe talem, ſeù inculpabiliter non exiſtimaret, eſſe ferã.

4 Concluſ. 4. : ignorantia conſequens, & vincibilis eſt cauſa peccati; indirectè quidem. Prob. 1. ex ſacra Script., ubi ſæpè reprehenduntur peccata ex ignorantia, & pro eis ordinabantur ſacrificia; nam Levit. 4. dicitur: *ſi peccaverint Principes per ignorantiam.* Et Pſalm. 3. : *Noluit intelligere, ut bene ageret.* Et Oſeæ cap. 1.: *Non eſt veritas, non eſt ſcientia Dei in terra, & ideò maledictum, mendatium, homicidium, & adulterium inundaverunt.* Et epiſt. ad Hæbr. cap. 9. ait Apoſtolus, quòd Summus Sacerdos ſemèl in anno offerebat *pro ſua, & populi ignorantia*, id eſt, pro ſuis, & populi peccatis ex ignorantia commiſsis, ut ibidem exponit D. Thomas: ergo. Prob. 2. ratione: quod non tollit voluntarium, quin potiùs eſt volitum, non excuſat à peccato, ſed eſt cauſa illius; ſed ignorantia conſequens, & vincibilis non cauſat involuntarium, ſaltèm ſimpliciter, ſed ipſa eſt voluntaria, & volita, vèl expreſſe, & directè, vel ſaltèm virtualiter, & indirectè; ut conſtat ex dictis loco cit. *de Actibus Humanis*: ergo. Quod autèm ſit talis cauſa indirectè, & per accidens. Prob.: in tantum ignorantia eſt cauſa peccati, in quantùm removet ſcientiam, quæ ſi adeſſet, peccatum impediret; ſed hoc eſt cauſare indirectè, & per accidens; ut patet in removente baſim ſuſtentantem columnam, qui eſt cauſa per accidens caſus columnæ; & in omni removente prohibens: ergo.

5 Inquires: utrùm ignorantia eorum, quæ ſcire tenemur, ſit ſpeciale peccatum? Eſt inquirere, an v. g. omiſſio Sacri ex ignorantia vincibili præcepti, ſit duplex peccatum, unum omiſsionis Sacri contra virtutèm Religionis, & alterum ignorantiæ præcepti contrà virtutem Studioſitatis? Uèl an ſit unicum peccatum, nempè omiſsionis Sacri? Reſp. 1.: quandò ignorantia eſt operabilium, ità quòd ſcientia præcipitur propter opus, tùnc ignorantia non eſt ſpeciale peccatum, ſed idem numero cùm illo, cuius eſt cauſa. Eſt valdè communis ſententia. Prob.: *ubi unum eſt propter aliud, ibi tantùm eſt unum*, ut fert commune proloquium, quod eſt verum maximè in Moralibus: ergo dum ſcientia eſt præcepta, & obligatoria tantùm propter opus, ad quod ordinatur: tunc ignorantia non eſt ſpeciale peccatum. Conf.: ideò ille, qui adimpleto præcepto annuæ confeſsionis incidit in novum peccatum mortale antequam adimpleat præceptum

an-

annuæ Communionis, & poſteà nèc confitetur, nèc communicat, tùnc non committit niſi unicum peccatum contrà præceptum annuæ communionis; quia licèt teneatur etiam confiteri, tamèn iſtud præceptum in illo caſu non ampliùs obligabat proptèr ſe, ſeù ratione ſui, ſed unice proptèr Communionem, ad quam ordinabatur, & debebat præcedere: ergo ſimilitèr dùm ſcientia obligat unicè proptèr operationem, tùnc ignorantia non eſt peccatum diſtinctum, & ſpeciale.

6 Reſp. 2.: quandò ignorantia eſt privatio ſcientiæ ſpeculabilium, ità quòd ſcientia non præcipitur præciſe proptèr operationem, ſed ratione ſui; tùnc ignorantia eſt peccatum ſpeciale. Ita N. Fœlix cùm alijs. Prob.: ubi eſt alia tranſgreſsio in genere moris, ſeù diverſa privatio rectitudinis, & conformitatis ad legem, ibi eſt peccatum diſtinctum, & ſpeciale; ſed quandò ſcientia præcipitur ratione ſui, & non præcisè proptèr operationem, tùnc ignorantia eſt alia tranſgreſsio in genere moris, ſeù diverſa privatio rectitudinis, & conformitatis eſt in ipſa, àc eſt in omiſsione operationis aliundè præceptæ: ergo. Prob. min.: dùm eſt materia diſtincta, & præcepta proptèr ſe, ſeù ratione ſui alio præcepto diſtincto, tùnc etiàm eſt diverſa tranſgreſsio in genere moris, ſeù diſtincta privatio rectitudinis, & conformitatis ad legem; quia illæ materiæ, & actus erga illas verſantes non habèt inter ſe unionem moralem; ſed ità contingit, quandò ſcientia præcipitur ratione ſui, & non præcisè proptèr operationem; ſiquidèm ſcientia, ſeù notitia eſt materia diſtincta ab operatione, quatum quælibet ratione ſui ſubiacet præcepto ſpeciali, àc ſecùſim obligantì ratione ſui: ergo. Conf.: ideò dùm quis non confitetur, nèc communicat ſemèl in anno, committit duo peccata diſtincta, quia tranſgreditur duo præcepta, quorum quodlibet obligat proptèr ſe, & directe præcipit materiam diſtinctam, nempè confeſsionem, & communionem: ergo patitèr in caſu præſenti.

7 Argues 1.: contrà 1. reſponſ.: quod opponitur diſtinctæ virtuti eſt peccatum ſpeciale; ſed ignorantia eorum, quæ tenemur ſcire, etiàmſi ordinetur ad operationem, opponitur diverſæ virtuti, ac omiſsio operationis debitæ: ergo. Prob. min.: ignorantia, ſeù negligentia ſciendi quod tenemur ſcire, opponitur ſtudioſitati; omiſsio autèm facti ex

ignorantia præcepti opponitur Religioni; ſed ſtudioſitas eſt virtus ſpecialis diſtincta à Religione, & alia qualibet virtute: ergo. Reſp. conceſ. mai., neg. min.; ad cuius prob. diſt. mai.: ignorantia, ſeù negligentia ſciendi ſpeculabile, quod tenemur ſcire propter ſe, opponitur ſtudioſitati, conc. mai.; ignorantia ſeù negligẽtia ſciẽdi operabile, quod tenemur ſcire propter operationẽ, ſubdiſt.: opponitur ſtudioſitati, quæ eſt virtus generalis, pertinens ad illam virtutem, quam teneamur exercere, ac proindè ſcire modum illam ſervandi, conc.; quæ ſit virtus ſpecialis, contradiſtincta ab alijs, & obligans ratione ſui, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: ſtudioſitas ſpeculabilium, quæ teneamur ſcire propter ſe, eſt virtus ſpecialis, conc. min.; ſtudioſitas operabilium, quæ tenemur ſcire propter operationem, ſeu quorum ſcientia ordinatur, & præcipitur ad operandum, neg. min.; & conſeq.

8 Argues 2.: contrà 2. reſponſ.: ſi daretur ignorantia, quæ eſſet peccatum ſpeciale, ſeù privatio ſcientiæ obligantis ratione ſui, maximè erga myſteria fidei; ſed ſcientia myſteriorum fidei non præcipitur propter ſe, ità ut eorum ignorantia ſit peccatum ſpeciale, ſed ratione actus, ſeù aſſenſus fidei neceſſarij ad ſalutem, & externæ confeſsionis ipſius fidei: ergo illa reſponſ. eſt de ſubiecto non ſupponente; ac proindè non datur caſus, in quo ignorantia ſit peccatum ſpeciale, & diſtinctum ab omiſsionè operationis ex ignorantia culpabili. Conf.: iuxtà dicta, quandò ſcientia præcipitur ratione ſui, & non tantùm propter operationem, tùnc ignorantia opponitur ſtudioſitati, quæ eſt virtus ſpecialis; ſed culpabiliter ignorans myſteria fidei, non peccat contrà ſpecialem virtutem ſtudioſitatis, ſed contrà fidem, cuius unum ex præceptis affirmativis eſt *ſcire myſteria fidei*, & ex negativis *non ignorare myſteria eiuſdem*: ergo.

9 Ad arg. admiſ. mai., neg. min.; quia probabile eſt, quod præceptum ſciendi myſteria fidei obligat, non tantùm propter credere, & confiteri fidem, ſed etiàm propter ſe, & ratione ſui; adeò ut ignorantia culpabilis myſteriorum fidei ſit peccatum ſpeciale, & diſtinctum ab omiſsione actus credendi tempore præcepto ex ignorantia culpabili illorum. Verùm, quia probabile eſt etiã oppoſitum, ideò poteſt diſt. min.: ſcientia myſteriorum fidei de facto non præcipitur propter ſe, permit. min.; non præcipitur, nèc poterit ab Eccleſia præcipi, ut fideles habeant

beant ſcientiam myſteriorum fidei ratione ſui, & ſine præciſo ordine ad operationem, neg. min., & conſeq.. Ad conf. diſt. mai.: quandò ſcientia obiecti, vèl materiæ aliundè non pertinentis ſpecialitèr ad aliam virtutem, præcipitur propterè ſe, tùnc ignorantia opponitur ſpecialitèr ſtudioſitati, conc.; quando talis ſcientia verſatur erga obiectum, vèl materiam ex ſe pertinentem ad aliam virtutem, neg. mai.; quia tùnc privatio talis ſcientiæ opponitur ſpecialitèr illi virtuti, ex qua oritur obligatio ſciendi; & conceſ. min. propterè rationem datam, neg. conſeq.

10 Hic ſolet diſputari: àn quotiès voluntas peccat, præcedat aliquis error practicus, vèl ſaltèm aliqua inconſideratio, ſeù inadvertentia in intellectu? Verùm quia in tract. *de Dæmonijs*, diſp. 1. quæſt. 3. probatum manet, poſſe voluntatem ſimpliciter peccare, quin præcedat in intellectu aliquis error, tàm poſitivus, quam privativus, ſeù aliqua inconſideratio; ideò ſuperè hoc ab iterata diſcuſsione ſupersedemus, & ibi diſcuſſa hùc revidenda inſinuamus.

11 Concluſ. 5.: concupiſcentia eſt cauſa peccati. Prob. 1.: Danielis cap. 12. dicitur: *Concupiſcentia ſubvertit cor tuum*. Et epiſt. ad Roman. cap. 7.: *Paſſiones peccatorum fructificant morti*: ergo. Prob. 2. illa eſt cauſa peccati, quæ non tollens voluntarium, movet, ſeù inclinat voluntatē ad opus prohibitum, & rectæ rationi diſſonum; ſed concupiſcentia, paſsio, vèl motus appetitus ſenſitivi non tollit voluntarium ſimpliciter, ut conſtat ex tract. *de Actibus Humanis*; & aliundè inclinat voluntatem ad obiectum delectabile prohibitum; & diſſonum rectæ rationi, ut experientia liquet: ergo.

12 Argues: quod excuſat à peccato, non eſt cauſa illius; ſed concupiſcentia excuſat à peccato; ſiquidèm in eo diſtinguuntur peccantes ex malitia, & peccantes ex paſsione, quod illi ſunt inexcuſabiles, iſti verò excuſationem habent: ergo. Conf.: paſsio obtundit, & offuſcat lumen rationis: ergo tollit voluntarium ſimpliciter; ac proindè non eſt cauſa peccati. Ad arg. diſt. mai.: quod excuſat totaliter, & ſimpliciter à peccato, non eſt cauſa illius, conc.; quod excuſat tantùm partialiter, ſeù minuit eius gravitatem, neg. mai.; quia etiam ignorantia vincibilis (ſi non ſit affectata) minuit, vèl excuſat partialiter, & tamen eſt cauſa peccati. Diſt. ſimiliter min.: con-

cu-

cupiſcentia excuſat partialitèr, conc.; excuſat totalitèr, ſubdiſt.: ſi ſit adeò vehemens, ut impediat uſum rationis, & libertatis (de qua non loquimur in præſenti), conc.; dùm non eſt adeò vehemens, & proùt regularitèr contingit, neg. min.; & conſeq.. Ad conf. ſimilitèr diſt. antec.: paſsio obtundit, & offuſcat partialitèr lumen rationis, ſeù impedit perfectum uſum eiuſdem, conc.; obtundit, & offuſcat totalitèr, neg. antec.; quin potius cùm motu appetitus ſenſitivi, ſeù paſsione ſtat ſæpè uſus rationis, & libertatis ſufficiens ad peccatum grave; quamvis ex tali capite minuatur eius gravitas, adeò ut non ſit ita grave àc ſi foret ex pura malitia.

QUÆSTIO II.

Quales ſint cauſæ externæ peccatorum?

1 CIrca cauſas externas peccatorum fuit error Armenorum, Alvanenſium, & Albigenſium affirmantium, Dœmonem ita eſſe cauſam peccati, ut iſtud nullatenùs eſſet à nobis agentibus libere. Verùm reijcitur, tùm ex ſacra Script., ex qua conſtat, Deum reliquiſſe hominem in manu conſilij ſui; atquè appoſuiſſe illi ignem, & aquam, vitam, & mortem, bonum, & malum, ut ad quod voluerit porrigat manum ſuam: tùm ratione, qua evidentèr patet, peccatum debere procedere à cauſa libera, ſe movente ab intrinſeco cùm dominio, & poteſtate activè indifferente ad utrumque, àc ſe ipſam determinante. Quarè Diabolus tantùm poteſt dici, & eſſe cauſa moralis, & indirecta noſtrorum peccatorum, quæ à nobis liberè committuntur; quatenùs ſuggerit, ſuadet, & excitat ad peccandum, modo dicto in tract. *de Dæmonijs* diſp. 4. q. unic. num. 2.. Etiàm unus homo poteſt eſſe cauſa extrinſeca, moralis, & indirecta peccati ab altero commiſsi, quatenùs verbo, aùt exemplo poteſt illum ad peccandum inducere; de quo nihil ſpeciale hic diſputandum ſe offert. De modo autèm, quo Adam fuit cauſa noſtrorũ peccatorũ per transfuſionem peccati originalis in poſteros, agemus in ult. diſp. huius trac. Quarè hic ſolùm reſtat inveſtigandum: an Deus ſit, & dici poſſit cauſa peccati; aùt ſaltèm potentiæ peccandi? Pro quarum difficultatum reſolutione, ſit.

SEC-

SECTIO I.

Utrùm Deus poſsit dici, & eſſe directè, vel indirectè cauſa peccati?

1 Concluſ.: Deus nequit in aliquo vero ſenſu dici cauſa peccati. Eſt communis catholicorum ſententia. Prob. primò authorit. ſapient. cap. 11. dicitur: *Nihil odiſti eorum, quæ feciſti, nèc etiàm odiens aliquod conſtituiſti, aùt feciſti*; ſed Deus odio habet peccatum, ut conſtat etiam ex illo ſapient. cap. 7.: *Odio ſunt Deo impius, & impietas eius*: ergo peccatum nullo modo cauſatur à Deo. Item Joan. cap. 1. dicitur: *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*; ſed iuxta M. P. Aug. & alios, per ly *nihil* intelligitur peccatum: ergo. Præterea ex Proverb. cap. 16. *Univerſa propter ſemetipſum operatus eſt Dominus*; ſed implicat, peccatum referri ad Deum ut finem ultimum, cùm ſit averſivum ab ipſo: ergo implicat, quòd cauſetur à Deo. Idem conſtat ex alijs Script. locis, & ex Concilijs, præſertim Trid. ſeſ. 6. can. 6. definiente: *Si quis dixerit, non eſſe in poteſtate hominis vias ſuas malas facere, ſed mala opera, ità ut bona, Deum operari, non permiſsivè ſolùm, ſed etiàm proprie, & per ſe, adeo ut ſit proprium eius opus non minùs proditio Judæ, quam vocatio Pauli, anathema ſit.* Idemque unanimitèr docent S. S. P. P.: ergo.

2 Prob. 2. ratione N. Subt. Doct. in 2. d. 37. q. 2. §. *Propter igitur*: peccatum pro formali non eſt efectus, ſed defectus, & privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui; ſed ſola creatura eſt cauſa deficiens, minimè verò Deus, qui eſt infinitè rectus, & omninò indefectibilis: ergo ſola creatura eſt cauſa peccati, adeò ut in nullo vero ſenſu poſsit Deus dici cauſa eii ſdem. Prob. 3. alia ratione eiuſdem Doct. ibidem §. *Ad ſolutionem iſtorum*: ideò Deus diceretur cauſa peccati, quia ut cauſa univerſalis concurrit immediatè cùm voluntate creata ad materiale ipſius peccati, ſeù ad entitatem phyſicam actus peccaminoſi; ſed hinc non ſequitur, quòd ſit aliquo modo cauſa peccati: ergo. Prob. min.: ſtat, quòd duæ cauſæ immediatè concurrant ad unum effectum communem, & tamèn defectus eiuſdem ſit ab una, & non ab alia: ergo ex eo, quòd &c. Prob. min.: eſtò in ſententia probabili concurrat immediatè intellectus cùm voluntate ad actum volitionis,

po-

poteſt eſſe defectus in actu iſto ex defectu voluntatis, licèt non præcedat defectus in cognitione; item, licèt motus deambulationis proveniat à potentia motiva, & à tibia, tamèn claudicatio, ſeù defectus deambulationis provenit ex curvitate tibiæ, non verò ex defectu potentiæ, ſeù facultatis animæ: ergo.

3 Conf.: dùm cauſa ſuperior, & univerſalis ità concurrit cùm cauſa inferiori, & particulari ad entitatem actus defectuoſi, ut illa per ſe intendat rectitudinem, atque antecedenter, & quantùm eſt ex ſe daret perfectionem actui, niſi adeſſet impedimentum ex parte cauſæ inferioris, & particularis; tunc deffectus illius actus non tribuitur cauſæ ſuperiori, nec dicitur ab illa cauſari; ut patet in ſole reſpectu actionis germinativæ alicuius plantæ debilis in virtute: aùt vitiatæ aliqua infirmitate; ſed ad entitatem phyſicam actus peccaminoſi concurrit Deus ut cauſa ſuperior, & univerſalis proviſor, per ſe intendens rectitudinem, atque antecedenter, quantùm eſt ex ſe paratus illam dare actui, niſi adeſſet impedimentum ex parte cauſæ particularis, nempè voluntatis creatæ, cui tenetur condeſcendere ex voluntate illa generali ſinendi illam motus ſuos agere libere: ergo. Urg.: non eò præcisè creatura eſt cauſa peccati, quia utcumque cauſat entitatē phyſicam actus peccaminoſi, ſed quia illam cauſat liberè, & ex intentione ſaltem virtuali, cùm defectu ſubiectionis, & conformitatis ad regulam rationis, & legis Divinæ; ſed entitas phyſica cuiuſvis actus peccaminoſi nequit ità à Deo cauſari; ut eſt evidens: ergo.

4 Arg. 1.: Deus dicitur, ordinare, conſulere, & præcipere peccatum: ergo & cauſare illud. Prob. antec.: tum, quia Joſeph venditus à ſuis fratribus dixit illis: *Non veſtro cōſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum*: ergo peccatum venditionis fuit ordinatio Divinæ voluntatis. Tum, quia *Dominus præcepit Semei, ut malediceret David.* Ac Judæ dixit Chriſtus D.: *Quod facis fac citius*: ergo. Conf.: ex Script. conſtat, Deum obcœcare, & indurare corda hominum: ergo eſt cauſa peccatorū. Ad arg. neg. antec.; ad cuius 1. probat. dicimus miſsionem, & exaltationem Joſeph in Ægipto fuiſſe ordinatam à Deo, ſupoſito peccato venditionis fratrum, quod unicè fuit permiſſum à Deo. Ad 2. probat. reſp., illud verbum *præcepit* reſpectu maledictionis Semei erga David ſignificare puram permiſ-

ſio-

ſionem, quæ in Script. ſolet ita ſignificari, ut conſtat ex illo Marci cap. 1. ubi quærente Chriſto D.: *Quid vobis præcepit Moyſes?* Et reſpondentibus Phariſæis: *Moyſes permiſsit libellum repudij.* Chriſtus dixit: *ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.* Et D. Damaſc. inquit: *Modus eſt Divinæ Scripturæ permiſionem Dei vocare eius actionem.* Ad illud Judæ poteſt reſponderi, illam fuiſſe increpationem; vèl, ſuppoſita voluntate efficaci, & peccaminoſa Judæ, & exequenda traditione, ſualsiſſe accelerationem, ut redemptio appropinquaret. Ad conf. explic. antec.: Deus obcœcat, & indurat negative, & permiſsivè, non impertiendo ſpecialem, & uberiorem gratiam, prorsus indebitam, qua illuſtrarentur, & emollirentur corda, & permittendo eorum obdurationem ortam ex propria ipſorum malitia; conc. 3. obcœcat, & indurat poſitivè, cauſando motum poſitivum voluntatis conſtanter adhærentis malo, vèl non tribuendo auxilia regularia, ſufficientia, & requiſita ut reſiliant à malo, & adhæreãt bono, neg. antec., & conſeq..

5 Arg. 2.: Deus eſt verè, & propriè cauſa entitatis phyſicæ actus peccaminoſi: ergo etiam peccati pro formali. Antec. conceditur communitèr, præſertim à Thomiſtis, & Scotiſtis, & prob. ratione deſumpta ex S.S. P.P.: quidquid eſt verè, & propriè ens, exiſtens in rerum natura, & productum cauſalitate vera, & propria, dependet, & fit à Deo ut cauſa vera, propria, & prima, ſine cuius influentia, & cauſalitate immediata nequit aliquem effectum producere ulla cauſa ſecunda, proùt docetur in Philoſophia; ſed entitas phyſica actus peccaminoſi, ſeù peccatum pro materiali eſt aliquod ens verè, & propriè tale, exiſtens in rerum natura, & productum cauſalitate vera, & propria: ergo. Prob. igitur prima conſeq. primò: ſemèl ac Deus ſit verè, & propriè cauſa entitatis phyſicæ actus peccaminoſi, dicitur verè cauſans peccatum abſolutè: ergo etiàm pro formali. Prob. antec.: Deus diceretur verè cauſans peccatum cum hac reſtrictione, ſcil. *quoàd phyſicam entitatem*: ergo etiam abſolutè. Prob. conſeq.: *à reſtricto ad non reſtrictum* valet conſequentia affirmativè; ſiquidèm valet: *homo doctus diſputat: ergo homo diſputat*: ergo ſi hæc propoſitio eſt vera: *Deus verè cauſat peccatum quoàd entitatem*; etiàm iſta: *Deus eſt cauſa peccati abſolutè.*

6 Prob.

6 Prob. ſecundò illa 1. conſeq. : ſemèl àc Deus verè cauſet entitatem phyſicam actus peccaminoſi, vult materiale ipſius peccati; ſed hoc ipſo erit cauſa illius pro formali: ergo. Mai. patet; quia nihil Deus agit, quod non velit. Prob. min.: velle materiale peccati, eſt velle malum moraliter, & inſeparabiliter tale, prohibitum à Deo, & diſſonum rectæ rationi; ſed hoc in terminis eſt cauſare peccatum pro formali: ergo. Prob. tertiò illa conſeq.: ſi Deus vult, & cauſat peccatum pro materiali, illud vult, & cauſat, ſicut ipſa creatura; ſed hæc cauſat peccatum pro formali: ergo. Prob. mai.: creatura non aliter vult, & cauſat peccatum, quam volendo, & cauſando entitatem phyſicam in circunſtantijs, in quibus inevitabiliter ſequitur malitia ad talem entitatem: ergo. Prob. antec.: creatura non habet volitionem directam, & formalem malitiæ, quin potiùs vellet, non ineſſe malitiam actui; nèc cauſat malitiam per poſitivum influxum, quia conſiſtit in privativo: ergo. Prob. denique illa 1. conſeq.: volens, & cauſans aliquod poſitivum, ad quod ſequitur privativum, plùſquàm permiſſivè ſe habet erga iſtud: ergo Deus verè cauſans materiale peccati, pluſquam permiſſivè ſe habet erga formale; & conſequentèr ut author, & cauſa eiuſdem. Prob. antec.: volens, & cauſans aliquid quantùm volibile, & cauſabile eſt ſecundùm ſe, reſpectu illius ſe habet pluſquàm permiſsivè; ſed formale peccati, utpotè conſiſtens in privatione, non aliter eſt volibile, & cauſabile, quàm volendo, & cauſando poſitivum, ad quod ſequitur, vèl quod concomitatur: erg..

7 Reſp. ad arg. conceſ. antec., neg. conſeq., ad cuius 1. probat. neg. antec. quia hoc nomen *peccatum*, vèl *malum morale* non ſignificat entitatem, & actionem phyſicam peccati, in quantù entitas, & actio eſt; ſed quatenùs ſubſtat malitiæ, & denominatur peccaminoſa, & prava moraliter à deformitate; & ideo non debet concedi abſolutè; *Deum eſſe cauſam peccati*, quamvis ſit cauſa illius entitatis phyſicæ. Ad probat. illius antec., conceſ. antec., neg. conſeq., & diſt. antec. probat.: à reſtricto ad non reſtrictum valet conſequentia affirmative, invariata appellatione, conc.; appellatione variata, neg. antec., & conſeq.; quia hæc propoſitio reſtrictiva: *Deus per ſe cauſat peccatum quoàd entitatem*, facit ſenſum appellativum materialem,

&

& ly *peccatum* ratione reſtrictionis ſupponit pro materiali, attamen hæc propoſitio abſoluta : *Deus eſt cauſa peccati*, facit ſenſum appellativum formalem, & ly *peccatum* ſupponit pro formali, nempe pro deformitate, cum eius formale ſignificatum ſit malitia afficiens, & denominans entitatem actus peccaminoſi, vèl ipſe actus proùt ſubſtat malitiæ. Quare non valet illa conſequentia, ſicut nèc iſta : *impius, in quantum eſt homo, diligitur à Deo : ergo impius diligitur a Deo.*

8 Ad 2. prob. primæ conſeq. diſt. mai. : ſemèl ac Deus verè cauſet entitatem phyſicam actus peccaminoſi, vult materiale ipſius peccati, voluntate quidem conſequenti, & ſecundaria, ex condeſcenſione cum voluntate creata per modum univerſalis proviſoris, conc. ; voluntate antecedenti, & primaria, ſeù ex affectu, & intentione ipſius Dei ut ſpecialis proviſoris, & particularis agentis, neg. mai. ; & min. in ſenſu diſtinct. datæ ; ac diſt. ſimiliter mai. probat. : velle antecedentèr, primariò, affectivè, & intentivè per modum particularis agentis materiale peccati, eſt velle malum moraliter, conc. ; velle illud tantùm conſequentèr, ſecundario, per condeſcenſionem, & cauſalitatem univerſalis agentis, ſubdiſt. : eſt velle pure permiſsivè malum moraliter, conc. eſt velle poſitivè ; verè, & propriè, neg. mai. ; & applicata diſtinct. ad min. ; neg. conſeq.. Ad 3. probat. primæ conſeq. neg. mai., & diſt. antec. probat. : creatura non aliter vult, & cauſat peccatum, quam volendo, & cauſando ex affectu, & conatu intentivo illius entitatis phyſicæ, atque cauſalitate cauſæ particularis, conc. ; quàm volendo, & cauſando ex condeſcenſione ad obeundum munus generalis proviſoris, & cauſæ univerſalis, neg. antec., & diſt. antec. probat. : creatura non habet volitionem directam malitiæ, benè verè intentivam, & affectivam entitatis phyſicæ actus peccaminoſi, conc. ; nèc habet volitionem intentivam illius entitatis, neg. antec., & conſeq.. Ad ult. probat. primæ conſeq. diſt. antec. : volens antecedentèr, affectivè, & intentivè quantum eſt ex ſe, & cauſans per modum agentis particularis, aliquod poſitivum &c. pluſquàm permiſsivè, ſe habet erga privativum, cōc. ; volens tantum conſequentèr ex pura condeſcenſione, connaturaliter debita alteri, & cauſans unicè per modum agentis univerſalis, neg. antec. ; ad cuius probat. admiſ. mai., diſt. min.

min. : formale peccati non alitèr eſt volibile, & cauſabile, quam volendo, & cauſando, vel antecedentèr, vel conſequentèr, poſitivum, ad quod ſequitur, conc.; preciſè conſequentèr, neg. min., & conſeq.

9 Ex dictis in tract. *de Voluntate Dei*, diſp. 1. q. 3. num. 15. conſtat, quòd iuxta Damaſc. lib. 2. *de Fide*, cap. 29. & lib. *contrà Manichæos* circa finem, *voluntas antecedens eſt acceptio Dei ex ſe ipſo exiſtens; voluntas autèm conſequens eſt conceſſio Dei ex noſtra cauſa.* Quæ diviſio tradditur ab ipſo S. Doct., & à D. Chriſoſt. homil. in epiſt. ad epheſ. ſub nominibus voluntatis primariæ, & ſecundariæ. Primaria eſt, *qua Deus aliquid ex ſe ipſo vult*, ſecundaria verò, *qua vult aliquid cauſa eorum, quæ contingunt.* Has voluntates explicat Subt. Doct. exemplo Principis, qui voluntate antecedenti, ſeù primaria vult, quantùm eſt ex ſe, vitam omnium ſubditorum; voluntate verò conſequenti, & ſecundaria, attentis, & inſpectis plurium delictis, vult, & decernit eorum mortem. Similitèr Mercator voluntate antecedenti vult conſervare merces; ſed voluntate conſequenti, inſpectis periculis, vult proijcere eas in mare. Deus igitur voluntate primaria, & antecedenti, atque cauſalitate ſpecialis agentis, vult, & cauſat unicè bona opera noſtra; quatenùs ex affectu, & intentione directa ut noſtra voluntas eliciat illa, providet ex parte actus primi media conducentia ad inclinandam, & adiuvandam voluntatem noſtram ad elicienda talia opera, quæ ideò dicuntur abſolutè opera Dei, & ſpecialia eiuſdem.

10 Attamèn licet Deus concomitanter velit, & immediatè àc ſimultaneè cauſet entitatem phyſicam operis mali, illam unicè vult voluntate ſecundaria, ſeù conſequenti, & cauſat cauſalitate proviſoris univerſalis; quatenùs non affectu ex parte ipſius Dei, nèc directa intentione ad exiſtentiam talis entitatis, à qua potiùs voluntate antecedenti, vult Deus, & conatur retrahere noſtram voluntatem per auxilia ſufficientia; ſed per condeſcenſionem in vi voluntatis generalis ſinendi cauſas ſecundas motus ſuos agere, & univerſalis providentiæ debitæ voluntati creatæ, quæ ratione ſuę libertatis petit concomitantiam voluntatis Divinæ, & eius concurſus ſimultanei ad quodcumque ipſa voluntas creata voluerit porrigere manum ſuam; vult Deus concomitantèr, & concurrit ſimultaneè ad enti-

ta-

tatem phyſicam operis peccaminoſi, quod ideò nequit dici opus eius ſpeciale, imò nèc opus Dei abſolute, ſed unicè cùm reſtrictione *quoàd entitatem phyſicam*; & quoàd hanc modo valdè diverſo àc opus bonum, conformitèr ad concilium.

11 Ex quibus patet, quòd voluntate primaria, & antecedenti Deus non vult, prohibet, & conatur retrahere voluntatem noſtram à paſsione entitatis actus peccaminoſi; cæterum voluntate ſecundaria, & conſequenti vult, & cauſat eius entitatem phyſicam, quæ ponitur ex affectu, & intentione directa creaturæ, cui ut univerſalis proviſor tenetur Deus condeſcendere, & ſervare jura ſuæ libertatis; atque adeò valdè diverſimodè concurrunt Deus, & creatura ad talem entitatem phyſicam ad quam proùt elicitam ſpecialitèr à voluntate creata ſinè debita ſubiectione, & conformitate ad regulam rationis, ſequitur, vèl comitatur malitia moralis, quæ proindè ira tribuitur voluntati creatæ, & ab ea provenit, ut nullo modo Deus ſit cauſa talis malitiæ, nèc peccati ipſam importantis pro formali, quod unicè permittit, quamvis cauſet phyſicam illius entitatem

12 Replic.: ſi Deus tantum conſequentèr, & ex condeſcenſione cùm voluntate noſtra, ſeù ſecundario, & ex noſtra cauſa, vult, & concurrit ad materiale peccati, decretum illius non eſſet concomitans, ſed ſubſequens determinationem voluntatis noſtræ; ſed hoc eſt contrà dicta in tract. *de Scientia*, & *de Voluntate Dei*: ergo. Prob. mai.: ſi illud eſt ex condeſcẽſione cum voluntate noſtra, & ex noſtra cauſa, Deus expectat determinationem noſtræ voluntatis, & poſt eius prævilionem vult, & decernit cum ea concurrere ad materiale peccati; qnia aliàs non eſt intelligibile, quomodò tale decretum, & ille concurſus ſit ex condeſcenſione, àc ex noſtra cauſa: ergo. Reſp. neg. antec., ad cuius prob. neg. etiàm antec.; quia illa voluntas Dei erga materiale peccati non dicitur cõſequens, quia noſtra voluntas determinet Divinam, aùt ex voluntate noſtra determinata moveatur Deus ad applicandam per ſuum decretum Omnipotentiam; ſed dicitur voluntas conſequens, quia non deſcendit ex affectu Divino, aùt voluntate intentiva entitatis phyſicæ peccati, ſed præcise deſcendit ex illa voluntate generali, qua Deus vult omnes cauſas agere motus ſuos modo ipſis connaturali; qua ſuppo-

ſita voluntate, coniunctim, & concomitantèr ſe habent voluntas Divina, & creata quoad uniuſcuiuſque determinationẽ, conformitèr ad dicta in tract. *de Scientia Dei*, diſp. 5. quæſt. 2.; at quia Divina voluntas non determinat materiale peccati, niſi ut ſervet illæſa jura noſtræ libertatis, & ut ipſi prouideat iuxtà connaturalem exigentiam ipſius libertatis, ideò dicitur, tale decretum, & concurſum eſſe ex condeſcenſione, àc ex noſtra cauſa.

13 Arg. 3.: Deus eſt cauſa omnis mali pœnæ; ſed peccatum eſt aliquandò malum pœnæ in homine ob aliud peccatum: ergo iſtud poteſt eſſe à Deo. Reſp. ex Subt. Doct. ſuprà cit., diſt. mai.: Deus eſt cauſa omnis mali pœnæ propriè dictæ, proùt eſt quid phyſicum, involuntarium, & contradiſtinctum à malo culpæ, conc.; pœnæ latè ſumptæ, proùt eſt quid morale, voluntatium, & coincidens cum malo culpæ, ſubdiſt.: eſt cauſa latè, & impropriè, nempè negativè, & permiſivè, non conferendo auxilia efficacia, & omninò indebita, conc.; eſt cauſa verè, & propriè, nempè poſitivè inferendo, aùt cauſando tale malum morale, neg. mai.; & ſimilitèr diſt. min., & conſeq..

14 Arg. 4.: Deus cauſat voluntatem, quæ eſt cauſa peccati etiàm pro formali, eo modo quo iſtud poteſt cauſari: ergo paritèr ipſe Deus eſt cauſa peccati; nàm quod eſt cauſa cauſæ eſt etiam cauſa cauſati. Diſt. antec.: Deus cauſat voluntatem, quæ eſt cauſa libera, ſeu ex propria electione efficiens, vèl potiùs deficiens reſpectu peccati pro formali, conc.; eſt cauſa naturalis, vèl neceſſaria, aùt poſitivè efficiens, & cauſans reſpectu peccati pro formali, neg. antec.; & cõſeq. quia illud axioma, ſicùt etiàm iſtud: *Quod eſt cauſa alicuius, eſt cauſa alterius quod ſequitur ad illud*: licèt ſit verum de cauſa verè efficiente, naturali, & neceſſaria, vèl de eo quod ſequitur neceſſario per poſitivũ influxum; tamèn eſt falſum de cauſa libera, & deficiente, àc de eo quod ſequitur libere, & per defectum voluntarium. Verùm pro ulteriori declaratione iſtius difficultatis, ſit.

SECTIO II.

Utrùm potentia peccandi ſit à Deo?

1 PRænotandum eſt primò ex Subt. Doct. in 2. tàm ſent. Oxonienſ. quam Report. d. 44. q. un., quòd potentia peccandi poteſt accipi du-

dupliciter. Primò pro fundamento ordinis, ſeù reſpectus ad actum peccandi, ratione cuius fundamenti habens illud dicitur potens peccare; ſivè pro potentia, quæ eſt principium actus peccandi. Secundò pro potentia proùt dicit immediatum ordinem ad actum peccandi. Et hoc adhùc dupliciter, nempè vèl pro ordine ad entitatem phyſicam actus peccaminoſi; vèl pro ordine ad deformitatem, ſeù malitiam moralem, quam peccatum dicit pro formali. Præmot. eſt 2. ex eodem Doct., quod potentia peccandi proùt dicit ordinem ad entitatē phyſicam peccati, ſeù ad peccatum pro materiali, eſt à Deo; quia talis ordo eſt quid poſitivum, fundatum in voluntate talem actum eliciente, quæ eſt à Deo, & terminatum ad entitatem actus, quæ etiàm eſt cauſaliter à Deo, utpote quid poſitivum, & verè cauſatum efficienter, àc dependens à cauſa prima, & univerſali; atquè adeò talis ordo, àc proindè potentia proùt dicit talem ordinem, eſt à Deo tanquàm authore. Quarè ſolum reſtat difficultas de potentia peccandi ſumpta proùt dicit ordinem ad deformitatem, ſeù formale peccati; atque etiam ſumpta pro fundamento talis ordinis, ſivè pro potentia quæ eſt principium deformitatis. Pro cuius reſolut.

2 Dicimus 1.: potentia peccandi, ſumpta pro ordine, ſeù reſpectu ad formale peccati, non eſt à Deo. Ita Subt. Doct. cit., quem ſequuntur eius Diſcipuli, idem que aſſerunt frequentèr alij. Prob.: talis eſt quilibet ordo, ſeù reſpectus, qualia ſunt extrema ipſius, maximè terminus, à quo præſertim, ſaltèm partialitèr ſpecificatur; ſed terminus illius ordinis, ſeù reſpectus, nempè deformitas, ſeù moralis malitia actus, utpote nihil, ſeù privatio, aùt carentia rectitudinis debitæ, non eſt cauſaliter poſitive à Deo: ergo nec ille ordo, ſeù potentia ſumpta pro ipſo. Conf.: ille ordo, ſeù reſpectus ad deformitatem peccati eſt moralis defectus potentiæ, ſeù tendentia eiuſdem proùt moralitèr deficientis; ſed defectus moralis, ſeù tendentia potentiæ proùt moraliter deficientis, nequit eſſe à Deo tanquàm cauſa, & authore; ut ſatis patet ex dictis: ergo. Urg.: ſi potentia peccandi, proùt dicit formaliter ordinem ad deformitatem actus peccaminoſi, eſſet à Deo ut authore, Deus complaceret in illo ordine, ſeù reſpectu, aùt tendentia potentiæ ad deformitatem; cùm Deus amet, &

complaceat in omni eius opere; ſed talis ordo, ſeù tendentia Deo non placet, quinimò diſplicet, ſicùt ipſa deformitas actus peccaminoſi: ergo.

3 Dicimus 2.: potentia peccandi, ſumpta pro principio potentiali, quod eſt fundamentum ordinis, ſeù reſpectus ad deformitatem actus peccaminoſi, eſt à Deo. Seu: voluntas ſecundum quòd eſt principium abſolutum, quaſi activè continens malitiam actus peccaminoſi, & potens fundare reſpectum ad illius deformitatem; ſive quatenus eſt potentia, fundamentalitèr ſumpta, defectibilis in operando moraliter, ſeù flexibilis ad malum morale, eſt à Deo tanquàm Authore. Sic etiam Subt. Doct., & in re communitèr Scotiſtæ, atque etiàm plures extranei, contra alios diverſimodè loquentes, & penés rem oppoſitum affirmantes.

4 Prob. primò authorit.: M. P. Aug. lib. 2. ad Simplicianum ait: *Quamvis enim indè ſit quiſque malignus ſpiritus, quia mala voluntate nocere appetit, tamen nocendi poteſtatem non accipit niſi ab illo ſub quo ſunt omnia; quia ſicut non eſt mala voluntas à Deo, ſic non eſt poteſtas niſi à Deo.* Et lib. *de natura boni* cap. 31. inquit: *Item quia & nocentium poteſtas non eſt niſi à Deo; ſicut ſcriptum eſt &c.* Et ſuper Pſalm. 32. concione 2. ait.: *Cupiditatem nocendi poteſt homo habere propriam; poteſtatem autem ſi ille non dat, non habet. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Præterea, D. Thomas in 2. d. 44. quæſt. 1. art. 1. in corp. concludit: *Sic ergo potentia peccandi, quantùm ad id, quod potentia eſt, à Deo eſt* (nempe ut ſuprà dixerat: *ipſa potentia, quæ eſt principium actus, & hæc eſt eadem, quæ eſt principium actus ordinati, & inordinati, & hæc à Deo eſt*); *ſed quantum ad defectum, qui implicatur, non eſt à Deo.* Item D. Bonav. in eadem diſt., art. 1. quæſt. 1. expreſsè docet, quod licet potentia peccandi ſumpta pro ordine ad deformitatem peccati, non ſit à Deo; tamen ſumpta pro principio potentiali, ſeu fundamento illius ordinis, eſt à Deo; & in hoc ſenſu, aſſerit, valere authoritates, quibus hoc probatur à Mag. Sentent. in cit. diſt. dicente: *Sed pluribus Sanctorum teſtimonijs indubitantèr monſtratur, quod poteſtas mali à Deo eſt, à quo eſt omnis poteſtas*: ergo.

5 Prob. 2. ratione ex Subt. Doct. in Report. principium potentiale, quod eſt fundamentum reſpectus potentiæ peccandi ad deformitatem peccati, eſt voluntas, ſeu liberum ar-

arbitrium creatum, quatenus limitatum, & finitum; ſed prout ſic eſt à Deo: ergo & potentia peccandi ſumpta pro tali principio, & fundamento. Mai. conſtat; quia liberum arbitrium ratione ſuæ limitationis eſt defectibile in operando moraliter, ſeu flexibile à rectitudine; ac proindè ea ratione eſt principium potentiale, quod eſt fundamentum ordinis ad deformitatem actus peccaminoſi. Prob. min. liberum arbitrium, prout creatum, eſt à Deo; ſiquidem creatura in eſſe talis cauſatur propriè ab ipſo; ſed prout creatum eſt limitatum, & finitum: ergo. Conf.: liberum arbitrium creatum, quatenus principium potentiale defectibile, & fundamentale reſpectus ad deformitatem actus peccaminoſi, licet habeat annexum defectum, ſeu negationem perfectionis ſimpliciter; tamen in ſe formaliter eſt quid poſitivum, & ſecundum quid perfectum, ſeu imperfectione admixtum; ſed omne poſitivum, & ſecundum quid perfectum debet eſſe à Deo; cum ſit verè productum, & cauſatum: ergo. Mai. patet; quia ità pariformiter ſe habet liberum arbitrium creatum prædicto modo ſumptum, ſicut ſubſtantia creata corruptibilis, ſeu defectibilis in eſſendo, vel ſicut aliæ potentiæ creatæ, & defectibiles in operando, quæ prout ſunt principium potentiale, & fundamentale ordinis, vel ad non eſſe, vel ad deformitatem operationis, licet habeant annexum defectum, vel negationem perfectionis ſimpliciter, actus puri, & plenitudinis eſſendi; tamen in ſe formaliter ſunt quid poſitivum, & ſecundum quid perfectum. Min. etiam conſtat in ipſa ſubſtantia, & potentijs creatis, ac defectibilibus, quæ ſunt verè, & propriè à Deo.

6 Prob. 3. ex eodem Doct. cit. in Sent. Oxonienſ.: ſub eadem ratione abſoluta, ſive ſecundum eandem formalitatem poſitivam voluntas creata eſt potentia peccandi ſumpta pro principio potentiali, quod eſt fundamentum ordinis ad deformitatem peccati, ac eſt potentia recte, & meritorie operandi ſumpta pro principio potentiali, ſeu fundamentali ordinis ad conformitatem actus recti; ſed prout ſic eſt à Deo: ergo etiam prout alio modo. Prob. mai. primò: ſicut in potentijs paſſivis, ſeu receptivis idem eſt proximum ſubiectum habitus, ſeu formæ, & privationis, quia privativè oppoſita nata ſunt fieri circa idem; ita potentia activa libera defectibilis eſt immediatum principium oppoſitorum, ſcil. efficiendo reſpectu recti-

tudinis actus boni, & deficiendo reſpectu deformitatis peccati; ſed potentia paſsiva ſecundum eandem rationem eſt ſubiectum, & fundamentum ordinis ad formam, & privationem: ergo. Prob. ſecundò illa mai.: voluntas creata ſub ratione potentiæ liberæ contingentis, aùt finitæ, & limitatæ, eſt principium potentiale, & fundamentale ordinis ad deformitatem peccati; ſed ſub tali ratione eſt etiam principium potentiale, & fundamentale ad conformitatem actus recti, & meritorij: ergo.

7 Prob. 4. concluſ. impugnando unum ex fundamentis Adverſ.: ideo, iuxtà illos, potentia peccandi, adhuc fundamentalitèr ſumpta, non eſt à Deo; quia quod voluntas creata ſit potens peccare convenit ipſi, quatenus eſt ex nihilo; ſed hoc eſt falſum in ſenſu, in quo ab eis aſſumitur; & quamvis ſit verum, non probat aſſumptum ipſorum: ergo. Prob. min. quoàd 1. part. ex Subt. Doct. cit. ly *ex nihilo* ſumitur à contrarijs purè negativè, ſeu pro nihilitate, aut pura negatione eſſendi tanquàm termino *à quo* productionis creaturæ; ſed voluntati non convenit quòd poſsit peccare, eò præcisè quia eſt ex nihilo ità ſumpto: ergo. Prob. min.: eſſe ita ex nihilo eſt cõmune omni creaturæ, etiã impotenti peccare: ergo poſſe peccare, quod eſt proprium voluntatis creatæ, utpote principij liberi finiti, & limitati, non convenit ei eò præcisè, quia eſt ita ex nihilo, ſed ratione alicuius poſitivi, & proprij ſuæ naturæ, connotantis nihilitatem ut terminum *à quo* ſuæ productionis.

8 Prob. illa min. quoàd 2. part. primò: ità convenit ſpecialiter voluntati creatæ poſſe peccare, ſeu eſſe defectibilem in operando moraliter; ſicut cõvenit univerſaliter omni creaturæ poſſe deficere entitativè, ſeù redigi in nihilum, eò quia eſt ex nihilo; ſed ex hoc, quod creaturæ conveniat poſſe deficere entitativè, quia eſt ex nihilo, non probatur, quòd corruptibilitas, ſeu potentia deficiendi competens creaturæ non ſit à Deo; cum ſit quid poſitivum, intrinſecum, & eſſentiale ipſius creaturæ, ut probatum manet in tract. *de Angelis* diſp. 2. quæſt. 5.: ergo licèt verum ſit, quòd poſſe peccare, ſeù deficere in operando moraliter convenit voluntati creatæ, quia eſt ex nihilo; ex eo non probatur, quod potentia peccandi, ſeù defectibilitas fundamentalis non ſit à Deo. Prob. ſecundò eadem pars illius min.: ideò, iuxtà Adverſ., ex eo quod potentia peccandi conveniat voluntati creatæ, quia eſt ex nihilo,

pro-

probatur talem potentiam non eſſe à Deo ; quia voluntas proùt ex nihilo, non eſt formaliter voluntas proùt à Deo; ſed hoc eſt falſum : ergo. Prob. hæc min. primò: voluntas proùt ex nihilo eſt formaliter creatura, ſeù creata ; ſiquidem eſſe creaturam eſt formaliter eſſe ex nihilo ; ſed creatura proùt formaliter talis eſt à Deo : ergo. Prob. ſecundò ipſa min.: creaturam eſſe ex nihilo formaliſsimè eſt, quòd eius eſſe connoret nihilum, tanquàm terminum *à quo* ſuæ productionis ; ſed hoc provenit à Deo: ergo. Mai. patet ; quia eſſe ex nihilo importat ex terminis *eſſe* creaturæ tanquàm rectum, & *nihilum* præcedens veluti connotatum. Min. etiàm conſtat ; quia eſſe creaturæ connotat nihilum, tanquàm terminum à quo per id, per quod conſtituitur in ratione termini *ad quem* actionis creativæ ; ſed id habet à Deo tanquàm creatore : ergo.

9 Prob. tertiò illa 1. min. quoàd 2. part. : quamvis ex eo quòd voluntas creata ſit potens peccare quia eſt ex nihilo, probetur, potentiam peccandi formaliter ſumptam pro ordine ad deformitatem peccati non eſſe à Deo ; tamèn minimè ex eo probatur, talem potentiam ſumptam pro fundamento illius ordinis non eſſe à Deo : ergo illud fundamentum non probat contrà noſtrum aſſumptum. Prob. antec. : in tantùm illud probat iuxtà Adverſ., in quantùm voluntas proùt ex nihilo non eſt à Deo ; ſed licèt hoc ſit verum, ly proùt *ex nihilo* ſumpto formaliter pro ordine ad ipſum nihilum, ſeù negationem eſſendi ; non tamèn ſi ſumatur pro fundamento illius ordinis, quod eſt quid poſitivum, & creatum, nempè eſſe contingens creaturæ : ergo pariter licèt ex illo fundamento probetur, quod potentia peccandi ſumpta formaliter pro ipſo ordine ad deformitatem peccati non ſit à Deo ; tamèn ex illo non probatur, quod talis potentia ſumpta pro fundamento illius ordinis, utpote quid poſitivum, & creatum, non ſit a Deo. Conf. : quamvis defectus, imperfectio, aùt negatio competens inſeparabiliter creaturæ, v. g. negatio identitatis neceſſariæ cum ſuo eſſe, aùt negatio eſſendi à ſe, non eſſe actum purum, aùt plenitudinem eſſendi, in ſe formaliter non ſit à Deo ; tamèn fundamentum talis defectus, vèl negationis, nempè eſſe contingens creaturæ, eſſe ab alio, potentiale, & incompletum, utpote poſitivum, & creatum, eſt effective verè, & propriè à Deo : ergo ſimiliter quamvis

vis potentia peccandi ſumpta formaliter pro ordine ad deformitatem peccati non ſit à Deo, tamèn ſumpta pro fundamento talis ordinis eſt effectivè ab ipſo.

10 Prob. 5. concluſ., impugnando etiam aliud fundamentum Adverſ.: ideò, iuxtà illos, non eſt à Deo potentia peccandi, quia ipſa eſt quid malum moraliter, ſaltèm ſecundùm quid; ſed hoc eſt falſum, ſumpta tali potentia pro principio potentiali, quod eſt fundamentum ordinis ad deformitatem peccati: ergo. Prob. min. primò: ideo in potentia peccandi daretur aliqua ratio mali, quia eſt potens cauſare actum moraliter malum, & fundare reſpectum ad deformitatem ipſius; ſed iuxtà D. Thomam 1. part. q. 49. art. 1.: *bonum eſt cauſa mali*; & iuxtà Subt. Doct. in 2. d. 37. §. *Ad aliam quæſtionem*: *peccatum eo modo, quo poteſt habere cauſam, eſt à bono*: ergo. Prob. ſecundò illa min.: iuxta D. Thomam cit. in reſponſ. ad 3. arg.: licet malum repertum in effectu agentis naturalis præſupponat malum in agente; tamèn malum morale repertum in actu agentis liberi non prærequit in ſuo principio aliquod malum morale; ſed voluntas, proùt principium potentiale actus peccaminoſi, ſeù potens peccare, eſt principium liberum: ergo. Prob. 3. illa min.: defectibilitas voluntatis, ſeù potentia peccandi ſumpta fundamentaliter, non eſt libera nobis, nèc cadit ſub dominio ipſius voluntatis: ergo non habet aliquam malitiam moralem, cùm intrinſecè non ſit de linea moris, ſiquidem libertas eſt ratio, aùt fundamentum moralitatis. Prob. 4. illa min.: defectus alicuius bonitatis, ſeù rectitudinis, aùt perfectionis non debitæ voluntati, non reddit illam aliquomodò malam moraliter; ſed huiuſmodi eſt defectibilitas, ſeù potentia peccandi: ergo. Prob. denique illa min.: nullatenùs malum moraliter eſt id, propter quod, vèl cùm quo poteſt laudari habens illud; ſed homo habens potentiam peccandi poteſt cùm illa laudari, iuxta illud: *Qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus; facere mala, & non fecit:: Quis eſt hic, & laudabimus eum?* ergo.

11 Prob. denique concluſ. impugnando alterum fundamentum Contrar.: ideò, iuxtà illos, potentia peccandi, adhùc fundamentaliter ſumpta, non eſt à Deo, quia eſt id, per quod creatura rationalis conſtituitur in eſſe primi deficientis, ſivè primæ cauſæ in deficiendo, quod nequit cauſa-

ſari à Deo; ſed hoc eſt falſum; ergo. Prob. min. primò: licèt illud, per quod creatura rationalis conſtituitur primum deficiens formaliter, nequeat eſſe à Deo; benè tamèn id, per quod in tali eſſe tantùm fundamentalitèr conſtituitur; ſed potentia peccandi ſũpta pro principio potentiali, quod eſt fundamentum ordinis ad deformitatem peccati, non eſt id, per quod creatura rationalis conſtituitur in eſſe primi deficientis formalitèr, ſed tantùm fundamentalitèr: ergo. Prob. mai.: licèt id, quod eſt purus defectus, imperfectio, & negatio, àc malum morale, proveniens ex prava electione creaturæ, & cadens ſub dominio ſuæ voluntatis, nequeat eſſe à Deo; benè tamèn id, quod eſt quid poſitivum, & perfectum quamvis imperfectione admixtum, nullatenùs malum morale, nèc cadens ſub dominio voluntatis creatæ, ſed neceſſariò, & ab intrinſeco conveniens ipſi; ſed primò modo ſe habet illud, per quod creatura rationalis conſtituitur in ratione primi deficientis formaliter, nempè per ordinem, ſeù tendentiam ad deformitatem peccati, deficiendo à debita rectitudine; ſecundò autèm modo ſe habet id, per quod ipſa creatura conſtituitur in eſſe primi deficientis fundamentalitèr, ſeù defectibilis, ſivè flexibilis à debita rectitudine, aùt habentis principium ab illa deficiendi, & deviandi, nempè libertatem finitam, & non neceſſariò conformem ſuæ regulæ: ergo. Omnes probationes adductæ poterunt ulterius roborari, & eformari aliæ ex ſolutione argument..

12 Arg. 1.: in tantùm potentia peccandi, ſaltèm fundamentalitèr ſumpta, eſſet à Deo, in quantùm potentia libera creaturæ eſt ab ipſo; ſed iuxtà D. Anſelm. *de lib. arb.*: *Poſſe peccare non eſt libertas, nèc pars libertatis*: ergo Conſ. M. P. Aug. ſuper Pſalm. 29. docet, quod poteſtatem nocendi non dat Deus deſuper, ſed permittit; ſed poteſtas nocendi eſt potentia peccandi: ergo. Ad arg. conceſ. mai., explic. min. cùm Subt. Doct. cit.: *poſſe peccare non eſt pars libertatis*, proùt libertas eſt perfectio ſimplicitèr, conc.; *non eſt pars libertatis* creatæ, finitæ, & admixtæ cum imperfectione, neg. hanc eſſe mentem D. Anſelm.. Ad conſ. neg. mai.; quia M. P. Aug. in illo loco aſſerit, voluntatem nocendi non eſſe à Deo niſi permiſſivè; potentiam autèm nocendi ab ipſo dari, & non eſſe in voluntate creaturæ..

13 Arg. 2.: ſi potentia pec-

cand-

candi, fundamentaliter ſumpta, eſſet à Deo, contineretur eminenter in ipſo; ſed hoc eſt abſurdum, & piarum aurium offenſivum: ergo. Mai. conſtat, quia nequit aliquid à Deo cauſari, niſi in ipſo contineatur activè eminenter. Min. etiàm patet; nàm hæc propoſitio: *Deus eſt eminenter defectivus in operando, aùt potens peccare*, eſt penitùs abſurda, & piarũ aurium offenſiva. Conf.: id unicè eſt à Deo, quod activè, & eminenter continetur in ipſo; ſed potentia peccandi, ſeù defectibilitas moralis non continetur activè, & eminenter in Deo: ergo. Prob. min., id unicè continetur activè, & eminenter in Deo, quod in eo invenitur perfectiori modo, quam in ſe ipſo; ſed potentia peccandi nequit ità reperiri in Deo, cùm ſit purus defectus, ſeù imperfectio: ergo. Urg.: Deus nequit eſſe cauſa illius, quo creatura rationalis conſtituitur in eſſe primi deficientis, ſeù primæ cauſæ in deficiendo; ſed potentia peccandi ſe habet hoc modo: ergo. Mai. conſtat; quia Deus nequit eſſe cauſa illius, quo creatura conſtituitur non ſubordinata ipſi ut primæ cauſæ, ut ultimo fini, cui omnes eius effectus debent ſubordinari; ſed id, quo creatura conſtituitur primum deficiens, eſt etiàm quo conſtituitur non ſubordinata Deo; nàm alitèr non eſſet prima cauſa in deficiendo: ergo. Min. etiàm patet; nàm potentia peccandi eſt ratio conſtituens creaturam rationalem à ſe defectibilem in operando moraliter, ſeù flexibilem à debita rectitudine, atque deviabilem à ſubordinatione ad ultimum finem.

14 Ad arg. reſp. cùm Subt. Doct. cit. in Report., conceſ. mai., neg. min.; quia ſicut iſtæ propoſitiones, *in Deo continetur activè eminentèr potentia ridendi, vèl flendi, aut currendi, ſivè merendi*, non ſunt abſurdæ, nèc piarum aurium offenſivæ; ità nèc iſta: *potentia peccandi, fundamentaliter ſumpta, continetur activè, ſeù eſt eminentèr in Deo*; quia tantùm enunciat, quòd ſublatis imperfectionibus eſt in Deo libertas; quæ aliundè ratione limitationis annexæ, & imperfectionis admixtæ in creatura rationali eſt principium potentiale indifferens ad agere, & deficere, àc proindè fundamentum ordinis ad deformitatem peccati; quod quidèm principium, & fundamentum eſt effectivè à Deo, & ideò activè eminenter continetur in ipſo, quin ab eo ſit, vèl denominetur Deus potens deficere, ſeù peccare, ſicùt nèc eſt, aùt denominatur potens ri-

ridere, flere, currere, aùt mereri, cùm hoc ſignificet, exercitium talium potentiarum, ſeù poſſe eſſe in Deo illarum actus, qui utpote dicentes in ſe imperfectionem repugnant enti infinitè perfecto; atque adeò eſt falſa, abſurda, & piarum aurium offenſiva illa propoſitio: *Deus eſt eminenter defectivus in operando, aùt potens peccare.* Per quod patet ad probat. min.

15. Replic.: ab eodem principio ſunt actus, & potentia; ut patet in potentia ridendi, flendi &c. quæ quia continentur eminentèr in Deo, & ſunt activè ab ipſo, ſimilitèr earum actus cauſantur immediatè à Deo, licèt non in ſe ipſo, ſed in creatura: ergo cùm deformitas peccati, quæ eſt quaſi actus potentiæ peccandi, fundamentaliter ſumptæ, à Deo non cauſetur etiam in creatura; nec ab ipſo cauſatur talis potentia adhùc fundamentaliter ſumpta. Reſp. diſt. mai.: ab eodem principio ſunt actus, & potentia directè, & per ſe, aùt ex primaria intentione ſui principij, reſpiciens talem actum, conc.; potentia tantùm indirectè, & per accidens reſpiciens ipſum, ſubdiſt.: ſi ſit propriè actus à tali potentia effectivè elicitus, conc.; ſi ſit unicè abuſivè actus, ac propriè purus defectus conſequens, vèl concomitans talem actum, neg antec., & conſeq.; quia cùm deformitas peccati non ſit propriè actus, effectivè à voluntate elicitus, ſed ſit purus defectus conſequens, vèl concomitans entitatem actus peccaminoſi, quem proùt talem reſpicit ipſa voluntas creata ſolùm indirectè, & prætèr primariàm intentionem Dei, ipſam ad actum rectum ex ſe ordinantis; ideò licèt deformitas peccati non ſit à Deo; benè tamèn potentia peccandi, proùt eſt fundamentum ordinis ad talem deformitatem, imò & entitas actus peccaminoſi à creatura eliciti.

16. Ad conf. argum. conceſ. mai., diſt. min.: potentia peccandi, ſeù defectibilitas moralis ſumpta formalitèr pro ordine, ſeù reſpectu ad deformitatem peccati, & proùt ſignificatur abſolutè, non continetur eminentèr in Deo, cõc.; ſumpta fundamentalitèr pro principio potentiali, quod eſt fundamentum illius ordinis, ſeù reſpectus, neg. min.; quia proùt ſic eſt ipſa voluntas, ſeù potentia libera finita, & limitata, ac proindè defectibilis in operando moralitèr, utpotè ex ſe non neceſſario conformis ſuæ regulæ; quod quidem principium in Deo invenitur perfectiori modo, nempè denu-

da-

datum ab imperfectione defectibilitatis, quam habet identificatam in creatura ratione limitationis. Ad urgent. diſt. ſimiliter mai.: Deus nequit eſſe cauſa illius, quo creatura rationalis conſtituitur in eſſe primi deficientis formaliter, ſeù primæ cauſæ quoad denominationem in deficiendo, conc. (prout ſtatuimus in 1. concluſ.); quo conſtituitur in eſſe primi deficientis fundamentaliter, ſeù primæ cauſæ quoàd entitatem abſolutam in deficiendo, neg. mai.; & ſub eadem diſtinct. neg min., cùm eius probat.; quia potentia peccandi fundamentaliter accepta, & quoàd entitatem abſolutam, non convenit creaturæ rationali à ſe, & ex eius electione, àc ſine ſubordinatione ad Deum, ſed eam accipit ab ipſo cauſatam cùm eius natura, cum qua identificatur.

17 Arg. 3.: implicat, Deum eſſe authorem eius quod ſaltèm ſecundùm quid eſt malum moraliter; ſed huiuſmodi eſt potentia peccandi, nedùm formaliter ſumpta prout dicit in recto ordinem ad deformitatem peccati, ſed etiàm fundamentaliter accepta quatenùs non ſolum precisè dicit virtutem efectivam actus peccaminoſi, ſed etiàm quetenùs cùm illa coniungit defectibilitatem, ut poſsit ſuo modo influere in malitiam peccati, & fundare ordinem ad illam: ergo. Prob. min. primo: iuxtà D. Thomam in 1a. 2æ. q. 71. art. 3. *vituperabilius eſt malè agere, quàm poſſe malè agere*: ergo poſſe male agere dicit aliquam vituperabilitatem, ſeu malum de genere moris. Prob. 2. illa min.: potentia peccandi conſiſtit formaliter in eo, quod voluntas eſt potens deficere, vèl exorbitare à regulis morum; ſed hic eſt defectus in genere moris: ergo. Prob. min.: talis poſsibilitas convenit voluntati ex eo, quòd nèc eſt ipſa regula rectitudinis, nèc eſt neceſſariò coniuncta cum tali regula; ſed iſte eſt defectus de linea moris; cum coniunctio, cuius defectus eſt, ſit in tali linea, & aliàs ſit defectus perfectionis poſsibilis: ergo. Prob. 3. eadèm min.: id, quod activè, aut quaſi activè, continet malitiam moralem, nequit ſub tali formalitate non eſſe aliqualiter malum moraliter; cùm debeat illam in ſe præhabere; ſed malitia peccati continetur tanquàm in cauſa, aut quaſi cauſa, in voluntate ut eſt potentia peccandi: ergo. Prob. 4. illa 1. min.: id, cuius uſus eſt malus, ipſum quoque malum eſt; ſicut illud, cuius uſus eſt bonus, ipſum quoque bonum

eſt;

eſt; ſed uſus potentiæ peccandi, nempè peccare, eſt malus moraliter: ergo. Prob. 5.: ſicut ſe habet potentia benefaciendi reſpectu boni, ità ſe habet potentia malefaciendi reſpectu mali; ſed omnis potentia benefaciendi, in quantùm huiuſmodi, eſt bona moraliter, cum eius actus, & obiectum ſit bonum de linea moris: ergo. Prob. denique prima min.: potentia peccandi non eſt aliud, quàm voluntas; ſed voluntas peccandi eſt mala moraliter; & ideò non eſt à Deo, iuxta M. P. Aug.: ergo.

18 Reſp. ad argum. neg. min.; quia aliàs, ut inquit Seraph. Doct. in 2. d. 44. art. 1. q. 2., iuſtus, & ſanctus, potens peccare, eſſet malus, & malitia, quam non fecit, cum poſſet facere, quod videtur oppoſitum ſcripturæ; & eſſet malus, non quidem malitia, quam fecit, ſed quæ in ipſo facta eſt, quod eſt contrarium M. P. Aug. lib. 83. quæſtionum, ubi probat, quòd nullo alio authore poſsit homo fieri malus, niſi ſe ipſo. Ad 1. probat. min. explic. D. Thomam: *vituperabilius eſt malè agere, quàm poſſe malè agere*, comparatione lata, per afirmationem unius extremi, & puram permiſsionem, vèl aptitudinem, aut potentialitatem alterius, conc.; comparatione ſtricta, per afirmationem vituperabilitatis reſpectu utriuſque extremi, neg. hanc eſſe mentem S. Doct., ut conſtat ex locis eius allegatis in probat. noſtræ concluſ.. Ad 2. probat. min. conceſ. duabus mai.; neg. ambas min.; quia ille defectus coniunctionis, vèl conformitatis neceſſariæ cum regula rectitudinis non eſt voluntarius, ſeù liber, ſed neceſſarius, & naturalis, ac proindè non eſt de linea moris, quæ conſiſtit, vèl fundatur in libertate; prout fatentur etiam Adverſ.. Ad 3. probat min. neg. mai.; quia ut inquit D. Thomas ut num. 10., licèt in rebus naturalibus nunquàm ſequatur malum in effectu, niſi præexiſtat aliquod aliud malum in agente, vèl materia minimè verò in rebus voluntarijs, in quibus malitia, vèl defectus provenit à potentia actu deficiente, in quantum non ſubijcit ſe actu ſuæ regulæ, quin in ſe præhabeat aliquod malum morale ſumpta ex parte actus primi, & per modum potentiæ.

19 Ad 4. probat. illius min. reſp. ex Angel. Doct. in 2. d. 44. q. 1. art. 1. in reſp. ad 5. arg.; & ex Seraph. ſuprà cit. in reſponſ. ad 2., diſt. mai.: id, cuius uſus verus, & proprius, ſeù ad quem direc-

te, & principalitèr ordinatur, eſt malus, ipſum quoque malum eſt, conc.; cuius uſus improprius, vèl potius abuſus, & ad quem indirectè, àc per accidens ordinatur, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: uſus improprius, vèl potius abuſus potentiæ peccandi, ad quem ſolum inderectè, & per accidens ordinatur nempè peccare, eſt malus, conc.; uſus verus, & proprius, ad quem per ſe, directè, & principalitèr ordinatur, neg. min.; quia cùm illa eadem potentia ſit ad oppoſita, nempè ad rectè agendum, & peccandum, ipſa perſe ordinatur ad bonum, & iſtius electio eſt verus uſus illius; per accidens autèm, & indirectè ordinatur ad malum, cuius proſecutio eſt abuſus ipſius potentiæ. Per quod patet ad 5. probat. min., ad quam neg. mai.; quia potentia benefaciendi ordinatur per ſe, & directè ad bonum, quæ cùm ſit ipſamet potentia malefaciendi, ideò reſpectu mali ſe habet unicè indirectè, & per accidens. Imò etiàm neg. min.; quia potentia benefaciendi, proùt huiuſmodi præcisè, non habet actù bonitatem moralem; ſed in quantùm actù ſe exercet benè moralitèr ergà obiectum actù cadens ſub regulis moris. Ad ult. probat. min. reſp. cùm Seraph. Doct. diſt. mai.: potentia peccandi non eſt aliud quàm voluntas ſumpta pro principio potentiali, quod eſt fundamentum ordinis, vèl deordinationis ad deformitatem peccati, conc.; non eſt aliud quàm voluntas ſumpta pro actuali ordine, vel deordinatione, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: voluntas peccandi, proùt ſignificat actualem ordinem ad malitiam peccati, vèl potius actualem deordinationem, eſt mala moralitèr, conc.; voluntas peccandi, quatenùs præcisè importat principium potentiale, & fundamentale illius ordinis, vèl deordinationis, neg. min., & conſeq..

2o Arg. 4.: quòd voluntas creata ſit potens peccare, convenit ipſi, quatenùs eſt ex nihilo; ut conſtat ex tract. *de Dæmonijs*, diſp. 1. quæſt. 1.; ſed voluntas proùt ex nihilo, non eſt voluntas proùt à Deo: ergo quod voluntas creata poſſit peccare, non habet à Deo. Prob. min.: voluntas, proùt deſcendens à Deo, extrahitur de ſtatu nihileitatis, veluti termino *à quo* ſuæ productionis; ſed voluntas proùt extrahitur de ſtatu nihileitatis ad ſtatum eſſendi, non eſt voluntas formalitèr proùt ex nihilo; cùm proùt ſic ſapiat naturam ſui termini *à quo*: ergo. Aliter prob. illa min.: ideò, iuxtà S. S.

P.

P. P., voluntas creata eſt potens peccare, quia habet ipſum nihil pro termino *à quo* ſuæ productionis; ſed quod terminus *à quo* productionis voluntatis creatæ ſit nihil, non habet à Deo, tanquàm à cauſa, ſed hoc convenit illi ex ſe ipſa, ſcil. quia non eſt ens à ſe, ſeù per eſſentiam: ergo. Conf.: voluntas creata eſt potens peccare, quia non identificat ſecum regulam honeſtatis moralis, vèl quia non eſt neceſſariò conformis tali regulæ; ſed Deus non eſt cauſa huius, quod eſt voluntatem creatam non identificare ſecum, aùt non adhærere immobiliter, & non neceſſariò conformari primæ regulæ honeſtatis moralis: ergo. Min. patet; tùm, quia huiuſmodi negationes ſunt purum nihil. Tùm, quia tales negationes ſunt quidam defectus conſequuti per ſe, & neceſſariò ad finitudinem, & limitationem voluntatis creatæ; àc proindè ei conveniunt à ſe, & non à Deo tanquàm à cauſa.

21 Ad arg. reſp. 1. inſtando arg.: quòd voluntas creata ſit, adhùc materialitèr, potens peccare, ſeù potentia, qua peccatur, convenit ipſi, quatenùs eſt ex nihilo; ſed prout ſic formaliter non eſt à Deo: ergo potentia peccandi, adhuc pure materialitèr ſumpta, non eſt à Deo. Sed hoc eſt etiàm contrà Adverſ.: ergo nihil probat eorum argum.. Reſp. 2. admiſ., vèl conceſ. mai., neg. min.; ad cuius probat. conceſ. etiam mai., neg. min.; quia voluntas proùt ex nihilo dicit dependentiam à cauſa prima extrahente ipſam ad ſtatum eſſendi per veram, & poſitivam cauſalitatem; quia aliàs non eſſet extracta, ſeù producta ex nihilo, ſed eſſet nihilum, vèl intrà nihilum. Ad aliam probat. eiuſdem min. conceſ. mai., diſt. min.: quòd terminus *à quo* productionis voluntatis creatæ ſit nihil, non habet à Deo, tanquàm à cauſa intrinſeca, & formali, ſed hoc convenit illi ex ſe ipſa, conc.; non habet à Deo extrinſecè, & principiativè, tanquàm à cauſa efficiente, ſed hoc convenit illi à ſe ipſa, neg. min; nàm ad modum quo poſſibilitas logica rerum convenit illis formalitèr, & intrinſecè ex ſuis prædicatis eſſentialibus; extrinſecè autèm, principiativè, & in genere cauſæ quaſi efficientis ab intellectu Divino: ità eſſe ex nihilo convenit voluntati creatæ formalitèr, & intrinſecè ex ſe ipſa; extrinſecè verò, principiativè, & in genere cauſæ efficientis à Divina Omnipotentia.

22 Ad conf. diſt. mai.: eſſe potentem peccare, voluntati crea-

creatæ competit mediatè ratione illius negationis proùt fundatæ, ſeù conſequutæ ad eſſe poſitivum ipſius voluntatis, conc.; competit immediatè, & præciſè ratione illius negationis, neg. mai.; & diſt. min.: Deus non eſt cauſa immediatè, & directè illarum negationum, conc.; non eſt cauſa adhùc mediatè, & indirectè, neg. min.; quia cùm illæ negationes neceſſariò conſequantur eſſe poſitivum finitum, & limitatum voluntatis creatæ, proindè Deus cauſans immediatè, & directè iſtud, cauſat etiàm mediatè, & conſecutivè negationes conſequentes illud. Per quod patet ad probationes min.; quia licèt illæ negationes in ſe formaliter, & abſtractè ſint purum nihil, àc proindè non quid cauſatum per ſe immediatè; tamèn mediatè, & conſecutivè cauſantur cùm eſſe poſitivo immediatè cauſato, ad quod conſequuntur, & ratione cuius ipſi voluntati conveniunt; quia ut docet Subt. Mag. in 3. d. 1. q. 1. *nihil repugnat alicui ſimpliciter, niſi ratione alicuius poſitivi*, ſeù omnis negatio inſeparabiliter conveniens alicui, aùt ratione cuius oppoſitum illius repugnat ſimpliciter ſubiecto, dicit de materiali aliquid poſitivum; quod eſt idem àc dicere, iuxtà axioma commune: *negatio fundatur ſuper affirmationem.*

23 Arg. 5.: quod eſt cauſa cauſæ ſecundùm illam rationem, qua talis cauſa influit in cauſatum, eſt etiàm cauſa cauſati; ſed ſi potentia peccandi, adhùc fundamentaliter ſumptà, eſſet a Deo; Deus eſſet cauſa voluntatis creatæ ſecundùm illam rationem, ſecundùm quam ipſa voluntas influit in deformitatem peccati; ſiquidèm eſſet cauſa ipſius voluntatis ut potentis deficere: ergo Deus eſſet cauſa deformitatis peccati. Sed hoc eſt falſum, & abſurdum: ergo etiam illud, ex quo ſequitur. Conſ.: implicat, Deum ſe ſolo producere, aùt infundere habitum vitioſum: ergo etiam implicat potentiam peccandi, adhùc fundamentaliter acceptam, eſſe à Deo. Antec. conceditur à pluribus Scotiſtis allegantibus Subt. Doct. Prob. conſeq.: ideò Deus nequit ſe ſolo producere habitum vitioſum, quia cùm iſte ſit propenſio, & inclinatio ad peccandum, ſi Deus produceret talem inclinationem, Deus eſſet cauſa peccati: ſed potentia peccandi, adhùc fundamentaliter ſumptà, etiàm propendet, & inclinat ad peccandum, cùm omnis potentia inclinet ad eius actum proprium: ergo.

24 Ad arg. dist. mai.: quod est causa causæ naturalis, & ex se determinatæ, est etiam causa causati, conc.; quod est causa causæ liberæ, activè indifferentis, & se ipsam determinantis, subdist.: est causa causati per se, & directè, conc.; est causa causati unicè per accidens, & indirectè, neg. mai.; & dist. similiter min.: Deus esset causa voluntatis creatæ secundùm illam rationem, secundùm quam ipsa voluntas influit libere, per accidens, & indirectè, in deformitatem peccati, conc.; secundùm quam influit naturaliter, vel adhuc liberè, per se, & directè, seù ex primaria ordinatione, & constitutione ipsius voluntatis, neg. min., ut constat ex dictis; & neg. conseq. Ad conf. admis. antec. (quod negatur à gravibus Scotistis, qui nituntur in principijs Scoticis): neg. conseq.; ad cuius probat. dist. mai.: ideò Deus nequit se solo producere habitum vitiosum, quia cum iste sit propensio, & inclinatio naturalis, ac determinata ad peccandum, si Deus produceret talem inclinationem, Deus esset causa peccati, permit.; quia cùm habitus sit inclinatio libera, & indifferens, imò indirecta, & per accidens ad peccandum, &c. neg. mai., vel supositum eiusdem; & neg. absolutè min.; quia licèt potentia, adhùc libera, propendeat, & inclinet ad eius usum proprium, seù actum, ad quem per se primò, & directè ordinatur; non tamèn ad illius usum improprium, seù abusum, ad quem propter sui imperfectionem, & defectibilitatem, ordinatur solùm indirectè, & per accidens. Vel dist. min.: potentia peccandi, fundamentaliter sumpta, propendet, & inclinat naturalitèr, & determinatè ad peccandum, neg.; propendet, & inclinat liberè, ac indifferentèr activè, subd.: secundariò, per accidens, & indirectè, conc.; per se primariò, & directè, neg. min., & conseq.

DISPUTATIO VIII.

De primo effecto peccati actualis, seu de peccato habituali.

QUÆSTIO UNICA.

In quo consistat formaliter peccatum habituale?

1 SUpponimus primò, tanquam certum apùd omnes, quod post actum peccati remanet in homine peccante aliquid, per quod in esse peccatoris constituitur, & ità denominatur utique dum consequatur remissionem illius,

lius, ut passim in Scriptura habetur; nàm Math. cap. 9. dicitur: *Publicani, & peccatores discumbebant cùm Jesu.* Et Lucæ cap 7. *Mulier, quæ erat in civitate peccatrix.* Et epist. ad Roman. cap. 5.: *Cùm adhùc peccatores essemus.* Illud autèm, quod ex peccato actuali derelinquitur, in peccatore, solet in Sacra Script. appellari macula; ut patet ex illo Josue cap. 22.: *Usque in præsentem diem macula huius sceleris in vobis permanet.* Et Jerem. 2.: *si laveris te nitro, maculata tamèn es in iniquitate tua.* Et Ecclesiastic. 31.: *Beatus vir, qui inventus est sine macula.* Undè à tali macula contracta per peccatum actuale, tanquàm primus effectus ejusdem, homo dicitur maculatus, pollutus, sordidus, immundus, coinquinatus, & abominabilis coràm Deo, ut patet ex pluribus script. textibus. Hæc igitur macula vocatur communitèr peccatum habituale per quandam analogiam, & proportionem, quam habet cùm habitu; nàm sicut iste habet modum permanentis, & quiescit in anima, nèc statim definit, aùt cito transit; ita peccatum habituale est quid permanens moraliter.

2 Supp. 2., quod peccatum habituale est duplex. Unũ personale, quod remanet in homine ratione peccati actualis ab ipso commissi, & dicitur peccatum proprium, àc vocatur absolutè habituale, quasi pro famosiori significato. Aliud est originale, quod sequitur originem, & trahitur ex peccato Adami. In præsenti non agimus de Originali, de quo specialitèr tractabimus in ultima disp.; sed hic loquimur de peccato habituali personali, & inquirimus: in quo consistat formalitèr? Scù, quæ sit ratio formalis constitutiva perseverantiæ, sivè habitualitatis peccati anteacti? Circa quod sunt plures sententiæ; relictis autèm, àc dimissis quibusdam antiquis, & antiquatis, àc alijs minùs præcipuis, versabimur principaliores, & in Scholis nùnc maximè vigentes, quas examinabimus per sequentes sectiones.

SECTIO I.

Impugnatur communior opinio Thomistarum.

3 Concluf: macula peccati, seù peccatum habituale, equidem mortale, non consistit in privatione gratiæ sanctificantis, ut voluntariè inducta per actum peccati. Ità expresse Subt. Doct. in 2. d. 37. q. 1. § *Contra primum istorum*; & in 4. d. 14.

q.

q. 1. §. *Hic sunt tria videnda*, ubi exprofesò impugnat illam opinionem, quæ inter Thomistas est magis communis; eamque reijciunt Scotistæ, Jesuitæ & aliqui Thomistæ. Prob. 1. ex Subt. Doct.: qui existit in peccato habituali ratione unius actualis ab eo commissi, potest ulteriùs tot peccatis habitualibus maculari, quot peccata actualia commisserit; sed hoc repugnaret, si peccatum habituale formaliter consisteret in privatione gratiæ sanctificantis, ut inducta per actum peccati, sivè cùm respectu ad actum peccati præcedentem, & eam causantem: ergo. Mai. constat; quia quodlibet peccatum actuale derelinquit in peccatore novam, & distinctam maculam sibi correspondentē, prout concedunt etiàm Adversi.. Prob. min. repugnat, multiplicari cōstitutum, quin eodē modo multiplicetur constitutivum; sed si privatio gratiæ, etiàm ut voluntariè inducta per actum peccati, est constitutivum formale maculæ, seù peccati habitualis, non multiplicatur eius constitutivum formale, quamvis peccata actualia multiplicentur: ergo. Prob. min.: privationes non multiplicantur ad multiplicationem causarum, quibus inducuntur, sed præcise ad multiplicationem formarum, quibus privant; sed in uno homine non datur nisi unica gratia habitualis: ergo si eius privatio, etiàm ut inducta, seù causata ex actu peccati, est cōstitutivum formale peccati habitualis, non multiplicatur istius constitutivum, quamvis multiplicentur peccata actualia, quibus ipsum inducitur, seù causatur.

4 Conf. 1. repugnat vera, & distincta privatio gratiæ ubi non datur gratia, quæ possit privari; sed in existente in peccato mortali non datur gratia sanctificans, qua possit privari, & cuius privatio possit induci per novum peccatum actuale; siquidem per primum fuit ea privatus totaliter, & omnimodè; cùm non relinquat aliquid gratię sub aliquo respectu, vèl munere: ergo. Conf. 2. & declaratur exemplo: ideo homo occisus uno vulnere nequit ulteriùs altero occidi, seù vita privari; quia per primum supponitur omninò privatus vita, seù separata a corpore anima rationali, quæ tota simùl, & totaliter deficit: ergo cùm per quodlibet pecatum mortale inducatur mors mystica animæ, seù omnimoda privatio gratiæ, si in ipsa consisteret, & formaliter macula peccati, repugnaret quod maculatus uno peccato habituali macularetur alio superveniente. Conf. 3. & declaratur alio exemplo: ideò

cauſata umbra per unum corpus, poteſt alia cauſari per alterum, quia umbra non eſt ſicut tenebra, totalis, & omnimoda lucis privatio adeò ut inter lumen, & ſpatium medium interponeretur corpus ità undequaquè opacum, quod omninò privaret lumine, quamvis poſteà interponerentur alia corpora, non cauſaretur alia umbra, quia per primum fuit lumen totalitèr impeditum, & privatum: ergo cùm per quodlibet peccatum mortale excludatur, ſeù privetur totalitèr gratia, ſi in eius privatione conſiſteret formalitèr peccatū habituale, ſequeretur quòd contrahens unum non poſſet ulteriùs contrahere aliud.

5 Prob. 2. concluſ. ex eodem Subr. Doct.: ſicut peccata actualia ſunt inæqualia, & alia alijs graviora, ità pariformitèr habitualia ex illis derelicta, ut fatentur etiam Adverſ. ſed hoc repugnaret, ſi peccatum habituale conſiſteret formalitèr in privatione gratiæ, etiam cùm reſpectu ad actum peccati, per quem eſt voluntariè inducta: ergo. Prob. min.: ſtante æqualitate rationis conſtitutivæ, repugnat inæqualitas rei conſtituræ; ſed privatio gratiæ, etiam cùm reſpectu ad actum peccati illam inducentem, eſt æqualis in omnibus peccatis: ergo ſi talis privatio eſt formale conſtitutivum peccati habitualis, repugnat inæqualitas ipſorum ad invicem. Prob. min.: privationes in facto eſſe quæ ſunt ſimplices entitativè, & gradualitèr, ſunt omninò æquales, & non ſuſcipiunt magis, & minùs, quamvis inducantur, vèl cauſentur à cauſis inæqualibus; ſed privationes gratiæ ſunt tales in facto eſſe, & omninò ſimplices entitativè, & gradualitèr: ergo. Mai. conſtat ex communi doctrina, aprobata à D. Thoma in 1a. 2æ. q. 73. art. 2. dicente: *Privatio in facto eſſe talis non ſuſcipit magis, & minus, ut conſtat in morte corporali*; quæ quidem in omnibus mortuis eſt æqualis, quamvis dicat reſpectum ad cauſas inæquales ipſam inducentes, v. g. ad inæqualia vulnera, vèl inæquales febres. Min. etiam patet; nàm ſicùt mors corporalis eſt privatio in facto eſſe, & ſimplex entitativè, ac gradualitèr, quia privat totalitèr vita, adeò ut una mors non ſit maior alia; ità ſimilitèr mors ſpiritualis animæ inducta per quodlibet peccatum mortale, eſt omnimoda privatio vitæ ſpiritualis gratiæ, atque adeò eſt privatio in facto eſſe, ſimplex entitativè, & gradualiter.

6 Conf. hæc ratio: ſi peccatum habituale conſiſteret formalitèr in privatione gratiæ, etiam

etiàm cùm reſpectu ad actum peccati ipſam voluntariè inducentem, ſequeretur quòd gravitas maculæ à peccato actuali derelictæ, ſeù peccati habitualis deſumeretur ex intenſione gratiæ deperditæ, non autèm ex gravitate actus peccati talem maculam, ſeù peccatum habituale cauſantis; ſed hoc eſt abſurdum; quia aliàs graviorem maculam contraheret ille, qui cùm intenſiori gratia committeret peccatum furti v. g., quam qui cùm gratia minùs intenſa committeret peccatum homicidij: ergo. Prob. mai.: maioritas privationis deſumitur ex maiori intenſione habitus, ſeù formæ oppoſitæ, non autèm ex gravitate cauſæ inducentis ipſam privationem; ut patet in privatione caloris ut octo, quæ eſt maior privatione caloris ut quatuor; quamvis iſta inducatur ab activiori cauſa, quàm illa: ergo.

7 Prob. 3. concluſ. ex ipſo Subt. Doct.: ſicùt peccata actualia ſunt ſpecie diverſa, ità etiam maculæ, ſeù peccata habitualia ex illis derelicta; ſed hoc eſſet falſum ſi peccatum habituale conſiſteret formaliter in privatione gratiæ, etiàm cum reſpectu ad actum peccati talem privationem inducentis: ergo. Prob. min.: privatio gratiæ eſt eiuſdem ſpeciei in omnibus peccatis, quamvis reſpiciat actus peccati, à quibus fuit inducta, diverſos ſpecificè: ergo ſi talis privatio conſtituit formaliter peccatum habituale, omnia erunt eiuſdem ſpeciei. Prob. antec.: ſpecificatio privationis deſumitur ab habitu, ſeù forma oppoſita privativè, non autèm à reſpectu, vèl habitudine ad cauſam inducentem talem privationem, ut patet in morte, ſeù privatione vitæ, quæ eſt eiuſdem rationis ſpecificæ, quamvis inducatur a diverſis ſpecie cauſis; ſed gratia privata, ſeù excluſſa per quodlibet peccatum mortale, eſt eiuſdem rationis ſpecificæ: ergo.

8 Reſp. contrar., quòd licèt per quodlibet peccatum mortale induceretur talis privatio gratiæ ſecundùm ſe, & quoad ſubſtantiam; & licèt proùt ſic talis privatio ſit æqualis, & eiuſdem ſpeciei; tamèn eſt inæqualis, multiplex, & diverſa ſpecificè, in quantùm ſub ratione termini, & effectus peccati actualis reſpicit illud tanquam cauſam inducentem privationem gratiæ ſub qua conſideratione ſortitur rationem maculæ, inquam refunditur etiam diverſitas ſuæ cauſæ nempè actus peccati. Sed contra 1: diverſitas cauſarum non refunditur in privationes, quæ à ſolis formis oppoſitis accipiut ſuam ſpecificationem, ut conſ-

tat ex dictis, & oppoſitum non probatur à contrarijs: ergo eorum reſponſ. non tenet. Contra 2.: iuxtà reſponſ. macula peccati non conſiſtit in privatione gratiæ, vèl ſaltèm illam non importat in recto, & principaliter, ſed relationem rationis fundatam in privatione gratiæ, & terminatam ad peccatum actuale; ſed hoc eſt contra Adverſ. conſtituentes maculam per privationem gratię, connotata illa relatione: ergo talis reſponſ. non quadrat eorum doctrinæ. Prob. mai.. iuxta reſpons., illa relatio eſt diſtinctivum unicũ, vèl ſaltèm principale maculæ; non verò privatio gratiæ: ergo eſt conſtitutivum ſimiliter; cùm eadẽ ſint principia cõſtitutiva, & diſtintiva cuiuſlibet. cõtra 3: iuxtà Adverſ., macula peccati importat privationẽ gratię in recto, & relationẽ ad actum peccati importat de connotato, ſed nullum conſtitutum diverſificatur proprie formaliter ex diverſitate ſolius connotati, nulla facta mutatione ex parte recti: ergo ſtante indiſtinctione ex parte privationis gratiæ ſecundum ſe, & quoad ſubſtantiam, nequit diverſificari macula ex ſola diverſitate relationis ad diſtincta peccata actualia.

9 Contra 4: ſicuti macula peccati, iuxtà Adverſ., eſt privatio gratiæ ut libere inducta ex peccato, ſeù cùm reſpectu ad ipſum, ita iuſtificatio adulti eſt voluntaria infuſio gratiæ, ſeù voluntate inducta ex eius diſpoſitione, ſivè cum reſpectu ad actum charitatis, vèl contritionis; ſed per hoc, quòd gratia infundatur homini dependentèr à propria diſpoſitione tali, vèl quali, non infertur, dari in ipſa ſpecialem rationem ſanctitatis, & pulchritudinis diſtinctam ab illa, quæ convenit ipſi gratiæ ſine tali diſpoſitione infuſę: ergo nec ex eò, quòd privationi gratiæ ſuperaddatur dependentia, ſeù reſpectus ad diſtinctum actum peccati, infertur diverſitas ſpecifica maculæ. Contra 5: ſicut macula peccati, iuxtà Adverſ., eſt terminus peccati, actualis; & privatio gratiæ ut inducta ex actu peccati, ità pœna damni eſt carentia viſionis, non utcumque, ſed ut inflicta propter peccatum, & eſt terminus, ſeù effectus illius; ſed hoc non probat, dari pœnas damni ſpecie diſtinctas: ergo nec illud probat, dari peccata habitualia ſpecie diverſa. Contra 6: ut privatio gratiæ in eſſe termini peccati furti v. g. differat ſpecie ab ipſa privatione ut eſt terminus peccati homicidij, & conſtituat maculam diſtinctam ſpecie, neceſſe eſt aſsignare ex parte ipſius privationes diverſas, formalitates, aùt rationes in-

trinſecas formales terminandi, vi quarum poſsit eſſe effectus proveniens à peccatis actualibus ſpecie diſtinctis; ſed iſtæ non aſsignantur à contrarijs, quin potius aſſerunt, talem privationem diſtingui ſpecificè in eſſe termini, quia inducitur à peccatis actualibus ſpecie diſtinctis: ergo petunt principium, & difficultatem non ſolvunt.

10 Propterea reſp. alitèr Salmantic., quòd gratia habitualis, licèt ſit unica radix omnium virtutum, & actuum, quibus Divinę leges adimplentur; tamèn poteſt conſiderari prout dicens reſpectum radicis virtutis caſtitatis v. g., per quam inclinat ad obſervantiam præcepti talis virtutiš, vel prout dicit munus radicis aliarum virtutum: qui quidem reſpectus, vel munera diſtinguũtur virtualitèr in ipſa gratia. Unde etiam in eius privatione poſſunt ſimiles reſpectus diſtingui, ſcil. privatio gratiæ ut radicantis virtutem caſtitatis v. g., & inclinantis ad obſervantiam illius præcepti; & rursùs privatio gratię, ut radicantis alteram virtutem, & inclinantis ad obſervationem præcepti circà materiam eiuſdem. Quare aſſerunt, peccatum furti v. g. cauſare per ſe privationem gratiæ proùt hæc eſt radix virtutis iuſtitiæ, & inclinat rad alitèr ad obſervantiam præcepti de non furando; & ſimilitèr peccatum odij Dei inducere per ſe privationem gratiæ, proùt iſta eſt radix virtutis charitatis, & inclinat ad dilectionem Dei. Ex quibus inferunt, tales privationes opponi eidem gratiæ, non quidem adęquatè, & ſub omni reſpectu (qualitèr mors corporalis opponitur vitæ) ſed ſub reſpectibus diverſis, & ipſi gratię intrinſecis; qua propter datur locus, tùm ut ſecundum peccatum mortale actuale inducat novam, & diſtinctam privationem gratiæ; tùm ut detur inœqualitas, & diſtinctio ſpecifica inter tales privationes ac proindè inter maculas in eis conſiſtentes, iuxtà numerum, gravitatem, & ſpecificam diſtinctionem peccatorum actualium, à quibus per ſe inducuntur. Hanc reſpons. approbat etiàm, & iudicat probabilem Mag. Aliaga.

11 Contra 1: gratia habitualis non aliter radicat virtutes, & earum actus, niſi quatenùs ut forma dans primum eſſe ſupernaturale, gratuitum, amicabile, & condignificativum meriti vitæ æternæ, elevat, & conſtituit in tali ordine; nèc alitèr inclinat ad exercendas virtutes, niſi proùt identificata, vel connexa cum charitate, imperat, & dirigit actus aliarum virtutum in ordine ad finem ſupernaturalem, ſed hoc

ipſo non habet illos reſpectus virtualiter diſtinctos, ratione quorum privatio ipſius gratiæ multiplicetur, vel diſtinguatur iuxta diſtinctionem peccatorum actualium, à quibus inducitur: ergo non tenet prædicta reſponſio. Min. conſtat; quia gratia habitualis non radicat dimanativè, aùt elicitivè virtutes, quæ actione diſtincta, etſi concomitante infunduntur ſimùl à Deo, vèl ſeorſim acquiruntur ab ipſomet ſubjecto, & ab ea ſeparantur; nèc etiàm elicitivè inclinat in actus virtuoſos influendo particularitèr in ipſos ſecundùm eorum rationes ſpeciales, quæ unicè proveniũt, & correſpõdent unicuique reſpectivè virtuti. Min. etiam patet; nàm cùm illa radicatio, & inclinatio in ordine ad actus omniũm virtutum ſit ſub eadem ratione, vèl munere, aùt reſpectu communi, ut patet; ideò gratia, aùt eius privatio non poſſunt habere illos reſpectus intrinſecos, virtualitèr diverſos.

12 Contrà 2.: ſub eodem reſpectu peccatum furti v. g. opponitur gratiæ, & inducit eius privationem, àc peccatum homicidij: ergo talis privatio, proùt inducta ab utroque, non eſt diſtincta virtualitèr intrinſecè penes diſtinctos reſpectus ad utrumlibet. Prob. antec.: ſub eo præcisè reſpectu peccatum furti per ſe opponitur gratiæ, & inducit eius privationem, quatenus utpote violatio præcepti ſimpliciter neceſſarij ad conſecutionem finis ultimi, eſt averſio ab ipſo ultimo fine, atquè adeò opponitur, & inducit privationem gratiæ, quæ eſt converſio habitualis ad ipſum finem; ſed ſub hoc eodem reſpectu peccatum homicidij opponitur ipſi gratiæ, & inducit eius privationem: ergo. Contra 3.: oppoſitio, & excluſio gratiæ per quodlibet peccatum mortale, non eſt phyſica, orta ex natura propria, ſed eſt moralis, & ex ordinatione Divina; ut tenent Noſtri, & probabitur in tract. *de Iuſtificatione*: ergo non dantur illi diverſi reſpectus intrinſeci, ratione quorum multiplicetur, & diſtinguatur privatio gratiæ iuxta multiplicitatem, & diſtinctionem actus peccati.

13 Contra 4.: quodlibet peccatum læthale, cauſat per ſe privationem gratiæ adęquatè ſumptę, & ſub omni reſpectu radicis in ea repertæ: ergo quamvis in ea dentur reſpectus virtualitèr diſtincti, non datur locus multiplicationi, inæqualitati, nèc diſtinctioni ſpecificę in maculis peccati conſiſtentibus in privatione gratiæ. Prob. antec.: quodlibet peccatum læthale per ſe cauſat privationem gratiæ ſub ratione ſanctitatis

per-

perfectæ, iuſtitiæ, & amicitiæ hominis cum Deo; ſed prout ſic dicit formaliter privationem gratiæ adæquatè ſumptę, & ſub omni reſpectu radicis in eâ repertæ; ſiquidem dicit inclinationem radicalem, & virtualem ad rectè operandum in materia omnis virtutis, ut ex ſe patet, & docetur à D. Thom. in 1. 2. q. 103. art. 1. in reſp. ad 1. dicente, quòd iuſtitia hominis apud Deum *importat rectitudinem generalem totius hominis*: ergo. Contra 5.: etiàm anima, quæ eſt vita, ſeu forma conſtitutiva viventis, licet ſit unica radix omnium virtutum, ſeù facultatum, & actuum vitalium, tamèn poteſt conſiderari prout dicens reſpectum radicis unius virtutis, unius virtualitatis correſpondentis uni parti corporis, & prout dicens reſpectum radicis alterius virtutis, & virtualitatis; qui quidem reſpectus, vèl munera diſtinguuntur virtualitèr in anima, & vita radicalitèr ſumpta; ſed hoc non obſtante mors corporalis, & actio inductiva eius terminatur per ſe ad privandam vitam adęquatè ſumptam, & ſub omni reſpectu, etiam iuxtà Adverſ.; ita ut eius privatio non poſsit multiplicari, aùt eſſe inœqualis, vèl diſtinguì ſpecificè: ergo.

14 Adhuc reſp. alitèr Mag. Aliaga, de ratione privationis non eſſe expellere præcisè formam præexiſtentem, ſed etiàm eam excludere in actu primo, ſeu quantum eſt ex ſe, ac reddere actù ſubiectum diſtans, inhabile, ſeù incompoſsibile cùm tali forma; quod eſt quid privativum. Unde licèt ſecundum peccatum mortale non expellat gratiam ſanctificantem, tamen reddit animam magis diſtantem, & minùs habilem ad eius ſuſceptionem; atque adeò per illud inducitur nova privatio, ſeù diſtantia privativa gratiæ, quæ poteſt ſuſcipere magis, & minùs, ac diſtingui ſpecificè iuxtà diſtinctionem peccatorum illam inducentium. Contra 1.: quamvis de ratione privationis non ſit præcisè expellere formam præexiſtentem, tamèn de ratione eius eſt privare, ſeù impeditè privativè exiſtentiam formæ, quæ pro priori apta nata eſt ineſſe, & pro illo tunc ineſſet, ſi tale impedimentum, & indè illiùs privatio non adveniret; ut patet ex ipſa ratione formali privationis, & in omnibus privationibus poteſt exemplificari; ſed per primum peccatum mortale ità expellitur gratia, ut in ſenſu compoſito, ſeù ex ſuppoſitione primi peccati ipſa gratia pro priori ad ſecundum peccatum non ſit apta nata ineſſe tali peccatori, & huic non ineſſet pro illo tunc ſecundi peccati, quamvis

tale impedimentum non apponeret, ſeù tale peccatum non committeret; ſi quidem per primum peccatum ſupponitur expulſa, & impedita exiſtentia talis formæ: ergo per ſecundum peccatum nequit induci nova privatio gratiæ, quæ ſit conſtitutiva maculæ diſtinctæ.

15 Contrà 2. illa maior diſtantia, receſſus, ſeù elongatio à gratia, ſivè minutio habilitatis, & aptitudinis ad ipſam, quamvis ſit quid privativum, tamèn formaliter non eſt privatio gratiæ, ſed alterius ab ea diſtincti, cuius privatio, iuxta Adverſ., non eſt conſtitutivum formale maculæ: ergo eorum reſponſ. non tenet. Prob. antec.: acceſſus, vel approximatio ad gratiam, aùt habilitas, & aptitudo ad ipſam, non eſt formaliter gratia, nèc aliquid ad eam formaliter expectans, ſeu eius rationem formalem participans, ſed aliud ab ipſa omnino diverſum: ergo carentia illius acceſſus, approximationis, aptitudinis, vèl habilitatis ad gratiam, non eſt formaliter privatio gratiæ, ſed alterius ab ea diſtincti. Antec. patet: tum quia acceſſus, approximatio, habilitas, vèl aptitudo ad aliquam formam non eſt formaliter ipſamet forma, nèc aliquid formaliter, ſed tantum diſpoſitivè, aùt cauſalitèr expectans ad ipſam. Tùm, quia in peccante mortaliter non perſeverat formaliter gratia ſanctificans, nèc aliquid eius rationem formalem participans; ſed iuxta Mag. Aliaga, illa habilitas, ſeu aptitudo, ut homo per ſuos actus ſe moveat ad gratiæ ſuſceptionem, & coniunctionem cum Deo ùt fine ultimo, ſemper perſeverat in homine, adhùc in ſtatu peccati mortalis, & tenetur illam exercere: ergo illa habilitas, ſeù aptitudo non eſt aliquid formale gratiæ.

16 Contrà 3.: ſubiectò cœco, vèl corpori mortuo nequit addi nova privatio viſus, vèl vitæ ut inquit Aliaga; ſed illis poteſt addi receſſus, diſtantia, ſeù elongatio ab illis formis, vèl poteſt minui habilitas, & aptitudo ad eaſdem; ſiquidem poteſt augeri privatio illius diſpoſitionis in certo gradu requiſitæ ad conſervationem viſus, vèl vitæ; nàm poteſt magis lædi organum viſus, aùt incidi, vèl vulnerari corpus: ergo quòd minuatur habilitas, ſeù aptitudo ad receptionem gratiæ, non probat quod detur nova privatio eiuſdem. Contra 4.: ideò, iuxtà Mag. Aliaga, mors, ſeù privatio vitæ corporalis nequit multiplicari, benè verò mors, ſeù privatio vitæ ſpiritualis conſiſtens in privatione gratiæ; quia illa deſtruit

vitam, & ſimùl aptitudinem, ut quis poſsit accedere ad principium vitę; iſta verò non ſic ſe habet; ſed licèt hoc probet, quòd mors ſpiritualis poſsit diſcontinuè multiplicari ità nempè ut poſt recuperationem gratiæ poſsit iterùm per novum peccatum induci privatio eiuſdem; non tamèn probat, quòd talis mors, ſeù non interrupta privatio gratiæ poſsit continuè per aliud, & aliud ſucceſivè peccatum multiplicari: ergo prædicta diſparitas non tollit vim noſtræ probat.. Prob. min.: tum; quia habere aptitudinē accedendi ad principiū vitæ ſpiritualis, ſeu gratiæ, non eſt actu accedere, vel poſsidere aliquid talis principij, ſeù formæ, quæ poſsit adhùc privari, vèl deſtrui in ſenſu compoſito ſuæ totalis privationis; ſed unicè aptitudinaliter, ſeorſim, & diviſivè poſſe illam recuperare, atque iterum deperdere: ergo: tum; quia pura capacitas, ſeù non repugnantia, ut poſsit mortuus corporaliter accedere ex providentia extraordinaria ad principium vitæ, unicè probat quòd eius privatio poſsit. ſ. Item prædicto modo, multiplicari diſcontinuè, diviſive, aut ſeorſim; non verò continue, ſimul, aùt coniunctim: ergo paritèr &c.

18 Contra 5: & impugnatur exemplum, quo a Mag. Aliaga confirmatur eius doctrina: iuxta ipſum, ſicut poteſt aliquis diverſis vijs ab Urbe recedere, & acquirere diverſas diſtantias, ſeù privationes præſentiæ; ita homo diverſis peccatis actualibus (quæ ſunt quaſi viæ illius) poteſt averti, & elongari à Deo ut fine ultimo, & acquirere diſtinctas privationes conſiſtentes in diverſis diſtantijs, & elōgationibus ab ipſo; ſed hoc unicè probat diverſitatem provationum conſiſtentium in elongationibus actualibus, ſivè per actus avertentes à Deo, aùt in relationibus, ſeù reſpectibus ad tales actus averſivos; non autèm probat diſtinctionem privationum conſiſtentium in diſtantijs privativis habitus gratiæ convertentis habitualiter. hominem ad ultimum finem, à quo diſtat penitùs prędicto modo, & elongatur omnimodè per unum peccatum mortale: ergo illud exemplum non videtur ad aſſumptum prę-ſens. Contra 6: ideò, iuxta Mag. Aliaga, dùm quis diverſis vijs recedit ab Urbe, acquirit diverſas diſtantias privativas prę-ſentiæ, quia quolibet receſſu per novum motum acquirit novum *ubi*, ad quo ſequitur privatio præſentiæ ad Urbem; ſed dùm homo pluribus peccatis actualibus avertitur. & elongatur à Deo ut fine ultimo, non dantur novæ, & diſtinctæ

muta-

mutationes privativæ habitus gratiæ, seù transitus de eius possessione ad ipsius privationem, quę inducitur unicè, & totaliter per primum peccatum mortale: ergo.

19 Prob. 4. conclus.: peccatum habituale, seù macula peccati dicit formaliter rationem culpæ, & mali moralis, non verò rationem pœnæ præcisè; sed privatio gratiæ sanctificantis, etiàm ut voluntariè inducta per actum peccati, sivè prout est terminus peccati actualis, non habet rationem culpæ, & mali moralis, sed rationem pœnæ, ergo nequit esse constitutivum formale peccati habitualis. Prob. min. primò: iuxta D. Thom. in 2. Sent. d. 35. art. 1.,& quæst. 1. de Malo, art. 4: & in 1. part. q. 48. art. 5: *Malum culpæ est malum actionis, aut totaliter illa privando, ut contingit in omissione, aut privando eam debito ordine ad finem, ut accidit in peccato commissionis*; *malum verò pœnæ est malum agentis in se ipso, privando illud forma, vel principio rectè operandi*; sed privatio gratiæ, etiàm prout est terminus peccati actualis, non est formaliter malum actionis, adhùc quatenus moraliter permanentis, sed est malum subiecti privati forma, vel principio rectè operandi; ut patet ex terminis: ergo. Prob. secundò illa min.: privatio gratiæ, ut inducta ex peccato actuali, tantùm dicit, & privationem gratiæ secundùm se inspectam, & respectum ad actum peccati, a quo fuit derelicta; sed neutrum habet rationem culpæ: ergo. Hæc min. quoad 1. part. concedi tur à contrar., utpotè expressa D. Thomæ q. 28. de verit. art. 6; & quia Deus posset auferre gratiam ab homine absque peccato præcedente. Prob. igitur ipsa min. quoad 2. part.: respectus privationis gratiæ ad ipsum actũ peccati ita se habet, sicut respectus privationis gloriæ ad ipsum actũ peccati, cùm eadem sit ratio de utroque; sed iste respectus non habet rationem culpę, sed pœnæ: ergo & ille.

20 Prob. tertiò illa 1. min.: privatio gratiæ solum procedit à peccatò actuali, veluti causa dispositiva, & demeritoria: ergo talis privatio, etiàm prout est terminus peccati actualis, non habet veram rationem culpæ, sed pœnę; siquidem causa demeritoria, quà talis, solùm respicit pœnam, sicut meritum, quà tale, unicè respicit præmium. Prob. antec.: tùm, quia carentia formę solùm est effectivè suo modo à causa non communicante formam, & potente communicare ipsam; sed solùs Deus est potens gratiam effectivè infundere; creatura verò

se

ſe habet unicè diſpoſitivè, & meritoriè: ergo ſimiliter quoàd eius privationem. Tùm; quia peccatum non opponitur, phyſicè, & ex natura rei cùm gratia, ſed moraliter, & ex ordinatione Divina; ut probabimus in tract. *de Iuſtificatione*: ergo creatura medio peccato actuali gratiam non expellit effectivè ſed ſolùm diſpoſitivè, aùt demeritoriè. Prob. 4. illa min.: juxtà Adverſ., id quod in ſe intrinſecè non eſt voluntarium, & liberum, nequit eſſe intrinſecè moraliter malùm; nàm ideò aſſerunt, actus externos non gaudere intrinſeca moralitate, quia non ſunt intrinſecè liberi; ſed privatio gratiæ, orta ex peccato actuali, non eſt intrinſecè libera: ergo. Prob. hæc min.: tùm, quia intrinſecè liberum eſt ſolum illud, quod eſt extremum immediatum libertatis; ſed huiuſmodi non eſt privatio gratiæ orta ex peccato actuali; ſiquidem non eſt actio, nec eius omiſsio: ergo. Tùm; quia in tantùm talis privatio eſſet intrinſecè libera, in quantùm pendet ab actu libero; ſed hoc non ponit intrinſecam, libertatem; ſiquidem etiàm gratia infunditur adultis dependenter ab actibus liberis, & tamèn eius infuſio non dicitur intrinſecè libera nobis, ſed tantùm extrinſecè, ſcil. ab actu, quo conſentimus ipſi gratiæ, vèl diſponimus ad eius receptionem; atque etiam gloria confertur dependenter à meritis, & tamèn eius collatio non dicitur liberà intrinſece: ergo.

21 Prob. 5: illa min.: ut privatio gratiæ, quæ habet rationem pœnæ quatenùs inducta à Deo propter peccatum actuale, habeat etiam intrinſecè rationem culpæ proùt inducta à creatura ex actu peccati; debent in ipſa privatione aſsignari diverſe formalitates, vel rationes, ità ut ſub una ſit verè intrinſecè culpa, & ſub alia ſit ſimùl pœna; ſed tales formalitates, vèl rationes non ſunt in ipſa privatione aſsignabiles: ergo. Mai. cōſtat; quia cùm quodlibet conveniens intrinſecè alicui debeat ei convenire ratione alicuius formalitatis propiæ, & ſibi intrinſecæ, nàm aliàs potè extrinſecè ipſi competeret; & cùm aliundè nequeant oppoſita prædicata eidem convenire ſecundum idem; propterea oppoſitæ rationes culpæ, & pœnæ, intrinſecè convenientes privationi gratiæ inductæ ex peccato actuali, exigunt diverſas eius formalitates. Prob. igitùr min. impugnando ſolut. M. g. Aliaga: juxtà ipſum, privatio gratiæ, quatenus eſt defectio, per quam anima deſerit avertitur, & elongatur à Deo, expri-

primit rationem culpæ, ac mali moralis; & quatenùs eſt deſſertio, per quam Deus deſſerit, avertitur, & elongatur a creatura, exprimit rationem pœnę; ſed illæ non ſunt formalitates in privatione repertæ, ratione quarum poſsit habere rationem culpæ, & pœnæ: ergo.

22 Prob. min.; tum, quia iuxtà principia Adverſ., gratia, utpote realiter diſtincta a charitate, non habet reddere hominem converſum ad Deum ut finem ultimum amicabilitèr dilectum, cùm non ſit principium diligendi ipſum: ergo nèc privatio gratiæ habet formalitatem deſſertionis, per quã deſſerat, avertatur, & elongetur à Deo ut fine ultimo amicabilitèr dilecto. Tum, quia privatio gratię habitualis, licèt connotet, & dicat extrinſecè deſſertionem, & averſionem, à Deo per actum peccati, à quo fuit inducta; tamen intrinſecè formalitèr non eſt niſi carentia, ſeù defectus converſionis, vèl potiùs principij, quo anima convertitur in Deum ut amicabilitèr dilectum; ſed defectus, ſeù carentia talis converſionis habitualis, vèl principij ſe convertendi, intrinſecè formalitèr non dicit rationem culpę; cùm poſsit ſine culpa reperiri in homine cui Deus ſine peccato gratiam auferret: ergo. Tum, quia cùm per prius naturaliter intelligatur, Deum auferre gratiam habitualem homini, ac proindè ipſum deſſerere, ab eo averti, & elongari per illam privationem, quàm intelligatur homo privatus illo principio, ac proinde habitualiter deſſerens Deum, averſus, & elongatus ab ipſo; conſequentèr prius intelligeretur in illa privatione formalitas, ſub qua habet rationem pœnę, quàm ea, ſub qua habet rationem culpę; ſed hoc non videtur poſſe concedi, nàm licèt ratio culpæ, & ratio pœnæ poſsint competere eidem ſub diverſa formalitate, ſemper tamèn ratio culpæ debet præintelligi ad rationem pœnæ: ergo.

23 Prob. 5. conclus.: homo peccans in ſtatu puræ naturę, in quo potuit condi, contraxiſſet maculam, ſeù peccatum habituale; ſed iſtud in illo ſtatu non conſiſteret in privatione gratiæ: ergo nèc in hoc ſtatu elevationis ad finem ſupernaturalem conſiſtit peccatum habituale, quà formalitèr tale, in illa privatione ut inducta ex actu peccati; ſiquidèm in quolibet ſtatu, vèl ordine debet eſſe eadem ratio formalis conſtitutiva illius, quod ſecundùm talem rationem poteſt æquè reperiri in quolibet ſtatu. Prob. min.: privatio, ut contra diſtincta à pura negatione formæ, requirit eius aptitudinem proximam, quæ in moralibus eſt debitum

tum habendi talem formam; ſed in ſtatu purę naturæ, utpotè non ordinatæ ad finem ſupernaturalem, non daretur in homine aptitudo proxima, ſeu debitum morale habendi gratiam: ergo in illo ſtatu non daretur privatio, ſed pura negatio gratię, ac proinde macula peccati non conſiſteret in eius privatione.

24 Reſp. Gonet primò: nullum eſſe inconveniens dicere; peccatum habituale in ſtatu puræ naturæ fore alterius eſſentiæ, & rationis, quàm modò eſt, ac proindè habiturum aliud conſtitutivum, nempè privationem ſubiectionis, ſeù converſionis habitualis in Deũ, ut ultimum finem naturalem. Sed contra 1: hìc inquirimus rationem formalem conſtitutivam habitualitatis, ſeù perſeverantię moralis, ſive maculæ derelictæ ex actu phyſicè præterito peccati, ſed hęc habitualitas generatim ſumpta, & formaliter quà talis, foret eiuſdem rationis in ſtatu purę naturę, ac in ſtatu præſenti; etſi aliundè diverſificetur ſecundùm alias rationes ſpeciales utriuſque ſtatus reſpectivè: ergo ſi talis habitualitas in illo ſtatu non conſiſteret in privatione gratiæ, nec in ſtatu præſenti. Contra 2: ſtante ſolut. poſſemus dicere, quòd peccatum actuale ſub ratione peccati foret alterius eſſentiæ, & rationis, quàm modò eſt; ſed hoc non dicitur, & reputatur inconveniens etiàm à contrarijs, aſſignantibus idem peccati conſtitutivum pro utroque ſtatu: ergo.

25 Secundò reſp. Gonet, quod ſicut macula relicta ex ſecundo peccato mortali eſt privatio gratię, quia licèt per accidens eam non deſtruit, eò quòd non inveniat; tamèn eſt illius deſtructivum per ſe, & ex natura ſua; ita ſimiliter macula, quam contraheret homo in ſtatu puræ naturæ, ſi peccaret mortaliter, poſſet dici privatio gratiæ, quia illam excluderet, ſi in ſubiecto inveniret; & à Deo ut fine ſupernaturali averteret, ſi hominem ad talem finem ordinatum inveniret. Contra 1. nequit dari actù privatio in aliquo ſubiecto, quin detur actù quod eſt de eſſentia talis privationis; ſed de eſſentia privationis eſt non eſſe formæ, ſcil. illam expellere, aùt eam impedire: ergo nequit dari actu privatio, quin actù præſtet non eſſe formæ, illam expellendo, vèl ſaltem impediendo. Contra 2. ex reſponſ. ſequeretur, poſſe dici, vulnus de ſe mortale in ſi ctum corpori meritò inducere mortem, ſeu privationem vitæ, eò quia illam excluderet, ſi eam

in

in ſubiecto inveniret, ſed iſtud non verè dicitur : ergo nèc illud, quod in reſponſ. aſſeritur.

26 Reſp. alij (quorum ſolut. approbat Mtg. Aliaga,) hominem peccantem mortaliter in ſtatu puræ naturæ fore privatum gratia ; quia per tale peccatum poneret obicem, & ſe redderet indignum gratia, & amicitia cum Deo ; obex autêm, & indignitas ad gratiam poteſt meritò appellari (Theologicè loquendo) privatio gratiæ ; ſicut licèt Petro v. g. non ſit debitus ordo Sacerdotalis, tamen ſi committat peccatum aliquod enorme, per quod redditur indignus iuxtà leges promotionis ad talem ordinem, meritò diceretur illum manere privatum tali honore, privatione quidèm conſiſtente in obice, aut indignitate ad illum ordinem. Contra 1.: ut obex, & indignitas reddat hominem verè privatum aliquo honore, debet in illo præſupponi aptitudo proxima, conſiſtens in elevatione, ſeu ordinatione illius ſubiecti ad talem honorem ; ſed homo in ſtatu puræ naturæ, utpotè non elevatus, nèc ordinatus ad ſtatum gratiæ, non haberet aptitudinem proximam ad ipſam : ergo per peccatum non redderetur vere illa privatus. Prob. mai. primo : ut obex, ſeu impedimentum phyſicum ad aliquam formam reddat ſubiectum verè privatum tali forma, debet in ipſo præſupponi capacitas, & aptitudo proxima ad eam habendam, ità ut aliundè, ſeù præciſivè à tali impedimento non ſupponatur incapax, & ineptum ; eo quia tùnc potiùs dicitur negatio, quàm privatio, ut patet in talpa, quem carentia oculorum, ſeù organi viſus vel alius obex, aùt impedimentum non redderet illũ viſu privatum, quia non ſupponitur in eo aptitudo ad viſum habendum : ergo ſimilitèr ut obex, ſeù indignitas moralis reddat hominem verè privatum aliquo honore, debet in eo præſupponi aptitudo proxima ad talem honorem. Prob. illa mai. ſecundò : ideò etſi fœmina committat enorme peccatum, quod ex ſe ſit obex, & impedimentum, ſeù reddat ſubiectum indignum ad Sacerdotium, tamèn non diceretur verè privata illo honore, quia in ea non ſupponitur aptitudo proxima, ſeù elevatio ad talem honorem : ergo.

27 Contra 2: ideo, iuxta Aliaga, homo per peccatum in pura natura commiſſum maneret privatus gratia, quia peccando ſe voluntariè impediret à receptione gratiæ, & per tale peccatum faceret ſibi debitam illius carentiam, ſed hoc eſt falſum ergo. Prob. min.: nemò

mò per ſuam actionem ſe voluntariè impedit à receptione alicuius formæ, nec facit ſibi debitam eius carentiam, dùm non habet aptitudinem proximam ad illam, & independentèr ab omni actione libera careret tali forma; ſed homo in ſtatu puræ naturæ non haberet aptitudinem proximam ad receptionem gratiæ, & independenter ab eius actione libera peccaminoſa careret gratia; cùm non eſſet ordinatus, nèc elevatus ad ipſam: ergo. Contra 3: iuxtà Aliaga, carentia gratiæ ſanctificantis, dummodò talis carentia ſit debita homini, eſt malum privativum reſpectu illius; ſed homini peccanti in ſtatu puræ naturæ non eſſet debita ex vi talis peccati carentia gratiæ ſanctificantis: ergo. Prob. min. primò: ex vi cuiuſlibet criminis non eſt verè debita carentia alicuius formæ illi ſubiecto, quod non habet proximam capacitatem, vèl aptitudinem talis formę; ut patet in fœmina, cui ex vi cuiuſlibet criminis, aùt impedimenti, non fit propriè debita carentia ordinis ſacri, eò quia non eſt proximè capax talis honoris; ſed homo in ſtatu puræ naturæ non eſſet proximè capax gratiæ: ergo. Prob. ſecundò illa min.: carentia gratię ſanctificantis, non phyſice ex natura rei, ſed moraliter ex Divina ordinatione, eſt debita peccanti mortaliter; cum non habeant phyſicā oppoſitionem, ſed tantum moralē; ſed in pura natura non eſſet talis ordinatio Divina: ergo.

28 Prob. 6. concluſ.: habitualitas, ſeù macula derelicta ex peccato mortali explicanda eſt pariformiter ad habitualitatem venialis, quòd etiàm in peccante relinquit maculam ſibi correſpondentem, ut conſtat ex illo Evang. D. Ioan. cap. 13. *Qui lotus eſt* (nempè à gravibus) *non indiget, niſi ut pedes lavet* (ſcil. maculas leves;) ſed macula peccati venialis non conſiſtit in privatione gratiæ: ergo. Prob. 7: ſi macula peccati conſiſteret in privatione gratiæ, hac deficiente, etiàm illa neceſſariò deficeret; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min.: non ablata, vèl reſtituta gratia homini peccanti, deficit neceſſariò macula peccati; ſed per hoc præcisè non deficit privatio gratię; cùm de potentia abſoluta poſsit Deus non auferre, vèl reſtituere gratiam exiſtenti in peccato habituali; ſeù gratia habitualis poſsit coexiſtere cùm peccato habituali; ut probabimus in tract. de Iuſtificatione: ergo Prob. 8: ſi macula peccati conſiſteret formaliter in privatione gratiæ, ut voluntariè inducta, ex actu peccati, non poſſet auferri per extrinſecam condonationem Dei, ſeù quin

infunderet gratiam habitualē, ſine cuius reſtitutione remaneret privatio gratiæ inducta ex actu peccati; ſed illud eſt falſum, cùm per extrinſecam condonationem poſsit peccatum remitti à Deo; ut probabitur etiàm in tract. *de Iuſtificatione*: ergo.

29 Arg. 1: macula peccati dicit formaliter carentiam nitoris, ſeù pulchritudinis debitæ, & à ſubiecto expulſæ per actum peccati; ſed nitor, & ſupernaturalis pulchritudo animę, quæ à ſubiecto expellitur per peccatum actuale mortale, eſt donum gratiæ habitualis: ergo. Prob. mai.: macula in ſpiritualibus debet conſtitui cum proportione ad maculam corporalem; ſed hæc importat formaliter, & conſtitutivè carentiam nitoris, & pulchritudinis debitę in ſuo ordine: ergo. Conf.: conſtitutivum peccati habitualis nequit eſſe aliquid poſitivum: ergo eſt privatio gratiæ ſanctificantis. Antec. patet, quia defectus, & malitia ex ſuo genere nequit formaliter conſiſtere in aliquo poſitivo, ut manet probatum loquendo de cōſtitutivo peccati actualis, ſed peccatum habituale, ſeù macula peccati eſt defectus moralis, & quid malum in genere moris: ergo. Prima conſeq. prob.: ea privatio debet eſſe conſtitutivum peccati habitualis, quæ per modum radicis fundat omnes alias repertas in peccatore; ſed huiuſmodi eſt privatio gratiæ ſanctificantis: ergo. Prob. min.: eo ordine ſe habent privationes, quo ſe habent formę, quarum privationes inducuntur per peccatum actuale; ſed ex illis prima eſt gratia ſanctificans, quę per modum radicis fundat omnes perfectiones pertinentes ad ordinem ſupernaturalem, tanquàm proprietates ex ipſa conſequentes: ergo etiàm inter privationes inductas per peccatum actuale prima eſt privatio gratiæ ſanctificantis.

30 Ad arg. diſt. mai.: macula peccati dicit formaliter carentiam nitoris, & pulchritudinis de linea operationis moraliter permanentis, conc. mai.; dicit formaliter carentiam nitoris, & pulchritudinis de linea habitus in genere cauſæ formalis animam pulchrificantis: neg. mai.; quia talem carentiā importat macula peccati cauſaliter, demeritoriè, & connexivè ex Divina ordinatione, non verò formaliter, & conſtitutive ex natura rei; & diſt: ſimiliter min.: nitor, & ſupernaturalis pulchritudo animæ de linea habitus, & in genere cauſæ formalis, quæ per ſe ſecundo, & ex Divina ordinatione expellitur à ſubiecto per peccatum actuale, eſt donum gratiæ habitualis, conc. min.;

nitor,

nitor, & pulchritudo animæ debita ipſi de linea operationis, & in genere cauſæ efficientis, quæ per ſe primò, & ex natura rei expellitur per peccatum actuale, eſt donum gratiæ, neg. min.: Per quod patet diſparitas ad probat. mai.; nàm in corporalibus eſt tantùm nitor, & pulchritudo de linea habitus, aut in genere cauſæ formalis afficiens ſubiectum, atque adeò macula conſiſtit in carentia talis habitus, vel formæ debitæ ſubiecto: attamèn in ſpiritualibus prætèr nitorem, & pulchritudinem ſupernaturalem, quæ in genere habitus, & cauſæ formalis afficit ſubiectum, & per ſe ſecundo expellitur demeritoriè per peccatum; datur etiàm nitor, & pulchritudo de linea operationis, ſeu rectitudo; quàm anima in ſuis actibus debet ſervare, quæ que per ſe primo expellitur per peccatum actuale per quod inducitur, & cauſatur macula expectans ad talem ordinem, ac talis macula formalitèr eſt peccatum habituale, ſeù deformitas moralitèr permanens actus peccaminoſi phyſicè prætériti. Ad conf. admiſſo antec., neg. conſeq.; ad cuius probat. conceſ. mai., neg. min.; & conceſ. mai. probat. neg. min.; quia inter privationes inductas per peccatum actuale prima privatio, quæ per modum radicis moralis, & demeritoriæ fundat alias, etiàm ipſam privationem gratiæ, eſt carentia conjunctionis animæ cùm ultimo fine, ſeu condignitas pœnæ, ſive reatus culpæ; ut patebit in ult. ſect.

31 Arg. 2: ſicùt actuale peccatum eſt actualis averſio à Deo; ita habituale debet eſſe habitualis averſio à Deo; ſed habitualis averſio eſt ſola privatio gratiæ permanens in anima, & inducta ex actuali peccato, ſicùt ipſa gratia eſt habitualis converſio hominis in finem ſupernaturalem: ergo. Conf. 1: peccatum habituale eſt habitualis iniuſtitia, ſicùt peccatum actuale eſt iniuſtitia actualis; ſed iniuſtitia habitualis eſt formalitèr privatio gratiæ, ſicùt ipſa gratia eſt habitualis iuſtitia: ergo. Conf. 2: peccatum habituale eſt habitualis inimicitia hominis cum Deo; ſed talis inimicitia eſt formalitèr privatio gratiæ, ſicut gratia eſt amicitia Dei: ergo.

32 Reſp. ad argum. diſt. mai.: ſicùt peccatum actuale eſt actualis averſio virtualis à Deo, conſiſtens in libera tranſgreſsione legis Divinæ, ſeù in carentia conformitatis, & rectitudinis debitæ, & neceſſariæ ad aſſecutionem ultimi finis; ita peccatum habituale debet eſſe ſimilis averſio habitualis, nempè moraliter permanens, & ſe habens ad modum habi-

tus in esse permanentis, conc.; sicùt peccatum actuale est actualis aversio formalis à Deo, ita habituale debet esse aversio habitualis, consistens in privatione alicuius habitus, seù formæ habitualis, neg. mai., imò & suppositum primę part.; & dist. similitèr min.: habitualis aversio formalis, seù carentia habitus, & formæ habitualis convertētis formalitèr in ultimum finem supernaturalem, est sola privatio gratiæ, sicùt ipsa gratia est habitualis conversio, seù habitus convertens formalitèr in Deum, conc. min.; habitualis aversio virtualis, seù libera transgressio Divinæ legis, aùt carentia rectitudinis debitæ, & necessariæ ad consecutionem ultimi finis, ut moralitèr perseverans, est sola privatio gratiæ, sicùt ipsa gratia est pariformitèr habitualis conversio, neg. min., imò & suppositum secundæ part.; & neg. conseq..

33 Ad 1. conf. dist. mai.: peccatum habituale est habitualis iniustitia, nempè iniquitas, seù defectus iustitię, seù rectitudinis debitę operationi permanens moralitèr, conc.; est habitualis iniustitia, nempè carentia iustitiæ, quæ est habitus, seù forma habitualis, neg. mai., & dist. min.: iniustitia habitualis, scil. carentia iustitiæ, quæ est habitus, seù forma habitualis, est formaliter privatio gratiæ, sicùt ipsa gratia est habitualis iustitia, seù habitus, & forma iustificans, conc. min.; iniustitia habitualis, scil. iniquitas, seù defectus iustitię, & rectitudinis debitæ operationi permanens moraliter, est formaliter privatio gratiæ, sicut ipsa gratia est eodem modo habitualis iustitia, neg. min., imò & suppositum secundæ part.; dupliciter enim potest intelligi, hominem esse iustum; quia vèl iustus appellatur, eò quod habet formam, & habitum reddentem formalitèr ipsum filium adoptivum Dei, & hæredem regni, quod præstat gratia habitualis; vèl iustus appellatur, quia adhùc manet in bono opere, & merito iàm elicito, illud que liberè conservat non revocando per actum contrarium; & sic è converso potest homo dici dupliciter iniustus: primo igitur modo à sola gratia dicitur homo formalitèr iustus, & à privatione gratiæ iniustus: secundo modo nèc à sola gratia dicitur iustus, nèc à sola privatione eiusdem dicitur iniustus, sed à merito, vèl demerito permanente moraliter; ac primo iustus dicitur infans baptizatus, & è contrà iniustus dicitur infans non baptizatus, secundò autèm modò iustus dicitur adultus contri-

tus

tus ; pœnitens , & meritoriè operans , & è contrà iniuſtus dicitur adultus peccans , & impœnitens , ſeù in iniuſtitia ſuæ pravæ operationis perſeverans moraliter.

34 Ad 2. conf. diſt. mai.: peccatum habituale eſt cauſaliter , & demeritoriè inimicitia hominis cùm Deo , conc. ; eſt formaliter talis inimicitia, ſubdiſt. eſt formaliter inimicitia habitualis , id eſt , moraliter permanens , & conſiſtens in dignitate ad pœnam , ac negatione coniunctionis cùm ultimo fine aſſequendo per beatitudinem , conc. ; eſt inimicitia habitualis , id eſt , Phyſicè privans habitu amicitiæ , ſeù conſiſtens in privatione gratiæ habitualis, neg.mai. ; & applicata diſtinct. ad min. , neg. conſeq.; & conceſ., min., neg. conſeq. ; quia licèt peccatum habituale mortale cauſet , & habeat annexam privationem gratiæ , quæ eſt forma conſtituens hominem amicum Dei; tamèn formaliter conſtitutivè non conſiſtit in tali privatione. Sed dices : privatio gratiæ , & amicitiæ Dei eſt effectus peccati actualis , non verò habitualis , quin potiùs eſt ipſum peccatum habituale : ergo iſtud conſiſtit formaliter in illa privatione. Reſp. neg. antec. ; nam ſicut privatio gratiæ ponitur effectus peccati actualis , quia quoàd ſui primum ſuiſſe , vèl potius non eſſe gratiæ inducitur à peccato actuali ; ita dicimus , eſſe effectum peccati habitualis , non verò ipſum peccatũ habituale , quia quoàd conſervari pendet à peccato habituali ; nam ſicut gratia aufertur homini in primo inſtanti , quia peccat , ita in ſecundo inſtanti conſervatur in eo privatio gratiæ , quia homo manet in peccato , ſeù quia peccatum perſeverat moraliter; atque adeò non minùs privatio gratiæ in ſecundo inſtanti eſt effectus peccati moraliter durantis , quàm in primo inſtanti fuit effectus eiuſdem peccati tùnc exiſtentis.

35 Arg. 3. : illud conſtituit formaliter maculam peccati mortalis , quod à ſubiecto expellitur per ſe primò in iuſtificatione ; ſed id eſt privatio gratiæ ſanctificantis : ergo talis privatio eſt conſtitutivum formale maculæ , ſeù peccati habitualis. Mai. conſtat ex conceptu iuſtificationis , quæ iuxta. Conc. Trident. Seſ. 6. cap. 4. *eſt tranſlatio hominis à ſtatu peccati ad ſtatum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei* ; ſeù ut alij eam definiunt , eſt formaliter remiſio peccatorum ; quę quidem remiſsio expellit per ſe primò peccatum , cùm ſit ipſa eius expulſio. Prob. min.: iuſtificatio ſit formaliter per ipſam

gratiam ſanctitatem, quæ juxtà Concil. Seſ. cit. cap. 7. eſt unica formalis cauſa iuſtificationis; ſed gratia per ſe primò expellit privationem ſui; ſicùt quælibet alia forma ſui privationem per ſe primò è ſubiecto expellit: ergo. Conf.: peccatum habituale tollitur formalitèr per gratiam: ergo in eius privatione conſiſtit formalitèr.

36 Reſp. ad arg. diſt. mai.: illud conſtituit formalitèr maculam peccati, quòd per ſe primò expellitur in iuſtificatione, proùt hæc eſt peccatorum remiſio, ſeù mutatio, ſivè tranſitus à peccato in negationem eius, conc.; proùt iuſtificatio eſt ſanctificatio, ſeù renovatio interioris hominis, per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, ſivè tranſitus à privatione gratiæ ad ipſam gratiam, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: privatio gratiæ eſt quod per ſe primò expellitur in iuſtificatione, proùt hæc eſt ſanctificatio, ſivè tranſitus à privatione gratiæ ad ipſam gratiam, conc.; quatenùs iuſtificatio eſt peccatorum remiſsio, ſivè trãſitus à ſtatu peccati ad eius negationem, neg. min.; ad cuius probat. diſt. mai.: iuſtificatio fit formalitèr per gratiam ſanctificantem, proùt hæc ſubſtat Divinæ ordinationi, ex qua exigit Divinam condonationem, conc.; fit formaliter per gratiam, proùt eſt qualitas purè, phyſicè, & ex natura rei ſumpta, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: gratia proùt eſt qualitas phyſica, expellit per ſe primò privationem ſui, conc.; proùt exigit, & habet annexam Divinam, condonationem, ſeù voluntatẽ remiſsivam peccati, neg. min.; & conſeq..

37 Remiſsio peccati, & infuſio gratiæ ex quibus integratur iuſtificatio; non eſt una ſimplex mutatio, ſed duplex; proùt docet Subt. Mag. in 4. d. 16. q. 2.; & deducitur ex Trid. Seſ. cit. cap. 7. ubi dicitur: *Quæ* (nempè iuſtificatio) *non eſt ſola peccatorum remiſsio, ſed & ſanctificatio, & renovatio interioris hominis per voluntariam ſuſceptionem gratiæ, & donorum: undè homo ex iniuſto fit iuſtus, & ex inimico amicus, ut ſit hæres ſecundùm ſpem vitæ æternæ.* Prima igitur mutatio eſt tranſitus à peccato in negationem eius; ſecunda autem eſt tranſitus à privatione gratię ad ipſam gratiam: per priorem igitur mutationem deſtruitur ſtatus peccati; etiamſi ſecunda mutatio non eſſet annexa; ex quo manifeſtè patet, ſtatum peccati eſſe priorem privatione gratiæ, & quod ſolùm extrinſece, & per concomitantiam, deſcribitur remiſsio per carere per infuſionem gratię; ut amplius patebit in tract. *de iuſtificatione*.

Ad Conf. diſt. ante.: peccatum

tum tollitur formaliter per gratiam, prout hæc ſubſtat Diuinę ordinationi, ex qua exigit, & habet annexam Diuinam condonationem, & virtutem remiſsiuam peccati, conc.; tollitur formaliter per gratiam, prout eſt qualitas phyſica; & purè ex natura reiſumpta, ità ut ſit forma peccato ex ſe priuatiuè oppoſita, neg. antec., & conſeq..

38 Arg. 4: peccatum habituale mortale, ex ſuo formali, & eſſentiali conceptu, eſt mors animæ; ſed hęc formaliter conſiſtit in priuatione gratię ſanctificantis: ergo. Prob. min.: mors myſtica animæ nihil aliud eſt, quàm priuatio vitæ ſupernaturalis; ſicut mors corporis nihil aliud eſt quã priuatio vitæ naturalis; ſed priuatio gratiæ ſãctificãtis eſt priuatio vitæ ſupernaturalis; ſiquidẽ gratia in tali ordine habet rationem vitę: ergo. Reſp. 1. inſtando arg. in peccato actuali mortali, quod etiàm dicitur, & eſt mors animæ; quin tamẽn conſtituatur formaliter per priuationem vitæ ſupernaturalis, ſeu gratiæ ſanctificantis. Reſp. 2. diſt. mai.: peccatum habituale mortale eſt cauſaliter, & demeritoriè mors animæ, quam infert, & à qua, tanquàm ab effectu cauſato, dicitur mortale, conc. mai.; eſt formaliter, & conſtitutive mors animę à qua, veluti ratione formali conſtituente, dicitur mortale; ſubdiſt.: ſumpta morte ſpirituali pro priuatione coniunctionis cùm ultimò fine aſſequendo per beatitudinem, permit.; ſumpta morte ſpirituali præciſè pro priuatione talis coniunctionis cùm ultimo fine, nempè per gratiam habitualẽ, neg. mai.; quia in ſtatu puræ naturæ poſſet eſſe peccatum mortale, & inducens mortem ſpiritualem animæ, ſeù priuationem coniunctionis cùm ultimo fine, quin in tali ſtatu illa mors conſiſteret in priuatione gratię: ex quo patet ſolut. ad min., quæ loquitur de morte ſpirituali in prouidentia, àc ordinatione præſenti, quam quidèm mortem infert, cauſat, & annexam habet peccatum mortale, quin eam importet formaliter, & conſtitutivè.

39 Arg. 5: ideò, per nos, peccatum habituale non conſiſtit in priuatione gratiæ, etiàm ut voluntariè inducta ex actu peccati, quia talis priuatio non eſt verè, & propriè quid malum moraliter, nèc habet rationem culpę, quin potiùs pœnæ; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min. primò: id, per quod anima redditur formaliter immunda, & maculata coram Deo, eſt propriè malum moraliter, & habet rationem culpæ; ſed huiuſmodi eſt priuatio gratiæ, ut inducta ex peccato actuali ergo. Mai. patet; tum, quia animam eſſe puram, & immaculatam

coràm Deo dicit perfectionem, & rectitudinem verè, & propriè moralem, cùm ſit conceptus proprius ſanctitatis iuxtà D. Dionys. eam ſic definientem cap. 4 *de Div. Nomin.*: *ab omnmunditia libera, perfecta, & incontaminata munditie*; & conſequenter animam eſſe immundam, & maculatam coràm Deo dicit imperfectionem, & turpitudinem moralem; nàm oppoſitio propria, & directa cùm ratione ſanctitatis eſt imperfectio intrà lineam moralem. Tùm, quia animam eſſe maculatam coràm Deo eſt terminus diſplicentiæ Divinæ, & quid abominabile ipſi; àc proinde malum moraliter. Min. etiàm conſtat; quia per gratiam redditur anima munda, & immaculata coram Deo: ergo per privationem gratiæ, ut inductàm ex actu peccati, redditur immunda, & maculata coram ipſo; cùm macula, & immunditia moralis nihil aliud ſit, quàm libera privatio, ſeù defectus munditiei, nitoris, & pulchritudinis moralis.

4o Prob. ſecundò illa 1. min.: voluntaria privatio gratiæ eſt etiàm privatio voluntaria ſanctitatis, & amicitiæ cum Deo: ſed hæc nequit non eſſe mala moraliter, & habere rationem culpæ; cùm ſit quid diſconum rectæ rationi, & contra beneplacitum Dei: ergo. Prob. tertio illa min.: privatio voluntaria gratiæ ob peccatum actuale eſt averſio voluntaria habitualis à Deo ut fine ultimo ſupernaturali; ſed talis averſio eſt in ſe prava moraliter, & habet rationem culpæ: ergo. Min. patet; quia averſio actualis eſt mala moraliter: ergo etiam averſio habitualis, quę unicè diſtinguuntur, in quantum iſta eſt permanens, & illa tranſiens; ſicut converſio actualis, & habitualis. Prob. quartò illa 1. min.: privatio gratiæ, ut voluntariè inducta ex actu peccati, facit hominem iniuſtum, & inimicum Deo, dignùm eius odio àc indignum vita æterna, quæ eſt præmium amicorum: ergo eſt quid malum moraliter, & obtinet rationem culpę. Conf. arg.: ideo privatio gratię, ut inducta ex actu peccati, non haberet rationem culpę, quia ipſa privatio habet rationem pœnæ; ſed hoc non officit, ſi conſideretur ſub diverſa ratione: ergo. Prob. min.: iuxta Scotum, & plures eius Diſcipulos, quamvis reatus dignitas, ſeù obligatio ad pœnam habeat rationem pœnæ in quàntum reſpicit Deum illam ordinantem propter peccatum, tamen habet rationem culpæ proùt reſpicit ipſum actũ peccati, à quo inducitur, vel cau-

ſa-

fatur; ergo similiter quòd privatio gratiæ, prout respicit Deum gratiã auferentem propter peccatum, habeat rationem pœnę ipsius peccati, non officit ad hoc ut habeat rationem culpæ, proùt respicit ipsum actum peccati, ex quo fuit voluntariè inducta.

41 Ad arg. concef. mai., neg. min.; ad cuius 1. probat. conces. mai., neg. min.; & ad eius probat. dist. antec.: anima redditur munda per gratiam proùt ex ordinatione Dei exigit Divinam condonationem remissivã peccati, & habet annexam vim illius expulsivam formaliter, conc.; redditur munda per gratiam prout est qualitas Physica, & ex natura rei præcisè sumpta, neg. antec., & conseq.; quia per privationem gratiæ, adhuc prout ductam ex actu peccati, non redditur formaliter, sed supponitur anima immunda, & maculata per eius pravam operationem, quę in ratione mali moralis est voluntaria privatio, seù defectus munditiei, nitoris, & pulchritudinis in linea moris, quæ consistit in rectitudine debita operationi, & coniunctione cum ultimo fine assequẽdo per beatitudinem. Ad 2. probat. min. concef. mai.; dist. min.: hæc, nempè actio voluntaria privativa, seù demeritoria sanctitatis, & amicitiæ cum Deo, nequit non esse mala moraliter, conc.; hæc, nempè ipsa formalis privatio inducta ex actione voluntaria, subdist.: nequit non esse mala moraliter præsuppositivè, & in causa eius inductiva, conc.; in se formaliter, seù in ratione privationis, neg. min.; & similiter dist. eius imbibitam probat..

42 Ad 3. probat. dist. mai.: privatio voluntaria gratiæ ob peccatum est aversio voluntaria habitualis, id est, ipsa aversio actualis moraliter permanens, neg. mai.; est aversio habitualis, id est, carentia habitus, qui est principium conversionis amicabilis in Deum, ut finem ultimum supernaturalem, conc. mai.; & dist. min.: hæc, nempè aversio voluntaria habitualis, seù ipsa actualis aversio moraliter permanens, est prava moraliter, conc.; hæc, s. ſt. aversio habitualis, seù pura carentia prædicti habitus, subdist.: est prava moraliter præsuppositivè, vèl concomitanter, aut connexivè, & causaliter, conc.; in se formaliter præcisè, neg. min., & eius probat. in sensu distinct. datæ. Ad 4. probat. min. dist. antec. voluntaria privatio gratię, ut inducta ex actu peccati, ly *ut* reduplicante in recto actu peccati, & de connotato, ac concomitanter privationem gratiæ reddit hominem iniustum &c.

conc.

conc.; ly *ut* reduplicante in recto ipſam privationem gratiæ, & de connotato actum peccati, neg. antec.; quia privatio gratiæ ſecundùm ſe reddit præcisè habitualitèr, id eſt, in ratione habitus phyſici non iuſtum, non amicum, non dignum amore Dei amicabili, & vita æterna; actus autèm peccati reddit actualitèr, ac etiam habitualitèr, id eſt, permanentèr moralitèr iniuſtum, inimicum, dignum odio Dei, ac indignum vita æterna.

43 Ad Conf. diſt. mai.: ideò privatio gratiæ, ut inducta ex actu peccati, non habet rationem culpę; quia ſub tali reſpectu, imò ſub omni, habet rationem pœnæ, conc.; quia præcisè ſub alio diſtinto reſpectu habet rationem pœnæ, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.; ad cuius probat. conceſ. antec. diſt. conſeq.: ergo quòd privatio gratiæ proùt præcisè reſpicit Deum illam auferentem in pœnam peccati, habeat rationem pœnæ, non officit ad hoc &c. conc.; quòd privatio gratiæ, nedùm prout reſpicit Deum auferentem illam, ſed etiam proùt reſpicit actum peccati, ex quo fuit inducta, & cauſata, imo etiam proùt reſpicit peccatum habituale, ratione cuius perſeverat, habet (proùt habet) rationem pœnę, non officit ad hoc ut ſub tali reſpectu habeat rationem culpæ, neg.; cõſeq. Sicùt privatio gratiæ, ut primo inflicta à Deo propter actũ peccati, habet rationem pœnæ, & eſt effectus peccati actualis; ità ipſa privatio, ut cõſervata, vèl durans, eſt pœna, & effectus peccati habitualis, ſeù actus peccaminoſi permanentis moralitèr: dignitas autèm, ſeù obligatio ad pœnam licèt proùt reſpicit voluntatem Divinam, à qua ordinatur, & infligitur, habeat rationem pœnæ; tamen proùt reſpicit immediatè, & proximè actum peccati, à quo ortum ducit, nullatenus habet rationem pœnæ, ſed tantùm culpæ, nec eſt effectus, ſed formale conſtitutivum peccati habitualis, ſeù moralis permanentiæ actus peccaminoſi, qui phyſicè præterijt; ut amplius conſtabit in ult. ſect.

SECTIO II.

Reijcitur frequens opinio Ieſuitarum.

COmmunis Ieſuitarum ſententia eſt, peccatum habituale nihil aliud eſſe, quam ipſum actuale peccatum phyſicè præteritum, à creatura non retractatum, nec à Deo condonatum, ſeù remiſſum. Quæ conveniunt in eo, quòd peccatum actuale phyſicè præteritum non conſtituat de ſolo peccatũ ha-

habituale, ſeù habitualitatē, aùt moralem permanentiam peccati præteriti; nàm peccatum phyſicè purè præteritum nihil aliud eſt, quàm hominem peccaſſe; ſed hominem peccaſſe non eſt peccatum habituale; ſiquidem iſtud, non verò illud tollitur per iuſtificationem, cùm de peccatore contrito, & iuſtificato ſit verum dicere, quòd peccavit non verò quod permaneat, aùt exiſtat in peccato habituali: ergo peccatum phyſicè præteritum ſe ſolo non conſtituit habituale peccatum. Undè ad conſtitutionem peccati habitualis, ſeù moralis permanentię peccati phyſicè præteriti, præter tale peccatum præteritum requirunt negationem retractionis ex parte hominis, & negationem condonationis ex parte Dei. Sunt tamen inter ſe diviſi in eo, quòd aliqui omnia illa tria, ſcil. peccatum præteritum, & negationem retractationis, ac condonationis ponunt in recto; alij verò ſolum peccatum præteritum aſsignant in recto, & eſſentialiter, negationes autem purè in obliquo, & tanquam conditiones; alij actum præteritum, & carentiam retractationis requirunt eſſentialiter, negationem verò condonationis dicunt eſſe privationem conſequentem ad carentiam retractationis; alij denique actum præterium, & carentiam condonationis deſiderant eſſentialiter, negationem autem retractationis ut puram conditionem. Cùm hac ſententia coincidit modus dicendi quorundam Scotiſtarum conſtituentiū peccatum habituale per duplicem negationem conformitatis, unā ad legem iuſtam, quam prævaricatus eſt homo per actum præteritum, & aliam ad legem iuſtificatricem, quam tranſgreditur non retractando, vèl ſatisfaciendo peccatum commiſſum. Prædictam igitur ſententiam, quovis modo explicatam, reijcit.

45 Concluſ.: peccatum habituale non conſtituitur formaliter per peccatum præteritum cùm illis duabus negationibus, vèl aliqua illarum, ſivè ut conditionibus, ſivè ut partibus eſſentialibus. Eſt communis Thomiſtarum, & Scotiſtarum. Prob. primò excludendo actum præteritum cùm negatione retractationis, ſivè ut parte formali, ſivè ut eſſentiali conditione: ſi peccatum habituale conſiſteret formaliter in peccato phyſicè præterito cùm carentia retractationis, poſita præcisè retractatione deſtrueretur, ſeù deficeret peccatum habituale; ſed hoc eſt falſum: ergo etiam illud, ex quo ſequitur. Antæ præmiſſę ſunt probandę, & in pri-

mis

mis prob. mai.: deficiente qualibet parte formali, vèl eſſentiali conditione alicuius compoſiti, deficit neceſſario tale compoſitum, quod nequit exiſtere abſque omnibus eius partibus, & conditionibus; ſicut ablata materia, vèl forma hominis, aut earum unione, auferetur homo: ergo ſi peccatum habituale conſiſteret formaliter in peccato phyſicè pręteriro cùm negatione retractationis, tanquàm parte formali, vèl eſſentiali conditione, ſequeretur quòd tali negatione deficiente, ſeù poſita præciſe retractatione, auferretur peccatum habituale. Prob. iàm min. principalis: tùm, quia actus peccatoris, ſcil. rectratatio, pœnitentia, ſeù contritio per ſe præcisè non ſufficit ad deletionem peccati habitualis, abſque condonatione ex parte Dei, per quam fit remiſsio peccati, & ad quam requiruntur actus noſtri tanquam diſpoſitiones, ergo poſita pręcisè retractatione, ſeù eius negatione deficiente, non deſtruitur peccatum habituale. Tùm, quia ſi quis iniuriam, ſeù offenſam intulit Regi, & poſtea doleat, vèl retractet, tamèn non eò præcisè delebit culpam ita ut non poſsit ampliùs ei imputari, nec iuſtè puniri; niſi adſit condonatio, ſeù remiſsio Regis: ergo parit èr &c.

46 Conf. primò hæc ratio: quia iuxtà Contrar. carentia retractationis, & carentia condonationis ſunt partes formales, vèl conditiones eſſentiales peccati habitualis ſimùl cùm peccato præterito; ideò poſita retractatione, & condonatione deſtruitur peccatum habituale, eſtò peccatum phyſicè præteritum, prout tale, non deſtruatur; quia nequit fieri quod non ſit pręteritum, quamvis fiat quod non ſit præſens, ſeù permanens moraliter. ergo ut totum aliquod deſtruatur non eſt neceſſum, quod omnes eius partes deſtruantur, ſed ſufficit deſtructio unius partis, vèl conditionis eſſentialis; ac proindè ſufficeret deſtructio carentiæ retractationis ad deſtructionem peccati habitualis. Conf. 2. Deus promiſsit auferre peccatum habituale, ſeù maculam peccati, poſita retractatione, gemitu, ſeù pœnitentia peccatoris, ut patet ex ſacris Litteris: ergo poſita præciſè retractatione, eò ipſo non intelligitur neceſſariò deficere peccatum habituale; ac proindè carentia retractationis non eſt pars formalis, nec eſſentialis conditio cùm peccato præterito conſtituens formaliter peccatum habituale. Prob. conſeq.: fruſtrà promittitur fieri illud, quod intelligitur neceſſariò factum: ergo cum

Deus

Deus promittat auferre maculam peccati posita retractatione, signum est, quod peccatum habituale non intelligitur necessario auferri posita præcisè retractatione.

47 Prob. secundo concluſ. quoad idem aſumptum: quod nullo modo deſtruitur per iuſtificationem, non conſtituit peccatum habituale; ſed carentia retractationis non deſtruitur per iuſtificationem: ergo non conſtituit peccatum habituale. Prob. utraque præmiſſa, & primò mai.: iuſtificatio eſt remiſsio peccatorum, iuxta trident. ſeſ. 6. cap. 7.: ergo quod non deſtruitur, ſeù tollitur per iuſtificationem, non conſtituit peccatum habituale. Prob. ùltima min.: carentia retractationis tollitur per ipſam retractationem, quæ eſt contritio, ſeù actus pœnitentis; ſed talis actus præſupponitur ad iuſtificationem, cùm ſit prævia diſpoſitio ad ipſam, iuxta Concil.: ergo carentia retractationis non tollitur per iuſtificationem, ſed potiùs ſupponitur ablata pro priori ad ipſam.

48 Prob. 3. Concluſ. excludendo actũ præteritum cùm negatione condonationis: ſi peccatum præteritum cùm negatione condonationis conſtitueret peccatum habituale, voluntas Divina condonandi peccatum haberet ſe ipſam pro obiecto adæquato; ſed hoc videtur incõveniens: ergo. Prob. mai.: talis voluntas haberet pro obiecto adæquato peccatũ habituale ut deſtruendum, ſivè deſtructionem talis peccati; ſed hoc ipſo voluntas condonativa haberet ſe ipſam pro obiecto, ſi negatio condonationis cùm peccato præterito conſtituit habituale peccatum: ergo. Prob. min.: totum illud, ſcil. *habituale peccatum*, conſtitutũ ex peccato phyſicè præterito, & negatione condonationis, unice poteſt deſtrui ratione carentiæ condonationis, quæ poteſt deficere adveniente condonatione, ut per formam oppoſitam; non autèm ratione peccati phyſicè præteriti, quod ſemèl ac præceſsit, nequit non præceſsiſſe: ergo. Conf.: voluntas condonandi reſpicit pro obiecto formali, & adæquato peccatum moraliter præſens, ſivè permanens, ut deſtruendum moraliter; ſed iuxtà opinionem quam impugnamus, non aliter dicitur moraliter permanens niſi ratione carentiæ condonationis adhuc perſeverantis; nec poteſt deſtrui, ſeù deficere moraliter ratione actus phyſicè præteriti, qui non poteſt non præteriiſſe, ſed tantùm ratione carentiæ condonationis, ratione cuius dicitur moraliter permanere: ergo voluntas condonandi, ſeù deſtruendi peccatum,

tum, debet eſſe voluntas deſtruendi negationem condonationis. Nunc ſic: ſed talis negatio nequit deſtrui niſi per voluntatem ponendi ipſam condonationem; ſiquidem non aliter deſtruitur carentia quàm per formam oppoſitam: ergo voluntas condonandi reſpiceret ſe ipſam tanquàm obiectum formale, & adæquatum; quòd ipſimet Adverſ. renuunt concedere ut inconveniens, & abſurdum.

49 Prob. 4. concluſ. ſuadendo, peccatum præteritum ut non retractatum, nèc condonatum, ſeu cùm utraque negatione ſimùl, ſcil. retractationis, & condonationis, non conſtituere formaliter peccatum habituale; & confirmat. quòd nèc cum qualibet earum ſeorſim conſtituit illud formaliter. Prob. igitur ſic: peccatum phyſicè præteritum, ut non retractatum, nèc remiſſum, ſivè utraque negatio, ſcil. retractionis, & condonationis, àc quælibet ex ipſis ſupponit peccatum habituale, ſeù maculam moraliter, & habitualiter in anima permanentem: ergo nequit pertinere ad conſtitutivum eius formale, nèc ut pars eſſentialis, nèc ut eſſentialis conditio. Conſeq. patet. Prob. antec.: peccatum habitualiter, & moraliter permanens, eſt id, quod per ſe primò eſt obiectum retractationis, & condonationis, atque etiam carentiæ, vel ſuſpenſionis utriuſque; ſiquidem id, quod eſt obiectum actus poſitivi, eſt etiam obiectum carentiæ, vèl ſuſpenſionis eiuſdem; ſed obiectum præſupponitur ad actum, & ad ſuſpenſionem actus circà ipſum, ut eſt manifeſtum: ergo. Mai. patet; quia peccatum commiſſum, phyſicè præteritum, & moraliter permanens, non autem actualiter phyſicè exiſtens, ſeù in ipſo inſtanti commiſsionis, eſt quod poteſt retractari, aùt non retractari, & condonari, vèl non condonari; àc proinde ipſum peccatum moraliter, & habitualiter permanens eſt obiectum retractationis, & non retractationis, atque condonationis, & non condonationis.

50 Conf. 1.: peccatum habituale, & moraliter permanens, non verò actuale, & phyſicè exiſtens, ex ſe eſt indifferens ad retractationem, & eius negationem, àc ad condonationem, & negationem eiuſdem: ergo eſt obiectū nedùm utriuſque actus poſitivi, ſed etiàm utriuſque negationis; atque adeo neutra poteſt concurrere ad illius conſtitutivum formale; ſicùt animal nequit conſtitui per rationalitatem, aùt irrationalitatem, quia eſt indifferens ad utramque. Prob. antec.: ſolum peccatum commiſ-

missū, & moralitèr permanens, non autèm actuale, & physicè existens, potest retractari, & non retractari ab homine, atque condonari, & non condonari à Deo; siquidem implicat, quod homo actù simul velit, & non velit, seu retractet; aùt committat, & non committat aliquod peccatum, àc etiàm implicat, quod Deus actù simùl sit offensus, & non offensus; odio habens, & non odio habens aliquod peccatum: ergo. Conf. 2.: esse retractatum, & non retractatum, condonatum, & non condonatum, sunt denominationes extrinsecæ in macula peccati habitualis, ei provenientes ab actu voluntatis humanæ retractantis, vèl suspendentis retractationē, & ab actu voluntatis Divinę condonantis, vèl suspendentis condonationem; sed denominationes extrinsecæ supponunt constitutū in se obiectum denominatum, vèl denominandum: ergo sicut denominationes retractati, & cōdonati, provenientes ab actu retractationis, & condonationis, supponunt peccatū habituale constitutum in suo esse; ità paritèr denominationes non retractati, & non condonati, provenientes ex suspensione actus retractationis, & condonationis, supponunt illud constitutum in esse peccati habitualis; etenim in eodem instanti naturæ, in quo voluntas est elicitiva sui actus circà aliquod obiectum, est etiã circa ipsum suspensiva illius.

51 Arg. 1.: peccatum habituale non est aliud, quàm peccatum actuale physicè præteritum, moralitèr permanens, nèc a tum addit malitiam, præter illam, quæ fuit in instanti, in quo fuit commissum; sed intellecto peccato pręterito cùm negatione retractationis, & condonationis, intelligitur ipsum peccatū moralitèr permanens; siquidèm statim àc intellectus alicuius prudentis percipit, aliquem peccasse, & non pœnituisse nèc Deum condonasse, potest prudentèr iudicare, maculam, & offensam permanere: ergo illud est constitutivum formale peccati habitualis. Resp. concess. mai., dist. min.: intellecto peccato physicè præterito, àc illa duplici negatione, intelligitur extrinsecè, & à posteriori peccatum moralitèr permanens, tanquàm præsuppositum ad illã duplicem negationem, quam secum habet annexam, & concomitantem, vèl consequentem, conc.; intelligitur intrinsecè à priori, & essentialiter constitutive, neg. min., proptèr dicta in 4. probat. concluſ..

52 Arg. 2.: multæ res, quæ physice preterierunt, præstant eosdem effectus, quos præstarent, si actu physice existerent, & sic dicuntur permane-

re

re moraliter; ſed ad hoc requiritur ſolùm, quòd illæ res fuerint, & quòd non ſint actu ſufficienter revocatæ, & retractatæ efficaciter ab eo, à quo poſſent retractari; vèl non ſint condonatæ ab illo à quo poſsint condonari, cedendo ſuo juri: ergo ad hoc ut dicatur, peccatum moraliter permanere, ſeù eſſe habituale, ſufficit quòd illud ſit commiſſum, & non ſit à peccatore retractatum, nèc à Deo condonatum; ac proinde hoc erit conſtitutivum formale peccati habitualis. Prob. min.: lex conſtituta, pretium rebus taxatum, votum emiſſum, contractus initus, & alia huiuſmodi dicuntur permanere moraliter per hoc præcisè, quòd extiterint, & revocata, aùt condonata non fuerint; ſimiliter qui alium iniuria affecit, & ſatisfactionem non exhibuit, nèc aliundè veniã habuit, per hoc præcisè dicitur in iniuria, vèl offenſa permanere moraliter: ergo talis permanentia moralis fundatur, & conſiſtit præcisè in eo, quòd illę res fuerint, & non ſint revocatæ, nèc condonatæ.

53 Reſp. conceſ. mai., neg. min. Propter ly *ſolum*; quia ad hoc ut illæ res permaneant moraliter, requiritur obligatio orta ex illis rebus phyſicè præteritis; quæ quidem obligatio eſt fundamentum, vel ratio permanentiæ moralis, illatæ à poſteriori ex illis rebus præteritis, proùt non retractatis, nèc condonatis; undè illæ negationes ſunt ſigna à poſteriori manifeſtativa, vèl conditiones, non autem ingrediuntur conſtitutivũ formale permanentiæ moralis illarum rerum; ut patet in exemplis adductis in argumento. Replic.: ideò quis eſt obligatus, & debitor, quia non ſatisfecit, nèc creditor condonavit: ergo permanentia moralis potius eſt ponenda in illis negationibus, quàm in debito, ſeù obligatione ſatisfaciendi. Prob. antec.: tandiù quis eſt debitor ſatisfactionis, vèl pœnæ, quandiù non ſatisfecit, nèc veniam impetravit; adeò ut debitum, & obligatio ſatisfactionis, vèl pœnæ ſupponat non retractationem, & non remiſsionem culpæ, veluti cauſam ipſius obligationis, & debiti: ergo. Reſp. diſt. antec.: ideò, nempè cauſalitèr latè, & impropriè, ſeù à poſteriori, illativè vèl connexivè, quis eſt debitor, quia non ſatisfecit, nèc veniam impetravit, conc.: ideò, ſcil. cauſalitèr propriè, & ſtrictè, ſeù à priori, neg. antec.; nàm debitor, ſeù obligatus conſtituitur, & denominatur formaliter à debito, & obligatione, quæ ſupponitur ad non ſatisfactionem, & non remiſsionem, potentes exhiberi, & ex quibus infertur à poſteriori

con-

concomitantèr, vèl connexivè permanentia moralis.

54 Arg. 3.: in ſtatu puræ naturæ conſtitueretur peccatum habituale per actum phyſicè præteritum, & illam duplicem negationem: ergo & nunc conſtituitur per idem; quia conſtitutivum formale rerum debet eſſe uniforme, & invariabile eſſentialitèr in omni ſtatu. Conf.: de eſſentia peccati habitualis venialis ſolùm eſt peccaſſe, & non retractaſſe, nèc remiſſum fuiſſe: ergo ſimiliter de peccato habituali mortali dicendum erit. Ad arg. neg. antec.; quia conſtitutivum formale peccati habitualis in ſtatu puræ naturæ (ſicùt modò) eſſet privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui permanens moraliter ratione reatus culpę, ſeù dignitatis; & meriti pœnę, ut infrà conſtabit; illæ autèm negationes tunc (ſicut modo) eſſent connexæ, & ſubſequutæ ad illius conſtitutivum formale. Ad conf. ſimiliter neg. antec.; quia etiam conſtitutivum peccati habitualis venialis eſt privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui permanens moraliter in reatu culpæ, ſeù dignitate, & merito pœnæ correſpondenti peccato veniali; quod concomitantur, vèl conſequuntur illę duæ negationes.

55 Arg. 4. ex P. Marin: peccatum habituale conſiſtit in eo, quod prę cisè deficiente, non datur peccatum habituale; ſed præcise deficiente *peccatum eſſe commiſſum*, aùt carentia condonationis intrinſecæ, vèl extrinſecæ, non datur peccatum habituale: ergo iſtud conſiſtit in eo, quòd peccatum ſit commiſſum, & non condonatum. Prob. min.: non ſtat peccatum habituale, quandò ceſſat jus, & titulus, quem Deus habet ut ſe indignet cum peccatore; ſed deficiente præcisè, *peccatum eſſe commiſſum*, ſeù non eſſe condonatum, ſivè exiſtente condonatione ipſius, ceſſat titulus, quem Deus habet ut ſe indignet cum peccatore; quia idem eſt condonare debitori, ac ceſſare jus contra ipſum: ergo. Conf.: præcisè ſtante votum eſſe emiſſum, & non eſſe diſpenſatum, vèl relaxatum, permanet habitualiter votum in ordine ad fundandum in Deo iuſtum titulum exigendi rem promiſſam: ergo prę cise ſtante, peccatum eſſe commiſſum, & non eſſe condonatum, permanet habitualitèr peccatum in ordine ad fundandum in Deò iuſtum titulum exigendi pœnas, & ſe indignandi propter peccatum; & conſequenter peccatum habituale conſiſtit formaliter in eo, quod peccatum ſit commiſſum, & non ſit condonatum.

56 Ad arg. diſt. mai.: peccatum habituale conſiſtit formaliter in eo, quo præcisè deficiente, per locum intrinſecum, à priori, & formaliter non datur peccatum habituale, conc.; quo præcisè deficiente, per locum extrinſecum, à poſteriori, & illative deficit peccatum habituale, neg. mai.; & diſt. ſimiliter min.: præcisè deficiente: *peccatum eſſe commiſſum, & non eſſe condonatum*, extrinſecè, à poſteriori, & illativè dificit peccatum habituale, conc.; deficit à priori, intrinſecè, & formaliter, neg. min.; ad cuius probat. diſt. ſimiliter mai.: non ſtat illativè, à poſteriori, & extrinſecè peccatum habituale, quandò ceſſat jus, & titulus, quem Deus habet ut ſe indignet cùm peccatore, conc., non ſtat à priori, intrinſecè, & formaliter peccatum habituale, quandò ceſſat tale jus, neg mai.; quia prius eſt, hominē eſſe peccatorem, quàm Deum habere jus ad ſe indignandum, & puniendum illum; ſiquidem in tantum Deus habet tale jus, in quantùm peccator ex actu peccaminoſo contrahit reatum, meritum, dignitatem, & obligationem paſsivam ad indignationem, & pœnam: atquè adeo è converſo in tantùm ceſſat intrinſecè a priori, & formaliter peccatum habituale, in quantum deficit reatus culpę, meritum, ſeù dignitas pœnæ, & obligatio paſsiva ex parte peccatoris, quæ tollitur per condonationē Dei, ex qua, & ex ablatione obligationis in peccatore ſequitur ceſſatio juris in Deo ad puniendum peccatorem. Quarè diſt. ſimiliter min.: exiſtente condonatione ceſſat illativè, & conſequenter titulus, quem Deus habet ad puniendum peccatorem, conc.; ceſſat immediatè, & formaliter, neg. min.; ſiquidem condonata, & ceſſante obligatione paſsiva, ſeù merito, & dignitate pœnæ ex parte peccatoris, ceſſat conſequenter jus ex parte Dei. Per quod etiàm patet reſponſ. ad conf.; nàm ille titulus ex parte Dei ſupponit debitum, ſeù obligationem paſsivam, ex parte voventis, quæ eſt fundamentum, vel formale conſtitutivum permanentię moralis, ſeù habitualitatis voti.

SECTIO III.

Statuitur germana Scoti ſententia, & Scotiſtarum communiſſima.

57 SUpponimus primò, tanquam certum apud omnes, quod peccatum habituale nihil aliud eſt, quàm ipſum peccatum actuale, quod phyſicè præciſit, moraliter autem, & æquivalen-

ter

tèr permanet; nèc aliam habet malitiam prætèr illam, quam habuit peccatum actuale in inſtanti in quo commiſſum fuit, quæ que moralitèr permanet, âc maculatam reddit animam peccatoris. Quarè tota difficultas eſt: per quid dicatur peccatum actuale permanere moralitèr, àc proinde conſtitui in ratione peccati habitualis? Unde poſtquàm vidimus, quid non ſit, ſeù non conſtituat formalitèr peccatum habituale; reſtat ut examinemus, & ſtatuamus, quid ſit, ſeù quid formalitèr conſtituat illud. Supp. 2. quòd præter gratię habitualis privationem, quæ inducitur ex peccato actuali mortali; & ultrà negationem retractationis ex parte ipſius peccatoris, àc negationem condonationis ex parte Dei, quæ tanquam conditiones concomitantur peccatum habituale, relinquitur etiam ex actu peccaminoſo in ipſo peccatore reatus, debitum, ſeù obligatio ad ſatisfactionem, & pœnam peccato correſpondentem, ut eſt certum apud omnes; nàm eò ipſo quòd quis committit culpam, fit debitor, & obligatus ad pœnam.

58 Supp. 3. quòd reatus, debitum, ſeu obligatio ad pœnam poteſt ſumi dupliciter. Primò pro merito, ſeù dignitate pœnæ, prout inducta ex actu peccaminoſo, & dicente ordinem ad ipſum; nam eò ipſo quod quis peccat, per ipſum actum peccati redditur dignus pœna, ſeù meretur ordinari ad ipſam; & tale meritum, ſeù dignitas pœnæ dicitur proprie reatus culpæ. Secundò ſumitur pro ordinatione, ſeù deputatione ad pœnam proveniente ab actu Divinæ voluntatis, quo homo propter eius peccatum deputatur ad pœnam ipſi correſpondentem; & talis obligatio dicitur ſimpliciter, & abſolute reatus pœnæ. Diſtinctio huius duplicis reatus ſumitur ex Mag. P. Aug. lib. 1. Retractat. cap. 15. ubi ait: *Quaſi verò peccatum quod eos ex Adam dicimus originalitèr trahere, id eſt, reatu eius implicatos* (en reatum culpæ), *& ob hoc pœnæ obnoxios detineri &c.* (ecce reatum pœnæ). Et clarius ſuper Pſ. 50. in verſic. *ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum*, inquit: *Nemo naſcitur niſi trahens pœnam, trahens meritum pœnæ*; ubi clare diſtinguit inter contractionem, ſeù reatum pœnæ, & meritum ipſius pœnæ, per quod ſignificat reatum culpæ. His ſuppoſitis, ſit.

59 Concluſ.: macula moralis, ſeù peccatum habituale conſiſtit formaliter in morali privationis rectitudinis debitæ permanentia, ſignificata per reatum culpæ, dignitatem, ſive

meritum pœnæ, contractum, & derelictum ex actu præterito peccati, & se habens tanquàm fundamentum, vèl ratio illius moralis permanentiæ. Concluſ. continet duas partes, per quas videtur nobis explicari aptius mens Subt. Mag., & concordari modi dicendi quorumdam Scotiſtarum, qui videntur intèr ſe opponi. Prima pars eſt in re communis, maxime intèr Noſtrates, & eſt valdè conformis Subt. Doct.. Prob. primò: iuxta omnes, peccatum habituale nihil aliud eſt, quàm actuale, phyſicè præteritum, permanens moraliter; ſed peccatum actuale conſiſtit formalitèr in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui; ut probatum manet in quæſt. 4. diſp. 1. huius tract.: ergo peccatum habituale conſiſtit formalitèr in morali permanentia privationis rectitudinis debitę. Conf. & explicatur: habitualitas peccati conſiſtit formalitèr in permanentia morali actus peccaminoſi quoad formale malitiæ, ſivè quoad rationem culpæ; ſed prout ſic eſt formalitèr conſtitutivè privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui: ergo habitualitas peccati conſiſtit formaliter in morali permanentia talis privationis.

60 Prob. ſecundo eadem pars.: peccatum actuale, & habituale conveniunt ſpecificè imò & numericè in ratione peccati, ità ut habituale non ſit aliud peccatum diſtinctum, ſed idem penès diverſum ſtatum; quatenùs actuale ſe habet ad modum tranſeuntis, & habituale per modum permanentis: ergo debent habere idem conſtitutivum formale, cùm ſola diſtinctione ſtatus, ſive modi eſſendi: ergo cùm conſtitutivum formale peccati actualis ſit privatio rectitudinis actù phyſicè exiſtens (eo modo quo privationes exiſtunt, ſeù dantur à parte rei); conſequentèr conſtitutivum formale peccati habitùalis debet eſſe talis privatio ut moralitèr permanens. Conf.: peccatum habituale eſt vere, àc proprie peccatum, malum morale, & habens rationem culpæ; ſed ratio formalis culpæ, mali moralis, ſivè peccati ſtat in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui; ut ſuo loco probatum manet: ergo talis privatio, prout habitualis, ſivè moraliter permanens, conſtituit formaliter peccatum habituale. Ulterior probat. huius part. patebit ex argum. ſolutione.

61 Secunda pars concluſ. eſt expreſſa Subt. Mag. in 4. d. 14. q. 1. §. *Hic ſunt tria videnda*; & d. 16. q. 2. §. *Reſpondeo*; & d. 21. q. 1. §. *Dico ergo*; àc d. 22. q. un. §. *De primo dicitur*; ipſumque ſequuntur com-

communiſsimè eius Diſcipuli, tàm antiqui, quàm moderni; atque eidem parti penès rem adhærent plures extranei, quāvis diſcendat in modo loquendi. Prob. primò authorirate: in ſacra Script. peccatum habituale explicatur ſæpè nomine reatus, debiti, & obligationis ad pœnam: ergo habitualitas, ſeù moralis permanentia privationis rectitudinis debitæ, in qua conſiſtit macula moralis, ſeù peccatum habituale, optime explicatur per illum reatum, obligationem, debitum, ſivè meritum pœnæ, contractum ex actu præterito peccati, & ſe habens tanquàm fundamentum, vèl rationem illius moralis permanentiæ, ſeù habitualitatis. Prob. antec.: Exordi 32. dicitur: *Percuſsit Dominus populum pro reatu vituli.* Deuther. 21.: *Et auferetur ab eis reatus ſanguinis.* Math. cap. 5.: *Reus erit iudicio, reus erit gehennæ.* Eiuſdem, cap. 6.: *Dimitte nobis debita noſtra.* Et cap. 8. *Oblatus eſt ei unus, qui debebat decem millia talenta.* Ac in Actis Apoſt. cap. 8. *In felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te eſſe:* ergo iuxtà ſacram Script. permanentia moralis actus peccaminoſi, ſeù peccatum habituale ſignificatur per reatum, obligationem, ſeu debitum pœnæ, contractum ex actu præterito peccati. Item, in pluribus Script. locis dicitur, Chriſtum D. ſatisfeciſſe pro peccatis noſtris; ſed ſatisfactio eſt pro debito, ſeù obligatione: ergo. Unde Berch. in ſuo *Report. morali*, V. *Reus*, teſtatur, in ſacra Scriptura nomine reatus intelligi peccatum, ſeù obligationem ad pœnam, ſivè debitum pro peccato.

62 Prætereà ex S. S. P. P. quidam dicunt, Deum remittere peccata nihil aliud eſſe, quàm illa tegere, non imputare, ſivè nolle animadvertere, & punire; alij aſſerunt, peccatum actuale remanere in reatu, nàm tranſeunte mala operatione, nihil aliud remanet quàm reatus; alij verò exprimunt quòd hominem non eſſe peccatorem ſit illum non remanere in reatu, obligatione, ſivè debito, & D. Dionyſ. dè Div. Nomin. cap. 4. ait.: *Puniri non eſt malum, ſed eſſe pœna dignum*; & talem dignitatem appellat turpem, & moralitèr malam ob habitudinem ad actum peccaminoſum, à quo ortum duxit. Sed præcipue M. P. Aug. lib. 1. de Nuptijs cap. 26. inquit: *ſiquis fecerit adulterium, etſi deinceps nunquam faciat, reus eſt adulterij, donèc reatus ipſius indulgentia remittatur*; & poſt pauca: *Manent ergo* (ſcil. peccata) *niſi remittantur*; *ſed quomodo manent, ſi præterita ſunt, niſi quia, quæ præterierunt actu,*

manent reatu ? Et lib. 6. contra Julianum cap. 8. ait, ſacrificium Idolis factum, ſi deinceps non fiat, præterijt actu, ſed manet reatu; talem que reatum vocat impietatem, & iniquitatem; atque idem aſſerit alibi ſæpè: ergo iuxtà S.S.P.P., peccatum habituale optimè explicatur per reatum culpæ, ſivè debitum, & meritum pœnæ, contractum, & derelictum ex actu præterito peccati, àc ſe habens tanquàm fundamentum, vèl rationem illius permanentiæ moralis.

63 Similitèr Scot. cit. in d. 14. ait: *ex iſto ſequitur corollarium, quòd nihil aliud eſt, poſt actum peccati ceſſantem, offenſa, macula, & reatus, niſi iſta relatio rationis, ſcil. ordinatio ad pœnam*; & ad hunc locum ſe remittens in d. 16. inquit: *Poſt actum tranſeuntem, tantùm remanet anima obligata ad pœnam propriam correſpondentem illi culpæ commiſſæ; & iſta obilgatio dicitur reatus ille, qui manet in anima poſtquàm tranſit actus peccati*, & d. 21. aſſerit: *poſt actum tranſeuntem, culpa, quæ manet, nihil aliud eſt, niſi reatus ad pœnam debitam.* Et idem repetit diſt. 22.: ergo iuxtà Subt. Doct., reatus culpæ, ſivè dignitas, debitum, ſeù meritum pœnæ, contractum, & derelictum ex actu præterito peccati, eſt fundamentum vèl ratio habitualitatis, ſeù moralis permanentiæ actus peccaminoſi, per quod ſignificatur, & explicatur conſtitutivum formale peccati habitualis.

64 Prob. 2. ratione: certum eſt apud omnes, peccatum habituale nihil aliud eſſe, quàm peccatum actuale, quod phyſicè præcelsit, moraliter autem permanet; ſed hæc moralis permanentia nequit melius explicari, quàm per reatum culpæ, obligationem, debitum, ſeù meritum pœnæ, quod eſt fundamentum, vèl ratio ipſius permanentiæ moralis: ergo. Prob. min. primò: id eſt fundamentum, vèl ratio permanentiæ moralis actus peccaminoſi, & per illud melius explicatur, quod primò relinquitur in peccatore ex actu præterito peccati, & ſuponitur veluti radix aliorum, quæ continentur in peccato habituali; ſed huiuſmodi eſt reatus culpæ, dignitas, debitum, ſeù meritum pœnæ. ergo. Prob. min.: quod primò relinquitur ex culpa commiſſa eſt dignitas, meritum, ſeù obligatio ad pœnam, ut per ſe conſtat; & ideò homo privatur gratia propter culpam, quia meretur, ſeù eſt dignus tali pœna; atque ideò datur in eo negatio retractationis, & condonationis culpæ, quia ſupponitur in ipſo demeritum ut obiectū dignum

retractatione, ac debitum indigens condonatione, & remissione: ergo. Prob. secundo illa min. principalis: illud est fundamentum, vel ratio, per quam melius explicatur moralis permanentia actus peccaminosi, quo posito, vel intellecto, intelliguntur positi omnes effectus, qui communiter tribuuntur ipsi peccato; sed posito, vel intellecto reatu culpæ, merito, seu dignitate pœnæ, intelliguntur, vel ponuntur omnes illi effectus: ergo. Prob. min.: posito reatu culpæ, obligatione, vel dignitate pœnæ, prout hæc est disconvenientia animæ, hæc dicitur macula, seu ponitur eius macula sicut per oppositum meritum, seu dignitas ad præmium dicitur eius pulchritudo, ut inquit Subt. Doct. cit. in d. 14.; dicitur etiam anima Deo offensa exosa, & inimica; siquidem Deum esse offensum, & iratum, vel peccatorem esse Deo exosum, & inimicum, nihil aliud est, quam ipsum peccatorem esse pœna dignum, seu ad ipsam obligatum; inimicitia enim (inquit Doct. Subt.) est propter culpam ordinari ad pœnam, & sicut amicitia per gratiam est ordinari ad vitam æternam, seu esse dignum ipsa, ita inimicitia per culpam est obligari ad pœnam; ac Deum offendi, vel, irasci nihil aliud est, quàm velle vindicare, vel punire; ac proinde inimicitia passiva ex parte offendentis nihil aliud est; quam subijci odio, seu voluntati vindicativę offensi per obligationem, seu meritum pœnæ, sed prædicti effectus sunt, qui communiter tribuuntur peccato: ergo.

65 Prob. 3. ex Subt. Doct., & simul conf. ratio præcedens: fundamentum, vel ratio, per quàm melius explicatur habitualitas, seu moralis permanentia offensę, vel iniuriæ irrogatæ Principi in humanis, est reatus, debitum, seu obligatio offendentis ad pœnam, vel satisfactionem, aut aliquid æquivalens: ergo pariter in præsenti. Prob. antec.: tandiù manet moraliter illa offensa, vel iniuria, quandiù manet debitum, vel obligatio satisfaciendi pro ipsa; & tali debito, vel obligatione ablata, auferetur etiam illa moralis permanentia: ergo. Conf.: inimicitia ex parte offensi in humanis nihil aliud est, quàm velle vindicare, & punire offendentem; ac propterea censetur aliquis alteri invisus, & inimicus, quia non vult ipsi bonum, sed malum; & similiter inimicitia passiva ex parte offensi nihil aliud est; quam subijci voluntati vindicativæ offensi: ergo reatus culpæ, sive debitum, & obligatio pœnæ, aut subiectio

voluntati vindicativæ Dei reſpectu peccatoris, eſt ratio conſtitutiva offenſæ, vèl iniuriæ, tanquàm effectus primo cauſati ex prava operatione; àc proindè fundamentum, vèl ratio habitualitatis, ſeù moralis permanentiæ peccati.

66 Prob. 4. ex eodem Doct.: habitualitas, ſeù moralis permanentia actus recti, & meritorij explicatur optimè per jus, & dignitatem ad præmium correſpondens, tanquàm per fundamentum, vèl rationem illius permanentiæ moralis, vèl effectum primò relictum ex bona operatione: ergo paritèr habitualitas, ſeù moralis permanentia actus pravi, & demeritorij explicatur benè per jus, dignitatem, ſeù obligationem ad pœnam, tanquàm per effectum primò relictum ex prava operatione, & fundamentum, vèl rationem moralis permanentiæ peccati; ſiquidèm oppoſitorum eſt eadem ratio per oppoſitum. Prob. 5.: fundamentum, vèl ratio habitualitatis voti, vèl alicuius contractus humani, eſt debitum, ſeù obligatio ad implendam rem promiſſam, vèl contractam: ergo etiàm fundamentum, vèl ratio habitualitatis peccati eſt debitum, ſeù obligatio paſsiva ad pœnam correſpondentem ipſi.

67 Arg. 1. contrà 1. part. concluſ.: iuxtà Subt. Doct. in locis cit., ceſſante actu peccati nequit manere privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui: ergo peccatũ habituale nequit conſiſtere in tali privatione. Prob. antec. ab ipſo Doct.: deficiente ſubiecto proximo alicuius formæ, vèl eius privationis, nequit manere forma, nèc privatio eiuſdem; ſed ceſſante actu peccati, deficit ſubiectum proximum rectitudinis debitæ ineſſe actui, & eius privationis: ergo. Prob. min. ex eodem Doct.: non anima ſed actus in ipſa eſt ſubiectum immediatum rectitudinis, & eius privationis; quia rectitudo eſt immediatè debita actui, atque adeò ſolus ipſe eſt ſubiectum immediatum rectitudinis, àc eius privationis: ergo.

68 Reſp. explic. antec.: ceſſante actu peccati nequit privatio manere phyſicè (eo modo quo privatio phyſicè exiſtit, ſeù datur à parte rei), & actualitèr, ſeù in actu, conc.; nequit manere habitualitèr, ſeù moralitèr, ſubdiſt.: ceſſante actu etiàm habitualitèr, ſeù moralitèr, conc.; ceſſante actu præcisè phyſicè, neg. hanc eſſe mentem Doct. Ad probat. diſt. mai.: deficiente ſubiecto, tàm actù, quàm habitu, ſeù tàm phyſicè, quam moraliter, nequit manere forma, vèl privatio eiuidem, conc.; deficiente

ciente phyſicè ſubiecto, perſeverante autèm moralitèr, ſubd.: nequit manere phyſicè privatio, conc.; nequit manere moralitèr, ſeù habitualitèr, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: ceſſante actu peccati, deficit phyſicè ſubiectum proximum privationis, conc.; deficit moralitèr, ſeù habitualitèr, neg. min.; & conſeq. ſub eadē diſtinct.; nàm Subt. Doct. expreſſe loquitur de iniuſtitia actuali, ſeù de privatione actu phyſicè exiſtente rectitudinis debitæ ineſſe actui, quæ utique ceſſat phyſicè, ſeù actualitèr, ſicut ipſe actus, qui eſt ſubiectum ipſius, atque adeò nequit conſtituere habituale peccatum; non autèm loquitur de tali iniuſtitia habitualitèr, ſeù moralitèr permanente, quæ utique perſeverat hoc modo (ſicut actuale peccatum phyſicè præteritum) utpotè conſtitutivum ipſius, ut tenet Subt. Doct.; nam perſeverante conſtituto, pariformitèr debet permanere eius conſtitutivum.

69 Arg. 2. ex ipſomet Doct. contrà eandem part.: ſi macula peccati, ſeù peccatum habituale conſiſteret in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui, ſeù in eius obliquitate, ſeù inordinatione; macula unius peccati poſſet auferri per aliam ſed hoc eſt falſum; ſiquidem unum peccatum habituale non auferetur per aliud, ut eſt manifeſtum: ergo. Prob. mai.: tunc casùs una macula poſſet repugnare cùm altera: ergo poſſet auferri per ipſam. Prob. antec.: poſſet una macula eſſe iniuſtitia, obliquitas, ſeù inordinatio ſummi amoris erga Petrum v.g., & alia poſſet eſſe iniuſtitia, ſeù inordinatio ſummi odij erga ipſum; ſed tales iniuſtitiæ, obliquitates, ſeù inordinationes ſunt inter ſe repugnantes in eodem circa idem obiectum, ſicùt ipſi actus: ergo.

70 Reſp. ſimilitèr explic. mai.: ſi macula peccati conſiſteret in privatione actuali rectitudinis debitæ ineſſe actui, ſeù in obliquitate actù phyſicè exiſtente; tunc macula unius peccati poſſet auferri per aliam, conc.; ſi conſiſtit in privatione habituali rectitudinis, ſeù in obliquitate actus ſolùm moralitèr perſeverante, neg. hanc eſſe mentem Doct.; quia licèt privatio unius rectitudinis ſpecialis, & propriæ unius v. g. amoris ſummi peccati, erga Petrum, ſeù obliquitas, & inordinatio propria talis actus, in ſe formaliter actù exiſtens, ſit repugnans cùm privatione rectitudinis, ſeù obliquitate, & inordinatione ſimilitèr exiſtente alterius actus oppoſiti, ſcil. ſummi odij erga ipſum Petrum; tamen

nul-

nullatenus ſunt oppoſitæ, nec repugnantes tales privationes, ſeu inuſtitiæ, aut inordinationes tantum habitualiter, & moraliter perſeverantes, ſeù virtualiter, aut æquivalenter exiſtentes, nempè in effectu ex illis derelicto condignitatis, ſivè obligationis ad pœnam correſpondentem unicuique; ſiquidem tales condignitates, ſeù obligationes, ſicut nec pœnæ correſpondentes, ſunt inter ſe repugnantes in eodem; & quia multa, quæ actu formaliter ſimùl repugnant, tamèn virtualiter, aut habitualiter nullam habent repugnantiam. Unde patet ſolutio ad totum argum..

71 Arg. 3. contrà 2. part. concluſ.: Concilia, & P.P. diſtinguunt in peccato habituali malum culpæ à malo pœnæ, & docent utriuſque remiſsionem obtineri in ſacramento pœnitentiæ; ut patet ex Trident. ſeſ. 6. cap. 14. & can. 3. ſed talis diſtinctio non fit ſemel ac reatus, dignitas, ſeù obligatio ad pœnam ponatur ut fundamentum vèl ratio permanentiæ moralis actus peccaminoſi, ita ut per illum reatum ſignificetur macula, ſeù culpa habitualis: ergo. Conf.: iuxtà idem Trid. ſeſ. 5. in iuſtificatione aufertur totum id, quod habet veram, & propriam rationem peccati; ſed non aufertur tota dignitas ad pœnam cum maneat dignitas ad pœnam temporalem: ergo talis dignitas non eſt fundamentum, vèl ratio conſtitutiva permanentię moralis actus peccaminoſi nec explicativa conſtitutivi formalis peccati habitualis.

72 Ad arg. conceſ. mai., neg. min.; quia reatus ſumptus pro merito dignitate, ſeù obligatione paſsiva ad pœnam, prout contracta, & orta ex actu præterito peccati, quæ dicitur reatus culpæ, & aſsignatur pro ratione habitualitatis ipſius peccati, eſt quid formaliter, penès diverſas habitudines, diſtinctum à reatu ſumpto pro ordinatione, ſeù deputatione ipſius peccatoris ad pœnam, proveniente ab actu Divinę voluntatis vindicativę, & dicente ordinem ad pœnam ipſam; qualiter dicitur reatus pœnæ, & eſt quid conſequens, ac connexum cùm reatu culpæ; unde licet connectatur, tamèn diſtinguitur remiſsio uniuſcuiuſque. Ad conf. conceſ. mai., diſt. min.: non aufertur tota dignitas ad pœnam ſatisfactoriam, cùm maneat dignitas ad pœnam temporalem, proximè proveniens ab impoſitione Sacerdotis ex voluntate Dei commutantis pœnam æternam debitam peccato mortali, in temporalem, vèl pœnam tempo-

14.

talem æqualem, debitam peccato veniali, in minorem, & leviorem, conc. min.; non auferetur tota dignitas ad pœnam damnationis, ſeù prout eſt reatus proximè ortus, & derelictus ex præterito peccato, neg. min.; quia talis dignitas, ſivè meritum pœnæ damnationis, quod eſt proprie reatus culpæ, & connectitur cùm reatu talis pœnę, remittitur in juſtificatione, & commutatur in pœnam tantùm ſatisfactoriam, quæ ſolum remote oritur à culpa præterita nedùm phyſice, ſed etiam moraliter. Et dif. conſeq.: ergo talis dignitas ad pœnam tantùm ſatisfactoriam, orta ſolùm remotè à culpa præterita, proximè autem à voluntate commutativa, non eſt fundamentum, nèc ratio permanentię moralis actus peccaminoſi, conc.; talis dignitas ad pœnam damnationis, ſe habens propriè ut reatus culpæ, & pœnę ortus proximè ex peccato phyſicè præterito, inducente immediate tale debitum, non eſt fundamentum, vèl ratio illius permanentiæ moralis, neg. conſeq..

73 Arg. 4.: in ſacra Script. peccatores dicuntur abominabiles, & inimici Dei; ſed non ſunt abominabiles eò quia ſunt ad pœnam deputati; quin potius ideò deputãtur ad pœnam, quia abominabiles ſunt: ergo. Prob. min.: Apoſt. in Epiſt. ad Róman. cap. 9. ait: *Deus volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, apta ad interitum*; ſed hæc aptitudo ad interitum non eſt ex deputatione ad pœnam, ſed ex macula peccati ſupponente illam; ideò enim deputantur ad pœnam, & interitum, quia ſunt digni ira, & interitu: ergo. Conf. 1.: reatus, & obligatio ad pœnam fundatur in culpa, quæ eſt obiectum pœnitentiæ, quaſe non eſt ipſa pœna, vèl obligatio ad ipſam: ergo talis reatus non eſt fundamentum, vel ratio permanentiæ moralis, ſeù maculæ peccati. Conſeq. patet; nàm peccatum, & eius macula præciſe formaliter, & primario eſt id, quod deleri debet per pœnitentiam. Prob. antec.: Scrip. nos monet ut doleamus de culpa, non autem de reatu, ſeù obligatione ad pœnam; & Sancti non docent de pœnis, aut de earum obligatione, ſed de peccatis: ergo. Conf. 2. peccatum habituale, ſeù macula peccati eſt in ſe mala formaliter; ſed talis non eſt obligatio paſsiva ad pœnam: ergo. Prob.: illa ordinatio paſsiva fundatur in activa; nàm ſi Deus non ordinaſſet active pœnam pro peccato, non eſſet illa ordinatio paſsiva in ipſo; ſed ordinatio activa

non

non eſt mala, ſed ſumme recta, & juſta: ergo.

74 Ad arg. conceſ. præmiſſis, neg. conſeq.; quia cùm deputatio ad pœnam ſit ordinario peccatoris ad ipſam, proveniens ex actu Divinæ voluntatis volentis vindicare culpam, & ſupponens meritum, ſeù dignitatem peccatoris ad talem pœnã ordinandam; conſequenter ſupponit etiàm culpam, per quam redditur abominabilis, & dignus pœna; atque adeo non ſolum non conſtituimus formaliter maculam peccati per illã deputationem, verum nec illam aſsignamus pro fundamento, vel ratione moralis permanentiæ peccati, & per quam ſignificetur, aùt explicetur conſtitutivum formale peccati habitualis; ſed pro tali fundamento, vel ratione ponimus meritum, vel dignitatem pœnæ contractam ex actu præterito peccati. Unde argum. male confundit deputationem ad pœnam, ſive ordinationem provenientem à voluntate Divina volente vindicare; ſeù punire culpam, cùm merito, ſeù dignitate ad pœnam contracta, & orta à culpa actuali præterita; quæ ſunt valde diverſa, ſiquidem ideò Deus deputat, & ordinat peccatorem ad pœnam, quia iſte ex ſuo peccato contraxit meritum, ſeù dignitatem ad ipſam.

75 Ad 1. conf. diſt. mai.: reatus pœnæ, & obligatio formalis ad pœnam proùt dicit habitudinem ad pœnam ipſam à Deo ordinatam, fundatur in culpa, conc.; reatus culpæ, & obligatio meritoria, àc fundamentalis ad pœnam proùt dicit habitudinem ad actum peccati, ex quo fuit contracta, ſupponit culpam, ſubd.: ſupponit culpam actualem, & præteritam, conc.; ſupponit culpam habitualem, & moraliter permanentem, neg. antec.; ad cuius probat. ſimiliter dicimus, quod Script. nos monet ut doleamus de culpa commiſsa, phyſice præterita, & moraliter permanente, àc proinde de merito, ſeu dignitate ad pœnam ex ea inducta, in qua, vel ratione cuius moraliter permanet; & ſic Sancti dolent de peccatis commiſsis, & moraliter permanentibus in reatu culpæ, merito, ſeu dignitate ad pœnam contracta ex illis; non autem de pœnis, nec de reatu pœnæ, ſeu ordinatione ad pœnam, quam merentur peccata. Ad 2. conf. conceſ. mai., diſt. min.: obligatio paſsiva formaliter ſumpta, prout dicit habitudinem ad pœnam à Deo ordinatam, & ut provenit ex Divina voluntate vindicativa, non eſt in ſe mala formaliter, conc.; obligatio paſsiva fundamentaliter accepta pro me-

ri-

rito, ſeu dignitate ad pœnam, vel prout dicit ordinem ad peccatum, ex quo fuit contracta, non eſt in ſe mala formaliter, ſubdiſt.: non eſt in ſe formaliter mala, eſt tamen fundamentum, vel ratio permanentiæ moralis illius quod in ſe formaliter eſt malum, permit., non verò conced. min. (quia ut ſuprà diximus ex D. Dionyſ. *punire non eſt malum, ſed eſſe pœna dignum*); non eſt in ſe formaliter mala, nec fundamentum, vel ratio permanentiæ moralis illius quod eſt in ſe formaliter malum, neg. min.; ad cuius probat. diſt. ſimiliter mai.: ordinatio paſsiva, ſumpta pro habitudine ad pœnam à Deo ordinatam, fundatur in activa, conc.; ordinatio paſsiva, ſumpta pro habitudine ad actum peccati ex quo fuit contracta, ſivè pro merito, & dignitate ad pœnam, fundatur in ordinatione activa, neg. quia potius ordinatio activa fundatur, vel ſupponit illam ordinationem paſsivam, ſeu meritum; & dignitatem ad pœnam; & conceſ. min.; neg. conſeq..

76 Arg. 5.: hæc propoſitio: *In peccato duo ſunt, actus, & reatus tranſeunte autem actu, nihil manet, niſi reatus, ſivè obligatio ad pœnam*; eſt ad litteram propoſitio 56. inter damnatas à S. Pio V. & Gregorio XIII. contrà Michaelem Baium; ſed idem docet aſſertum noſtrum Scoticum: ergo non eſt ſuſtinendum, utpotè expreſsè damnatum, vel coincidens cum illo Dimiſſa, & ſpreta injurioſa calumnia, qua aliqui ex Contrarijs temerè notant ſententiam Scoticam; tum, quia eorum cenſura eſt contrà Eccleſiæ, & S. Inquiſitionis Decreta; tùm, quia illa comprehenderet doctrinam expreſſam M. P. Auguſtini, quod nec audebunt calumniatores opinionis Scoticæ Reſp. diſt. mai.: illa propoſitio ad litteram, & *in proprio verborum ſenſu, ab aſſertoribus* (Baianis) *intento*, (prout expreſsè notatur in Bulla) eſt damnata, conc.; in alio diſtincto, & ſano ſenſu intellecta, neg. mai.; ſiquidem iuxtà Ambroſium Calepinum verbo: *Reatus*, iſta vox noſtro idiomate Hiſpano ſignificat & culpam, & obligationem ad pœnam; ait enim ita: *Reatus Hiſpanè es culpa, obligacion à la pena*. Quare cùm Baius fumeret unicè reatum pro ut ſignificat meram obligationem ad pœnam, à culpa, ſeu peccato contradiſtinctam, & quin ſignificet habitualem maculam ex actu peccati derelictam; ſic que aiebat, vi pœnitentiæ nullam maculam, ſivè culpam remittit, ſed ſolam obligationem ad pœnam relaxari; prop-

te-

tereà merito hic ſenſus damnatur à ſummis Pontificibus.

77 At verò Authores Catholici tenentes noſtram opinionem, præſertim ſubt. Mag. ſumit reatum prout ſignificat utrumque, nempè culpam, ſivè maculam moraliter manentem in merito, ſeù dignitate ad pœnam, ac vocatur reatus culpæ; & obligationem ſeù ordinationem ad pœnam ipſam, dicitur que reatus pœnæ; undè valdè remoti ſunt à ſenſu Baij, & immunes ab omni cenſura. Prætereà Baius abſolutè, & ſimpliciter aſſerebat, tranſeunte actu peccaminoſo non remanere privationem gratiæ, ſed ſolum reatum pœnæ, cum gratia, & perfectâ charitate compoſsibilem, ut patet ex eius propoſit. 70. Scotus autem aſſerit, in peccatore ultrà iniuſtitiam habitualem, quæ eſt privatio gratiæ, manere reatum culpæ, & pœnæ, ac utrumque in iuſtificatione remitti. Quare neg. abſolute min. argum..

78 Arg. 6.: meritum, ſivè dignitas pœnæ ſupponit culpam, nedùm actualem, ſed etiam habitualem, & moraliter permanentem: ergo talis dignitas nequit eſſe fundamentum, vel ratio permanentiæ moralis, ſeù habitualitatis peccati. Prob. antec. primò dignitas pœnæ eſt proprietas conſequens culpam, nedùm actualem, ſed etiam habitualem, ſicut dignitas præmij conſequitur meritum, & honeſtatem moralem illius. Prob. iſtud antec.: ſicut actualis dignitas pœnæ eſt proprietas ſequens culpam actualem, ita habitualis dignitas, ſeù per modum termini derelicta ex culpa actuali, eſt proprietas culpæ habitualis: ergo. Prob. ſecundò illud antec.: peccatum actuale, & eſt malum malitia morali, & eſt dignum pœna; malitia quidem ſe habente primariò, & eſſentialiter, ac dignitate pœnæ ſe habente tanquam proprietate, vèl tanquàm effecta malitiæ: ergo ſi peccatum phyſice præteritum relinquit tanquàm ſui terminum dignitatem pœnæ, relinquit etiam per modum termini malitiam moralem; & conſequenter primariò iſtam, ut eſſentiam peccati habitualis conſiſtentis in termino peccati actualis, illam verò ſecundariò, ut proprietatem malitiæ habitualis. Prob. tertio illud 1. antec.: culpa habitualis eſt macula derelicta ex peccato actuali; ſed dignitas pœnæ ſupponit maculam: ergo, & habitualem culpam. Prob. min.: hæc cauſalis eſt vera: *quia homo eſt formaliter maculatus, eſt dignus pœna*; ſed omnis effectus ſupponit eius cauſam: ergo.

Prob.

Prob. 4. illud antec.: dignitas ad pœnam naſcitur immediatè ex culpa, & fundatur in ipſa: ergo illa dignitas, quæ remanet in peccato habituali, ſupponit moralem permanentiam culpæ, in qua fundatur.

79 Reſp. ad arg. neg. antec.; ad cuius 1. probat. neg. etiàm antec. cùm imbibita probat.; quia ſicùt licèt dignitas ad præmium conſequatur meritum actuale, ſeù actum honeſtum, & meritorium, veluti proprietas, vèl ut terminus, aut quaſi effectus illius; tamèn talis dignitas non conſequitur, ſed præſupponitur naturaliter ad meritum habituale, ſeù ad actum honeſtum, & meritorium prout moraliter permanentem, tanquàm fundamentum, vèl ratio illius permanentiæ moralis, ſeù veluti effectus ex actuali merito derelictus, & in quo, vèl ratione cuius perſeverat moraliter: ità ſimiliter de dignitate pœnæ reſpectu peccati, nàm licèt illa ſequatur veluti proprietas ad peccatum actuale, & quo primò derelinquitur, tamèn naturaliter præſupponitur ad peccatum habituale tanquàm fundamentum, vèl ratio illius moralis permanentiæ, quæ in tantùm durat in quantùm perſeverat illa dignitas ad pœnam. Et ad probat. illius antec. neg. ſuppoſitum, ſcil. dari dignitatem actualem, & tranſeuntem contradiſtinctam ab habituali, permanente, & per modum termini derelicta ex peccato actuali: ſiquidem daretur iſta ſola, quæ eſt effectus peccati actualis, & fundamentum, vèl ratio habitualitatis, ſeù moralis eius permanentiæ. Ad 2. probat. antec. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia cùm peccatum actuale relinquat malitiam moralem, non quidem actù in ſe formaliter, & phyſicè exiſtentem (eo modo quo privationes exiſtunt phyſicè, vèl dantur actù à parte rei); ſed habitualiter, & moraliter permanentem in aliquo effectu primò cauſato à peccato actuali, qui ſit fundamentum vèl ratio moralis permanentiæ illius malitiæ, cuiuſmodi eſt dignitas pœnæ; idcò licèt iſta in ſtatu actualitatis, & phyſicæ exiſtentiæ actus peccaminoſi, ſe habeat conſequentèr ad eſſentiam peccati actualis; tamèn in ſtatu habitualitatis ſe habet ut fundamentum, vèl ratio à priori ſignificativa moralis permanentiæ illius malitiæ, proùt eſt conſtitutivum formale peccati habitualis: ad modum quo licèt promiſsio ſit de eſſentia voti, & obligatio ſe habeat ut proprietas, vèl effectus eiuſdem; tamen ipſa obligatio eſt fundamentum, vèl ratio permanentiæ moralis ipſius

ſius voti, & promiſsionis illud conſtituentis, & habitualiter perſeverantis.

80 Ad 3. probat. illius primi antec., conceſ. mai., neg. min., ad cuius probat. diſt. mai.: illa cauſalis eſt vera in ſenſu cauſali lato, prout extenditur, & comprehendit etiam ſenſum formalem, & identicum, conc.; eſt vera in ſenſu cauſali ſtricto, & rigoroſo, ita ut macula, ſeu habitualis culpa ſit vera cauſa, aut ratio à priori inferens dignitatem pœnæ tanquam ſui effectum, vel proprietatem, neg. mai.; nam licet dignitas pœnæ ſit proprietas, vel effectus cauſatus ab actu peccati, adeò ut hæc cauſalis ſit vera in ſenſu cauſali ſtricto: *quia homo elicit actum peccaminoſum, eſt dignus pœna*; ſicut iſta: *quia homo promittit, ſeu elicit votum, eſt Deo obligatus*; tamen dignitas pœnæ non eſt proprietas, aut effectus conſequutus ex macula, ſeu culpa habituali, quia potius illa eſt fundamentum moralis permanentiæ ipſius culpæ, adeò ut hæc oppoſita cauſalis ſit ſtricte vera: *quia homo eſt dignus pœna, eſt maculatus, ſeu permanens moraliter, & habitualiter in eius culpa*; ſicut etiam iſta: *quia homo eſt obligatus ad rem promiſſam, ideò permanet moraliter, & habitualiter eius votum, ſeu promiſſio ab eo facta.* Ad 4. denique probat. diſt. antec.: dignitas ad pœnam naſcitur ex culpa actuali, & fundatur in ipſa, conc.; naſcitur ex culpa habituali, & fundatur in ipſa moraliter permanente, neg. antec.; cùm potiùs moralis permanentia, ſeù habitualitas culpæ fundetur in merito, ſeù dignitate pœnæ, ut patet ex dictis.

81 Arg. 7. in damnatis dantur nova peccata, quæ ſine dubio tranſeunt in habitualia; ſed in illis non eſt nova dignitas ad pœnam: ergo. Mai. conſtat; quia eliciunt actus Deo diſplicentes, & eius legi difformes. Min. etiam patet; quia Deus non ſtatuit illos punire propter illa peccata. Conf.: Sub. Doct. in 4. d. 50. q. 6. in fine, ait: *ideo pœna durat quia peccatum in eis durat*; nam *ac ſic ad Petrum* dicitur: *permanente in eis iniuſtæ affectionis malo, permanet in eis iuſtæ retributionis damnatio*: ergo potius peccatum permanens, & habituale eſt fundamentum permanentiæ obligationis, ſeù dignitatis ad pœnam, quam iſta ſit fundamentum permanentiæ peccati. Ad arg. diſt. mai.: in damnatis dantur nova peccata materialiter, & improprie, ſcil. actus pravi, & Deo diſplicentes, conc.; nova peccata formaliter, & proprie, nem-

nempe actus demeritorij, neg. mai.; quia ſunt omnino extrà ſtatum viæ, atque adeò iuxtà Scotum in 2. d. 7. in fine, eorum actus dicuntur damnatorij, non demeritorij; ſicut actus beatorum, licet ſint recti, & Deo placentes, non ſunt propriè meritorij, ſed beatifici. Vel admiſ. mai., neg. min.; quia licèt non puniantur, nèc ordinentur ad pœnam, eò quia eliciuntur extrà ſtatum viæ; tamen ex ſe ſunt digna puniri, utpotè Deo diſplicentia, & contraria ſuæ Divinæ voluntati. Ad conf. conceſ. antec. quia loquitur de reatu pœnæ, qui utique fundatur in peccato habituali, & ideò ille permanet, quia iſtud perſeverat moraliter; neg. conſeq. ſiquidem loquitur de reatu culpæ, ſeu de merito, àc dignitate pœnæ, quæ non fundatur in peccato habituali, quin potiùs eſt fundamentum moralis eius permanentiæ, ut patet ex dictis.

82 Arg. 8.: quamvis non eſſet aliqua lex ſtatuens pœnam peccato, adhùc eſſet peccatum actuale, & habituale; ſed tùnc non eſſet obligatio paſsiva ad pœnam: ergo poteſt eſſe peccatum habituale ſine tali obligatione; & conſequenter iſta non eſt fundamentum moralis permanentiæ, ſeù habitualitatis peccati. Min. conſtat; quia obligatio paſsiva ad pœnam oritur ab activa inducta à lege imponente ipſam. Prob. mai.: poteſt lex obligare præcisè ad culpam, & non ad pœnam, ut patet in praxi legum aliquarum Religionum; ſed tùnc caſus eſſet peccatum actuale, & habituale, conſiſtens in transgreſsione legis præceptivæ: ergo. Conf.: in ſtatu puræ naturæ daretur peccatum habituale; ſed in illo ſtatu non daretur dignitas ad pœnam æternam, quæ eſt privatio beatitudinis; quia iſta non eſſet debita, cùm homo non eſſet ad finem ſupernaturalem ordinatus, nèc elevatus per gratiam: ergo.

83 Ad arg. reſp. diſt. mai. quamvis non eſſet lex humana ſtatuens pœnam, adhùc eſſet peccatum actuale, & habituale, conc.; quamvis nulla eſſet lex Divina ſtatuens pœnam, neg. mai.; tùm quia ſi nulla eſſet lex, cuius adimpletio eſſet neceſſaria ſimpliciter, vel ſecundùm quid, ad conſecutionem ultimi finis, nullum eſſet peccatum, nèc mortale, nèc veniale, ut patet ex dictis de differentia utriuſque; tùm, quia M. P. Aug. in Pſalm. 44. ſuper verſ.: *Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem*; inquit: *Peccatum puniturus eſt, quia virga directionis eſt virga regni ipſius. Sed non poteſt ut non puniat peccatum. Puniendum eſt peccatum:*

tum : ſi puniendum non eſſet, nec peccatum eſſet. Et Boetius lib. 4. de conſolat. proſa 4. inquit : *Pœnam eſſe ordinativam culpæ, ità quòd non poteſt in univerſo relinqui aliqua culpa, cui non correſpondeat pœna ordinativa.* vel admiſ. mai., diſt. min.: tùnc non eſſet obligatio paſsiva, proùt dicit ordinationem, ſeù deputationem à lege imponente pœnam, & quatenùs importat habitudinem ad pœnam ipſam, ità quòd peccatum non eſſet verbalitèr puniendum, conc.; non eſſet obligatio paſsiva, proùt ſignificat meritum, ſeù dignitatem ad pœnam, & dicit habitudinem ad actum peccati, ex quo fuit inducta, ità quòd peccatum non foret puniendum nominaliter, ſeù dignum puniri, neg. min.; & diſt. ſimilitèr conſeq. Ad conf. conceſ. mai., neg. min.; quia in ſtatu puræ naturæ peccatum eſſet dignum puniri, & puniretur pœna correſpondente illi ſtatui, ità quòd peccatum grave puniretur privatione beatitudinis naturalis.

84 Arg. 9. dignitas ad pœnam temporalem non eſt fundamentum, vèl ratio habitualitatis peccati venialis : ergò nèc dignitas ad pœnam æternam eſt fundamentum, vel ratio habitualitatis peccati mortalis; etenim quoad hoc eadem videtur eſſe ratio utriuſque. Prob. antec. : remiſſo, vèl extincto peccato veniali, remanet adhùc dignitas eius ad pœnam temporalem : ergo. Conſ.: ſi dignitas ad pœnam æternam eſſet fundamentum, vèl ratio habitualitatis peccati mortalis, ſicùt etiàm dignitas ad pœnam temporalem eſt fundamentum, vèl ratio habitualitatis peccati venialis; tranſiret mortale in veniale, quandò interveniente iuſtificatione, homo manet obligatus ad pœnam temporalem ob idem crimen, ob quod anteà erat dignus pœna æterna; ſed hoc non eſt dicendum: ergo. Urg. : Subt. Doct. in 4. d. 21. q. 1. num. 8. aſsignans primum modum dicendi circa remiſsionem peccati venialis conſiſtentem in eo, quòd ipſa ſolutio pœnæ debitæ ſit remiſſio culpæ; cùm ſit ablatio obligationis, quæ eſt fundamentum, vèl ratio habitualitatis culpæ, ſubdit : *Si iſte modus non placet, quia videntur Sancti diſtinguere intèr remiſsionem culpæ cuiuſcumque, & pœnæ; maximè intèr remiſsionem culpæ, & ſolutionem pœnæ debitæ illi culpæ; poteſt dici alio modo* &c: ergo quia nèc Subt. Doct. firmiter adhæſit illi modo dicendi, utpote minùs conformi dictis S.S. Patrum; & conſequentèr &c.

85 Reſp. ad argum. diſt. antec. : dignitas ad pœnam tem-

temporalem leviorem, purè ſatisfactoriam, & immediatè orta ex voluntate commutativa unius in alteram pœnam, non eſt fundamentum, vèl ratio habitualitatis peccati venialis, conc.; dignitas ad pœnam temporalem æqualem, damnationis, ſeù reatus peccati, & proximè orta ex peccato commiſſo non eſt &c, neg. antec.: & diſt. ſimilitèr antec. probat.: remiſſo peccato veniali, remanet adhùc dignitas ad pœnam temporalem leviorem, purè ſatisfactoriam, & immediatè orta à voluntate commutativa unius pœnæ in alteram, conc.; remanet adhùc dignitas ad pœnam temporalem æqualem, damnationis, ſeù reatus peccati, & orta proximè à culpa commiſſa, neg. antec.; & conſeq. ſub diſtinct. data. Ad conf. patet per idem; nam quando in remiſsione peccati mortalis commutatur pœna æterna in temporalem, iſta non eſt pœna damnationis; nèc propriè reatus peccati, qualis eſt illa, quæ correſpondet veniali habituali; nèc proximè oritur ex peccato commiſſo, ſed ex voluntate commutativa, & ideò dicitur pœna ſatisfactoria; univerſaliter enim obligatio ad pœnam, quæ remanet, remiſſa culpa, ſive mortali, ſive veniali, proximè eſt à Divina voluntate, ac remotè tantùm à peccato commiſſo, quatenùs illa pœna temporalis ordinatur à Deo, ut pro peccato commiſſo ſatisfiat Divinæ iuſtitiæ, quæ vult, culpam ordinari per pœnam, & cùm hoc onere iuſtiſsimè vult peccatorem recipere ad eius amicitiam. Unde neg. ſequela mai.

86 Ad urg. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia licèt Subt. Doct. aſsignet duplicem modum dicendi circà remiſsionem peccati venialis, quorum primus eſt per ſolutionem totalis pœnæ debitæ ipſi; & alius per aliquem actum, in hac vita elicitum, & magis Deo placentem, quàm peccatum veniale diſplicuit; & licet dicat, quod ſi non placeat primus modus, poteſt ſuſtineri ſecundus; tamèn hoc non dixit, quia recedat à primo, cùm eo ibi utatur in reſponſione ad argumenta, & alibi frequenter; ſed propter eos, qui nollent ſequi eius ſententiam, & ut moneat difficultatem, quæ poſſet objici contrà primum modum dicendi, in quo (ſicùt & in ſententia principali circà fundamentum, vèl rationem habitualitatis peccati, tàm mortalis, quàm venialis, conſiſtentem in reatu ad pœnam debitam, condignam, & æqualem; cui ſententiæ ſemper adhæret, ipſe Subt. Mag.) ſalvatur diſtinctio traddita à S.S.P.P. inter

remissionem culpæ, & solutionem totalis pœnæ debitæ etiam peccato veniali, nàm quando in hac vita remittitur peccatum veniale, non extinguitur tota pœna temporalis illi debita, sed commutatur in minorem, & hæc erit remissio mali culpæ, cuius habitualitas consistebat in obligatione ad pœnam temporalem condignam, & æqualem culpæ commissæ, atque immediatè orta ex actu præterito peccati: rursùs fit exactio alteriùs minoris pœnæ, in quam est facta commutatio maioris pœnæ debitæ; & hæc erit remissio mali pœnæ.

87 Arg. 10. fundamentum, vèl ratio habitualitatis peccati debet esse quid voluntarium in se, & non purè in causa; sed dignitas, seù obligatio ad pœnam est tantùm voluntaria in causa: ergo. Mai. constat; tùm, quia peccatum actuale debet esse voluntarium prædicto modo; àc proindè peccatum habituale, & ratio habitualitatis eius; cùm non videatur maior ratio de uno, quam de alio. Tum; quià aliàs non plùs voluntarij requiretur ad malum culpæ, quàm ad malum pœnæ. Min. etiàm patet; quia reatus, seù dignitas ad pœnam sequitur ad peccatum actuale per modum sequelæ, seù effectus eiusdem. Resp. neg. mai.: quia cùm habitualitas peccati sit effectus derelictus ex peccato actuali, ideò ad illam sufficit libertas in causa, & præterita, qua peccator usus fuit, cùm actu peccavit; seù satis est, quòd sit effectus illius, quod fuit in se voluntarium: ex quo patet disparitas intèr peccatum actuale, & habituale quoad modum libertatis. Patet etiàm disparitas intèr malum culpæ, & malum pœnæ; nàm ad istud sufficit, quòd occasionalitèr, & remotè ortum duxerit ex actu malo voluntario; sed malum culpæ actuale debet esse voluntarium libertate præsenti, & ad malum culpæ habituale, licèt sufficiat libertas actus mali præteriti, tamèn censetur eius effectus ità directè, ut ex ipso dicatur resultare proximè, & immediatè; & propterea censetur quid turpe in genere moris, ubi malum pœnæ est honestum, & iustum.

88 Arg. 11. fundamentum, vèl ratio habitualitatis peccati debet esse id, quo posito, efficimur formalitèr immundi, & maculati; sed huiusmodi non est obligatio, seù dignitas pœnæ: ergo. Conf.: per gratiam habitualem reddimur formalitèr mundi, sancti, àc Deo accepti: ergo per illius privationem reddimur formalitèr immundi, & maculati; & consequentèr &c. Ad arg. concef. mai.

mai., neg. min.; ſiquidèm per meritum, obligationem, ſeù dignitatem pœnæ, quatenùs eſt proximè, & immediatè à voluntate deficiente, àc terminus actionis peecaminoſæ, ſivè quatenùs cauſata, & contracta ex actu præterito peccati, eſt macula, & immundities animæ: ad modum quo qui patravit delicta inducentia infamiam, vèl exercuit viliſſima munera, licèt poſteà illa non exerceat, tamèn manet moraliter infamis, & vilis; ſic igitur ſe habet coram Deo, qui peccavit, & in peccato iacet, per hoc enim quòd manet obligatus, & dignus pœna damnationis, dicitur maculatus, immundus, àc Deo exoſus; ſicùt per oppoſitum quandò eſt ad vitam æternam ordinatus, & ipſa dignus, dicitur mundus, immaculatus, àc Deo acceptus. Ad conf. diſt. antec.: per gratiam habitualem, quatenus ex ordinatione Dei habet jus ad vitam æternam, & elevat hominem ad ipſam, reddimur formaliter mundi, ſanctificati, àc Deo accepti, conc.; per gratiam habitualem purè phyſicè ex natura rei conſideratam, neg. antec.; & diſt. conſeq.: per privationem gratiæ reddimur formaliter immundi, & maculati, quatenus illa privat jure, quod habet gratia ex ordinatione Dei, ad vitam æternam, ſivè quatenùs de facto non datur dignitas, & meritum pœnæ æternæ, niſi media privatione gratiæ ſanctificantis, conc.; quatenùs præcise privat habitu ſupernaturali, ſive qualitate phyſica gratiæ, ſeù quatenus abſolutè non poſſet dari dignitas, & meritum pœnæ abſque rigoroſa privatione gratiæ, neg. conſeq.; & aliam ſubillatam, quia ſi privari jure ad gloriam eſt macula animæ, tantò magis obligari ad pœnam damnationis erit macula eiuſdem. Igitur jus, & ordinatio ad gloriam eſt formaliter pulchritudo animæ, àc è contrà jus, & obligatio ad pœnam damnationis eſt macula, & immundities; & quoniàm ex Divina ordinatione tales effectus formales non exercentur in providentia præſenti, niſi medio habitu gratiæ, àc eius privatione, ideò privatio gratiæ concurrit, ſaltem materialiter, concomitanter, aût integraliter ad conſtitutionem habitualis peccati mortalis.

*** *** ***
*** *** ***

DISPUTATIO IX.

De ſecundo effectu peccati perſonalis, ſeu de reatu pœnæ.

QUÆSTIO UNICA.

An veniale peccatum cùm mortali coniunctum puniatur pœna æterna in inferno?

1 PRænotamus primò ex iàm dictis, quòd ex quolibet peccato actuali relinquitur, tanquàm eius effectus, vèl terminus, & *reatus culpæ*, qui eſt meritum, dignitas, ſeu obligatio paſsiva ad pœnam, prout dicens habitudinem ad culpam præteritam, ex qua fuit proximè contracta: & *reatus pœnæ*, qui eſt ordinatio, ſeu deputatio ad ipſam pœnam, prout dicens habitudinem ad pœnam ipſam, & proveniens a Divina voluntate ad puniendam culpam; niſi enim adeſſet culpa; non eſſet propriè pœna, nàm pœna propriè dicitur malum voluntati contrarium, àc propter culpam inflictum; quia ſi non eſſet voluntati contrarium, non eſſet malum, nèc pœnale, & ſi non eſſet propter culpam, eſſet quidem malum, paſsio, vel tormentum, ſed non propriè pœna; ſiquidèm ut inquit Subt. Doct. in Report. in 2. d. 19. q. un. num. 9. *Pœna ſolùm dicitur propriè aliquid inflictum ad puniendum in vindictam malefacti.* Quare mala, ſeu incommoda, quæ patiantur innocentes pro alienis peccatis, non ſunt propriè, ſed tantum latè pœnæ.

2 Prænot. 2. ex dictis in tract. de Dœmonijs diſp. 3. q. 1. quòd duplex pœna correſpondet peccatis perſonalibus; quarum una dicitur privativa, quia importat puram privationem alicuius boni, & talis pœna reſpectu peccati mortalis eſt in hac vita principaliter privatio gratiæ ſanctificantis, àc proindè amicitiæ, filiationis adoptivæ Dei, & juris ad æternam beatitudinem, atque in altera vita amiſsio æterna ipſius beatitudinis, quæ dicitur pœna damni; reſpectu verò peccati venialis eſt in hac vita diminutio fervoris charitatis, & in altera retardatio temporanea beatitudinis uſque dùm extinguatur debitum pœnæ temporalis debitæ ipſi peccato veniali. Altera dicitur pœna poſitiva, quia importat aliquid poſitivum pœnale; & talis pœna reſpectu peccati mortalis, in hac vita quoad culpam non dimiſsi, eſt præſertim in altera vita afflictio ſumma, & æterna ab igne, & tormen-

mentis inferni, tùm quoàd animam à die mortis uſque ad diem iudicij, tùm etiam in corpore poſt reſurrectionem generalem; reſpectu autèm peccati venialis illa pœna poſitiva in hac vita ſunt dolores, morbi, & pleraque alia affligentia, & inflicta per modum ſatisfactionis pœnæ temporalis debitæ ipſi peccato veniali; àc in altera vita eſt ignis purgatorius cùm alijs graviſsimis doloribus, qui proptèr peccata venialia infliguntur ad tempus; ſivè uſque dum pœna temporalis debita exolvatur. Cùm igitur peccato mortali, non dimiſſo in hac vita quoàd culpam, correſpondeat per ſe pœna æterna; peccato autèm veniali, ſivè remiſſo in hac vita, ſivè non remiſſo quoàd reatus culpæ, correſpondeat per ſe pœna temporalis; ideò merito dubitatur, & inquiritur: an peccatum veniale, ſaltèm per accidens, & ratione coniunctionis cùm mortali peccato, pœna æterna puniatur in inferno? Atque idem proportionaliter inquiritur circa peccatum mortale, dimiſſum quidem quoàd reatum culpæ, non verò extinctum in hac vita quoàd reatum pœnæ, atque coniunctum cùm alio mortali non dimiſſo quoàd reatum culpæ. Pro cuius difficultatis reſolut., ſit.

3 Concluſ.: peccatum, ſivè veniale, ſivè mortale, dimiſſum in hac vita quoàd culpam, in inferno non punitur per accidens pœna æterna, ſed temporali; imò nèc veniale, non dimiſſum in hac vita quoàd culpam, adhùc ratione coniunctionis cùm mortali; non punitur niſi temporali pœna. Utraque pars eſt N. Subt. Doct. in 4. d. 21. q. 1. quem ſequuntur communitèr Schotiſtæ, àc plures extranei, contra alios; quorum aliqui negant utramque; alij verò conceſſa prima negant ſecundam. Prob. igitur primò concluſ. quoad 1. part. ex Subt. Doct. cit.: pœna per ſe debita, & correſpondens peccato, ſivè veniali, ſivè mortali, dimiſſo in hac vita quoàd reatum culpæ, eſt temporalis: ergo nequit fièri æterna per accidens, & ratione coniunctionis cum peccato mortali non dimiſſo quoàd culpam, & puniendo in inferno pœna æterna. Prob. conſeq.: nullum peccatum punitur pœna æterna, quin ſit condignum tali pœnæ; ſed peccatum per ſe merens tantùm pœnam temporalem, non ſit condignum pœna æterna per coniunctionem cum alio merente æternam pœnam: ergo ſi pœna per ſe debita peccato, ſive veniali, ſive mortali, dimiſſo quoàd culpam, eſt tem-

poralis, nequit fieri æterna per accidens, & ex coniunctione cum mortali in æternum punibili. Mai. conſtat; quia Deus non punit ultrà; imò nèc ſtrictè iuxtà, ſed citrà condignum, iuxtà communè axioma Theologorum Prob. min.: tùm, quia coniunctio unius peccati cùm alio non facit quòd illud exeat extrà ſuos limites, & genus proprium ſui; ſed in infinitum extenſivè exiret extrà ſuos limites peccatum per ſe merens tantùm pœnam temporalem, ſi fieret condignum pœna æterna per coniunctionem cùm alio merente ipſam: ergo. Tùm, quia condignitas pœnæ talis, vèl tantæ, fundatur, & oritur ex malitia tali, & quanta culpæ; ſed malitia unius peccati non creſcit ex coniunctione cùm altero, ità ùt illud prius de levi fiat grave, vèl gravius: ergo.

4 Prob. ſecundò eadem pars ex ipſo Subt. Doct. cit.: qui eſt debitor alicuius pœnæ, & illam plenè ſolvit iuxtà menſuram taxationis factę, redditur immunis ab omni obligatione, & ſolutione ulterioris pœnæ; ſed pœna taxata à Deo pro peccato, tàm veniali, quàm mortali dimiſſo quoàd reatum culpæ, eſt temporalis, & finita nedùm intenſivè, ſed étiàm extenſivè, ſivè quoàd durationem: ergo elapſo tali tempore, & prętita ſolutione talis pœnę etiã, qui in inferno exiſtit non eſt debitor pœnæ ulterioris in vindictam talis peccati; & conſequenter &c. Conf. ex eodem Doct.: qui in hac vita ſolvit partem pœnæ temporalis debitæ peccato, ſivè veniali, ſivè mortali dimiſſo quoàd reatum culpæ, etiàmſi antè ſolutam totam pœnam in mortale recidivat, & in eo decedat, non eſt debitor pœnæ totalis, ſed tantùm partialis non ſolutæ; ſed hoc eſſet falſum, ſi ratione coniunctionis cùm novo mortali peccato puniretur æternaliter in inferno pro illo peccato dimiſſo quoàd culpam, & quoàd partem pœnę dimiſſo; ſiquidèm tùnc casùs eius pœna nedùm eſſet æqualis, ſed ſuperexcedens totam pœnam temporalem correſpondentem ipſi: ergo. Urg.: qui in hac vita ſolvit totam pœnam temporalem debitam peccato veniali, vèl mortali dimiſſo quoàd culpam, nullam pro tali peccato luit in inferno pœnam, quamvis in mortale recidivat, & in eo decedat; eò quia tota pœna temporalis illi debita fuit plenè ſoluta: ergo ſimiliter ſoluta in inferno pœna temporali debita, illo peccato dimiſſo quoad culpam, tale peccatum non punietur ulteriori pœna.

5 Prob. 3. eadem pars: duplici

plici ſolùm de cauſa poteſt pœna alicuius peccati eſſe æterna, nempe vèl quia peccatum ex ſua gravitate, & propria ratione meretur illam; vèl quia perſeverat moralitèr culpa, qua permanente, non poteſt ceſſare pœna; ſed nulla ex his cauſis poteſt ineſſe veniali, vèl mortali in hac vita remiſsis; ſiquidem veniale meretur tantùm pœnam temporalem, & in remiſsione mortalis fuit pœna æterna commutata in temporalem: ergo. Prob. mai.: ſi adeſſet alia cauſa æternitatis pœnæ maximè coniunctio cùm alio peccato talem pœnam merente; ſed hoc eſt falſum: ergo. Prob. min.: tùm, quia veniale, vèl mortale dimiſſum quoàd reatum culpæ ex coniunctione in via cùm mortali non dimiſſo non meretur pœnam æternam: ergo quia talis coniunctio non eſt eius cauſa, & conſequentèr nèc in inferno cauſat illam. Tùm, quia illa coniunctio adhùc in inferno non eſt cauſa intenſionis, ſeù augmenti intenſivi pœnæ pro peccato veniali, vèl mortali remiſſo quoad culpam: ergo nèc eſt cauſa extenſionis, ſeù æternitatis pœnæ. Tùm, quia illa coniunctio non eſt cauſa alicuius novæ malitiæ advenientis peccato veniali, vèl mortali dimiſſo quoàd reatum culpæ; ergo nèc æternitatis pœnæ, quæ in malitia, ſeù culpa debet fundari.

6 Secunda pars concluſ. prob. 1. ratione Doct. cit.: peccato veniali quoàd reatum culpæ non dimiſſo, nedum per ſe, & ſolitariè conſiderato, ſed etiàm per accidens, & cùm mortali coniuncto, non eſt condigna, ſed ſuperexcedens pœna æterna in inferno: ergo non illa punitur. Prob. antec.: peccato veniali quoad culpam dimiſſo, etiàm per accidens; & cùm mortali coniuncto, non eſt condigna, ſed ſuperexcedens pœna æterna in inferno: ergo ſimilitèr &c. Antec. patet ex probat. primæ part., & conceditur à pluribus aſſerentibus illam, & negantibus hanc ſecundam. Prob. conſeq.: tàm indebita, & ſuperexcedens eſt pœna æterna ob peccatum veniale dimiſſum, quàm non dimiſſum quoàd reatum culpæ; ſiquidèm ipſum, utpotè conjungibile cùm charitate, etiàm in actuali commiſsione non inducit debitum pœnæ æternæ; ſed aliundè coniunctio eius cùm mortali verificatur, ſivè ſit dimiſſum, ſivè non quoàd reatum culpæ: ergo ſi pœna æterna ſuperexcedit veniale dimiſſum quoàd culpam, & coniunctum cùm mortali, etiàm ſuperexcedit illud non dimiſſum, & cùm mortali coniunctum. Conf. ex eodem Doct.:

pec-

peccatum mortale quoàd culpam dimiſſum, quamvis coniungatur cùm alio non dimiſſo, punitur ſolùm pœna temporali; ut probatum manet, & conceditur à contrarijs, quos nùnc impugnamus: ergo veniale, etiam non dimiſſum quoàd culpam, & coniunctum cùm mortali, punitur in inferno ſola pœna temporali. Prob. conſeq.: quia mortale remiſſum quoàd culpam meretur tantùm pœnam temporalem, ideò & ſi coniungatur cùm alio non dimiſſo, non punitur pœna æterna in inferno; ſed veniale, etiàm non dimiſſum quoàd culpam, meretur tantùm pœnam temporalem: ergo.

7 Prob. 2. & impugn. fundamentum contrar.: ideò peccatum veniale, non dimiſſum in hac vita quoàd culpam, puniretur in inferno pœna æterna; quia cùm ſemper maneat quoàd reatum culpæ, debet etiam manere quoàd reatum pœnæ; ſed licet veniale non ſit dimiſſum in hac vita, quoàd culpam, poteſt dici, quòd non ſemper maneat quoàd illam; & quamvis ſemper maneat quoàd reatum culpæ, non ſequitur quòd maneat etiàm quoàd reatum pœnæ: ergo. Prob. min. quoàd 1. partem: tùm, quia culpa venialis permanens moraliter, nihil aliud eſt, quàm reatus, meritum, ſivè dignitas ad pœnam temporalem; ſed hæc poteſt totaliter ſolvi: ergo & peccatum veniale per eius ſolutionem dimitti in alia vita quoàd reatum culpæ. Tùm, quia ideò peccatum veniale, in hac vita non remiſſum, quoàd reatum culpæ, non poſſet in alia remitti, quia eius remiſsio neceſſario fieret per infuſionem gratiæ habitualis; ſed per illam non fit talis remiſsio, ſiquidem gratia compatitur cùm veniali peccato: ergo. Prob. illa 1. min. quoàd 2. part. primò: quantitas, vèl duratio pœnæ non correſpondet præcisè morali durationi culpæ, adhùc in via, & ſtatu merendi, & demerendi: ergo nèc in ſtatu termini; & conſequenter ex eo quòd peccatum veniale perſeveret quoàd reatum culpæ, non ſequitur quòd ſemper maneat quoàd reatum pœnæ. Prob. antec.: qui peccat, & in peccato habituali diù durat, non eò præcisè mereretur ampliorem pœnam, quàm ille qui ſtatim punitur poſt commiſſam ſimilem culpam: ergo.

8 Prob. ſecundo illa min. quoàd 2. part.: ideò permanente peccato veniali quoàd reatum culpæ, perſeveraret etiàm quoàd reatum pœnæ, adeo ut ſemper deberet de novo puniri; quia ſemper in

raret dignitas pœnæ, quæ eſt eſſentia, vèl paſsio culpę habitualis; ſed ex eo quod duret dignitas pœnæ abſolutè, & prę cisè, non ſequitur quòd ſemper debeat de novo puniri: ergo. Prob. min.: qui ſolvit totam pœnam, quam meruit ob aliquod crimen, ſemper dicitur dignus pœna ſoluta, & præterita, non tamèn ſolvenda, & continuata: ergo ex eo quod duret dignitas pœnę abſolutè, & præcisè, ſeù pœnæ temporalis debitæ peccato veniali, & iàm ſolutę, non ſequitur quòd ipſa pœna ſemper duret, ſeù quod tale peccatum debeat ſempèr de novo tali pœna puniri. Prob. antec.: tùm, quià qui ſolvit pœnam abſciſsionis manus v. g. propter immane delictum, ſemper dicitur dignus tali pœna, quamvis iàm ſit ſoluta, & non debeat ulteriùs affligi ipſa. Tùm, quià Doctor Eximius, poſtquam accepit ſemèl lauream Doctoratus, adhùc ſemper dicitur laurea dignus, non quia ſemper de novo ſit laureandus, ſed quia ſempèr retinet dignitatem ad gradum acceptum: ergo.

9 Prob. tertiò concluſ. quoad 2. part.: veniale coniunctum cùm ſolo originali non puniretur pœna æterna ſenſus; ſed tùnc maneret ſempèr quoàd reatum culpæ illud peccatum, in hac vita non remiſſum: ergo nèc coniunctum cùm mortali perſonali peccato punitur pœna ęterna in inferno. Mai. patet; quià aliàs homo carens mortali perſonali peccato haberet pœnam damnatorum, nempè damni, & æternam ſenſus. Min. conſtat ex doctrina contrariorum. Prob. 4: ſi actui ſupernaturali virtutis Moralis promitteret Deus beatitudinem annuam v. g. & actui virtutis Theologicę promitteret beatitudinem perpetuam; ille actus moralis ex coniunctione cùm Theologico, & ſempèr manente eius dignitate ad temporale præmium, non mereretur, nèc haberet niſi beatitudinem annuam, quam mereretur ſeiunctus ab actu Theologico: ergo paritèr de peccato veniali quoad pœnam eſt diſcurrendum. Prob. 5: ex oppoſita ſententia ſequeretur, poſſe aliquem æternalitèr in inferno puniri graviùs ob peccata venialia, quàm ob mortale; ſed hoc videtur inconveniens: ergo. Mai. conſtat; nam ſi ſupponamus, aliquem commiſiſſe decem peccata venialia, ob quę mereatur per ſe puniri temporaliter ut decem, & habeat unum mortale, propter quod mereatur puniri æternaliter ut quatuor; tùnc graviùs puniretur pro venialibus, quàm pro mor-

mortali peccato, ut eſt manifeſtùm. Min. etiàm patet; quià ſicut peccata venialia, quantumvis multiplicentur, nec per ſe, nèc per accidens poſſunt æquare unum mortale quoàd culpam, ita ſimiliter nèc quoad pœnam, quę debet eſſe proportionata.

10 Arg. 1. contrà 1. part. concluſ.: non remittitur pœna debita alicui peccato, quin reus exhibeat condignam ſatisfactionem pro tali debito; ſed exiſtens in inferno ob peccatum mortale, nequit exhibere condignam ſatisfactionem pro veniali, vèl mortali iàm remiſſo quoàd reatum culpæ: ergo pro illo punitur æternalitèr. Prob. min.: Satisfactio requirit opus meritorium; ſed iſtud non exercetur in inferno: ergo. Reſp. neg. mai. in ſenſu arg.; nam ad remiſſionem, vèl potiùs ſolutionem, & extinctionem pœnæ, non requiritur vera, & propria ſatisfactio; ſed ſufficit ſatispaſſio, quę datur in inferno, ubi damnati ſatiſpatiuntur quantum merentur.

11 Replic.: non poteſt dari ſatiſpaſſio in inferno, quæ ſit ſolutio, & extinctio pœnę debitę pro peccato veniali, aùt mortali quoàd culpam dimiſſo: ergo nulla eſt data ſolutio, & conſequentèr illud punitur in æternum. Prob. antec.: tùnc habetur ſatiſpaſſio pro culpis, quandò voluntariè, & æquanimiter toleratur pœna debita ipſis; ſed hoc non habetur in inferno, ubi damnati violenter, & involuntariè patiuntur: ergo. Prob. antec.: Tùm, quià alitèr homines iniquo animo ſuſtinentes in hac vita labores, & infirmitates, ſatiſparentur pro culpis, quod eſt falſum. Tùm, quià ideò pœna debetur, & iuſtè infligitur pro culpis, ut ponatur debita compenſatio, & ordinatio, àc per illam Deus glorificetur; ſed hoc non verificatur, quin pœna voluntariè toleretur; ergo. Tùm, quià pœna debet correſpondere culpæ, ut ipſam deleat; ſed culpa eſt eſſentialitèr voluntaria: ergo & pœna illius deletiva. Ad replic. neg. antec.; & mai. probat., ad cuius 1. probat. conced. quòd in hac vita non datur condigna ſolutio pœnæ, quin ſit voluntaria, imo & in ſtatu gratię, quià debet exhiberi per modum veręę, & propriæ ſatisfactionis; non autem ſatiſpaſſionis puræ, quę non debet acceptari voluntariè; imò quò magis eſt involuntaria, eo magis eſt cruciativa, & & ad punitionem magis apta. Ad 2. probat. conceſ. mai., neg. min., quia per ſolutionem etiàm involuntariam pœnæ fit debita compenſatio, &

ordinatio culpę, per æqualitatem inter voluntatem voluntariam culpæ, & acervitatem involuntariam pœnę, quæ æqualitas est obiectum iustitię vindicativæ; & sic compensatur honor Dei læsus, atque in ostensione suę iustitię glorificatur Deus à Beatis, iuxta illud Psalm: *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam.* Ad 3. probat. antec. dist. mai.: pœna debet per oppositum, & contrariè correspondere culpæ, conc.; debet correspondere omninò similitèr, & pariformitèr, neg. mai.; & concess. min., neg. conseq.; cùm potiùs sequatur oppositũ, scil. quòd cùm culpa sit voluntaria, pœna è converso debeat esse violenta, vèl saltèm non requirit, quod sit voluntaria.

12 Arg. 2. contrà eandem part. conclus.: in inferno nedùm nulla est redemptio, sed nec aliqua pœnarum mitigatio; sed hoc esset falsum, si peccatum, sivè mortale, sivè veniale, dimissum quoàd culpam, non puniretur pœna æterna: ergo. Mai. est communis Ecclesiæ sensus, fundatus in Script. & S.S. P.P., ac constat ex eo, quòd est status termini prorsùs invariabilis. Resp. dist. mai.: nulla est redemptio, nèc mitigatio per indulgentiam, vèl remissionem pœnæ solvendæ iuxtà debitum, conc.; nulla est mitigatio, seù cessatio per solationem exhibitam pœnæ debitæ, subdist.: nulla est redemptio, nec mitigatio pœnæ essentialis, conc.; pœnæ adhùc accidentalis, neg. mai.; & similitèr distincta min., neg. conseq..

13 Arg. 3. contrà 2. part. conclus.: peccata venialia, in hac vita non remissa, non remittuntur in inferno quoàd culpam: ergo nèc quoàd pœnam, ac proindè ista in æternum durat. Totum enthimema est probandum; & in primis antec. prob. primò: peccatum veniale nequit remitti sine mortali, cùm quo est coniunctum; sed damnatis non remittitur mortale quoad culpam: ergo. Prob. secundò: Existenti in termino non datur remissio peccati quoàd culpam; sed damnati sunt in termino: ergo. Prob. tertio illud antec.: remissio peccati non fit sine aliqua applicatione meritorum Christi; sed Christi merita non applicantur damnatis; undé dicitur: *in inferno nulla est redemptio*: ergo. Prob. 4. peccatum secundùm legem Dei ordinariam nunquam remittitur, nisi formalitèr, aùt virtualitèr retractetur; sed in damnatis nulla potest esse retractatio; quia voluntas eorum est inflexibilis, & obstinata in malo: ergo. Prob. iàm conseq. primi enthim. primo;

mò: proprietas commitatur neceſſariò eſſentiam; ſed reatus pœnæ ſe habet ut proprietas reatus culpæ: ergo ſi peccatum veniale permanet ſempèr quoàd culpam, etiàm quoàd pœnam. Prob. ſecundò eadem conſeq.; ideò ſemper durat peccatum mortale quoàd pœnam, quia manet ſempèr quoad culpam; hoc enim modo probant Patres æternitatem pœnæ convenire peccato mortali, ut docet Subt. Mag.: ergo idem dicendum erit de pœna peccati venialis in hac vita non dimiſſi, & permanente in æternum quoad reatum culpæ; iuſtum enim eſt, ut durante in eis culpa veniali, duret etiàm pœna correſpondens ipſi. Prob. 3. illa conſeq.: nihil inordinatum relinquit Deus in rerum natura, cùm ſit contrà perfectionem univerſi, quam ipſe intendit; ſed aliquid inordinatum relinqueret, ſi culpam in æternum durantem non puniret æternaliter; etenim culpa non poteſt niſi per pœnam ordinari. ergò.

14 Reſp. 1. neg. antec. propèr dicta num. 7. Ad 1. probat. antec. neg. mai.; quia peccatum veniale utpote compatibile cùm gratia ſanctificante, non conſiſtit in eius privatione, nèc eam connotat, unde cùm remittatur ſine infuſione gratiæ poterit remitti, quia remittatur mortale, ſeù quin infundatur gratia ſanctificans, quæ in infernum non deſcendit. Ad 2. probat. diſt. mai.: Exiſtenti in termino non datur remiſsio quoad culpam mortalem, quæ fuit voluntaria averſio, & excluſio ab ultimo fine conc.; non datur remiſsio quoàd culpam venialem, quæ non fuit talis averſio, præcipitium, ſeu receſſus, ſubdiſt.: non datur remiſsio per modum indulgentiæ, & condonationis, conc.; per modum ſolutionis pœnæ debitæ, qua extinguitur debitum illam ſolvendi, àc proindè reatus culpæ, neg. mai.; & conceſ. min., neg. conſeq. Ad 3. probat. diſt. limiliter mai.: remiſsio peccati per modum indulgentiæ, condonationis, aùt ſatisfactionis, non fit ſine applicatione meritorum Chriſti, conc.; remiſsio habita per param ſatisfactionem, & ſolutionem pœnæ debitæ, ſubdiſt.: non fit ſine aliqua applicatione, ſaltem ſecundum quid, meritorum Chriſti, quatenùs ex ipſis in via applicatis fuit peccator ordinatus ad pœnam temporalem, qua ſoluta remittitur culpa ex vi meritorum Chriſti applicatorum in via, conc., non fit ſine applicatione ſimpliciter, & facta in ſtatu in quo fit remiſsio peccati præcise, neg. mai.; & applicata diſtinct. ad min.; neg. conſeq.

Ad

Ad 4. probat. d ſt. mai.; peccatum nunquàm remittitur in via per modum indulgentiæ, condonationis, aùt ſatisfactionis, quin retractetur, conc.; nunquàm remittitur adhùc in termino per puram exactionem, ſolutionem, & ſatisfactionem totius pœnæ debitæ, neg. mai.; & conceſ. min. neg. conſeq.

15 Reſp. 2. ad argum. conceſ. antec., neg. conſeq.; ad cuius 1. probat. conceſ. mai.; diſt. min.: reatus pœnæ ſumptus propriè pro dignitate ad pœnam ſolvendam, vel ſolutam, eſt proprietas reatus culpæ, conc.; reatus pœnæ ſumptus impropriè pro pœna actuali, ſeù inflictione pœnæ, aùt pro dignitate ad pœnam præcisè ſolvendam, & non ſolutam, neg. min., & conſeq.; quia fit tranſitus à dignitate pœnæ ad pœnam actualem, quæ ſunt valdè diverſæ, ut patet ex num. 7. & 8. Ad 2. probat. conſeq. diſt. antec.: ideò præcisè, & adæquatè, manet ſemper peccatum mortale quoàd pœnam, quia manet quoàd culpam, neg. mai.; quia æternitas pœnæ peccati mortalis pendet potiùs ex ordinatione divina, quàm ex morali, & habituali permanentia culpæ, nàm hæc non addit aliquam rationem malitiæ, aùt novum meritum pœnæ; & quòd culpa quoquè mortalis permaneat (eu [illegible] damnatis àc nunquam remittatur in inferno, peneet etiam ex lege, & ordinatione Dei); ideo inadæquatè, & exigentialiter manet ſemper peccatum mortale quoàd pœnam, quia manet quoàd culpam, ſubd.: quia manet quoàd culpam, quæ eſt gravis, & magna offenſa Dei, ac fuit voluntaria averſio, & receſſus ſimpliciter ab ultimo fine, atque lapſus in præcipitium proprijs viribus irreparabile, àc proindè exigentialiter in alia vita irremiſsibilis, & merens æternam punitionem, conc.; quia manet quoàd culpam qualemcumque, neg. antec., & conſeq.; quia cùm venialis culpa ſit levis offenſa Dei, & non averſio, nèc receſſus ſimpliciter ab ultimo fine, nèc lapſus in præcipitium adeò profundum, & irreparabile ſicut mortale; ideò licèt peccatum veniale maneat ſemper quoàd culpam, non tamen quoàd æternam pœnam; nàm aliàs quoàd hoc nulla eſſet differentia inter talia peccata. Ad 3. probat. conſeq. conceſ. mai., diſt. min.: aliquid inordinatum relinqueret, ſi culpam in æternum durantem, & exigentem pœnam æternam, ſeù nunquàm ſufficienter punitam, non puniret æternaliter, conc.; ſi culpam in æternum durantem, & exigentem tantum pœnam tem-

Pœ-

poralem (ſeù aliquando ſufficienter puniram , non puniret in æternum , neg. min.; quia culpa dicitur per pœnam ordinari , quatenùs per ipſam punitur iuxtà proportionem, & meritum delicti ; & neg. conſeq..

16 Arg. 4.: ſi veniale non remiſſum in hac vita quoàd culpam , & coniunctum cùm mortali , puniretur in inferno pœna temporali , etiàm mortale non remiſſum puniretur pœna temporali ſenſus ratione converſionis ad bonum creatum ; ſed hoc non eſt dicendum : ergo. Prob. mai.: etiàm peccato mortali non remiſſo debetur per ſe ſola pœna finita ſenſus ratione converſionis ad bonum commutabile , licèt ſit coniuncta cùm averſione à bono incommutabili , ratione cuius debetur ipſi pœna infinita extenſivè : ergo ſi ideò peccatum veniale , coniunctum cùm mortali , punitur ſola pœna temporali , quia talis pœna eſt per ſe debita ipſi ; pariter &c. Reſp. neg. mai. , & antec. probat.; tùm , quia pœna ſenſus debetur per ſe peccato mortali, non tantùm ratione converſionis ad creaturam , ſed etiàm ratione averſionis à Deo , & ideò talis pœna in peccato mortali debet eſſe infinita extenſive, ſeù quoàd durationem. Tùm , quia coniunctio peccati venialis cum mortali in eodem ſuppoſito eſt omninò per accidens ; àt coniunctio converſionis cùm averſione in eodem peccato mortali eſt intrinſeca, & per ſe ; nàm re ipſa totum peccatum mortale ſub utraque conſideratione eſt unum irreparabile malum , & ideò correſpondet una integra pœna perpetua. Tùm , quia veniali conſiderato ſecundùm omnem rationem , quam intrinſecè includit , non debetur niſi pœna temporalis; attamen converſioni peccati mortalis ſecundùm omnem reſpectum , quem intrinſecè includit , nempè contemptus finis ultimi , debetur ipſi pœna æterna ; atque adeò eſt diſparitas notoria.

17 Arg. 5.: quòd pœna pro peccato veniali impoſita ſit temporalis , non obeſt ut per accidens puniatur pœna æterna : ergo. Prob. antec. primò: quòd Sacramenta Baptiſmi , & Pœnitentiæ ſint inſtituta ad cauſandam primam gratiam, non obeſt ut per accidens conferant ſecundam; nèc quòd alia Sacramenta ſint per ſe cauſativa ſecundæ gratiæ obeſt , ut per accidens cauſent primam: ergo pariter &c; præſertim cùm ſicùt pœna pro peccato veniali eſt à Deo impoſita, & ordinata , ità collatio gratiæ in Sacramentis eſt à Deo inſtituta. Prob. ſecundò illud antec.:

quòd

quòd purgatorium, & non internus ſit locus per ſe debitus, & deſtinatus pro peccato veniali, non obeſt ut per accidens, & ex coniunctione cùm mortali, puniatur in loco ſibi per ſe non debito, nempè in inferno: ergo ſimilitèr &c.

18 Reſp. neg. antec.; ad cuius 1. probat. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia cùm collatio gratiæ in Sacramentis proveniat principalitèr ex ſumma liberalitate, & miſeratione Dei, non autèm ex æqualitate rei creatæ, vèl operis â creatura exhibiti, cùm collatione gratię, ideò ſtat quam optimè illa doctrina de Sacramentis; at cùm inflictio pœnæ ſit actus iuſtitiæ vindicativæ ſupponens æqualitatem, & condignitatem culpæ reſpectu pœnæ; ideò nequit ſtare, quòd peccatum, cui per ſe debetur tantùm pœna temporalis, puniatur per accidens pœna æterna; quia aliàs non citrà, ſed ultrà condignum puniretur, quod non eſt dicendum. Ad 2. probat. antec. conceſſo etiam antec., neg. conſeq.; quiâ revera in illo caſu non detruditur homo in infernum propter peccatum veniale, ſicut pro illo, & propter illud puniretur æternalitèr. Tùm, quia quod per ſe, & principalitèr attenditur tamquam obiectum iuſtitiæ vindicativæ, & æqualitas culpę, & pœnæ, quæ non ſervatur ſi peccatum veniale, cui per ſe debetur; & correſpondet ſola pœna temporalis, puniretur pœna æterna per accidens, & ex coniunctione cùm mortali; at locus ſupplicij reſpicitur per accidens, dùm aliàs pœna correſpondet, & eſt æqualis culpę, quę per accidens punitur in loco ſibi non debito, quia per accidens coniungitur cùm alia exigente talem locum.

DISPUTATIO X.

De Peccato Originali.

QUÆSTIO I.

Quid ſit peccatum originale contractum à poſteris Adæ?

1 SUpponimus primò, nomine peccati originalis intelligi illud, quod ab omnibus (ſola Deipara excepta) ab Adamo per naturalem generationem deſcendentibus contrahitur in ipſo inſtanti, in quo anima corpori infunditur; & dicitur originale peccatum, non quia ſit origo cœterorum, ſed quia origine, ſeù naturali generatione transfunditur; vèl quia à prima origine, id eſt, ex primo noſtro parente contrahitur. Supp. 2. tanquàm fide certum;

dari huiuſmodi peccatum; ut conſtat ex ſacra Script., Conciljs, & S.S. P.P; illud que habere veram, & propriam rationem maculæ, culpę, ſeù peccati proprij unicuique proùt definit Conc. Trid: Seſ. 5. in Decreto de peccato originali. Ratio eſt; quia Adamus ex ordinatione, & peccato Dei conſtitutus fuit caput morale omniùm deſcendentium ab ipſo per naturalem generationem, in cuius voluntate alligavit omnium poſterorum voluntates, adeò ut per hanc alligationem voluntas Adæ, tanquàm capitis moralis, fuerit virtualitèr, & interpretativè voluntas omnium poſterorum in ordine ad ea, quæ pertinebant ad conſervandam, vèl amittendam iuſtitiam originalem, ipſi Adamo, & eius poſteris conceſſam, & promiſſam ſub conditione obſervantiæ præcepti Adamo impoſiti de non comeſtione ligni vetiti, ut patet ex illo: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.*

2 Quod autèm talis conſtitutio, & alligatio potuerit à Deo fieri patet ex eo, quòd ſi Legislator humanus poteſt transferre, vèl ligare voluntatem Pupilli in voluntatem Tutoris, vèl Curatoris, adeò ut Pupillus teneatur ratum habere quidquid Tutor diſponit, ut conſtat ex Leg. *Cum plures. ff. de adminiſt. Tutor.*; ac ſi votum emiſſum à Capitibus Reipuplicæ tenentur eius membra obſervare; & ſi quilibet homo poteſt transferre ſuum conſenſum in voluntatem alterius, ita ut quod alter geſſerit, cenſeatur factum etiàm voluntariè ab ipſo; potiori jure Deus, qui habet in ſua poteſtate voluntates hominum magis, quàm ipſi noſtras, ratione ſui ſupremij dominij in omnium hominum voluntates potuit Adamum conſtituere, & de facto conſtituit perſonam publicam, & caput totius humanæ reipublicæ, atque in eius voluntate includere voluntates omnium poſterorum, adeò ut voluntas Adæ fuerit virtualitèr, & interpretativè voluntas cœterorum ab eo deſcendentium per naturalem generationem, quantùm ad conſervandam, vèl amittendam iuſtitiam originalem per obſervantiam, vèl transgreſsionem præcepti impoſiti de non comeſtione fructus ligni vetiti.

3 Quarè illa transgreſsio, quæ reſpectu ipſius Adami fuit libera phyſicè, & in ſe, ac proindè peccatum actuale in ipſo inſtanti commiſsionis, ac poſtea peccatū habituale perſonale; reſpectu poſterorum fuit libera moralitèr, virtualitèr, & in alio, nempè in voluntate

luntate Adami, cui alligatæ fuerunt voluntates posterorum, ac proindè est peccatum originale respectu ipsorum; & ut inquit Subt. Doct. in 2. d. 22. q. un., non comparatur peccato actuali, quod elicitur physicè ab ipsa voluntate peccantis, sed potiùs peccato quiescenti in anima, seù habituali, quia est macula originalis derelicta ex peccato Adami tanquàm capitis, & contracta à posteris in ipso instanti unionis animæ cùm corpore; & hoc est originale peccatum habens veram, & propriam rationem maculæ, & traductum in posteros per seminalem propagationem via communis generationis; ut patet ex Conc. Trid. sess. 6. can. 3. dicente: *Homines, nisi ex semine Adæ propagati nascerentur, non nascerentur iniusti, cùm ea propagatione per ipsum, dùm concipiuntur, propriam iniustitiam contrahant.*

4 Quoniam verò tota difficultas huius quæst. consistit in assignanda ratione quidditativa huius peccati; breviter reijciendi sunt nonnulli errores; ac etiàm aliquæ opiniones minùs probabiles, vèl iàm alibi impugnatæ, ut circà probabiliores, & in Scholis magis controversas versari possimus absque temporis iactura. Supp. igitur 3. peccatum originale non esse ipsam substantiam naturæ humanæ secundùm se corruptam; quod fuit delirium aliquorum hæreticorum. Ratio est; tùm, quia Conc. Trid. sess. 5. definit, *per Baptismum tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet*; sed nihil substantiale animæ rationalis, vèl naturæ humanæ aufertur per Baptismum: ergo originale peccatum non consistit in ipsa substantia naturæ humanæ corrupta per peccatum Adami. Tùm, quia homo infectus, & homo mundatus à peccato originali, sunt eiusdem speciei substantialis: ergo. Tùm, quia ille error coincidit cùm amentia Manichæorum dicentium, peccatum esse quandam substantiam, vèl naturam. Tùm, quia sequeretur quòd Deus esset causa specialis peccati; cùm sit per se causa naturæ humanæ: ergo.

5 Supp. 4, peccatum originale non consistere formaliter in concupiscentia, & fomite naturæ humanæ, ad malum ipsam inclinante; prout erroneè asserunt Lutherani, & Calviniſtæ. Prob.: Tùm, quia iuxtà Apost. ad Rom. 8: *Nihil damnationis est in his, qui renati sunt in Christo*; & iuxtà Trid. cit.: *per Baptismum tolli-*

tur totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet; ſed in renatis per Baptiſmum remanet concupiſcentia, & fomes; ſiquidem ipſe Apoſt. ad Rom. 7. ait: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ſcil. concupiſcentiam, & fomitem; & Trid. cit. inquit: *Manere autem in baptizatis concupiſcentiam, vèl fomitem, hæc Sancta Synodus fatetur, & ſentit*: ergo talis concupiſcentia, vèl fomes non eſt peccatum originale. Tùm, quia eatenùs concupiſcentia eſſet peccatum, quatenùs inclinat ad malum; ſed hoc non probat; nàm aliàs habitus vitioſi eſſent formalitèr peccata; quod eſt abſurdum, cùm illi maneant in iuſtificato: ergo. Tùm; quia concupiſcentia eſt effectus, & pœna peccati originalis, & cauſa peccati actualis; proùt docet M. P. Aug. lib. 6. contrà Julianum cap. 5. ex illis verbis D. Jacobi: *Unuſquiſque verò tentatur à concupiſcentia ſua:: deindè cùm conceperit, parit peccatum*: dicens: *Concupiſcentia pœna peccati eſt, quia reddita eſt meritis inobedientiæ*: ergo. Nec obſtat, quod Apoſt. concupiſcentiam appellat peccatum; nàm inquit Trid. cit.: *Hanc concupiſcentiam, quam aliquandò Apoſtolus peccatum appellat, Sancta Synodus declarat, Eccleſiam Catholicam nunquàm intellexiſſe peccatum appellari, quòd verè, & propriè peccatum ſit; ſed quia ex peccato eſt* (ſcil. originali), *& ad peccatum inclinat* (nempè actuale.)

6 Supp. 5, peccatum originale non eſſe quandam qualitatem morbidam, & peſtiferam, ex peccato Adæ in carne inſitam, & ex carne in animam; proùt docuerunt aliqui Catholici antiqui, quos impugnat Subt. Doct. in 2. d. 32. q. un.. Prob. ſuppoſitio: tùm, quia illa qualitas maximè foret cauſa inclinationis ad malum, & languor ad bonum, prout Adverſ. dicunt; ſed talis inclinatio, & languor manet poſt Baptiſmum, per quem tollitur originale peccatum: ergo. Tùm, quia illa qualitas deberet habere cauſam efficientem; ſed hæc nequit aſsignari; cùm utpotè formalitèr mala in genere moris, nequeat à Deo cauſari; nèc etiam à peccato Adami, utpotè phyſicè non exiſtenti, qualitèr requiritur ad productionem qualitatis: ergo. Tùm, quia non apparet percepti-bile, quòd tot annorum ſpatio, & per tot generationes non fuerit conſumpta illa qualitas. Tùm, quia illa qualitas, vel eſſet corporea, & non poſſet recipi, nèc inficere animam; vel.

vèl eſſet ſpiritualis, & non poſſet inſeri; aùt inhærere carni, nèc in ea virtualiter contineri, nèc ab ea efficientèr cauſari: ergo.

7 Supp. 6., peccatum originale non eſſe ipſum actuale Adami peccatum, eius poſteros denominans extrinſecè peccatores; prout docent aliqui. Prob.: Tum, quia peccatum Adæ eſt radix, & cauſa peccati originalis in poſteris; ut conſtat ex Apoſt. ad Rom. 5. dicente: *Per unius hominis inobedientiam peccatum intravit in mundum*; ubi ly *per* ſignificat cauſalitatem, ſed idem non eſt cauſa ſui: ergo. Tùm, quia iuxtà ipſum Apoſt. ibi: *Sicùt per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi; ità & per unius obeditionem iuſti conſtituentur multi*; ſed non conſtituimur formaliter, ſed efficientèr iuſti per Chriſti obedientiam, & iuſtitiam: ergo nèc conſtituimur formaliter peccatores per ipſum peccatum inobedientiæ Adami, denominans poſteros tantùm extrinſecè. Tùm, quia Trid. cit. expreſsè docet: *Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſum omnibus, id eſt, unicuique proprium*, &c; ſed ſi tantùm extrinſecè denominaremur peccatores à peccato actuali in Adamo dumtaxàt exiſtente, non poſſemus ſinguli dici peccatores peccato in nos tranſfuſſo, nobis inexiſtente, & unicuique proprio: ergo. Tùm, quia licèt poſteri Adæ ſolùm fuerimus peccantes in primo Parente, tanquàm in capite; tamèn dicimur, & ſumus verè, & propriè originaliter peccatores in nobis ipſis; ſed per formam purè extrinſecam nobis, & tantùm intrinſecam capiti, non poſſumus conſtitui peccatores in nobis ipſis, ſed ſolùm in capite; ſicùt hac de cauſa ſolùm peccavimus in capite, & non in nobis formaliter, quia actuale peccatum non fuit aliquid nobis intrinſecum: ergo ut ſimus originaliter peccatores, non purè in alio, ſed in nobiſmetipſis, aliquid intrinſecum morale debet recognoſci, in quo conſiſtat culpa originalis.

8 Supp. 7. peccatum originale non conſiſtere formaliter in aliquo termino poſitivo morali, ex actuali tranſgreſſione Adami, prout fuit noſtra, relicto, quo conſtituamur poſitivè legi difformes, realiter averſi à Deo, & converſi ad creaturam; prout docet Ill. Godoy. Prob.: ideò, iuxtà ipſum, peccatum originale conſiſtit in poſitivo, quia in poſitivo ſtetit peccatum habituale Adami; & ideò iſtud

ſtetit in poſitivo, quia in poſitivo ſtetit peccatum illius actuale; ſed falſum eſt, quòd peccatum actuale Adami, ſicùt & cuiuslibet alterius, in poſitivo ſtetit; ut probatum manet in 1. diſp. huius tract. quæſt. 4: ergo. Supp. 8, peccatum originale non eſſe peccatum Adæ, ut moralitèr perſeverans in ordine ad poſteros, quibus eſt moralitèr intrinſecum, quodque in illis permanet ratione non condonationis; proùt aſſerunt plures. Ideò, iuxtà illos, peccatum originale eſt peccatum Adami permanens moralitèr in poſteris, non condonatum ipſis, ſeù cuius permanentia moralis conſiſtit in non condonatione; quia peccatum habituale eſt ipſum peccatum commiſſum, & non condonatum; ſed hoc eſt falſum, ſiquidèm negatio condonationis ſupponit conſtitutum formaliter peccatum habituale; ut conſtat ex dictis diſp. 8.: ergo ſimiliter, cùm negatio condonationis peccati originalis ſupponat ipſum conſtitutum, & contractum à quolibet ex poſteris Adæ; nequit formaliter conſiſtere eius permanentia moralis in tali negatione. His igitur ſuppoſitis, ſit

9 Prima concluſ.: peccatum originale non conſiſtit formaliter in privatione Sanctitatis, & iuſtitiæ originalis, orta ex peccato Adæ; ſivè iuſtitia originalis ponatur indiſtincta à gratia ſanctificante, ſivè ponatur diſtincta, & connexa. Eſt contrà plurimos Thomiſtas, àc etiàm contra plures Scotiſtas; eam tamèn tenent plurimi Thomiſtæ, Jeſuitæ, & Scotiſtæ, & ea nobis videtur maximè conformis principijs Scoticis. Pròb. 1: gratia, & peccatum non opponuntur phyſicè ex natura rei, ſed tantùm moralitèr, & demeritoriè; atque adeò abſolutè poſſent compati ſimùl, & peccatum poſſet tolli ſine gratia; ſed gratia, & eius privatio repugnant ſimùl, ut eſt manifeſtum: ergo privatio gratiæ non eſt formaliter peccatum actuale, nèc habituale, ſed effectus, & pœna peccati: ergo nèc privatio iuſtitiæ originalis, ſivè indiſtinctæ, ſivè connexæ cùm gratia habituali, eſt formaliter peccatum habituale. Maior eſt doctrina Scotiſtarum cùm Subt. Doct., tradenda in tract. de Juſtificatione. Min. conſtat ex terminis, quia gratia, & eius privatio opponuntur contradictoriè. Prima conſeq. eſt legitima, & ſupra manet probata. Secunda eſt evidens paritate rationis.

10 Prob. 2. peccatum originale debet conſiſtere propor-

portionalitèr in eo, in quo ſtetit peccatum actuale, & habituale Adami; ſed iſtud non ſtetit formalitèr in privatione iuſtitiæ originalis, ſivè indiſtinctæ à gratia, ſivè connexę cum ipſa: ergo. Mai. conſtat; quia licèt peccatum originale ſit diſtinctum ab actuali, & habituali Adæ, & transfuſſum, ac proprium nobis; tamèn debet eſſe eiuſdem rationis proportionalitèr, cùm conſiſtat in eo, quòd noſtræ voluntates, utpote virtualitèr, & moraliter voluntas illius tanquàm capitis, conſenſerint, & contraxerint originalitèr illud peccatum, quod in Adam fuit actuale, & habituale perſonale. Min. patet ex dictis, tàm in 1., quàm 8. diſput., loquendo de conſtitutivo peccati actualis, & habitualis in communi. Prob. 3.: privatio iuſtitiæ originalis, ſivè indiſtinctę, ſive connexę cùm gratia habituali, non eſt culpa, ſed pœna culpæ originalis: ergo iſta non conſiſtit formaliter in illa privatione. Prob. antec.: ita ſe habet privatio iuſtitiæ originalis reſpectu originalis culpæ, ſicut privatio gratiæ ſanctificantis reſpectu peccati actualis, & habitualis; ſed privatio gratię ſanctificantis non eſt formaliter culpa, ſed pœna, & effectus peccati, tam actualis, quam habitualis; ut patet ex dictis in diſp. 8.: ergo. Prob. mai.: ſicut ideò Deus vult privare nos gratia habituali, quia peccamus, & permanemus moraliter in peccato commiſſo; ita vult privare nos iuſtitia originali; quia habemus peccatum originale: ergo.

11 Conf.: privatio iuſtitiæ originalis, & Sanctitatis non fuit formalitèr culpa actualis, nèc habitualis Adami, ſed pœna, & effectus culpæ etiàm habitualis: ergo nèc talis privatio eſt culpa originalis in nobis, ſed effectus, & pœna eiuſdem. Antec. conſtat; quia peccatum actuale, & habituale Adami, in quantùm tale, fuit eiuſdèm rationis, àc quodlibet aliud peccatum actuale, & habituale; ſed peccatum, tàm actuale, quàm habituale non conſiſtit in privatione originalis iuſtitiæ, nèc gratiæ habitualis; quia potiùs talis privatio eſt effectus, & pœna peccati, nedùm actualis, ſed etiam habitualis, ut probavimus in 8. diſp.: ergo. Conſeq. primi enthimematis patet; quia illud, quod in Adam fuit peccatum habituale, eſt originale in nobis; ſeu iſtud eſt eiuſdem rationis cùm illo, àc proindè conſiſtit formaliter in eodem: undè cùm peccatum, nec actuale, nèc habituale Adami ſteterit formaliter in priva-

tione iuſtitiæ originalis, ſivè indiſtinctæ, ſivè connexę cùm gratia ſanctificante; nèc etiàm peccatum originale poteſt conſiſtere formalitèr in tali privatione. Urg.: ſi Adam fuiſſet obediens, transfudiſſet in nos iuſtitiam originalem, & ſanctitatem; ſed tùnc casùs eius obedientia non fuiſſet formalitèr ipſa originalis iuſtitia, vèl ſanctitas transfundenda, ſed meritum transfuſsionis eiuſdem: ergo privatio illius iuſtitiæ, & ſanctitatis non eſt illud demeritum, ſeù peccatum, ſed effectus illius.

12 Prob. 4.: in ſtatu purę naturę poſſet dari peccatum originale; ſed tùnc non eſſet iuſtitia originalis, nèc gratia habitualis: ergo peccatum originale non conſiſtit formalitèr in tali privatione. Mai. conſtat; quia in illo ſtatu potuiſſet Adamus conſtitui perſona publica, & caput morale poſterorum, ab eo per communem generationem deſcendentium, quorum voluntates alligarentur voluntati illius; cùm hoc non videatur repugnare in illo ſtatu. Min. etiàm patet; quia in illo ſtatu non daretur debitum, nèc vera privatio alicuius doni ſupernaturalis, uti eſt iuſtitia originalis, & gratia habitualis. Conſeq. eſt legitima; quia eſſentiæ rerum ſunt invariabiles, ac independentes à qualibet ſuppoſitione, quæ non implicet per locum intrinſecum, ſicùt non implicat in præſenti. Prob. 5. præſertim contrà Scotiſtas contrar.: ſi peccatum originale conſiſteret formalitèr in privatione iuſtitiæ originalis, non ſolùm anima mediante voluntate, ſed etiàm omnes potentiæ ſenſitivæ, ac ipſa caro hominis eſſet proprium ſubiectum culpæ originalis; ſed hoc eſt falſum, ut probat Subt. Doct. in 2. d. 32.: ergo. Prob. mai.: non ſolùm anima, mediante voluntate, ſed etiàm omnes potentiæ ſenſitivæ completè ſumptæ, ac proindè ipſa caro hominis eſt ſubiectum proprium iuſtitiæ originalis, adæquatè ſumptæ, atque adeò eius privationis; ut probatum manet in tract. de Stat. naturæ diſp. 3. q. 4.: ergo. Reſponſiones Adverſ. poterunt impugnari ex dictis in diſp. 8., quæſt. unic., ſect. 1.; ac etiam poterunt efformari aliæ probationes pro hac concluſ.; præſertim ad hominem contrà Maſtrium, & alios Scotiſtas, qui ibi excludunt privationem gratiæ ſanctificantis, ut inductam ex peccato actuali, à formali conſtitutivo peccati habitualis; hic autem aſſerunt, peccatum originale conſtitui per privationem iuſtitiæ

titiæ originalis, & gratiæ habitualis, quod videtur nobis, parum consequenter dici, & minùs conformiter ad principia noſtræ Scholæ.

12 Arg. 1.: Concil. Trid. loquens de peccato originale, illud appellat mortem animæ; ſed talis mors conſiſtit formaliter in privatione iuſtitiæ originalis, & gratiæ ſanctificantis: ergo. Item ipſum Concil. vocat peccatum originale amiſsionem, ſeù privationem iuſtitiæ, & ſanctitatis: ergo, iuxtà Conc., in tali privatione conſiſtit. Conf.: D. Anſelmus lib. 1. *de Concept. Virg.* cap. 27. allegatus à Subt. Doct. in 2. d. 32. q. un. num. 7. ait: *Per peccatum, quod originale dico, aliud intelligere nequeo in ipſis infantibus, niſi factam per inobedientiam Adæ iuſtitiæ debitæ nuditatem*: ergo iuxtà D. Anſelm., peccatum originale conſiſtit formaliter in privatione iuſtitiæ debitæ, nempè originalis, ut ait Subt. Doct. Præterea ipſe Subt. Doct. in eodem 2. d. 30. q. 2. inquirens: *Utrùm iſtud peccatum* (nempè originale) *ſit carentia originalis iuſtitiæ?* Reſpondet, & reſolvit: *Peccatum originale non poteſt eſſe aliud, quam iſta privatio*: ergo iuxtà Scotum &c.

13 Ad arg. reſp. ad 1. ex Conc. explic. mai.: illud appellat mortem animæ, quia cauſaliter, & demeritoriè illam inducit, & eam continet identicè, aùt connexivè, conc.; quia formaliter, & conſtitutivè ſit talis mors animæ, neg. mai.; quia etiàm peccatum actuale Adami fuit mors ſibi, & nobis, & tamèn non fuerit formaliter in tali morte, ſeù privatione vitæ ſpiritualis, ſed eam cauſavit, & induxit, tanquàm effectum, & pœnam debitam; & conceſ. min., neg. conſeq.. Ad 2. ſimiliter explic. antec.: Conc. vocat peccatum originale amiſsionem iuſtitiæ, & ſanctitatis, quia eam cauſat, & inducit, vèl illam includit identicè, & connexivè, conc.; quia ſit talis amiſsio formaliter conſtitutivè præcisè, neg. antec.; ſiquidèm Conc. aſſerit, Adam per inobedientię peccatum ſibi, & nobis perdidiſſe iuſtitiam, & ſanctitatem, ſeù induxiſſe earum privationem, quam ſicut & mortem, ponit ut effectum, & pœnam conſecutam ad eſſentiam peccati.

14 Ad conf. explic. illud D. Anſelmi: per peccatum originale, aliud intelligere nequeo à poſteriori, ſeu ab effectu notificante illud, niſi iuſtitię debitę nuditatem, conc.; aliud intelligere nequeo à priori, & conſtitutivè metaphyſicè, ſubd.; niſi iuſtitiæ de-

debitæ nuditatem, nempè privationem rectitudinis debitæ, in nos transfuſſam per generationem, ſeù contractam ab origine, conc.; niſi iuſtitiæ debitæ nuditatem, ſcil. privationem habitus, vèl habituũ iuſtitiæ originalis, ſivè indiſtinctè, ſivè connexæ cùm gratia ſanctificante, neg. hãc eſſe mẽtem D. Anſelmi; nàm in eodem lib. cap. 3. docet, peccatum originale, & iuſtitiam, quæ opponitur tali peccato, eſſe in voluntate; iuſtitia verò originalis, adæquatè ſumpta, eſt in omnibus potentijs hominis, ut probavimus in tract. *de Statibus naturæ*. Quare diſt. ſimiliter conſeq.: peccatum originale conſiſtit formaliter in privatione iuſtitiæ originalis, ſumpta pro carentia rectitudinis debitæ transfuſſa per generationem, ſeù contracta ab origine, conc.; in privatione iuſtitiæ originalis, ſumpta pro carentia habitus, vèl habituum originalis iuſtitiæ, qualiter ſumitur in præſenti, & accipitur à contrarijs, neg. conſeq.

15 Ad illud ex Subt. Doct. reſp. cùm N. Rada in 2. cont. 16. explic. eius authorit.: peccatum originale nequit eſſe aliud, quàm privatio iuſtitiæ originalis, ſumpta pro carentia rectitudinis debitæ, tranſfuſſa per generationem, ſeù contracta ab origine, conc.; ſumpta privatione iuſtitiæ originalis pro carentia habitus, vèl habituum iuſtitiæ originalis, ſubd.: nequit eſſe aliud connexivè, & à poſteriori, conc. conſtitutivè, & à priori, neg. hanc eſſe propriam mentem Doct.; tùm, quia peccatum originale comparat peccato habituali, de quo aſſerit, non conſiſtere formaliter in privatione iuſtitiæ habitualis, ſed in privatione rectitudinis debitæ permanente moraliter in reatu, ſeù merito pœnæ. Tùm, quia docet, peccatum originale non repugnare metaphyſicè, nèc ex natura rei eſſe incompatibile cùm iuſtitia originali, adhùc connexa cùm gratia habituali; quod eſſet falſum, ſi conſiſteret in eius privatione; cùm forma, & privatio ſint metaphyſicè repugnantes. Tùm, quia iuxta Scotum, peccatum originale poteſt de potentia abſoluta remitti per condonationem extrinſecam, & ſine infuſione iuſtitiæ originalis, àc etiàm gratiæ ſanctificantis; privatio autèm nequit tolli niſi per introductionem formæ oppoſitæ. Tùm denique, quia Scotus aſſerit, voluntatem eſſe immediatum, & proprium ſubiectum originalis culpæ; de iuſtitia autèm originali docet, quòd licèt potiſsimum fuerit

in

in voluntate, tamèn fuit etiàm in ſingulis alijs potentijs, tamquàm in proprijs ſubiectis delectabilitèr ſubijcibilibus ad rationem per habitum, ſeù donum ſpeciale iuſtitię originalis, ut conſtat ex allegatis loc. cit. in tract. de Statibus naturę. Quarè dùm Subt. Doct. inquit, quòd *peccatum originale non eſt aliud*, vèl *eſt formalitèr carentia iuſtitię originalis debitę*; talia verba non ſunt intelligenda, ut ſonant, & proùt ſignificant carentiam habitus, vèl doni iuſtitiæ originalis; ſed quatenùs denotant carentiam rectitudinis debitæ, transfuſſam per generationem, & contractam ab origine: ad modum quo peccatum habituale eſt formalitèr privatio iuſtitiæ habitualis; non quidèm ſumpta pro carentia habitus gratiæ, ſed rectitudinis debitæ permanente moralitèr, & habitualitèr; ut conſtat ex ipſo contextu Doct.

16 Arg. 2.: peccatum originale debet conſiſtere formalitèr in aliquo, poſteris Adæ intrinſeco; ſed hoc nequit eſſe aliud, quàm privatio iuſtitiæ originalis relicta ex Adæ peccato: ergo. Mai. conſtat; quia iuxta Trid. peccatum originale ineſt unicuique proprium; nihil autèm dicitur alicui ineſſe, niſi ſit intrinſecum ipſi. Prob. min.: tale intrinſecum nequit eſſe aliud quàm macula, defectus; ſivè privatio nitoris originalis animæ; ſed originalis nitor, ſeù pulchritudo animę eſt iuſtitia originalis: ergo. Reſp. diſt. mai.: debet conſiſtere formalitèr in aliquo, poſteris Adę intrinſeco moralitèr, conc.; intrinſeco præcisè phyſicè, neg. mai.. vèl conceſ. mai.; neg. min.; ad cuius probat. conceſ. mai., diſt. min.: originalis nitor, ſeù pulchritudo animæ eſt iuſtitia originalis, vèl potiùs annexa gratia habitualis, quatenùs ex Divina ordinatione reddit hominem amicum Dei, & eius amore dignum, ac præſtat jus ad vitam æternam, conc.; quatenùs eſt quidam habitus phyſicè ex natura rei nudè ſumptus, neg. min.; & conſeq. quia illud intrinſecum, vi cuius homo redditur maculatus, & ſordidus, eſt formalitèr defectus rectitudinis debitæ permanens moralitèr in reatu odij divini, & merito pœnæ, habens annexam privationē gratię; ut conſtat ex dictis diſp. 8. ſect. 3., & amplius conſtabit ex concluſ ſequenti.

17 Arg. 3.: peccatum originale conſiſtit formalitèr in eo, quod primò tollitur per Baptiſmum; ſed illud eſt privatio iuſtitiæ originalis; ſiquidem gratia regenerativa eſt

effectus proprius, & primarius Baptiſmi: ergo. Diſt. mai.: quod primò tollitur per Baptiſmum, prout eſt cauſa mutationis deperditivæ, ſeù deſtructivæ peccati, per quam ipſum peccatum tollitur formaliter, conc.; quòd primò tollitur per Baptiſmum, prout eſt cauſa mutationis acquiſitivę gratię, per quam peccatum tollitur cauſaliter. & concomitanter, neg. mai., & diſt. ſimiliter min.: privatio iuſtitiæ originalis eſt, quod primò tollitur per Baptiſmum, proùt eſt cauſa mutationis acquiſitivę gratiæ regenerativæ, conc.; prout eſt cauſa mutationis deperditivæ, ſeù deſtructivę peccati originalis, neg. min.; nam quod primò tollitur per Baptiſmum ſub tali munere eſt reatus culpæ, ſeu meritum pœnæ, & privationis iuſtitiæ originalis, et conſtat ex dictis in cit. diſp..

18 Arg. 4.: illud ſe habet ut ratio conſtitutiva uniuſcuiuſque rei, à quo, tanquàm à radice, & origine, dimanant, & ad quod conſequuntur cœtera omnia ad illam rem pertinentia; ſed à privatione iuſtitiæ originalis ita dimanant omnes aliæ deordinationes ex peccato Adæ ad nos transfuſſę per generationem: ergo talis privatio eſt formale conſtitutivum peccati originalis. Prob. min.: ex peccato Adę deriuantur in poſteros deſtinatio ad pœnam damni, ſeù privationis gloriæ; fomes, ſeù concupiſcentia, & rebellio carnis adverſùs ſpiritum, pœnalitates corporeæ, aliæque miſeriæ, quæ ſolent appellari vulnera naturæ; ſed omnes tales deordinationes procedunt ex privatione iuſtitię originalis; ſiquidèm in ſtatu innocentię ipſa originalis iuſtitia excluderet omnes deordinationes relatas: ergo. Reſp. conceſ. duabus mai., neg. ambas; nàm omnes illę deordinationes, ſicùt etiàm privatio originalis iuſtitię, procedunt tanquàm à prima radice à privatione rectitudinis debitæ, quam poſteri Adę incurrerunt virtualiter, interpretativè, & moraliter in ipſo tanquàm in capite, & contrahunt per generationem, ac moraliter in eis permanet in reatu odij divini, & merito pœnæ; ideò enim verè cauſaliter naſcimur, & concipimur cùm privatione originalis iuſtitiæ, quia ſumus in peccato originali, rei, & digni, ſeù merentes carere ipſa iuſtitia originali, cuius privationem comminatus eſt Deus, & impoſuit ut pœnam debitam prę-varicationi Adæ, tanquam capitis noſtri. Solutio aliorum argum. patet ex 1. ſect. diſp. 8.: nàm ferè omnia, quæ ibi

obij-

obijciuntur, & reſpondentur, faciunt ad propoſitum, ideo que ab illorum repetitione abſtinemus; ſolùm que advertimus, poſſe ex illis fieri argumenta ad hominem contrà Maſtrium, & alios Scotiſtas, qui cùm ibi nobiſcum ſentiant, privationem gratiæ habitualis non ingredi conſtitutivum formale habitualis peccati, tamén hic oppoſitum docent de iuſtitia originali reſpectu originalis peccati, etſi cædem ferè rationes militent pro utroque.

19 Secunda concluſ.: peccatum originale conſiſtit formaliter in privatione rectitudinis debitæ ineſſe actui Adæ, in nos per generationem tranſfuſſa, in nobis que intrinſecè moraliter manens in reatu odij divini, merito, ſeù dignitate pœnæ. Sic quoad rem plures, ac celebres Scotiſtæ, ut Lichetus, Hugo, Cavellus, Poncius, Brancatus, Rada, Herrera, Fraſſen, Macedo, Herinx Felix, Dupaſquier, & alij; ac etiam aliqui, tàm Thomiſtę, quàm Jeſuitę, & videtur nobis conformior doctrinę Scoti. Prob. 1.: iuxtà Apoſt. in epiſt. ad Rom. cap. 5.: *Sicut per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo omnes peccaverunt.* Et infrà: *Per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi.* Ac iuxtà Trid. ſeſ. 5. cit.: *Hoc Adæ peccatum, quod origine unum eſt, & propagatione, non imitatione transfuſſum omnibus, id eſt unicuique proprium*; ſed hoc non aliter verificatur magis propriè, & rigorosè, quàm per aſsignatum formale conſtitutivum originalis peccati: ergo. Prob. min.: non aliter totum illud verificatur magis propriè, & rigorosè, quam aſsignando idem conſtitutivum formale peccati originalis in nobis, ac peccati perſonalis Adæ; ſed conſtitutivum formale peccati perſonalis Adæ eſt privatio rectitudinis debitæ ineſſe actui, in ſe quidèm actù exiſtens reſpectu actualis peccati; ac reſpectu peccati habitualis permanens moraliter in reatu odij divini, merito, ſeù dignitate pœnæ: ergo. Mai. patet; quia prędicto modo, & non aliter verificatur, peccatum Adæ eſſe ad nos tranſfuſſum. Min. conſtat ex dictis de actuali, & habituali peccato.

20 Conf. 1.: peccante Adamo, tamquàm capite moralĩ omnium noſtrum, omnes nos peccavimus eodem actuali peccato, ut conſtat ex Ap. cit.: ergo. idem formaliter, quod ex ralĩ peccato actuali manſit in Adamo per modum termini, conſtituens

tituens illum peccatorem habitualitèr, derivatur, ſeù tranſfunditur ad poſteros, àc illos conſtituit peccatores originalitèr. Nunc ſic; ſed quod ex peccato actuali manſit in Adamo per modum termini, illum conſtituens peccatorem habitualiter, fuit privatio rectitudinis debitæ eius actui, perſeverans moralitèr in reatu odij divini, merito, ſeù dignitate pœnæ, ut probatum manet de peccato habituali: ergo. Vel alitèr: quod in Adamo, tranſacto actu peccati, habuit rationem culpæ habitualis, illud ipſum ad nos tranſfuſſum, habet rationem culpæ originalis, ut patet ex Apoſt., & Trid. allegatis; ſed privatio rectitudinis debitę manens moralitèr in reatu odij divini, merito, ſeù dignitate pœnæ, fuit in Adamo peccatum habituale: ergo talis privatio, ad nos transfuſſa, eſt id, in quo conſiſtit formalitèr culpa originalis. Conf. 2.: ex eodem peccato actuali nequeunt cauſari peccata habitualia ſpecificè diverſa; ſicùt nèc ex actibus eiuſdem ſpeciei poſſunt cauſari habitus ſpecificè diverſi; ſed peccatum habituale perſonale Adami, & originale noſtrum ex eodem peccato actuali procedunt: ergo nequeunt eſſe formalitèr, & ſpecificè diverſi; ac proinde habent idem conſtitutivum ſpecificum, & formale.

21 Prob. ſecundò concl.: Trid. cit. aſſerit: *Si quis, per Jeſu-Chriſti D.N. gratiam, quæ in Baptiſmate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiàm aſſerit non tolli totum id, quod veram, & propriam peccati rationem habet &c. anathema ſit*: ergo peccatum originale, quod infantes ab utero matris contrahunt, eſt formalitèr ipſum peccatum Adæ, permanens moralitèr in reatu culpæ, merito, ſeù dignitate pœnæ. Prob. 3.: M. P. Aug. lib. 1. Retract. cap. 15. inquit: *Quia vero peccatum, quod nos ex Adam dicimur originalitèr contrahere, id eſt, reatu eius implicatos, & ob hos pœna obnoxios detineri* &c. Et in epiſt. 23. ad Bonifacium: *traxit ergo reatum, quia unus erat cùm illo, & in illo, à quo traxit, quando quod traxit commiſſum eſt.* Et lib. 1. *de nuptijs*, cap. 26. inquit: *In eis, qui regenerantur in Chriſto, cum remiſſionem accipiunt, prorsùs omnium peccatorum, utique neceſſe eſt, ut reatus etiàm huius adhùc manentis concupiſcentię remittatur, ut in peccatum non imputetur. Nam ſicut eorum peccatorum, quæ manere non poſſunt, quoniàm cùm fiunt, prætereunt, reatus tamen manet,*

&

& niſi remittatur, in æternum manebit, ſic illius concupiſcentiæ, quandò remittitur, reatus aufertur. Hoc enim eſt non habere peccatum, reum non eſſe peccati, &c. Et ità ſimiliter in pluribus alijs locis: ergo iuxtà M. P. Aug. &c.

22 Prob. 4. ex Subt. Doct., qui in 2. d. 32. q. un. num. 11. lit. D. ait: *Propter ſolutionem argumentorum eſt intelligẽdum, quòd dupliciter poteſt eſſe iuſtitia debita. Uno modo, quia in ſe accepta, & actione accipientis amiſſa. Alio modo, quia accepta in alio, & actione alterius amiſſa. Primo modo peccatum actuale eſt iniuſtitia, & carentia iuſtitiæ, ſecundo modo originale. Undè magis comparatur peccato quaſi quieſcenti in anima poſt actum tranſeuntem, quàm comparatur peccato actuali, quod elicitur ab ipſa voluntate peccante.* Ex quibus ſic efformatur ratio: iuxtà Scotum, ſicùt peccatum actuale, vèl potiùs habituale eſt carentia iuſtitiæ, ità etiam peccatum originale; cùm ſola diſtinctione, quòd peccatum actuale, & habituale perſonale eſt carentia iuſtitiæ amiſſæ actione elicita ab ipſo peccante; originale verò eſt carentia iuſtitiæ amiſſæ alterius actione; ſed iuxtà Scotum, nèc peccatum actuale, nec habituale perſonale eſt carentia habitus iuſtitiæ, ſeù iuſtitiæ habitualis, ſed actualis, cuius privatio permanet moralitèr in reatu culpæ, ſeù merito pœnæ: ergo nèc peccatum originale, iuxtà ipſum, eſt formalitèr carentia habitus iuſtitiæ originalis, ſed actualis originalitèr amiſſæ, cuius privatio tranſfunditur, & moralitèr permanet in reatu culpæ, ſeù merito pœnæ. Conf.: ipſe Doct. ibi num. 7. ait: *Iſta ratio peccati originalis probatur ex hoc, quia peccatum formalitèr eſt iniuſtitia; igitur & tale peccatum talis iniuſtitia: iniuſtitia autem non eſt niſi carentia iuſtitiæ debitæ*; ſed peccatũ habituale, iuxtà Doct., conſiſtit formalitèr in carentia iuſtitiæ actualis, ſeù rectitudinis debitæ permanentis habitualitèr: ergo etiàm originale conſiſtit in ſimili carentia contracta ab origine. Aliæ probationes poterunt efformari ex dictis diſp. 8. ſect. 3.

23 Arg. 1.: Conc. Trid. docet, peccatum Adæ, quod eſt originans reſpectu noſtri, fuiſſe radicem, & cauſam peccati in nobis originati; ac illud in nos transfundi; & cum ſit unum origine, & propagatione, ineſſe tanquàm proprium unicuique ex poſteris; ſed hæc non eſſent vera, ſi peccatum originale conſiſteret in privatione rectitudinis debitę

bitæ actui Adami, quomodocumquè ponatur in nobis permanens moralitèr: ergo. Prob. min.: ſi talis privatio eſt conſtitutivum formale peccati originalis in nobis, iſtud eſſet ipſum peccatum Adæ, quod ſtetit in illa privatione; ſed hoc ipſo non eſſent vera illa aſſerta Concilij: ergo. Prob. min. primò: idem non poteſt eſſe radix, & cauſa ſui ipſius: ergo ſi peccatum originale in nobis eſſet ipſum peccatum Adæ, iſtud non eſſet radix, & cauſa illius. Prob. 2. eadem min.: peccatum Adæ manſit in Adã, & permanet unum, & idem: ergo non derivatur in poſteros, nèc transfunditur in ipſos. Prob. 3., quod eſt unum in omnibus, non eſt unicuique proprium, ſed commune; ſed ſi peccatum originale in nobis eſſet ipſum peccatum Adæ, illud in omnibus eſſet unum, & idem: ergo non eſſet unicuique proprium. Prob. 4.: quod eſt unicuique proprium, eſt ipſi intrinſecum; ſed peccatum Adæ, & privatio rectitudinis debitæ eius actui, in nobis moralitèr permanens, eſt quædam denominatio extrinſeca: ergo.

24 Reſp. neg. primam min., & diſt. mai. probat.: ſi talis privatio eſt conſtitutivum formale peccati originalis in nobis, iſtud eſſet ſpecificè, & formalitèr ipſum peccatum Adæ, ſeù eiuſdem rationis cum ipſo, conc.; eſſet numericè, & quaſi entitativè ipſum peccatum Adæ, ſubd.: eſſet cauſalitèr, & originalitèr idem, quatenùs peccatum Adæ fuit cauſa, & origo peccati originalis in nobis, conc.; eſſet in ſe intranſitivè idem, neg. mai.; & applicata diſtinct. ad min.: ad eius 1. probat. diſt. antec.: idem ſub eadem conſideratione habitudine, & ſtatu, nequit eſſe cauſa ſui ipſius, conc.; ſub diverſa conſideratione, habitudine, & ſtatu, ſubdiſt.: nequit eſſe cauſa phyſica, conc.; nequit eſſe cauſa moralis, neg. antec.; nàm peccatum actuale, & phyſicè exiſtens, eſt cauſa moralis ſui ipſius ut moralitèr, ſeù habitualitèr permanentis, adeo ut peccatum habituale ſit effectus, vèl terminus derelictus, & cauſatus ex actuali peccato: undè neg. conſeq.; nàm licèt peccatum originale in nobis ſit ipſum peccatum Adæ moraliter permanens; tamen ipſum peccatum actuale Adæ phyſicè exiſtens, fuit cauſa, & origo peccati in nobis tranſfuſi, quod ſe habet per modum termini, & effectus moralis ex illo derelicti, & ab illo cauſati. Ad 2. probat. min. diſt. antec.: peccatum Adæ manſit phyſicè in Adam, & per-

permanet unum, & idem perſonale, vel etiàm originale originans, conc.; manſit moraliter in ſolo Adam, & permanet unum, & idem originale originatum, neg. antec.; & conſeq.; quia peccatum illud, utpotè capitis, àc proindè omnium noſtrum virtualiter, & interpretativè in omnes derivatur, & transfunditur moraliter ab origine.

25 Ad 3. probat. diſt. mai.: quod eſt unum in omnibus, non eſt unicuique proprium, ſed commune, eo modo quo eſt unum, conc.; alio diverſo modo, neg. mai.; & diſt. min.: ſi peccatum originale in nobis eſſet peccatum Adæ, illud in omnibus eſſet unum, & idem ſpecificè, conc.; numericè, ſubdiſt.: eſſet unum, & idem originaliter activè, conc.; originaliter paſsivè, neg. min.; quia ſicut in Adam, tanquam in capite, fuit virtualiter, & interpretativè multiplex, ita in nobis multiplicatur moraliter. Ad 4. denique probat. min. diſt. mai.: quod eſt unicuique proprium, eſt ipſi intrinſecum, eo modo quo eſt proprium, conc.; alio diverſo, neg. mai.; & diſt. min.; peccatum Adæ eſt phyſicè extrinſecum nobis, conc.; moraliter, ſubdiſt.: conſideratum originaliter activè, cõc.; ſumptum originaliter paſsivè, pro termino, ſeù effectu morali, quem in nobis cauſavit, uti eſt reatus odij divini, ſeù meritum pœnæ, ratione cuius in nobis permanet moraliter, neg. min.; quia hęc eſt denominatio intrinſeca moralis, paritèr àc denominatio peccatoris habitualis, utpote proveniens ab effectu morali derelicto ex actu præterito peccati in ipſo peccatore; vèl ſicut infamia derelicta in filijs, & cauſata, ſivè inducta ex crimine patris, ſuppoſita diſpoſitione Legis!..

26 Arg. 2.: moralis rectitudo actus Adami non eſt debita poſteris in inſtanti animationis: ergo in eius privatione non conſiſtit peccatum originale. Prob. antec.: rectitudo debita pueris pro inſtanti animationis eſt illa, quæ tranſfundenda erat per generationem, ſi Adam non peccaſſet; ſed ſi Adam non peccaſſet; ſed potiùs meruiſſet reſiſtendo tentationi, & adimplendo præceptum de non comeſtione ligni vetiti, non transfunderetur in poſteros rectitudo ſui actus, nèc meritum ipſius, ſed tantùm transfunderet in nos iuſtitiam originalem: ergo moralis rectitudo actus Adami non eſt debita nobis pro inſtanti conceptionis, ita ut eius carentia transfundatur in nos, & in nobis habeat rationem culpæ; àc proindè in illius priva-

tione non conſiſtit peccatum originale. Conf.: Adam non eſt conſtitutus caput noſtrum reſpectu rectitudinis ſui actus, ſed ſolùm reſpectu iuſtitiæ originalis: ergo in hùius, & non illius privatione conſiſtit peccatum originale. Prob. antec.; ſi eſſet caput reſpectu talis rectitudinis, vèl eſſet phyſicè ex natura rei, vèl moralitèr ex pacto, ſeù ordinatione Dei; ſed non phyſicè ex natura rei, quia etiàm rectitudo aliorum parentum transfunderetur in filios; nèc moralitèr ex pacto, quia non conſtat de illo: ergo.

27 Ad. arg. neg. antec.; quia præceptum non comeſtionis de fructu ligni vetiti fuit impoſitum Adæ ut capiti, cui voluntates poſterorum fuerunt ligatæ, atque adeò moralis rectitudo illius actus, qui fuit virtualitèr, & interpretativè noſter, eſt debita nobis modo dicto num. 22. ex Subt. Mag. ibi citato. Ad probat. antec. conceſ. mai., neg. min.; nàm ſi Adam adimpleviſſet præceptum de non comeſtione, per illum actum, qui eſſet virtualitèr, aùt interpretativè noſter, meruiſſet ſibi, & nobis conſervationem iuſtitiæ originalis, & nos conciperemur cùm dignitate, & merito iuſtitiæ originalis, ac præmij correſpondentis; atque adeò transfunderetur in nos moralis rectitudo illius actus permanens moralitèr in tali dignitate, & merito, vi cuius eſſet nobis debita iuſtitia originalis; ſicùt per oppoſitum, violato præcepto, concipimur cùm dignitate, & merito carentiæ iuſtitiæ originalis propter privationem rectitudinis debitæ actui Adæ in nos transfuſſam, & perſeverantem moralitèr in illo merito, ſeù dignitate pœnæ, contractam, & derelictam ex peccato Adæ. Ad conf. neg. antec.; ad cuius probat. conceſ. mai., & min. quoàd 1. part. propter rationem ibi datam, neg. quoàd 2.; quia Adam media ordinatione, & pacto Dei, in tantùm conſtitutus eſt caput morale noſtrum reſpectu iuſtitiæ originalis, in quantùm conſtitutus eſt tale caput reſpectu rectitudinis ſui actus, per quam iuſtitia originalis erat transfundenda in poſteros; ut patet ex illis verbis: *De ligno autèm ſcientiæ boni, & mali nè comedas; in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris*: in quibus, iuxtà S.S. P.P., & Theologos communitèr, ſignificatur ordinatio, & pactum Dei de transfundenda iuſtitia originali, ſi Adam in præcepti obedientia perſiſteret; ſecùs, ſi illud violaret; ac etiam patet ex illis verbis Oseæ cap. 6.: *Ipſi autèm ſicut Adam, tranſgreſſi ſunt pactum, ubi*

præ-

prævaricati ſunt in me; quem locum Patres paſsim intelligunt de peccato, quod in paradyſo ſumus transgreſsi.

28 Arg.3.: peccatum Adæ habuit plures malitias, nempè gulæ, inobedientiæ, ſuperbiæ &c.: ergo ſi peccatum originale conſiſtit in privatione rectitudinis debitę actui Adæ in nos transfuſſa; noſtrum peccatum originale habebit plures malitias. Sed hoc eſt falſum, & contrà omnes: ergo. Reſp. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia cùm noſtrum peccatum originale conſiſtat formalitèr in privatione rectitudinis debitæ actui Adæ proùt capitis, cui proùt tali fuit impoſitum præceptum de non comeſtione ligni vetiti; ideò licèt eius peccatum perſonale habuerit plures malitias, ſola malitia transgreſsionis illius præcepti, ſeù comeſtionis prohibitæ ſe habet per ſe, & de formali ad peccatum originale; reliquæ autèm pure per accidens, nèc contrahuntur à nobis: Alia argumenta poterunt efformari, & ſolvi ex dictis in diſp.8.ſect.3..

QUÆSTIO II.

Quodnam ſit ſubiectum peccati originalis?

1 DIfficultas eſt de ſubiecto proximo peccati originalis; nam de remoto, & mediato, ſcil. perſona illud contrahente, ſupponimus, eſſe omnes, qui ex Adamo per ſeminalem propagationem deſcendunt, excepta Deipara, cuius immaculatam Conceptionem, & præſervationem ab originali celebrat univerſalis Eccleſia; ac de qua Conc. Trid. ſeſ.6. in fine Decreti de peccato orig. ait: *Declarat tamèn hęc ipſa Sancta Synodus, non eſſe ſuæ intentionis comprehendere in hoc Decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam, & Immaculatam Virginem Mariam Dei genitricem; ſed obſervandas eſſe conſtitutiones fœlicis recordationis Sixti Papæ IV. ſub pœnis in eis conſtitutionibus contentis, quas innovat.* Quare difficultas eſt: nùm ſubiectum proximum, & immediatum peccati originalis ſit voluntas, vèl anima poſterorum Adæ? Siquidèm, quòd peccatum originale non ſit in carne tanquàm in ſubiecto, ſed præcisè tanquàm in inſtrumento, ſeù cauſa inſtrumentali culpæ, quatenùs in ipſo ſemine eſt vis producendi filium Adæ, qui concipitur debitor originali iuſtitiæ; docetur à D. Thoma in 1a. 2æ. quæſt. 83. art. 1. & à Subt. Doct. in 2. d. 32. q. un.; & eſt commune. Quare ſit

2 Concluſ.: ſubiectum pro-

ximum, & immediatum peccati originalis eſt voluntas, qua mediante recipitur in anima. Ita D. Bonav. in 2. d. 3. q. 2.; & D. Anſelm. de Concept. Virg. cap. 3. ubi probat, peccatum originale eſſe in voluntate, quia in ea eſt iuſtitia, quæ opponitur tali peccato; & Subt. Doct., quem ſequuntur Scotiſtæ, & alij, contra Thomiſtas communiter. Prob. 1.: peccatum originale noſtrum eſt idem formaliter ſpecificè, ac Adæ peccatum; ſed iſtud fuit immediatè in voluntate: ergo. Prob. min., & ſimùl confirm. hæc ratio impugnando reſponſ. Adverſ.: peccatum Adæ (ſicùt & quodlibet aliud.) eſt eſſentialiter voluntarium; actuale quidem per modum actus, & habituale per modum termini; ſed omne voluntarium, nedum per modum actus, ſed etiàm per modum termini, debet ſubiectari immediatè in voluntate: ergo peccatum Adę, non ſolùm actuale (quod conceditur à contrar.), ſed etiàm habituale (quod negatur ab ipſis), ac proindè noſtrum originale ſubiectatur immediatè in voluntate. Prob. min.: omne voluntarium, etiàm per modum termini, debet convenire animæ media voluntate, ut cauſa efficiente, ut concedunt contrarij: ergo etiàm competit animæ media voluntate concurrente in ratione ſubiecti; ac proindè debet ſubiectari immediatè in voluntate. Prob. conſeq.: voluntarium eſſentialiter eſt quid immanens, & procedens a principio intrinſeco, adeò ut immediatè recipiatur in eo, à quo immediatè efficitur: ergo ſi omne voluntarium, etiàm per modum termini, debet competere animæ media voluntate, ut cauſa efficiente; debet etiàm illi competere media voluntate concurrente in ratione ſubiecti.

3 Prob. 2.: ideò, iuxtà omnes, poſteri Adæ contrahimus peccatum originale, quia noſtrę voluntates fuerunt alligatæ voluntati Adami ex ordinatione, & pacto Dei; ſed ſi anima eſſet ſubiectum immediatum peccati originalis, ſeclusſa alligatione voluntatum, contraheremus tale peccatum: ergo. Prob. min.: præciſſa alligatione voluntatum, ſtaret Adæ peccatum, generatio deſcendentium, & anima, quæ eſſet ſubiectum immediatum peccati originalis: ergo. Conf. 1. ideò contrahimus peccatum originale, quia volutates noſtræ virtualiter, aùt interpretativè conſenſerunt in peccatum actuale Adæ utpotè ei alligatæ, & in ea contentæ tanquàm in capite morali: ergo ſicùt peccatum originale ori-

gi-

ginans fuit ſubiectum immediatè in voluntate Adami, qua mediante illud recepit anima eiuſdem; ità originale originatum ſubiectatur immediatè in voluntate noſtra, àc mediatè in anima. Prob. conſeq.: ideò peccatum actuale Adæ ſubiectatum fuit, immediatè in voluntate, àc mediatè in anima, quia illud fuit actio eius libera, & voluntaria, quæ non competit animæ niſi media voluntate; ſed peccatum originale in nobis eſt terminus actionis virtualitèr, aut interpretativè nobis voluntariè in capite, quæ non competit animæ niſi media voluntate, in eo moraliter incluſæ, & interpretativè conveniente: erg. ſicùt &c.. Conf. 2., ſi Deus antequam obligaret volũtates deſcendentium ab Adamo in voluntate ipſius, per impoſsibile ſtatueret producere aliquem hominem ſine voluntate, hic homo non contraheret peccatum originale: erg. anima non eſt capax peccati originalis, niſi mediante voluntate, & conſequenter &c. Conſeq. infertur legitimè. Prob. ant.: tùm, quia ablata voluntate, nequit dari voluntarium aliquo modo, àc proindè nèc peccatum. Tùm, quia, cùm voluntatem non haberet, non poſſet eius voluntas eſſe obligata in voluntate Adami; ſed hoc eſt neceſſarium, ut quis contrahat peccatum originale; nàm ideò illud contrahimus iuxtà omnes, quia noſtræ voluntates fuerunt obligatæ in voluntate Adami: erg.&c..

4 Prob.3.: iuxtà communem Adverſ. opinionem, peccatum originale conſiſtit in privatione iuſtitiæ originalis, indiſtinctè à gratia ſanctificante, prout aufert præcipuè eius effectum primarium, ſcil. ſanctificare, & rectificare animam in ordine ad Deum; ſed talis privatio eſt immediatè in voluntate: ergo. Prob. min.: eidem ſubiecto, cui ineſt forma, ineſt etiàm eius privatio, ut omnes concedunt; ſed gratia ſanctificans, & iuſtitia originalis, ſi ſit indiſtincta à gratia, eſt quoad effectum ſanctificandi, àc rectificandi animam in ordine ad Deum, ſubiectatur immediatè in voluntate: ergo. Prob. min. primò: gratia ſanctificans eſt ſuapte natura habitus operativus, & indiſtinctus realiter à charitate, ut probabitur in tract. *de Juſtificatione*: erg. ſi juſtitia originalis eſt habitus indiſtinctus a gratia ſanctificante, ſubiectatur immediatè in voluntate, ſicùt ipſa gratia indiſtincta à charitate, proùt dicetur etiàm ibi. Prob. ſecundò illa min. rectificatio animę in ordine ad Deum fit media volun-

tatē, quā ad ipſum convertitur, & legi conformatur; ſicùt etiàm è contra media voluntate avertitur ab ipſo Deo, & legi difformatur; atque adeò anima non eſt capax ordinationis, vèl deordinationis, meriti, vèl demeriti, niſi media voluntate: erg. juſtitia originalis, proùt indiſtincta à gratia, & quoàd effectum ſanctificandi, & rectificandi animam in ordine ad Deum, ſivè quatenùs eſt principium rectificativum, & ordinativum, ſubiectatur immediatè in voluntate; ſiquidèm illi potentiæ ineſt immediatè habitus, ſeù principium alicuius actus, cui cōpetit immediatè talis actus.

5 Prob. 4. concluſ. impugnando præcipuum fundamentum Adverſ.: ideò iuxtà ipſos peccatum originale ſubiectatur immediatè in anima, quia illud traducitur per generationem, quæ priùs attingit animam, ùt terminum, quàm potentias illius; ſed hæc ratio non probat. : ergo Prob. min. primò: peccatum originale traducitur per generationem diſpoſitivè; non autèm formaliter, vel ut per cauſam totalem peccati originalis: erg. quod generatio attingat priùs animam, non probat, quod peccatum originale ſubiectetur immediatè in ipſa. Prob. ant., & conſeq. ſimul: ita peccatum originale traducitur per generationem, ut cauſa contradictionis ſit obligatio voluntatis deſcendentis ab Adamo in voluntate ipſius, adeò ut ſubiectum contrahens tale peccatum ſuponatur habens voluntatem in capite obligatam, in cuius reddatur capax deordinationis per originalem culpam: erg. quamvis peccatum originale contrahatur diſpoſitivè, non tamèn formalitèr, & velùt per cauſam totalem, per generationem, & conſequenter &c.. Prob. 2. illa min.: quamvis generatio priùs terminetur ad animam, quàm ad illius potentias, tamèn non terminatur ad illam ut per ſe primò, & præcisè ratione ſui culpabilem, ſeù capacem deordinationis culpæ; ſiquidèm hoc convenit animę mediante voluntate: erg. quod peccatum originale traducatur per generationem, quæ priùs attingit animam, quàm eius potentias, non probat illud ſubiectari immediatè in ipſa.

6 Prob. 3. illa min.: ex illa ratione ſequeretur, culpam originalem per priùs inficere intellectum, quam voluntatem; ſed hoc eſt contrà D. Thom. in 1a. 2æ. q. 83. art. 3.: erg. illa ratio non probat peccatum originale &c.. Prob. mai.: tùm, quia ex eo, quod peccatum originale cauſatur

per

per originem, quę priùs terminatur ad eſſentiam animæ, quam ad potentias animę inferunt contrarij cùm D. Thoma, quod priùs, & immediatiùs ſubiectatur in anima, quàm in potentijs; ſed etiam infectio potentiarum reſultat ex identitate, vèl unione potentiarum ad animam, àc illi unitur immediatiùs intellectus, quàm voluntas: erg. ex illa ratione; ſi aliquid probat, ſequitur &c.. Tùm, quia; ideò intellectus non inficeretur priùs, quàm voluntas, quamvis anima inficiatur priùs, quàm potentiæ; quia intellectus non eſt capax infici per originalem culpam, niſi ratione voluntatis; anima verò ratione ſui eſt immediatè capax ad illius receptionem ex eo, quod eſt radix omnium potentiarum, & ratione ſui eſt volitiva radicalitèr; ſed prę-terquàm ex eo, quod anima ſit radix voluntatis, ſeù volitiva radicalitèr, unicè probatur, quod ſit ſubiectum remotum peccati, ſicùt eſt volitiva remotè, nempè media voluntate: ulterius etiam: intellectus ratione ſui iuxta D. Thomam, & Thomiſtas, eſt radix proxima voluntatis: ergo.

7 Arg. 1.: peccatum originale habetur per originem, ſeù generationem; non autèm per actum poſteri Adę: erg. non ſubiectatur immediatè in voluntate, quę eſt principium actus humani, ſed in anima, quæ priùs, quàm eius potentiæ, attingitur, ut terminus generationis. Illuſtratur hæc ratio: inter partes hominis, quæ ſunt culpæ capaces, illa priùs recipit culpam originalem, quæ priùs corpori unitur per generationem; ſed priùs ita unitur anima ſecundùm eſſentiam, quàm ſecundùm potentias: erg.. Conf.: parvulus, qui concipitur, priùs natura intelligitur habere animam, quàm potentias; ſed in illo priori anima eſt infecta peccato originali, cùm ſit actu filius Adæ: erg.. Urg: ſi per poſsibile, vèl impoſsibile potentiæ non reſultarent ab eſſentia animæ, parvulus adhùc eſſet infectus culpa originali: erg. Prob. ant.: ſi parvulus in tali hypoteſi fieret per generationem filius Adæ, indigeret Baptiſmo, & redemptione per Chriſtum, àc verè diceretur Chriſtum pro tali nomine fuiſſe mortuum: ergo.

8 Ad arg. reſp. ex D. Bonav. & Subt. Doct. diſt. ant.: peccatum originale habetur diſpoſitivè, tanquàm per conditionem, non autem per actum formalem, & proprium poſteri Adę; conc.: habetur formaliter per originem, tanquàm per cauſam totalem illius contractionis; non autèm per

actum virtualem, aùt interpretativum posteri Adæ in isto veluti in capite; neg. ant., & conseq.; quia infectio, & subiectatio culpæ originalis non sequitur ordinem, & modum generationis, nàm aliàs ineſſet, & quidèm priùs, carni, quæ primò terminat generationem; ſed ſequitur ordinem, & capacitatem ſubiecti culpabilis: undè cùm voluntati primò competat libertas, tanquàm principio conformitatis, aùt difformitatis, ideò peccatum, etiam originale, quod eſt voluntarium virtualitèr, interpretativè, & in capite, debet priùs inhærere voluntati, quàm animę, quæ eſt libera ratione voluntatis. Ad illuſtrat. argum. diſt. mai.: inter partes hominis, quę ſunt culpæ capaces per ſe primo, & immediatè ratione ſui, illa priùs &c. conc.; quæ ſunt capaces tantùm mediatè, & ratione alterius, neg. mai., & diſt. min.; anima priùs ſecundùm eſſentiam unitur corpori; ipſa tamèn tantùm mediatè, & ratione potentiæ liberæ eſt capax culpæ; conc. min.; & ipſa per ſe primò, & immediatè ratione ſui eſt capax culpæ; neg. min.; quia ipſa non eſt libera, niſi media voluntate, à qua dependet culpa, etiam originalis, ſaltèm virtualitèr, interpretativè, & in alio tanquàm in capite, ut conſtat ex dictis. Ad conf. conceſ. mai., neg. min., quia in illo priori non intelligitur illud principium, nempè voluntas obligata, & incluſa in voluntate Adæ, ratione cuius peccatum illius fuit voluntarium, huic homini, & in illo tanquàm in capite, peccavit; nèc intelligitur membrum morale illius capitis; ſed pro poſteriori naturæ, in quo intelligitur habere voluntatem, quæ fuit obligata, & peccavit, modo dicto, in Adamo, tanquàm in capite, ut patet ex dictis.

9 Ad urg. diſt. mai.: ſi potentię non reſultarent ab eſſentia animæ, ſuppoſita tamèn obligatione voluntatis illius hominis in voluntate Adami, àc illum in iſto peccaſſe, talis homo eſſet infectus culpa originali; conc.; ſi potentię non reſultarent ab eſſentia animæ, nèc ſuponeretur obligatio voluntatis illius hominis in voluntate Adami, tanquàm capitis moralis, nèc ille homo in Adam peccaſſet per talem obligationem, eſſet infectus culpa originali, neg. ant.; ad cuius probat. dicimus, quod ille homo in tali caſu eſſet quidèm phyſicè, & in linea naturę filius Adæ; non verò membrum eius morale, àc proindè non indigeret Baptiſmo, & redemptione. Undè patet aliter loquen-

quendum esse de illo homine, *quem per impossibile Deus statueret producere sine voluntate, postquam eius voluntas fuit obligata, & peccavit in Adamo*, ac de illo, *quem Deus decerneret producere sine voluntate, antequàm eius voluntas esset obligata, & peccasset in Adamo*; sicùt aliter loquendum est de homine, cui Deus per impossibile, tolleret voluntatem, postquàm talis homo peccasset; ac de alio, cui Deus auferret voluntatem, antequàm peccatum committeret; nàm iste secundus nullo modo esset infectus peccato, quod debet esse voluntarium, vèl in se, vèl alio; ille autèm primus esset infectus peccato, quod supponitur ipsi voluntarium; & si pro posteriori ab eo auferetur voluntas, quæ est subiectum immediatum illius; nàm maneret in anima, quæ est subiectum mediatum: sicùt licèt auferatur quantitas, quæ est subiectum proximum aliorum accidentium, possent ita manere in substantia: quæ est subiectum mediatum; aùt saltèm privatio reliquorum accidentium conveniret illi substantiæ, cui oblata esset quantitas; siquidèm privatio cuiuscumque formæ convenit non solùm subiecto immediato, sed etiàm mediato; quare cùm peccatum in privatione consistat, ideò & si Deus tolleret voluntatem ab homine, postquàm peccavit, maneret in eo peccatum, quamvis deficeret voluntas, quæ est subiectum proximum illius.

10 Arg. 2.: anima secundùm suam essentiam est capax recipiendi immediatè; peccatum originale: erg. est subiectum proximum eiusdém. Prob. ant. primò: idem est subiectum privationis, & formæ, qua privat; sed anima est immediatum subiectum formę, qua privat peccatum originale, nempè originalis iustitiæ, importantis essentialitèr, & in recto gratiam sanctificantem, quæ immediatè recipitur in essentia animæ. erg. Prob. 2. idem ant.: anima secundùm suam essentiam est rationalis, & ex illa ad potentias derivatur, quod rationales sint; sed potentiæ sunt capaces culpę; quia rationales sunt: ergo. Prob. tertiò illud ant.: anima est capax recipiendi immediatè rectitudinem habitus; & si non sit immediatè capax rectitudinis, consistentis in actu; sed peccatum originale non est privatio rectitudinis actus; sed habitus; nàm ut inquit Subt. Magist. comparatur peccato quiescenti in anima, seù habituali potiùs, quàm actuali: erg. Prob. 4. idem ant.: originale est peccatum naturæ;

non

non verò perſonale; ſed licèt anima non ſit immediatè capax peccati provenientis ab actu perſonali, eſt tamèn immediatè capax peccati provenientis ab origine naturæ: erg.

11 Reſp. neg. ant., ad cuius 1. probat. conceſ. mai., neg. min.; ſiquidèm iuſtitia originalis adęquatè ſumpta eſt multiplex habitus in varijs potentijs ſubiectatus, & à gratia habituali realitèr, entitativè diſtinctus, ut patet ex tract. de *Statibus naturæ*: imò, licèt eſſet indiſtincta à gratia ſanctificante, ſubiectaretur immediatè, ſicùt ipſa gratia, in voluntate, ut patebit in tract. de iuſtificatione. Ad 2. probat. diſt. mai.: anima eſt rationalis remotè, & per modum radicis; conc.; proximè, & per modum principij; neg. mai. Et diſt. min.: potentiæ ſunt immediatè capaces culpę, quia ſunt rationales remotè, & per modus radicis; neg. mai. (quia alias anima eſſet etiàm immediatè capax culpæ actualis, quod negatur à contrar.); quia ſunt rationales proximè, & per modum principij, ſubdiſt.: per modum principij liberi, uti eſt voluntas; conc.; aliter; neg. min., & conſeq.. Ad 3. probat. neg. mai.; quia cum habitus per modum comprincipij ſint immediatè rectificativi potentiarum, & ordinati ad rectitudinem operationū, ideò in potentijs immediatè recipiuntur, ſicùt etiam privationes ipſorum. Ad 4. probat. diſt. mai. originale eſt peccatum naturæ voluntarię, & liberę virtualitèr, aut interpretativè per alligationem voluntatis membrorum in capite morali: conc.; eſt peccatum naturæ præciſivè à tali libertate, & alligatione: neg. mai.; & min. abſolutè; nàm ſicùt anima ideò non eſt immediatè capax peccati actualis, quia iſtud provenit, vèl eſt actus perſonalis, & elicitus à propria voluntate peccatoris; ità pariformitèr non eſt immediatè capax peccati originalis, quia iſtud provenit ab actu capitali, elicito à voluntate capitis moralis, proùt includente voluntates poſterorum, obligatas in voluntate ipſius, & peccantes in illo.

QUÆSTIO III.

Quæ, & qualis pœna peccato originali correſpondeat?

1 DIcimus primò: mors tàm animæ quàm corporis, & aliæ ærumnæ, quas patimur in hac vita, ſunt pœnæ peccati originalis. Eſt certum apud Catholicos, contra Pelagium, & alios Hæreticos.

cos. Prob. Geneſ. cap. 2. dicitur: *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Et epiſt. ad Rom. cap. 5. *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, & per peccatum mors, & ita in omnes homines mors pertranſijt*; ſed hæc iuxta S.S. P.P. intelliguntur de morte, tàm ſpirituali per privationem gratiæ, quàm corporali, quam comminatus eſt Deus Adamo, & eius poſteritati, ſi peccaret, & à qua fuiſſet immunis, ſi non peccaſſet, & permanſiſſet in gratia ſanctificante, ac juſtitia originali: erg.. Dicimus 2.: diminutio boni, ſeù vulneratio virium naturæ: ſcil. ignorantia in intellectu, malitia in voluntate, concupiſcentia in appetitu concupiſcibili, & infirmitas in appetitu iraſcibili, eſt in vita præſenti pœna peccati originalis. Eſt etiàm commune: prob.: illud Lucæ cap. 10. v. 30.: *Homo quidam deſcendebat ab Jeruſalem in Jericho; & incidit in latrones, qui etiàm deſpoliaverunt eum, & plagis impoſitis, abierunt, ſemivivo relicto*: iuſtè à S.S. P.P. accomodatur cuilibet ex poſteris Adæ infecto peccato originali, per quod nedùm fuit ſpoliatus bonis perficientibus illum in ordine ſupernaturali; ſed etiàm fuit lanciatus, & privatus integritate bonorum perficientium in ordine naturæ; ſed quatuor ſunt vires naturæ rationalis, nimirùm intellectus, voluntas, appetitus concupiſcibilis, & iraſcibilis, quæ in ſtatu innocentiæ, & integritatis erant coniunctæ, & amica unione conveniebant ad agendum bonum; illarumque unio, & ſubordinatio fuit deſtructa per originale peccatum: erg.. Quod autèm talis vulneratio non fuerit in intrinſecis naturæ, ſed tantùm extrinſecè; probatum manet in tract. *de Statibus naturæ*, quæſt. ult.

2 Dicimus 3.: parvuli decedentes cum ſolo peccato originali puniuntur pœna damni, conſiſtente in privatione unionis beatificæ; ſine ulla tamèn triſtitia, aùt dolore; non tamèn puniuntur pœna ſenſus interioris, aùt exterioris. Prima pars eſt de fide, quantùm ad rem, ſcil. tales parvulos privari beatitudine propter peccatum originale, quamvis quoàd modum loquendi diſcrepent Theologi, quorum aliqui affirmant; alij verò negant, illam eſſe dicendam propriè, & ſtrictè pœnam damni: verum hæc videtur eſſe quæſtio de nomine. Prob. igitur primo talis 1. pars: in Evang. D. Joan. cap. 3. dici-

tur:

tur : *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei* : Et Marci. cap. 6. : *Qui crediderit, & baptizatus fuerit; ſalvus erit.* Et in Epiſt. ad Rom. cap. 5. : *Judicium quidem ex uno in condemnationem.* Et ex Innoc. III. *cap. Maiores de Baptiſmo*, habetur, *pœnam peccati originalis eſſe carentiam divinæ viſionis.* Et in Concil. Trid. anathematizantur qui dixerint : *Parvulos nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod generationis lavacro neceſſe ſit expiari ad vitam æternam conſequendam* : erg. decedentes cum originali puniuntur privatione viſionis beatificæ.

3 Prob. 2.: nemo liberatur à morte ſpirituali, contracta per peccatum Adæ, niſi vivificetur, & Chriſto uniatur per gratiam ; ſed huiuſmodi vivificatio, & unio non fit, niſi per Baptiſmum ; per quem Chriſto unimur, & membra eius efficimur : erg. defectus Baptiſmi arguit carentiam viſionis beatæ, tanquàm pœnam pro peccato originali. Mai., & min. conſtant ex Apoſt. epiſt. 1. ad Corinth. cap. 2. dicente : *Sicùt in Adàm omnes moriuntur, ita in Chriſto omnes vivificabuntur.* Conf. : nemo poteſt Deum intuitivè videre ſine principio hominem gratum faciente : ſed tali principio carent decedentes cùm peccato originali, in cuius pœnam ſunt privati gratia ſanctificante, ſeù gratum faciente : erg.. Prob. mai.: tùm quia nemo poteſt Deum videre ſine jure hæreditatis ad regnum filiorum Dei ; ſed tale jus præſtat gratia gratum faciens, àc filium Dei adoptivum conſtituens : erg.. tùm quià viſio beatifica eſt in linea ſupernaturali actus perfectus, cùm ſit gratia conſumata ; ſed talis actus provenit ex principio eiuſdem ordinis, uti eſt gratia gratum faciens : ergo.

4 Secunda pars concluſ. eſt communis Thomiſtarum, Scotiſtarum, & aliorum, cum Ang., Seraph. & Subt. Doct. Prob. primò author. D. Greg. Niſeni in orat. *de infantibus*, dicente: *Immatura mors infantium demonſtrat, neque in doloribus, & mœſtitia futuros eſſe eos, qui ſic vivere deſierunt.* Prob. 2. ratione D. Bonav., & Scoti : triſtitia, & dolor internus animæ ſemper provenit ex his, quæ nobis nolentibus accidunt, ut Theologi communiter aſſerunt ex M. P. Aug.; ſed pueri decedentes cùm ſolo originali, nullam nolitionem poſitivam habebunt de privatione beatitudinis: erg. nullam patientur triſtitiam de illius amiſsione. Prob. min. primò:

ne-

nequit haberi nolitio positiva de amissione beatitudinis, quin habeatur cognitio eiusdē; sed parvuli non habent talem cognitionem; siquidèm illam non habuerunt in via, nec illam postèà habent per revelationem à Deo factam ad gravificandam eorum pœnam: erg.. Prob. 2. illa min.: si pueri haberent nolitionem positivam de amissione beatitudinis, haberent inordinatam dispositionem voluntatis; siquidèm involuntariè sustinerent suum statum, & vellent oppositum, & remurmurarent contra dispositionem divinam; sed parvuli nullam habent volitionem inordinatam: ergo. Prob. 3.: iuxtà M. P. Aug., pœna, qua punitur peccatum originale est omnium mitissima; sed hoc esset falsum, si parvuli de amissione beatitudinis tristarentur: ergo. Prob. min.: gravissima inter omnes pœnas damnatorum est tristitia ex desperatione beatitudinis amissæ: erg. si parvuli haberent talem tristitiam, paterentur gravissimam pœnam. Prob. 4.: tales parvuli non habebunt pœnam sensus ab extrinseco, ut probabitur. erg. nec tristitiam, aùt dolorem internum de amissione beatitudinis. Prob. conseq.: simpliciter maior est tristitia, vèl dolor internus, quam quilibet pœna sensus; nàm sicut voluntas est magis appetitus hominis, in quantùm homo, quàm appetitus sensitivus; ità quidquid agit, vèl patitur secundùm voluntatem, magis simpliciter agit, vèl patitur in quantùm homo, quam secundum aliquem alium appetitum; & ut ait Chrisost. hom. 24. in Math., dolor, quem damnati sentiunt ob amissam beatitudinem, est maior dolore causato ab igne infernali: erg..

5 Tertia pars est valdè communis cùm eisdem Ang. Seraph. & Subt. allegatis. Prob. 1.: Conc. Florent. sub Eugenio IV. & Innoc. III. cap. *Maiores*, docent, solam carentiam beatitudinis esse, pœnam decedentium cum peccato originali: erg. nulla pœna sensus correspondet ipsis confirm. M. P. Aug. lib. 3. *de lib. arbit.* cap. 23. & D. Ambr. in epist. ad Rom. cap. 5., ac D. Bernard. serm. 3. de *Resurrect.*, asserunt, quod secunda mors in gehenna non correspondet peccato Adæ, sed proprio, & personali uniuscuiusque; & quod sola propria voluntas est, quæ in inferno ardet: erg.. Prob. 2. ratione D. Bonav. & Scoti: pœna sensus, & quantitas ipsius correspondet delectationi inordinatæ iuxtà illud Apocalipsis 18.; *Quantùm glo-*

rificavit ſe, & in delitijs fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum; ſed parvuli nullam habuerunt inordinatam delectationem, nèc in ſpirita, nèc in carne: erg. nullum tormentum, aùt pœnam ſenſus debent ſuſtinere. Prob. 3. dolor, & cruciatus ab igne profectus, habet vim cuiuſdam increpationis; veluti flagella, quibus malefactores afficiuntur; ſed divinæ iuſtitiæ non videtur conſentaneum, quòd parvuli flagris cædantur ob peccatum, quod ex ſola culpa primi Parentis contraxerunt: erg.. Prob. min.: iuxtà Ariſt. 3. Ethic. cap. 3. nullus eſt reprehenſione, & increpatione dignus, niſi propter illa, quæ ſunt in ſua poteſtate: erg. multò minùs dignus erit, ut cædatur flagris, & torqueatur igne, vel alijs tormentis. Prob. 4. ex oppoſita ſententia ſequeretur, infantes decedentes cum ſolo originali puniri in inferno damnatorum, & non diſtingui duo habitacula, ſcil. infernum, ubi dagnati puniuntur pœna damni, & gehennæ, quamvis inæquali; & limbum puerorum, ubi iſti nullam pœnam ignis, vèl ſenſus patiantur; ſed illud non conſonat communi ſenſui Eccleſiæ, & Patrum diſtingentium ſubtus terram hæc duo loca pœnarum, nempè limbum puerorum, & infernum damnatorum: erg..

6 Arg. 1. contrà 1. part. concluſ.: peccato originali mitiſsima pœna correſpondet; ſed pœna damni eſt omnium maxima, ſiquidèm eſt maximum malum, utpotè quæ privat maximo bono: erg. talis pœna non correſpondet originali peccato. Conf.: peccato veniali - ubicumque debetur maior pœna, quàm originali, cùm veniale ſit voluntarium propria voluntate; originale verò ſolùm voluntate aliena; ſed veniali non debetur pœna dagni: erg. nèc originali. Urg.: Puer in puris naturalibus conſideratus, & purè phyſicè ſumptus non haberet originale; ſed tamèn excluderetur à beatitudine: erg. talis excluſio non eſt pœna peccati originalis.

7 Ad arg. diſt. mai.: peccato originali correſpondet pœna mitiſsima comparativè ad ſubiectum, quatenus ſine triſtitia ſuſtinetur, conc.; pœna mitiſsima abſolutè, & in ſe, neg. mai.; & diſt. ſimilitèr min.: pœna damni eſt omnium maxima abſolutè, & in ſe; conc., reſpectu ſubiecti, nempè parvuli, neg. min., quia non cruciat, ut potè non afferens triſtitiam; & neg. conſeq. Ad conf. diſt. mai.: peccato veniali debetur pœna

ma-

maior ſecundùm quid, ſcil. pœna ſenſus, conc.; pœna maior abſolutè, & ſimpliciter, neg. mai., quia licet veniale habeat magis de voluntario, & ideò excedat originale, ac puniatur pœna ſenſus; tamèn originale eſt mortale privans amicitia Dei, continens averſionem ab ultimo fine, & privans jure ad beatitudinem; undè excedit veniale, ac eſt obnoxium pœnæ damni. Quare conceſ. min. neg. conſeq. Ad urg. conceſ. mai. diſt. min.: excluderetur merè negativè à beatitudine indebita, conc.; excluderetur privativè, & per modum pœnæ, neg. min.; & conſeq..

8 Arg. 2. cont. 2. part.: parvuli decedentes cum ſolo originali puniuntur beatitudinis privatione per modum pœnæ; ſed hęc nequit ſtare ſine nolitione, triſtitia, & dolore, ut iàm dictum manet ex Subt. Doct.: erg. tales parvuli triſtantur, & dolent de amiſsione beatitudinis. Diſt. mai.: puniuntur illa privatione, per modum pœnæ præcisè damni, purè privativè, ſeù meri incommodi, aùt privationis commodi, ſivè boni, inflictæ in vindictam peccati: conc.; per modum pœnæ, non præcisè damni, ſed ſenſus, ſeù ſupplicij poſitivè pœnalis, moleſti, & afflictivi; neg. mai., & diſt. ſimiliter min.; hæc, nempè pœna ſenſus, ſeù per modum ſupplicij poſitivè cruciantis, & affligentis, nequit ſtare ſine nolitione, triſtitia, & dolore, conc.; hæc nempè pœna præcisè damni; ſeù per modum puræ privationis boni inflictæ in vindictam peccati; neg. min.; quià ut conſtat ex Subt. Doct. in 2. diſt. 33. quæſt. unic.; pœna per ſe damni conſiſtit præcisè in carentia beatitudinis debitæ; triſtitia verò eſt moleſtia quædam poſitiva, quæ vèl pertinet ad pœnam ſenſus, vèl per accidens conſequitur ad pœnam damni, quę ſine tali triſtitia poteſt reperiri, & tùnc non dicitur pœnalis, crucians, ſeù poſitivè affligens; in quo ſenſu docet alibi Subt. Mag. non poſſe dari pœnam ſine nolitione, triſtitia, & dolore. Pro quo videantur dicta in tract. de *Dæmonijs*, diſp. 3. q. 1.

9 Arg. 3. contrà eandem part. concluſ.: carentia boni in ſubiecto capaci, & ordinato ad illud, excitat naturaliter triſtitiam in ipſo; ſed beatitudo eſt maximum bonum, ad quod parvuli fuerunt à Deo ordinati: erg. Diſt. mai.: carentia boni excitat triſtitiam in ſubiecto, non habente cognitionem talis boni, neg. mai.: in ſubiecto habente cognitionem illius, ſubdiſt., ſi triſtitia

non

non impediatur, vèl infringatur à gaudio de evaſione ulterioris mali, aùt à conformitate cum voluntate ſuperiori, ita diſponente, vèl ab alia cauſa ſimili, conc.; ſi triſtitia impediatur ab aliqua ex talibus cauſis; neg. mai.; & diſt. min.; beatitudo eſt maximum bonum, quod parvuli non cognoſcunt., vèl ſi cognoſcunt, eorum triſtitia impeditur à gaudio de eo quod pœnas inferni evaſerint, vèl à pleniſsima eorum conformitate cùm voluntate divina, vèl quia mentem divertunt ad alia objecta delectabilia, vèl quia non moventur paſsionibus, ſed ratione, qua advertunt, per ipſos formalitèr non ſtetiſſe amiſsionem illius boni conc.; cognoſcunt eorum ordinationē ad beatitudinem, & non impeditur triſtitia ab aliqua ex prædictis cauſis, neg. min., & cōſeq.

10 Arg. 4. contra 3. part. concluſ.: in judicio univerſali non erit medium inter oves ſtatutas à dextris, & hœdos à ſiniſtris; nèc inter benedictos elevandos ad regnum, & maledictos projciendos ad ignis æterni ſupplicium, nèc intèr triticum congregandum in horreum, & zizania igne comburenda, nèc inter arbores facientes fructū bonū, & non facientes, ac excidendas, & in ignem mittendas; ſed parvuli decedentes cùm originali non collocabuntur intèr oves à dextris, nèc vocabuntur ad regnum cùm benedictis; nèc tanquàm triticum congregabuntur in horreo cœleſti; nèc tanquàm arbores fructum bonum facientes ſunt in Paradyſo Cœleſti collocandi: erg. tanquam hœdi collocabuntur à ſiniſtris, & cùm maledictis mittentur in ignem infernalem, ac veluti arbores non facientes fructum bonum, vèl tanquàm zizania projcientur in ignem, & conſequentèr patientur pœnam ſenſus. Conf. 1.: Apocalipſ. cap. 20. dicitur: *Vidi mortuos magnos, & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & apertus eſt liber vitæ, & qui non eſt inventus in illo, miſſus eſt in ſtagnum ignis*: erg. etiam parvuli, qui, utpotè decedentes cùm originali, non ſunt ſcripti in libro vitæ, patientur pœnam ignis. Conf. 2.: parvuli decedentes cùm originali, dicuntur in Script. *filij iræ*; ſed ira Dei eſt inflictio pœnæ, non damni, quæ conſiſtit in mera privatione; ſed ſenſus, quæ ſit quid poſitivum, & poteſt propriè infligi: erg. Conf. 3. D. Fulg. cit. in decretis ait: *firmiſsime tene, & nullatenùs dubites, eos, qui ſine Baptiſmo de hoc mundo tranſeunt, æterno ignis ſupplicio plectendos*: erg.

11 Ad

11 Ad arg. diſt. mai.: in iudicio diſcuſsivo, in quo examinabuntur opera, & reſpectu adultorum, habentium bona, vèl mala, non datur medium: conc.; in judicio approbativo, in quo approbabuntur ea, quæ ſtatuta ſunt, & reſpectu etiàm parvulorum, ſubd.: non datur medium intèr admiſſos ad beatitudinem, & excluſos ab ipſa, ſeù deputatos ad pœnam damni, conc.; non datur medium inter vocatos ad regnum, & erectos ad ſupplicium, ſeù pœnam ſenſus, neg. mai.; nàm M. P. Aug. lib. 3. de lib. arb. cap. 23. ait: *Sicùt vita eſſe potuit media intèr rectè factum, atque peccatum, ità & poteſt dari ſententia judicis media intèr præmium, atque ſupplicium.*: & conceſ. min. neg. conſeq. Ad 1. conf. explic. illud Apoc.: *Vidi mortuos magnos, & puſillos* (non quidèm ætate, ſed dignitate, & gradu), *& qui non eſt inventus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis*, propter peccatum perſonale, & ſecundùm opera uniuſcuiuſque, conc.: *vidi mortuos magnos, & puſillos* (ætate præciſe), *& qui non eſt inventus in libro vitæ, miſſus eſt in ſtagnum ignis*, proptèr ſolùm originale, & ſine proprijs operibus maiis: neg., hunc eſſe ſenſum; nàm ibidèm dicitur; *& iudicati ſunt mortui ex his, quæ ſcripta erant in libris ſecundùm opera ipſorum* &c.. Ad 2. conf. conceſ. mai., neg. min.; quia Deus iram ſuam & oſtendit infligendo pœnam damni, ſeù privando eius viſione, ſicùt David contrà Abſalom iram ſuam oſtendit, dicens lib. 2. Reg. cap. 14.: *Verumtamèn faciem meam non videbit.* Ad 3. conf. explic. authorit.: *æterno ignis ſupplicio plectendos*, ſumpto *igne* metaphoricè, & pro pœna damni, qualiter nomine *ignis* ſolet quælibet pœna ſignificari iuxtà phraſim Script., & SS. PP., conc.; ſumptò *igne* rigoroſe pro pœna ſenſus, medio igne infernali; neg. hunc eſſe ſenſum; nàm S.S. Patres intendebant peccatum originale ab æterna beatitudine.

12 Arg. 5.: parvuli in hac vita ſubijciuntur pœnis ſenſibilibus peccati originalis, nempè fame, ſiti, morbis, morte &c.: **erg.** etiàm in alia debent puniri pœna ſenſus; nàm aliàs mortui forent melioris conditionis, quàm vivi. Conf.: homo in alia vita punitur pœna ignis proptèr veniale: erg. àfortiori proptèr originale, quod eſt mortale. Ad arg. diſt. antec.: ſubijciuntur pœnis ſenſibilibus, per ſe, immediatè, & directè, ortis ex conditione conſtitutionis naturalis; àc re-

more, & mediatè ex carentia originalis iuſtitiæ ablatæ per peccatum originale, conc., per ſe, immediatè, & directè, inflictis in ultionem peccati originalis, ita ut ſint ſtrictè pœna ſenſus, neg. ant., & conſeq.; quia in alia vita non reſultarent, ex conditione naturæ, ſed ex diſpoſitione divinæ iuſtitiæ in ultionem peccati. Ad conf. conceſ. antec., neg. conſeq.; quia pœna ſenſus correſpondet inordinatæ delectationi, qualis reperitur in veniali, non vero in originali, ut patet ex probat. concluſ.

13 Arg. 6.: pœna damni eſt incomparabiliter maior, quàm pœna ſenſus: erg. ſi parvulis decedentibus cùm ſolo originali conceditur illa, non eſt cùr negetur iſta. Conf.: ad pœnam ſenſus damnatorum pertinet incarceratio, ſeù detentio localis in cavernis terræ tetris, & obſcuris; ſed hanc incarcerationem, ſeù detentionem localem patiuntur parvuli in limbo, qui eſt locus ſubterraneus, teter, & obſcurus: erg. patiuntur aliquam pœnam ſenſus. Reſp. ad arg. conceſ. antec., neg. conſeq.; nàm pœna ſenſus non negatur parvulis eo, quia ſit maior, quàm pœna damni; ſed quia pœna ſenſus correſpondet ſolo peccato perſonali, & commiſſo propria voluntate, qua ratione dicimus, dari non poſſe, quod illa puniatur originale, quod non eſt peccatum propriæ actionis, & perſonæ, ſed originis, & naturæ. Ad conf. diſt. mai.: ad pœnam ſenſus damnatorum pertinet incarceratio, ſeù detentio localis, violenta, poſitive involuntaria, ac ipſos torquens, & crucians, conc., aliter, neg. mai., & min. ſub eodem ſenſu, nàm illa incarceratio, ſeù detentio localis parvulorum in limbo, non eſt violenta, torquens, ac crucians ipſos, uti requiritur ad pœnam ſenſus. In quo autèm loco ſint futuri poſt univerſalem reſurrectionem, & extremum judicij diem; nempè; an in limbo, ſeù loco obſcuro ſubterraneo, ut volunt aliqui: ân verò in loco quidèm ſubterraneo, non obſcuro, ſed lucido, & ſpacioſo ad deambulandum; & colloquendum, ut ſentiunt alij; ân autèm in ſuperficie terræ, in loco valdè amœno? incertum eſt; ſed poteſt probabiliter aſſeri aliquis ex duobus ultimis dicendi modis; certum tamèn eſt, eos in æternum fore privatos beatitudine ſupernaturali.

14 Sed inquires: ân parvuli, cum ſolo originali peccato decedentes, poſt generalem reſurrectionem habituri ſint

ſint beatitudinem naturalem? Reſp. primò: tales parvuli non ſunt habituri beatitudinem naturalem, ſimplicitèr dictam, ſeù abſolutè perfectam: eſt valdè commune, & conforme Sacræ Script., Concilijs, & S.S. Patribus. Prob.: perfecta beatitudo etiàm naturalis, excludit averſionem ab ultimo fine, nempè Deo, qui eſt finis, tàm naturæ, quàm gratiæ; ſed parvuli decedentes cùm peccato originali, manebunt ſemper habitualiter averſi ab ultimo fine, cùm talem averſionem includat ipſum peccatum originale: erg.. Reſp. 2.: tales parvuli habebunt aliqualem beatitudinem, ſeù fœlicitatem naturalem. Ita plures Scotiſtæ, & alij cùm Subt. Doct. in 2. diſt. 33. q. un.. Prob.: tales parvuli habituri ſunt corpora ſine defectibus, ſana, integra, & pulchra; ſimùlque plura dona; nempè immortalitatem, impaſſibilitatem, impeccabilitatem, & carentiam fomitis ad culpam inſtigantis, ut concedunt omnes fere Doctores. Item iuxta aliquos habituri ſunt aliquam amœnam terram. Præterea, ſecundùm plures cognoſcent omne cognoſcibile naturaliter, & excellentiùs, quàm alij cognoverunt pro ſtatu iſto. Cognoſcent etiam Deum, in quantum principium omnium, & amore naturali diligent ipſum ſuper omnia, quamvis non dilectione efficaci perfecta, ac regulata cognitione diſtincta, & omninò clara. Erunt inſuper abſquè ullo dolore, & triſtitia: erg. habebunt aliqualem beatitudinem naturalem. Alia, quæ de juſtitia, & peccato originali ſolent hic diſputari, manent diſcuſſa in tract. *de Statibus naturæ*. Quare pro hoc tract. dicta ſufficiant, & omnia cedant in Dei honorem, & gloriam.

Amen.

FINIS.

INDEX

TRACTATUUM, DISPUTATIONUM, QUÆSTIONUM, & Sectionum, Dubiorumque inſertorum, quæ in hoc Quinto Volumine continentur.

TRACTATUS XII.

DE INTERNA ACTUUM HUMANORUM REGULA, ſcilicet Conſcientia.

DISPUT. Unic. *De Conſcientia in genere, & in ſpecie.* pag. 1.

Quæſt. I. *Quid, & quotuplex ſit conſcientia?* pag. 2.

Q. II. *Quid ſit conſcientia recta? undè ſumatur eius rectitudo? & qualis ſit eius obligatio.* pag. 8.

Interrog. *An agere contra conſcientiam veram, & rectam ſit ſpeciale peccatum contra ſpeciale præceptum; & an ſit unum, vèl duplex peccatum?* pag. 11.

Q. III. *Quid, & quotuplex ſit conſcientia erronea, ac quænam ſit eius obligatio?* pag. 14.

Sect. I. *Declaratur obligatio conſcientiæ erroneæ invincibili.* p. 15.

Sect. II. *Statuitur obligatio conſcientiæ erroneę vincibilis.* pag. 22.

Quodnam ſit peccatum gravius agere iuxta; an verò contra conſcientiam vincibiliter erroneam? pag. 26.

Quomodo ſit deponenda conſcientia erronea? pag. 28.

Quando ſit deponenda conſcientia erronea? pag. 29.

Q. IV. *Quid ſit conſcientia ſcrupuloſa, & quomodo ſe gerere debeat laborans ipſa?* pag. 30.

Q. V. *An cùm conſcientia dubia poſſimus rectè operari?* pag. 34.

Q. VI. *Quæ ſint, & quomodo debeant intelligi regulæ, quibus tenetur dubitans ſe conformare, ne peccet?* pag. 40.

Sect. I. *Quomodo ſit intelligenda illa regula: in dubijs tutior pars eſt eligenda?* pag. 41.

Sect. II. *In quibus materijs, & in quibus dubijs teneat hæc regula: melior eſt conditio poſſidentis?* pag. 46.

Q. VII. *An poſſimus licitè nos conformari conſcientiæ probabili.* pag. 55.

Sect. I. *Quid, & quotuplex ſit conſcientia, ac opinio probabilis.* Ib.

Sect. II. *An liceat conformari opinioni, & conſcientiæ verè probabili abſolutè, & ſimpliciter?* pag. 61.

Sect.

Sect. III. *An sit licitum sequi opinionem, & conscientiam minus probabilem, & minùs tutam, adhuc in conspecta probabiliorisi, & tutioris, ac ista relicta?* pag. 63.
Subsect. I. *Adstruitur probabilismus in materia juris.* pag. 70.
Subsect. II. *Impugnatur probabilismus in alijs materijs.* pag. 99.

TRACTATUS XIII.

DE EXTERNA ACTUUM HUMANORUM REGULA, seù de Legibus.

DISPUT. I. *De Lege in communi.*
Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit lex?* pag. 113.
Q. II. *Utrùm lex pertineat essentialitèr ad intellectum, vèl ad voluntatem?* pag. 118.
Q. III. *Quænam sint de ratione legis, & quæ conditiones requirantur ad condendam legem, atque ad eius obligationem?* pag. 126.
Sect. I. *An de ratione legis sit, quod sit justa; quod sit communitati prescripta, & ad commune bonum ordinata?* Ibid.
Sect. II. *Utrùm de essentia legis sit, quod feratur à potestate publica, quod sit obligatoria, & perpetua?* pag. 133.
Sect. III. *An, & quomodo lex requirat promulgationem?* pag. 139.
Sect. IV. *Utrùm acceptatio populi requiratur ad rationem legis?* pag. 143.
Disp. II. *De Lege naturali.*
Q. I. *Quid sit lex naturalis?* pag. 149.
Q. II. *Quænam sit materia legis naturalis?* pag. 162.
Q. III. *Utrùm lex naturalis sit una vel multiplex? An possit invincibiliter ignorari? Quomodo, & ad quid obliget?* pag. 171.
Q. IV. *An lex naturalis sit immutabilis, seù invariabilis?* pag. 178.
Sect. I. *Utrùm lex naturæ possit mutari per additionem, abrogationem, derogationem, vel irritationem, aùt saltèm per subtractionem materiæ?* pag. 181.
Sect. II. *Utrùm præcepta legis naturæ possint à Deo dispensari.* pag. 184.
Sect. III. *Utrùm præcepta legis naturæ possint dispensari potestate humana, aut saltèm per interpretationem, & epikeiam?* p. 199.
Disp. III. *De Lege divina positiva.*
Q. I. *An sit sufficiens, & adæquata divisio legis divinæ positivæ in veterem, & novam?* pag. 203.
Q. II. *Examinantur præcipuæ difficultates circa legem veterem.* pag. 206.

Distinc.

Diſſic. I. *Utrùm lex vetus fuerit immediatè à Deo data, ita ut fuerit divina?* Ib.
Diſſic. II. *Quot, & quæ fuerint præcepta legis veteris?* pag. 210.
Diſſic. III. *An, & quomodo, & quos obligaverit lex vetus.* p. 213.
Diſſic. IV. *An, quando, & quomodo lex vetus abrogata fuerit, & obligare deſierit?* pag. 215.
Diſſic. V. *Utrùm lex Moſayca fuerit mortifera ſtatim, ac fuit mortua, ſeu abrogata?* pag. 225.
Q. III. *Reſolvuntur dubia de lege Divina nova.* pag. 229.
Dub. I. *Utrùm lex nova ſit lex vera, & propria a Chriſto D. ut perfectiſſimo Legislatore inſtituta.* Ibid.
Dub. II. *Quotuplicia ſint præcepta in lege nova.* pag. 233.
Dub. III. *Quando lex nova cœperit obligare, quos obliget, & quouſque duratura ſit.* pag. 235.
Dub. IV. *In quibus lex nova differat à veteri, & illam excedat.* pag. 237.
Dub. V. *Utrùm lex Evangelica poſsit diſpenſari authoritate humana?* pag. 238.
Diſp. IV. *De Lege humana.*
Q. I. *An, quid, & quotuplex ſit lex humana?* pag. 240.
Q. II. *Utrùm ſit in hominibus poteſtas condendi leges, & utrum perſeveret talis poteſtas in Eccleſia Chriſti?* pag. 244.
Q. III. *In quibus hominibus reſideat poteſtas legislativa, à quo illam immediate accipiant, & quo jure illis competat?* pag. 251.
Sect. I. *Reſolvitur quæſtio de poteſtate Civili.* pag. 253.
Sect. II. *Reſolvitur quæſtio de poteſtate Eccleſiaſtica.* pag. 268.
Quæres, utrum poteſtas legislativa Eccleſiaſtica pendeat ex moribus, vel fide Legislatoris? pag. 275.
Q. IV. *Quænam ſit materia legis humanæ?* pag. 279.
Q. V. *Quænam ſit forma legis humanæ?* pag. 295.
Q. VI. *Qualis ſit effectus, ſeu obligatio legis humanæ?* pag. 305.
Sect. I. *Utrùm lex humana poſsit obligare in conſcientia?* Ibid.
Sect. II. *Utrum omnis lex humana debeat inducere obligationem in conſcientia?* pag. 311.
Q. VII. *Quodnam ſit ſubjectum lege humana obligatum?* pag. 341.
Sect. I. *An Legislator humanus obligetur ſuis legibus?* pag. 342.
Sect. II. *Utrum omnes homines, etiam infideles, & ubique teneantur legibus pontificiis, aliiſque Eccleſiaſticis?* pag. 349.
An Religioſi exempti teneantur legibus Epiſcoporum? pag. 351.
Sect. III. *An Eccleſiaſtici teneantur obſervare leges civiles?* p. 352.

Sect.

Sect. IV. *Utrum incolæ legibus proprijs sui territorij obligentur, quando extra illud versantur?* Pag. 355.
Sect. V. *Utrum Advenæ, & vagi obligentur legibus, & consuetudinibus territorij, in quo existunt?* pag. 361.
Sect. VI. *An Pueri, amentes, & ebrij teneantur legibus humanis?* pag. 367.
Q. VIII. *Quibus modis possit lex humana, aut eius obligatio cessare?*
Sect. I. *An, & quomodo cesset lex humana ex parte materiæ, atque ex parte finis?* pag. 369.
Sect. II. *An, & quomodo lex humana cesset per abrogationem, & derogationem?* pag. 374.
Sect. III. *Quomodo lex humana cesset per dispensationem?* pag. 379.
Sect. IV. *An, & quomodo cesset lex humana per interpretationem, & epikeiam?* pag. 396.
Sect. V. *An, & qualiter lex humana cesset per consuetudinem?* p. 400.
Sect. VI. *An lex humana cesset per privilegium, quidque oporteat scire circa illud?* pag. 409.

TRACTATUS XIV.

DE PECCATIS. PROEMIUM.

DISPUT. I. *De Peccatis in genere, & de personali actuali in specie.*
Quæst. I. *Quid, & quotuplex sit peccatum?* pag. 418.
Q. II. *Utrùm detur, vel sit possibile peccatum purè philosophicum?* pag. 424.
Q. III. *Utrùm de ratione omnis peccati sit esse contrà legem?* p. 435.
Q. IV. *In quo consistat formalitèr peccatum actuale?* pag. 448.
Sect. I. *An peccatum actuale consistat formalitèr in positivo; an autem in solo privativo?* pag. 450.
Sect. II. *In cuius boni privatione consistat formalitèr peccatum actuale?* pag. 470.
Disp. II. *De peccato omissionis.*
Q. I. *An possibilis sit pura omissio peccaminosa?* pag. 488.
Q. II. *Utrùm omittens ex causa voluntaria peccet, nedùm quando causam apponit, sed etiam dùm de facto omittit?* pag. 499.
Disp. III. *De peccato mortali, & veniali.*
Q. I. *In quo consistat, & qualis sit differentia intèr peccatum mortale, & veniale?* pag. 513.

Quæ-

Qualitèr diſcernendum ſit intèr peccatum mortale & veniale? p. 524.
An, & quomodò peccatum mortale poſsit fieri veniale, aut è contra? pag. 525.
Q. II. *An peccatum mortale ſit ſimplicitèr infinitum in ratione offenſæ?* pag. 526.
Q. III. *An homo in ſtatu naturæ lapſæ poſsit peccare priùs venialitèr, quàm mortaliter?* pag. 551.
Q. IV. *An, & quomodò, qui mortaliter, aùt venialitèr peccat, conſtituat ultimum finem in creatura?* pag. 563.
Diſp. IV. *De diſtinctione peccatorum.*
Q. I. *Undè ſit deſumenda diſtinctio peccatorum ſpecifica?* pag. 570.
Q. II. *Undè ſit deſumenda diſtinctio numerica peccatorum?* p. 578.
Diſp. V. *De comparatione peccatorum adinvicèm.*
Q. I. *Utrùm omnia peccata ſint connexa, & æqualia?* pag. 588.
Q. II. *Undè ſumatur gravitas, vèl inæqualitas peccatorum?* p. 593.
Diſp. VI. *De ſubjecto peccatorum.*
Q. I. *In quibus potentijs poſsint peccata ſubjectari?* pag. 598.
Q. II. *Utrùm appetitus ſenſitivus hominis, ſeclusa omni motione voluntatis, poſsit eſſe principium, & ſubjectum peccati venialis?* pag. 603.
Diſp. VII. *De cauſis peccatorum.*
Q. I. *Quænam ſint cauſæ internæ peccatorum?* pag. 612.
Q. II. *Quales ſint cauſæ externæ peccatorum?* pag. 618.
Sect. I. *Utrùm Deus poſsit dici, & eſſe directè, vèl indirectè cauſa peccati?* pag. 619.
Sect. II. *Utrùm potentia peccandi ſit à Deo?* pag. 626.
Diſp. VIII. *De primo effectu peccati actualis, ſeù de peccato habituali.*
Q. Unic. *In quo conſiſtat formalitèr peccatum habituale?* pag. 641.
Sect. I. *Impugnatur communior opinio Thomiſtarum.* pag. 642.
Sect. II. *Rejicitur frequens opinio Jeſuitarum.* pag. 666.
Sect. III. *Statuitur germana Scoti ſententia, & Scotiſtarum communiſsima.* pag. 674.
Diſp. IX. *De ſecundo effectu peccati perſonalis, ſeu de reata pœnæ.*
Q. Unica. *An veniale peccatum cum mortali coniunctum puniatur pœna æterna in inferno?* pag. 694.
Diſp. X. *De Peccato originali.*
Q. I. *Quid ſit peccatum originale contractum à Poſteris Adæ?* p. 705.
Q. II. *Quodnam ſit ſubiectum peccati originalis?* pag. 723.
Q. III. *Quæ, & qualis pœna, peccato originali correſpondeat?* p. 730.

LAUS DEO.

15 Resp. 2. dist. mai. prob: in illa hypotesi Deus produceret necessario eodem effectus se solo, & sine creaturis, quos modo libere producit cum creaturis; conc. mai.. Produceret non se solo; sed cum causis secundis: neg. mai. & cons. eodem modo. Ratio est; quia iuxta secundam rationem concl. si Deus ex necessitate naturæ operaretur, se solo, & ab æterno causaret omne causabile; & sic causæ secundæ nihil agerent: quare admisso, Deum operari in tali hypotesi, daretur liberum arbitrium quoad exercitium; quia eius effectus proveniret à Deo agente secundum ultimum potentiæ suæ infinitæ. Nec Deus adhiberet eundem influxum, vel concursum, ac modo; nam nunc non concurrit, quantum potest; sed attemperatur; concurrit enim, quia vult. At implicat in adiecto concurrere naturaliter, seù necessario, & quod non agat, quantum potest; quia in cuius potestate non est agere, nec etiam est modus agendi, unde ageret secundum ultimum potentiæ suæ.

16 Resp. 3. admisso, quod creatura tunc etiam operaretur, dist. mai.: in illa hypotesi Deus produceret effectus omnes, quos modo: neg. mai.. Aliquos: conc. mai.. Ratio huius est; quia si Deus ex necessitate naturę ageret, & applicaret causas secundas naturales, vel libe[illegible] ad aliquem effectum, impossibilis esset in Deo potentia productiva oppositi, vel omissiva illius: erg. contineret, & produceret illos, ad quos applicaret, non tamen effectus oppositos, vel eorum omissiones: erg. & impossibilis esset contingentia impedibilitatis in causis naturalibus, & contingentia libertatis in voluntate creata. Confirm. solutio, & simul aliter prob. concl.: nam in sententia Thomistarum, adhuc in tali hypotesi voluntas libere non operaretur, nisi iudicium indifferens intellectus maneret; sed Deo operante ex necessitate naturæ, iudicium indifferens non maneret: erg.. Prob. min.: Deus potest applicare voluntatem per iudicium determinatum; sed Deus applicans, & operans ex necessitate naturæ, applicaret quantum potest: erg. semper applicaret per iudicium determinatum: erg. voluntas non operaretur libere.

17 Arg. 3. Ad contingentiam effectus sufficit, quod aliqua causa sit contingens, ut patet in Sole, & homine respectu hominis contingenter geniti, & in habitu charitatis,



E2
3.483